2238

3.176

CONCORDIA PASTORALIS

SUPER

JURE DIOECESANO

INTER

EPISCOPOS ET PRÆLATOS INFERIORES;

DISTRIBUTA IN DUAS PARTES.

IN QUIBUS

Explicatur conflictus Epiſcoporum cum Prælatis Inferioribus ſive *nullius*, ſive *intra Diœceſim*, tam ſuper univerſa juriſdictione Diœceſana, quàm ſuper actibus particularibus.

AVTHORE EODEMQVE INTERPRETE

LIC. D. ILDEPHONSO CLEMENTE DE AROSTEGUI,

In Maximo Divi Ildephonſi Collegio Academia Complutenſi Togato Sodali, & Sacrorum Decretorum Publico Anteceſſore, ac in Cæſarauguſtano Regio Auditorio Aulæ Criminalis electo Prætore.

COMPLUTI.

Ex Officina Joſephi Eſpartoſa, Univerſitatis Typographo.

Anno M. DCC. XXXIV.

CONCORDIA PASTORALIS

SUPER

JURE DIOECESANO

INTER

EPISCOPOS ET PRAELATOS

INFERIORES,

DISTRIBUTA IN DUAS PARTES

IN QUIBUS

Explicantur conflictus Episcoporum cum Praelatis Inferioribus
sive nullius, sive quasi-nullius, tam super universa
Jurisdictione Diocesana, quam super
quibus particularibus.

AUTHORE EODEMQVE INTERPRETE

ILLO. D. ILDEFONSO CLEMENTE DE AROSTEGUI,

In Matrito Divi Ildephonsi Collegio Academia Complutensi Togato
Sodali, & Sacrorum Decretorum Publico Interpreti,
& in Cesaraugustano Regio Auditorio Fiscalis
Criminalis electo Protectore.

COMPLUTI.

Ex Officina Ildephonsi Ulpiensis, Universitatis Typographi.

Anno M. DCC. XXXIV.

EMINENTISSIMO DOMINO D. DIDACO DE ASTORGA ET CESPEDES,

S. R. E. PRÆSBYTERO CARDINALI,
Archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum Primati,
Caſtellæ Magno Cancellario,
Regique à Conſiliis.

ILDEPHONSUS CLEMENTE DE AROSTEGUI D. D.

EMINENTISSIME & ipſe agnoſco multiplices titulos, quibus & plena proprietas, indeque ſolemnis vindicatio tibi in hoc opere competat, EMINENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE. *Nam & in Palatij tui ſolo extructum, tuæ juriſdictionis materia compactum, tuiſque tandem expenſis abſolutum, quem niſi te dominum debet habere? Nec mibi juris quidquam poſſem,*

etsi vellem, usurpare : Quodcumque enim ad me spectare potuisset, tibi ab initio donatum ac in jure cessum volui. Quin nec quod cederem donaremve habui ; arctissimi namque & obsequij & clientelæ nexus, queis tibi honorificentissimè adstringor, operas qualescumque meas tui juris faciunt. Adeò ut si res benè perpenditur, pro maxima, quam in me habes, potestate, ne Author hujus operis ego dici merear ; sed tu solus, Protector ac Patrone colendissime, cui totum debens, totum quod in me est & honoris & nominis ex animo dicatum percupio. Hæc cùm perpenderem, tanti apud me fuerunt, ut nedum opus hocce tuo nomine inscribere, sed ultra inscriptionem, urgente gratitudine, laudes tuas percurrere cogitarem. Sed ò quam temere ! Quam incassum ! Mihi enim orationem exordienti, ingens cum modestia tua, ingentior cum tuis laudibus pugna erat subeunda. Ecquis enim antiquæ prosapiæ tuæ clarissimam nobilitatem, Majorum tuorum splendentissima stegmata, tuarum Dignitatum Insulas, fulgentissimæ tuæ Purpuræ majestatem, raram ac mirabilem virtutis omnis ac gloriæ copiam ac concentum in te audeat contemplare, qui luce territus, copiaque ipsa inops factus, imparem se conatui non fateatur ? Quandoquidem ad tantæ præconia laudis impares sunt vel ipsæ Maronianæ tubæ : Impares Consulares Panegyristæ : Impares Orphæi plausus, summos decantantes Heroas. Ergo contractis inde velis, propositum cohibere satiùs judicabam, & una nominis tui faustissima inscriptione, rem omnem absolvere. Sed mirum quantum excruciabatur animus laudum tuarum cupidus, qui nec sanè quievit, quousque illud tandem menti succurrit, ut qui laudes, virtutesque tuas disserta oratione complecti nequibam, aliorum saltem testimonio plane ac sincere commendarem. Placuit illico pulchra via, illamque ingresso statim occurrit illud, quo nullum præclariùs, Regis nostri testimonium in tui ad Episcopale munus promotione. Obscuris enim temporibus, atrocissimique belli scintillis nondum compressis, Barcinonensis Diœcesis Pastorem te designavit. O quàm multa in eo corpore bellis concusso deformia ! Quàm multa disjecta ! Quanta squalida ! Ast sedula tua opera Principis, omniumque de te spem ac judicium comprobasti. Te quippè Pastore candida pax rediit, Templi aurum novo fulgore resplenduit, & lapides Sanctuarij desierunt esse dispersi. Inde apud Cathalaunos tui cultus, amor, æternaque memoria. Inde ipsorum in discessu tuo communis dolor & implacabilis fletus. Sed non ulteriùs te præbuit Urbibus Aula, maluit esse suum, & nova merita novis testimoniis commendare. Providentissimus enim Rex noster abunde expertus, quàm benè humeris tuis sederet imperium, in Summo Fidei Senatu te Præsidem locavit.

Cum-

Cumque in ſontibus corrigendis, delictis domandis, arduiſque expediendis, maxima juſtitiæ, prudentiæ, ac zeli ſpecimina dediſſes, talis ac tantus judicatus es, cui Summus honor & faſtigium deberetur; atque ita

Cum clara diù rerum documenta dediſſes,
Non te parte ſui, ſed in omni corpore ſumpſit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores Hiſpana tibi.

Ergo te jam univerſi Hiſpaniarum Præſules Primatem obſervant. Ergo jam Excellentiſsimum ac primum in Hiſpaniæ ordine occupas gradum. Sed ne hic conſiſtunt Regia de te teſtimonia, quippè Invictiſsimi Monarchæ delectu LUDOVICI I. *(qui ò utinam divino perfruatur adſpectu) Intimus deſignaris Conſiliarius. Tandemque tibi pro meritis, proque tuæ Sedis amplitudine* Excellentiæ *honorem, quem in Succeſſores tranſmitteres, convenire lege immortali ſanxit. Quem ſic Regia honorabant teſtimonia, cur non extollerent Pontificia? Æmula ſanè Roma talem tantumque Virum, talem tantumque Sacerdotem Hiſpaniæ invidere cæpit, utque ſibi, ſeu veriùs univerſo Orbi, haberet, faſtis ſuis voluit adſcribere, Purpuratoſque ſuos inter Patres cooptare. Clementis XI. Innocentij XIII. Benedicti XIII. necnon Clementis XII. felicitèr regnantis, Apoſtolica de te oracula fama ubique celebrat, nec deſinet celebrare unquam; indeque ſi quod majus:: Sed quò ferimur? Neſcio hercle, Princeps Eminentiſsimè, quo me ferunt vota. Illud ſane haud neſcio ſi quod majus & honoris & teſtimonij eſt, tibi pro meritis pro virtutibus, quas in Eccleſiæ & Regni Servitio explicaſti optimè convenire. Celſiſsima licèt ſint hæc teſtimonia, quæ à tuis proficiſcuntur ſubditis, non verebor adjungere. Omnes profectò ſub tanto Paſtore & Duce mutuo ſibi gratulantur & gaudent. Omnes uno te ore concelebrant pauperum Parentem, Scientiarum Patronum, Canonum Cuſtodem, ac pietatis Vindicem. At eccur tibi hæc nomina detrectarent, quæ tute optima adminiſtratione comparaſti? Nonnè egenis omnibus non ita impenſe faviſti, ut larga tua manus ſuperet* fontem Hermi, tactumque Midæ, pluviaſque Tonantis? *Nonnè ſtudia ſub te ſpiritum, & ſanguinem non receperunt? Nonnè ſanctiſsimis Legibus Clericorum vitam non formaſti? Nonnè tuis expenſis magnifica opera non ſunt erecta? Nonnè Toletanum Templum tibi ſuum complementum non debet in illo æternitati dicato opere, in illo inquam magnifico Tabernaculo, Numinis providentia tibi adſervato, ut inciperes, erigeres, & ad finem uſque perduceres?*

duceres? Nonnè ſub tuo Sacro Miniſterio Canonum priſtinus candor reſtitutus non eluceſcit? Nonnè tandem Auguſtinos, Ambroſios, Fulgentios, in Mundum non revocaſti purioris Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo, quo inter alia, ad informandos Diœceſis tuæ Clericos, Matriti Seminarium SS. Salvatoris à fundamentis erexiſti? Cùm ergo hæc ita ſint, omnibuſque in comperto, cur omnium laudes plauſus & obſequia tibi non debeantur? Ac tandem cur non ego & obſequij, & cultus tanto Præſuli non exhibeam documenta? Accipe igitur, Eminent. Hiſpaniæ Primas, hoc opus, quod, vel ex titulo tibi deberi nemo ambigat. Pacis enim ac charitatis Epiſcopalis legibus ita aſsiduò ſtuduiſti, ut Concordiæ Paſtoralis *titulum plenè compleas, & Princeps pacis meritò poſsis compellari. Poſteris enim & exemplo, & admirationi erit illa animi tui comitas dulcedo & moderatio, qua vel à controverſiis abſtines, vel in ipſis pacem ſollicitas. Ut hinc mihi haud temere blandiar nihil tibi charius, ſicuti nihil optatius eſſe poſſe hac* Paſtorali Concordia, *quàm ipſe ſuades, promoves, atque exerces. Ergo illam, ut potes, ex jure vindica, ampliſsimoque tuo nomine illuſtra: Meque tuæ gloriæ addictiſsimum, pientiſsimaque ad Deum fundentem vota, ſingulari qua ſemper benignitate honoraſti, excipe.*

Et in æternum VIVE.

(***)

CEN-

CENSURA PRÆCLARISSIMI VIRI Lic. D. JOANNIS Lopez Bodado, Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Hiſpaniarum Primatis Canonici, & in Gubernationis Toletano Conſilio Iudicis.

EX Commiſsione Doct. D. Emmanuelis à Menchero & Rozas, hujus noſtræ Primatialis Toletanæ Eccleſiæ Canonici, univerſæ Archidiœceſeos Vicarij Generalis, & Inquiſitoris Ordinarij Sedula diligentia perlegi Librum, cui titulus eſt *Concordia Paſtoralis ſuper jure Diœceſano*, diſpoſitum & elaboratum à *Lic. D. Ildephonſo Clemente de Aroſtegui*, Maximi Ildephonſiani Complutenſis Collegij Togato Alumno, & pro Sacri Juris Cathedris obtinendis conſulto, & eo majori cura, ac ſtudio evolvi, quo tituli ipſius amplitudo grataque novitas aliciebat, nam in limine illud mihi ſe obtulit, vix aliquid, aut certè nihil, impenſiùs eſſe optandum, ac perquirendum, quàm *Concordia Paſtoralis*, quæ abſque morum honeſtate, & integritate juſtitiæ ſtare non poteſt; qui enim Concordiæ operam dat, juſtitiæ ſtudet, ſiquidem *juſtitiæ opus pax*. Qui Concordiam commendat, juſtitiam extollit; qui hanc colit, illam amplexatur; indivulsè ſiquidem inter ſe connectuntur, & amico fœdere copulantur, dicente Pſalmiſta: *Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Ergo, vel ſola Libri inſcriptio, & propyleum ſtimulos poſuit, ut an titulo reſponderet opus anxiè prolixèque introſpicerem. Sed ut operis arcana ac penetralia luſtrari cæpi, illiuſque, fundamenta, compages, ac partes attentè perſpexi, in quò cenſoriam virgam exercere poſſem, nihil inveni; quin, ut facti operis ſoliditas, integritas, & connexio ſe ſe demonſtrabant, illud numeris omnibus abſolutum, propriiſsimeque inſcriptum lubenter comprobavi. In eo ſiquidem juſto Aſtreæ libramine Epiſcopis, ac Prælatis Inferioribus ita fideliter jus ſuum tribuitur, ut vel vix deinceps locus maneat diſcordiis, vel ſi, prout ſunt res hominum, jurgia ſubſcitentur, hujus Libri regulis ſellectiſsimaque doctrina facillimè ſedentur, & præcidantur. Multiplices ſanè in hoc limatiſsimo opere examinantur quæſtiones, in quibus, & curioſitatis, & utilitatis plurimùm adeſt, ſicuti viciſim ſoliditatis, quam rerum gravitas, & materies expoſcebat. Conciliorum, Cæſarei juris, Patrum, ac hiſtoriæ frequentiſsima eluceſcunt teſtimonia, eo quidem ordine, ut ſingulaquæque teneant ſortita locum decenter, ſalſumque exinde reddatur illud.

Ornari res ipſa vetat contenta doceri.

Involuta dubia circunſpectiſsimè explicantur; & non niſi ratione duce; validiſque urgentibus probationibus, quidquam decernitur, ut qui latitantis veritatis veſtigia ſtudioſè ſubſequitur. Ablegata procul hinc ſunt quorumdam ſcriptorum vitia, ut ſunt præceps in decernendo ſententia, in alios Scriptores acerbitas, animi peturbatio aut invidia; ſed ubique Concordiæ, & veritatis ſtudium, animi lenitas, & moderatio emicat, ut verè ac germanæ *Concordiæ Paſtoralis*, titulum Author compleat. Habent igitur in hoc opere, qui Populis præſunt, totius Eccleſiaſticæ Regulæ depoſitum. Habent litterati omnes multa, quæ in rem ſuam convertant. Vt jam de ſuſcepto labore nedum gratias Authori habendas judicem, ſed ipſum urgendum, ut ſuſcepta ſcribendi ratione, reliquos *Concordiæ Paſtoralis* gradus ſuper Metropolitico Primatiali, & Pontificio jure, ut inſinuat, proſequatur. Ob id eoque præcipuè, quod in totius operis decurſu nihil deprehendi Fidei Catholicæ contrarium, Sanctæ Matris Eccleſiæ inſtitutis diſſonum, bonis moribus obium, Librum hunc digniſsimum cenſeo, quod Typis mandetur. Sic ſentio, ſalvo ſemper, &c. Toleti die 10. Decembr. Anno 1729.

Lic. D. Joanes Lopez Bodado.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Manuel Menchero y Rozas, Canonigo en la Santa Igleſia Primada de las Eſpañas de eſta Imperial Ciudad de Toledo, Inquiſidòr, y Vicario General en ella, y ſu Arzobiſpado, &c. Por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir el Libro, cuyo titulo es *Concordia Paſtoralis*, compueſto por el *Lic. D. Alfonſo Clemente de Aroſtegui*, Colegial en el Mayor de San Ildefonſo de la Ciudad de Alcalà de Henares; atento à que de nueſtro mandado fue remitido à Cenſura, y por la que ſe diò conſtò, no tener coſa opueſta à nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Dado en Toledo à nueve dias de el mes de Diziembre de 1729.

Doct. D. Manuel Menchero y Rozas.

Por ſu mandado.

Fernando Camacho Rodriguez,

Notario.

Por Temprado.

CENSURA Doct. D. JACOBI MAGRO ET ZURITA, Inſignis Malacitanorum Muſæi Hoſpitis, & in Complutenſi Academia Sexti Decretalium Moderatoris.

REGIJ Senatus delegationi obſecundans libens ſuſcepi, librumque diligenter evolvi, qui inſcribitur *Concordia Paſtoralis inter Superiores, & Inferiores Prælatos*: Authore *D. D. Ildephonſo Clemente de Aroſtegui*, Inſtitutionum juris Moderatore, atque in Maximo Athænæo Divi Ildephonſi Emerito Sodale. Opus ſane pluſquàm ad Cleantis lucernam expolitum, omnibuſque ſuis numeris abſolutum: *Propterea quod refectus eſt ſententiis, ac contrariorum obiectiones non confuſſe, ſed recto ordine digeſtas habet*, ex D. Baſil. *Epiſt.* 39. quo, vel maxime laconica, & venuſta oratione ſingula propriis ſedibus ad monitum Philoſophi collocantur. *Sapientis enim eſt ordinate tractare, & dicere. Lib. 2. Metaphyſ.* Nec eruditio ſolum qualis in Clypeo, & Herculis pictura, ſed & lepos multus, & ornamentum, atque hinc inde, omnique penu Canonum, & Legum ſeges uberrimi latifundi: Zeuxidis namque ad inſtar, qui Junonem effigiaturus Virgines Agrigentinorum pulcherrimas conduxit, aptans ex ſingulis, quod præſtantiſsimum in unaquaque eſſet: diverſas paritèr perſpicaci mentis oculorum acie Interpretum formas intuens, rationeſque perpendens, hoc volumen informat, quod ſuperato tempore marmoreis exarabitur characteribus: prout in Liciniæ Junonis delubro ſcripta, niſi morte aboleri priſci tradiderunt. Neque immerito; quippè libans quaſi apis decerpit flores, quos albeo voluminis favos exponit. Sordeſcebant quaſi vaſtis diſjuncta locis non pauca juris Dogmata, quæ improbo labore ad politiorem exculta incudem, atque ſeriem examinat, reſolvitque uſque ad extrema principia, ex quibus filum ducens, & exordium graviora pendit, paratque ad *Concordiam*, quo melius innoteſcant antiqua proferens ſimul nova, & vetera non ſine novitate, admiratione ac delectu. Ovem. *Lib. 3. Epigram. 76.*

Stulta hæc invidia eſt, cui cuncta recentia ſordent:
Invida ſtultitia eſt, cui nova ſola placent.

Neque

Neque in ſaxeum tramitem ceſpitat calamus Authoris : quia nihil ſcribit cui vel parcat criſis, vel adulatio blandiatur ; ſed è ditiori legum ſupelectili etiam Catones alloquitur, ut jam relictam voluptuoſe Aſtræa poſsit repetere terram : quoniam æquum ab iniquo, juſtum ab injuſto diſcernens juſtitiæ cultor mira perſpicuitate obſcuras quæſtiones illuſtrat : Argiva ſolertia difficultatum præcavet inſidias : Gordianos nodos mentis acumine reſcindit : Matura ingenij vivacitate librat argumenta : Validis adverſantium ſententias oppugnat, propriaſque mira ſubtilitate defendit. Totque legum eruditionis, & pondere rationum exornat, ut omnium in ſe laudem, & optimam conciliet : *Quia nulla laus melior quam quæ opus ipſum commendat* : Quibus profecto ſcriptis reſpondent certamina Minervalis Paleſtræ, quam pari, ni dicam majori dexteritate perluſtravit, & luſtrat. Diſſertationibus enim Paleſtrita nerboſus in contrarium telis occurrit efficaciter, graviora ſemper peneque indiſſolubilia parans argumenta, nedum ex ipſorum & inextricabili, & difficili ſedium labyrinto ; ſed etiam ex opugnandi ſpecioſo ordine, & ratiocinio : *Vt non ſolum inclinantem erigat, ſtantem inclinet ; ſed etiam adverſantem, & repugnantem, quo velit, inducat, deducat ; unde velit juxta* Ciceronem *Lib. 2. de Orator.* neque minus accomodate *Verinus carmine de Eloquent.*

Nihil tam difficile eſt, quod non perſuadeat,
Et non æfficiat noſtri lingua diſſerta viri.
Ancipiti eloquium longe penetrantius enſe
Hoc raviem motam ſedat, & arma movet.

Quæ ſane omnia comprobat labor indefeſſus, nam & ſolida theoricæ principia jactat, & praxis inſuper abſcondita, & obſtruſa recludit. Prologomena ſiquidem utilia ſpeculationi præmittit, quæ, vel tunc maximè, ut in præſenti opportet adnotari, cum de fructuoſa, & principali notæ cauſa differatur : & ad concordiam veniens in particulari penè innumeros caſus, liteſque recenſet, aptans monumenta, & exempla, tum nova, tum antiqua cum peritia juris publici, & privati ; pro quo Plinius *Lib. 1. Epiſt. 22. Quantum ille peritus, & privati juris, & publici ! Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet ? Nihil eſt quod diſcere velis, quod ipſe docere non poſsit.* Ex quibus, & quia vel, Orthodoxæ fidei, vel probitati morum contrarium nihil inveni, dignum hoc opus prælo, utileque cenſeo. In hoc Inſigni Malacitanorum Collegio die 13. Julij, anno Domini 1731.

Doct. D. Jacobus Magro & Zurita.

EL REY.

POR quanto por parte de Don Alfonso Clemente y Aroſtegui, Colegial en el Mayor de San Ildefonso de la Vniverſidad de Alcala de Henares, ſe repreſentò en el mi Conſejo, avia obtenido Licencia de los de èl en diez y ſeis de Enero de el año proximo paſſado de mil ſetecientos y treinta y tres, aviendo precedido las diligencias que ſe practican para que pudieſſe imprimir un Libro que avia eſcrito, intitulado *Concordia Paſtoral*; y mediante eſtàr reſuelto, que à los Authores, ſi pidieſſen Privilegio, ſe les conceda, y aver padecido equibocacion, que deviendoſe pedir eſte, ſolo ſe contuvo en Licencia por una vez, en eſta atencion: Se me ſuplicò, que bajo de la Cenſura dada para la referida Licencia, y demàs diligencias que ſe executaron para ella, fue ſervido concederle Licencia, y Privilegio por diez años, para la impreſsion de dicho Libro, con prohibicion de que otra alguna Perſona lo pudieſſe hazer ſin ſu permiſſo; y viſto por los de mi Conſejo, ſe acordò expedir eſta mi Cedula: Por lo qual, concedo licencia, y facultad al expreſſado Don Alfonſo Clemente y Aroſtegui, para que ſin incurrir en pena alguna, por tiempo de diez años primeros ſiguientes, que han de correr, y contarſe deſde el dia de la fecha de ella, el ſuſo-dicho, ò la Perſona, que ſu poder tuviere, y no otra alguna, pueda imprimir, y vender el referido Libro, intitulado *Concordia Paſtoral*, por el Original que en el mi Conſejo ſe viò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguel Fernandez Munilla, mi Secretario, Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de èl, con que antes que ſe venda ſe trayga ante ellos, juntamente con el dicho Original, para que ſe vea ſi la impreſsion eſtà conforme à èl, trayendo aſsimiſmo fee en publica forma como por Corrector por mi nombrado, ſe viò, y corrigiò dicha impreſsion por el Original, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender. Y mando al Impreſſor que imprimiere el referido Libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que uno ſolo con el Original al dicho Don Alfonſo Clemente y Aroſtegui, à cuya coſta ſe imprime, para efecto de la dicha correccion, haſta que primero eſtè corregido, y taſſado el citado Libro por los de el mi Conſejo; y eſtandolo, aſsi, y no de otra manera, pueda imprimir el principio, y primer pliego, en el qual ſeguidamente, ſe ponga eſta Licencia, y la Aprabacion, Taſſa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de eſtos mis Reynos, que ſobre ello tratan, y diſponen. Y mando, que ninguna Perſona, ſin licencia del dicho D. Alfonſo Clemente y Aroſtegui, pueda imprimir, ni vender el citado Libro, pena, que el que le imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualeſquier Libros, Moldes, y Peltrechos, que dicho Libro tuviere; y mas incurra en la de 50ȳ. mrs. y ſea la tercia parte de ellos para la mi Camara, otra tercia parte para el Juez que lo ſentencia, y la otra para el Denunciador; y cumplidos los diez años el referido D. Alfonſo Clemente y Aroſtegui, ni otra Perſona en ſu nombre, quiero no uſe de eſta mi Cedula, ni proſiga en la impreſsion de dicho Libro, ſin tener para ello nueva Licencia, ſo las penas en que incurren los Concejos, y Perſonas que lo hazen ſin tenerla. Y mando à los de el mi Conſejo, Preſidente, y Oydores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Caſa, y Corte, y Chancilleres, y à todos los Corregidores, Aſsiſtentes, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Juſticias, Miniſtros, y Perſonas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos mis Reynos, y Señorios, y à cada uno, y qualquier de ellos en ſu Deſtrito, y Juriſdiccion, vean, guarden, cumplan, y executen eſta mi Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra ſu tenor y forma no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada 50ȳ. mrs. para mi Camara. Dada en el Pardo à 12. de Marzo de 1734. YO EL REY. Por mandado del Rey Nueſtro Señor, D. Franciſco Caſtejon.

ERRATA'

ERRATA I. PARTIS SIC EMENDA.

PAg.3. col.2. lin.2. diſſentierint, leg. *diſſenſerint*. pag.7. col.2. lin.24. publicis, leg. *publici*. pag.5. col.1. lin.18. quodnam, leg. *quondam*. pag.8. col.2. lin.15. poſsit, leg. *poſſet*. pag.18. col.1. lin.46.bapzantes, leg.*baptizantes*. ibid. lin.25. Epiſcopis, leg. *Epiſcopos*. pag.20.col.2. lin.4.Apſtolatus, leg.*Apoſtolatus*. pag.25. col.1. lin.38. 79.leg.76. pag.42.col.2.lin.46. multorum, leg.*multarum*. ibid.col.1.lin.21.memini,leg.*nemini*. pag.48.col.1.lin.15.protuit,leg. *potuit*. pag.56.col.2.lin.40.Toleti, leg.*Toletum*. pag.60.col.2.lin.45. Hiſpanienſis,leg. *Hiſpanienſes*. pag.64.col.2.lin.37. poſsidentis,leg. *poſsidetis*. pag.69.col.1.lin.22.Cæſar,leg.*Cæſar*. pag.74.col.2.lin.44. peragere,leg. *peragrare*. pag.78.col.2. lin.10. numerum, leg.*munerum*. pag.84.col.1.lin.8.tontum, leg. *tantum*. pag.96.col.1.lin.27. leniantur, leg.*leniant*. pag.141. col.2.lin.22. falicile,leg. *facile*. pag.157.col.2.lin.41. Paſtoralis, leg.*Paſtoris*. pag.182.col.1. lin.38. Palætina, leg.*Paleſtina*.

ERRATA II. PARTIS.

PAg.6. col.1. lin.35. certionem,leg. *certiorem*. pag.40.col.2.lin.34.attendimus, leg. *attenditur*. pag.52.col.1.lin.1. neceſſariam, leg. *neceſſaria*. pag.64.col.2.lin.37. Cathedralis, leg. *Cathedrali*. pag.68.col.1.lin.10. aprobada, leg. *aprobanda*. pag.70.col.2.lin.38.comprobantum, leg.*comprobatum*. pag.82.col.1.lin.31.expertis, leg. *expers*. ibid. ſubjecti,leg.*ſubjectus*. pag.83.col.2.lin.6.carceraverit, leg.*carceraverint*. pag.106.col.2.lin.39. dele *jus*. pag.111. col.2.lin.43. modetionem, leg. *moderationem*. pag.198. col.1. lin.24.uniuſque,leg.*utriuſque*. pag.200.col.2.lin.23.detractare,leg *detrectare*. pag.209.col.2.lin.34.*præſtat* adde *rationem*. pag.212.co.1.l.3.ſenttntia,leg.*ſèntentia*. pag.294.co.2.l.40.contrituebant,leg.*contribuebant*. pag.301.col.2.lin.47.Sacris, leg. *Sacri*. pag.302.col.1.lin.5.procedenti, leg. *procedendi*.

NOTA. Concordiæ Prioratuum hæc addenda in Procem. pag.2. lin.6. poſt verb. Archiepiſcopalem, adde *dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ*. pag.3.lin.31. poſt verb.perceptione, adde *quam Dignitas Archiepiſcopalis prætendebat*. in cap. II. poſt verb. ornamenta, adde *cæteraque Sacramentorum adminiſtrationis decentiam concernentia, necnon quoad ornamenta*. in cap IX.poſt verb.operum, adde *Sæcularium*. ibid.poſt verb.deſumere,adde *illorum*.ibid. poſt verb. Regulares, adde *quæ ſpectant ad Religioſos Sancti Ioannis, ex quo ſint Regulares*.

CONCORDIA PASTORALIS &c. nunc primum in lucem edita, his mendis exceptis originali eſt conformis. Matriti pridie Kalendas Martij Anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi quarti.

Lic. D. Emmanuel Garcia & Aleſſon.

C. M. Generalis Corrector.

SVMMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro intitulado: *Concordia Paſtoralis ſuper jure Diœceſano*, ſu Autor el *Lic. D. Alfonſo Clemente Aroſtegui*, Colegial de el Mayor de San Ildefonſo, y Cathedratico de Decreto de la Vniverſidad de la Ciudad de Alcalà de Henares, à ſeis mrs. cada pliego, el qual tiene ciento y treinta y dos, ſin Principios, ni Tablas, y à eſte reſpecto importa ſetecientos y noventa y dos mrs. como conſta de la Certificacion dada en Madrid à 27. de Marzo de 1734. por Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor, Eſcrivano de Camara, y de Govierno del Conſejo.

DOCTO IUXTA, AC DISSERTO J. C. LIC. D. D. Ildephonſo Clemente de Aroſtegui, Maximi D. Ildephonſi Collegij Nobiliſsima Toga Accincto, Decretorum Cathedræ in Univerſitate Complutenſi Celeberrimo Moderatori:

DOCT. D. ANTONIVS PHILIPPVS DE APERREGVI, Militiæ D. Jacobi Eques, Primariæ Canonum Cathedræ in eadem Univerſitate Anteceſſor, ejuſdemque Collegij emeritus Hoſpes.

S. P. D.

SEmper exiſtimavi, Chariſsime Sodalis, eos, qui cæteris mentis vigore, & maturitate judicij antecellunt, ſi in obſcuro vitam agere nolint, omni tempore, in Juriſprudentia noſtra inventuros argumentum, in quo vires ſui ingenij poſsint exercere: *Veritas enim nondum occupata eſt, multumque ex ea poſteris eſt relictum; nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adjiciendi*; quapropter, *etſi veteres omni veneratione colendi ſunt, non tamen ita, ut coævorum noſtrorum virtutes, & merita deſpiciamus*, ajebat optimè Sydonius: Hujuſcemodi opinionis ſatis amplum teſtimonium offert præſens tractatus, qui poſt penè immenſam voluminum multitudinem in juris ſcientia ſcriptorum, adhuc pro dignitate non erat diſcuſſus, nec debito ordine explanatus, cùm tamen ejus materia non minus ſit utilis, quàm neceſſaria, tam in Schola, quàm in foro verſantibus, utpotè difficillimis quæſtionibus, & laciniosis ambagibus involuta. Vix etenim in Orbe Catholico invenitur aliqua Provincia, ſeu Diœceſis, in qua non perſonent fora immortalibus litibus inter Ordinarios, & exemptos: Illi ſibi omnia vindicantes freti eminenti juriſdictionis Epiſcopalis dignitate, quæ ab initio naſcentis Eccleſiæ, dumtaxat in ejus regimine feliciſsimè coruſcavit: Hi autem pro gloria reputantes nulli Diœceſi addictos eſſe, totis viribus propugnare nituntur, immunitates, ac privilegia à Pontificia benignitate, multoties eis ob ingentia merita conceſſa. Procul enim dubio eſt, in omnibus penè locis exemptis jugitèr ſe ſe oſtendere veſtigia quædam illius obedientiæ, quam olim univerſi Populi Sanctiſsimorum Epiſcoporum diſciplinæ meritò tribuerunt, non diſsimili modo, ac in libertis, licèt Romana Civitate donatis remanent nonnullæ notæ ſervitutis, quam exhibere priſtinis Dominis tenebantur, quos ideo omni honore, & reverentia colere debent: Verum enim verò, qui honos, & quo jure Diœceſano Epiſcopo competat, quibus finibus exemptorum dignitas circumſcribatur, diſcordes ſuper hac re ſententias in Concordiam redigere, dubia à certis ſecernere, cuilibet limites aſsignare, hoc opus, hic labor eſt, cui conficiendo, non ex plebe, neque capite cenſis ſufficeret proletarius interpres: Ideo ſicut antiquitus Scipio periculoſum Hiſpaniæ bellum à primis urbis Senatoribus reformidatum, libenter amplexatus fuit, ut in arduis virtus ſua eniteret, ita & tu Diſſertiſsime Clemens, ab omnibus penè deſertam, ſponte ſuſcepiſti hanc juris partem, ut cunctis fidem faceres, tuæ ſelectiſsimæ Doctrinæ, & rectiſsimi Judicij, tanquam ſi fatale foret tui nominis viris, ænigmata juris ſolvere, & ejus abdita myſteria explicare: Terentius, quippè Clemens, inter Conſultos nulli ſecundus, de quo ſatis clara mentio in Digeſtorum Libris habetur, vaſtiſsimam delegit Provinciam, interpretationem nimirùm ſubtilium Legum Juliæ, & Papiæ, quæ primorum Juriſprudentiæ noſtrum Cultorum ingenia ſatis, diùque fatigavit: Tu verò, Eruditiſsime Vir, operæ incubuiſti, quæ præ cæteris deſiderabat inſtructum, ac omnigena literarum ſupellectile refertum Magiſtrum: Sed nonnè ſpem, quam de te habebamus fefelliſti? Abſit; nam ſi materia inſpiciatur, nulla utilior,

Seneca *Epiſt.* 64.

Sydonius Apollinar. *Libr.* 3. *Epiſt.* 8.

Livius *Libr.* 26. *Hiſtor.*

ſi

ſi ordo nullus aptior, ſi dictio nulla candidior, ita ut de te dictum quis exiſtimari poſsit, quod Cicero de Servio Sulpicio: *Iuris magnum uſum, apud multos fuiſſe, ſcientiam in hoc uno, quod numquam effeciſſet ipſius Iuris Scientia, niſi eam preterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam, qua vera, & falſa judicarentur: Hic etenim attulit lucem, ad ea, quæ confuſſe ab aliis agebantur, ſed adjunxit etiam Litterarum ſcientiæ eloquendi elegantiam, quæ exſcriptis ejus, quorum ſimilia nulla ſunt, facillimè perſpici poteſt.* O Deus Magne, quantum eſt iſtud opus! Quàm perfectum, & ex omni parte abſolutum! *Pauca nunc poſſe ſimilia dictari*, cum Sydonio affirmare non verebor, *quia rarus aut nullus eſt, cui par aſsiſtat diſpoſitio per cauſas, poſitio per litteras, compoſitio per ſyllabas.* Hic reperient Academici Profeſſores ſubtiles, & acuminis Theorici plenas legum, ac Canonum interpretationes, Practici & forenſes, optimas ad diſcuſsionem cauſarum decidendi rationes, Eruditi amœniſsimam politioris litteraturæ cornucopiam, Hiſtorici magnam antiquitatis Eccleſiaſticæ, Conciliorum, & rerum ad Hiſpaniam noſtram ſpectantium notitiam. Hoc enim opus abundè refellere poteſt illorum dicteria, qui vix ſupremis labris attingentes artis noſtræ delicias, temere pronunciare non erubeſcunt in Academiis tantùm abſtruſarum, & minimè ad Rempublicam pertinentium quæſtionum themata verſari, quin ulla detur ſcientia Patrij Juris, aut Romani, quatenus iſtud cum propriis inſtitutis ac moribus conſociando omnes nationes ad uſum ſuum accommodaverunt; ſed, pace eorum dixerim, *hi tantùm ſunt illi, qui ad vota properantes, crùda adhuc ſtudia in forum immittunt, & juris ſcientiam, qua nihil majus eſſe confitentur, à pueritia induere volunt*, ut ſcite Petronius. Tuis certè auſpiciis, Præclariſsime Anteceſſor, redeunt illa floridiſsima, & verè aurea Academiæ tempora quibus Anguianos, Soliſios, Salcedos, Caſtillos, & alios quam plures, litteris, & auctoritate præſtantes Juris Sacerdotes avida legum juventus avidiſsime excipiebat. Sed ecce, cùm facunda placebant otia, *naſcenteſque ibant in ſæcula libri*, Invictiſsimus Rex noſter Philippus tribuendam tuis laboribus juſtam compenſationem cenſens, loquitur tibi, ut olim Aſtræa Mallio Theodoro.

In Bruto ſeu de Clar. Oratorib.

Libr. 9. Epiſt. 7.

Petronius *in Satyric. in princip.*

> *.....Clemens, ſincera bonorum*
> *Congeries, in quo veteris veſtigia recti,*
> *Et ductos video mores meliore metallo.*
> *Iam ſatis indultum ſtudiis; Muſæque tot annos*
> *Eripuere mihi: jam, jam te jura repoſcunt.*

Claud. *In Paneg. Mall. Theodor.*

Ad Cæſarauguſtanum igitur conventum, unus ex Patribus juri dicundo, & criminalibus cauſis audiendis Regia munificentia meritò es evectus: *Nam cum Senatorium Imperium pro præmio virtuti ſit propoſitum, dignum eſt*, ajebat Caſiodorus, *ut qui eſt ſcientia præditus, reddatur honore reverendus.* Age jam, Digniſsime Senator, negotium publicum, cognoſce, judica, prome, & exerce juſtitiam, ſede in ejus fulgentiſsimo ſolio, ut pro bono Reipublicæ *jura è curuli Celtiberis reddas*: *Accipe ergo*, Juriſconſultorum Optime, *quid ſuper libello tuo ſentiamus, legimus opus operoſum, multiplex, ſublime; ſcripſiſti gravia maturè, profunda ſolicitè, dubia conſtantèr, quædam ſeverè, quædam placidè, cuncta potentèr*: Sed numquid fieri poterat, ut in Authore, quem tanta familia produxerat, ſententia noſtra corrigendo, aliquid inveniret? Minimè: *Verum cum præconia tua juſtius de te, quàm tibi ſcribenda ſint, abſtineo, ne impudentèr verecundiam tuam laudibus ultrò premam*: Vale jam, *vir facundiæ copia, eloquutionis pondere, ſententiarum caſtitate, verborum gratia, & pronunciationis vehementia maximè pollens*: Vale, Collegij Decus, Vniverſitatis ornamentum, Reipublicæ litterariæ honos; Vale, & memor mei eſtò Amantiſsime Conſodalis.

Caſiodor. *Lib. 1. Var. Epiſt. 4. & 13.*

Sydon. *Libr. 9. Epiſt. 9.*

Sydon. *Libr. 9. Epiſt. 14.*

Nicephor. *Lib. 8. Hiſt. cap. 45.*

Doct. D. FRANCISCI JOSEPH DE LAS INFANTAS, Majoris D. Ildephonſi Collegij Toga Accincti, & Veſpertinæ Imperialium Inſtitutionum Cathedræ Anteceſſoris, de Concollegæ opere judicium.

FRANCISCVS D. ILDEPHONSO VIRO CLARISS.

QUò tandèm amantiſsime Ildephonſe? Abs me ſententiam de Libro tuo poſcis? Cenſoriam virgam ab amica manu? Neſcio herculè an te fefellerit amor, & falsò me integrum judicem opineris, qualem tantæ profectò rei materies poſtulat. Cæterum quoniam tu ita præſcribis, Juniore Plinio duce, dicam ingenuè: (ſcis enim nihil à me abeſſe longiùs adulatione) *Legi librum omnibus numeris abſolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipſius adjecit. Iudicavi tamen: neque enim ſoli judicant, qui malignè legunt.* Legi, inquam, Librum, iterumque, & iterum perlegam: & quia operibus tuis nil, jam ſcis, mihi eſſe jucundius, & quia *Paſtorali* tua *Concordia* nil cunctis omnibus, ut opinor, utilius: Aliunde quippè nec uberiores ſegetes ad rem coacervandæ utriuſque prudentiæ, eruditionis, doctrinæ.

Multi ſunt jam anni, quibus te totum impensè datum vidi, ut ad Concordiam traheres diſcordantes ſententias, quas ſuper Diœceſano jure inter Prælatos Eccleſiaſticos, & in maximum rectioris diſciplinæ detrimentum ſerpere luget Eccleſia. Verùm proh dolor! Cùm permultæ deciſiones, ſententiæ, conventiones nec potentes ſint, ut inter Maximas Dignitates moleſtiſsimæ teterrimæque lites ſopiantur; quinimò velut Hydram ſecantes, reciſa una, plures inde plerumque oriuntur, & ſuccreſcunt; difficiliores ſanè rixas exiſtimabam, quàm ut in tutam pacem redigi poſſent, adhuc ab ingenij tui, qua polles excellentia: Quandoquidem inveteratæ, & propè jam cancrum redolentes plagæ nec cauterium ſuſtinere ſolent, quin corporis exitium tantùm non patiantur. Aſt Deus bone! Quam permulti deprecati fuerunt provinciam, homini verè utriuſque juris peritiſsimo non immeritò reſervatam videmus. Dirarum litium acerbiſsima ulcera Paſtorali Concordia tua medelam fidentèr præſtolantur. Nec tunc ferro ſanabuntur & igne; ſed doctrinæ majeſtate & lepòre, queis adeò lenitèr ad pacis optabile faſtigium animos allicis, ut qui immanes contentiones calore ferveſcentium litium perpetuò minitabantur, in concordiam redigi & amico fœdere copulari videntur. Verùm ſuaviſsimo Libri tui nectare non ſolæ oblectabuntur Primas Toletana, & Hieroſolymitana Prioralis Dignitates, quarum vetuſtiſsimas lites, noviſsimaſque concordias velut in exemplum adducis: ſiquidem nulla prorſus quæſtio (ni noſtra nos fefellit opinio) adeò Superiores reliquos, & Inferiores Eccleſiaſticos Prælatos ulterius implicabit, quæ à Paſtorali tua Concordia ſuccidi nequeat. Quin, inquam, ſuccidi? Iratis etiam furiis lites moventibus, ſaluberrimo dulcique Concordiæ tuæ ſucco miteſci, & in tranquillam pacem mirificè reddi credo atque judico.

Multum (fateor) *apud me gratiæ amor ipſius*, & Autoris, & Libri *adjecit.* Igitur ab ineunte fermè noſtra ætate aſsidua confabulatio ſacem ventilabat, ut mutuus creſceret, & ſuccenderetur amor, & benevolentia æternum perennatura, altiſsimis me hercle his radicibus velut præſagientibus vinculum, quo te obſervo amicum, & diligo conſodalem. Novi te utique probum ſemper, ſemper egregium, vel à pueritia ſanè mitiſsimo indulgentem genio, omni eruditioni deditum, & in diſciplinis cunctis miranda facilitate proficientem. Teſtatur hoc, prædicatque totis buccis noſtra Academia mater, quæ te ſtrenuum militem bello Minervali ſæpius dimicantem triumphantemque celebravit, & jam emeritum Imperialium Inſtitutionum, jam Sacrorum Decretorum meritiſsimum Anteceſſorem veneratur. Ecquid? Quem ob id omnes plus, pluſque in dies diligunt, non diligam & ipſe, propiùs qui introſpexi, & tot tantiſque nexibus adſtringor? Ideò & nunc tecum mihi res eſt Auguſta Cæſarea Aragoniæ Metropolis, quia hunc à frequentia noſtra Contogatum veluti arripis, dùm ipſo tuæ Curiæ Regio nutu deſtinato Judice triumphas. Cæterum tibi tamen gratulor nihilominus, & juſtitia atque æquitate

onuſ-

onuſtum amabilem Senatorem prænuncio ; licèt eum ab me abſuturum procùl, animus doleat mœrore confectus. Igitur ſapientia, virtute, & genere inſignis Ildephonſe neſas eſſet tibi amicitiæ vinculo memet devinctum negare, multumque apud me gratiæ amorem tui, tuique libri adjeciſſe.

Iudicavi tamen: Accipias modò quam jam indicavi, ſincerè prolatam ſententia m. Præſtat Concordia tua Paſtoralis (neſcit verè nemo) argumenti excellentia, perſonarum Dignitate, & autoritate Scriptoris : Verumtamen apta diſpoſitione, congruis diviſionibus, fideliſſimis Eccleſiaſticis teſtimoniis, frequentibus SS. PP. documentis, verborum energia, artis coloribus, ſtyli dulcedine, veracitate, claritate (fide Attica loquor) eminet profectò atque pollet. Jure quidem *conſequentia nomina rebus eſſe ſtudens* diligens Juſtiniani Imperatoris ſectator tanto concordantis ſapientiæ, & eruditionis operi Concordiæ titulum reſpondere feciſti. At ſi præſagium non reſpuis, in æternam præ manibus mentibuſque eruditorum ipſius futuram diuturnitatem juro : Nam ſi Eloquentia Romana Lelij orationes diutiùs duraſſe aſſerebat, *quoniam mens etiam in ſcriptis ſpirare videbatur*, ſpirat, animabitque in ævum uſque Concordiam tuam, mens, ſpiritus, ingeniumque tuum, in quorum optima admodum officina niſi ære perennius opus perfectiſſimum exarandum non foret neque excudendum. Quid ergo ſupereſt, niſi ut *Librum omnibus numeris abſolutum* legiſſe meritò jactemur?

En itaque ſententia judiciumque meum, ſi modò id aliquod eſt in nobis: *Neque enim ſoli judicant, qui malignè legunt*. Etenim horum tantum ſententiam ſi expectaremus, vel fortè qui de tuo Libro proferret judicium eſſet nullus. Attamen quia *nec ſilentium à calumnia tutum*, iſtorum, ſi qui fuerint, ſtomachum non pluris quàm nauci facies. Vale ergo mi cariſsime, vive, & alia plurima ſcribe quàm primum, quàm celerrimè, ut & tui nominis fama, noſtrorum temporum gloria, & ſtudioſorum omnium augeatur utilitas. Ex noſtra Maxima Ildephonſiana Æde Academia Complutenſi V. Id. Februar. An. 1734.

PRÆ-

PRÆFATIO.

AUD deerunt forſam, qui ſuſceptum à me in hoc opere argumentum magna ex parte forenſe mirabuntur; ut qui Academico homini, non quæ in uſu rerum, ſed quæ in ſpeculatione poſita ſunt, veſtigare permittant. His ergo, ſatis ut faciam, delectus mei occaſionem apperiam. Certis ſanè interſtitiis, quibus ab Schola abeſſe contigit, apud chariſſimum fratrem meum (quem ut Patrem obſervo) D. Petrum Clemente de Aroſtegui, nunc Primatialis Eccleſiæ Toletanæ Canonicum, totiuſque Archidiœceſeos Generalem Vicarium in hoſpitium diverti. Cumque apud ipſum frequentes occurrerent quæſtiones ſuper Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercitio, præcipuè cum exemptis; eo maximè tempore, quum in Magno Caſtellæ Prioratu Diœceſanum Vicarium egit, & poſtmodum Auditorem Cubicularium Eminentiſsimi D. Cardinalis de Aſtorga, Iudicemque Paciarium in Congregatione Concordiæ; hinc, inquam, mihi nata eſt occaſio, ut harum controverſiarum examini & ego incumberem, & inde quæ obſervatu digna videbantur ſeligerem, & annotarem juxta Innocentiani Brevis, mox explicandi, ordinem. Placuerunt aliis (quibus forte mei amor impoſuit) lucubrationes illæ, quas pro materiæ utilitate prælo dignas judicarunt, ſuaſſeruntque. Ergo prælo jam parata omnia, cum Numinis providentia antiquo Academiæ ludo reſtitutus, & inter Ildephonſiani Domicilij, undique Maximi, Collegas cooptatus, propoſiti executioni ſuperſedere opus habui; nam & Scholæ exercitationes alio me avocabant ſtudio; & novis honoris titulis auctus, majus aliquid & elimatius adgredi è re mea eſſe putavi. Hac ſanè mente feriatis temporibus integrum hunc tractatum ſum molitus; in quo id pro virili contendi, ut, propoſito Toletanæ controverſiæ exemplo, univerſas ſuper Diœceſanæ juriſdictionis exercitio controverſias tam generales, quàm particulares percurrerem; & conflictum Epiſcoporum cum Prælatis Inferioribus, cum nullius, *tum* intra Diœceſim, *explicarem, quod nullus hucuſque ex induſtria fecit.*

In

In ſcribendi ratione clariſsimos illos mihi ad imitationem propoſui viros, qui non fucatam, ſed veram Juriſprudentiam coluerunt. Juriſprudentiam, inquam, liberalem ac ingenuam, quæ non in Bertachinis, *ut ajunt* repertoriis, *ſed in ipſis juris fontibus eſt exquirenda; quæ non AA. ſuffragiis, prolixiſque citationibus, ſed ſolidis rationibus ornatur & gaudet. Quæque ſui ſtudioſos inter alios habuit Magnos Covarruvius, Caſtillos, Gonzalezios, Amayas, Larreas, Oleas, & Gomezios, qui Scholis enutriti, & adulti forum illuſtrarunt. Illud etiam in hoc ſpinoſo & ſalebroſo tractatu maximè accuravi, ut uni tantùm veritati litarem, ut animo & calamo moderarer, & nulli de ſua laude aut dignitate aliquid detraherem. Quod ut ſemper in ſcribentibus ſit commendandum, numquam verò magis, quàm cùm agitur de poteſtate juriſdictione, & prærogativis: Unde ſæpè in ipſo opere, atque nunc etiam, Deum hominesque teſtor meum ab ullius offenſione animum alieniſsimum.*

Ut plurimùm curæ & ſolicitudinis adhibuerim, ut eſt hominum imbecillitas, majorque in me tenuitas, non detrectabo errata mea (quæ plurima forte erunt) modeſtè agnoſcere, incunctanterque emmendare. Illud autem Lectores exoro, humanitatem potiùs, quàm rigidam cenſuram in me ut malint exercere. Occurrent etiam typothetæ nævi haud pauci, quos profecto diſsimulare ſciet, quicumque hujuſmodi excuſsionibus operam dederit: facile enim ac ſæpiùs inevitabiliter mira errata & ſtribiligines obrepunt. At prudentis erit, ut de verbis non diſſentiamus, dum de rebus conſenſio ſit. Illud tandem præmoneo, ne quis malam mihi fidem inurat, incuria Amanuenſis verba aliqua fuiſſe omiſſa in aprographo Concordiæ Prioratuum in Proœmio, & in capp. 2. & 9. *quæ utique verba juxta ipſius concordiæ autographum in erratorum fide ſupplentur.*

INDEX

(IHS)

INDEX CAPITUM HUJUS OPPERIS.

PARS PRIMA.

Proœmium. Aliqua præmittuntur ad introductionem tractatus, quibus maximè commendatur Concordia Paſtoralis, ſimulque traditur ratio operis, ac methodi. Pag. 1.

Cap. I. Ut concordia in Eccleſia floreſceret aliquam dari præcellentem poteſtatem expedit : atque hinc agitur de Epiſcoporum inſtitutione, & de eorum poteſtatis comprehenſione, & partibus. pag. 13.

Cap. II. Diœceſeon diviſio & aſsignatio valdè erat neceſſaria ad Concordiam Paſtoralem, atque hinc agitur, à quo, quando, & quomodo Diœceſes inſtitutæ, & diviſæ fuerint, unde eliiciuntur conſectaria. pag. 39.

Cap. III. Ut ad Concordiam Paſtoralem expediebat, quod Diœceſes aſsignarentur Epiſcopis, ita ejuſdem concordiæ ratio repoſcit, ut perſonæ ſubditæ deſignentur; atque hinc agitur de indiſtincta poteſtate Epiſcopi in perſonas omnes ſuæ Diœceſis. pag. 65.

Cap. IV. Oſtenditur origo, & antiquitas Prælatorum Inferiorum, & qualis quantaque ſit eorum juriſdictio demonſtratur, juxta triplicem exemptionum claſſem. pag. 88.

Cap. V. De Prælatis ab origine *nullius* ad reſolutionem celebris quæſtionis, quæ de poſsibilitate nativæ exemptionis ſolet ventilari. pag. 111.

Cap. VI. De exemptione Dativa *nullius*, quando intelligatur conceſſa, & quid hæc debeat comprehendere, unde plures privilegiorum clauſulæ explicantur. pag. 128.

Cap. VII. De exemptione *nullius* præſcriptiva : An territorium ſeparatum valeat induci præſcriptione ? Et an præcisè requiratur immemorabilis, vel ſufficiat quadragenaria ? pag. 145.

Cap. VIII. Si quandoque Prælatorum Inferiorum juriſdictio, moderatis privilegiis, reſtringitur, id ob unam præcipuè cuſtodiendam Concordiam factum, & hinc de privilegiorum revocatione, & confirmatione. pag. 162.

Cap. IX. Refertur controverſia inter Archiepiſcopos Toletanos, & Magnos Priores Hieroſolymitanos ſuper juriſdictione in Oppidis Prioratuum Caſtellæ, & Legionis. pag. 179.

PARS SECUNDA.

Proœmium. Incipit expoſitio Brevis Innocentij XII. & confirmatæ ab ipſo concordiæ in controverſia juriſdictionis Diœceſanæ inter Archiepiſcopos Toletanos, & Magnos Priores Hieroſolymitanos. Pag. 1.

Cap.

INDEX.

Cap. I. Concernens dubium Regularitatis Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium. pag. 21.

Cap. II. Super computis & exactionibus reditus fabricarum Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium, & ſuper reparatione ædificiorum, & ornamentorum. pag. 48.

Cap. III. Super ædificatione Eccleſiarum earumque immunitate, necnon delictis, quæ in illis patrabuntur. pag. 58.

Cap. IV. Super nominatione collectorum, & exactione collectoriarum Eccleſiarum Parochialium. pag. 96.

Cap. V. Super publicatione Eccleſiaſtici interdicti in Parochialibus Prioratuum. pag. 97.

Cap. VI. Super collatione beneficiorum curatorum, examine & approbatione Parochorum Priorum. pag. 117.

Cap. VII. Super collatione Capellaniarum & poſſeſsione legatorum piorum vulgo Patronatuum. pag. 156.

Cap. VIII. Super erectione Capellaniarum, & fundatione Confraternitatum. pag. 148.

Cap. IX. Super viſitatione Capellaniarum anniverſariorum, & Confraternitatum piorum operum, & cognitione litium ad illa pertinentium. pag. 145.

Cap. X. Super viſitatione Eccleſiarum Parochialium Collectoriarum, ornamentorum, & aliorum. pag. 171.

Cap. XI. Super viſitatione teſtamentorum, & defunctorum ab inteſtato, & ſuper juribus, & propinis viſitationis. pag. 183.

Cap. XII. Super exercitio cumulativo juriſdictionum delegatæ, & ordinariæ formaque procedendi contra Parochos Priores. pag. 193.

Cap. XIII. Super publicatione mandatorum expeditorum à Dignitate Archiepiſcopali in rebus concernentibus matrimonia, & alia. pag. 204.

Cap. XIV. Super examine, ac ſuſpenſione, & revocatione Parochorum Priorum. pag. 211.

Cap. XV. Super examine, & nominatione œconomorum in vacationibus beneficiorum curatorum. pag. 213.

Cap. XVI. Super Tribunali Vicarij Religionis, & exemptione inſervientium illi. pag. 216.

Cap. XVII. Super adſcriptis ſervitio Eccleſiarum. pag. 242.

Cap. XVIII. Super expeditione litterarum dimiſſorialium pro ordinandis Religioſis & Servientibus, ac licentia pro exercendis ordinibus per Clericos Sancti Petri, & aliis. pag. 246.

Cap. XIX. Super matrimoniis Servientium. pag. 258.

Cap. XX. Super Vicariorum reſidentia in diſtinctis Populis, ac Sede, & loco, quem occupare debent in Eccleſiis. pag. 264.

Cap. XXI. Super gubernio, & directione Proceſsionum, & loco, quem in illis occupare debent Vicarij. pag. 268.

Cap. XXII. Super cuſtodiis circumeuntibus in nocte Nativitatis Domini, Jovis Sancti, & aliis. pag. 275.

Cap. XXIII. Super expeditione cenſurarum monitorialium. pag. 278.

Cap. XXIX. Super nominatione Eccleſiarum, & forma tituli, quo uti debent Vicarij. pag. 280.

Cap. XXV. Super jure Patronatus, & juriſdictione Conventus Monialium Ordinis Sancti Bernardi Oppidi de Conſuegra. pag. 286.

Cap. XXVI. Et ultimum concordiæ ſuper reparatione, & exactione decimarum locorum Prioratuum. pag. 289.

Concluſio Brevis Innocentiani. pag. 303.

CON-

INDEX.

Cap. I. Quæstiones dubium Regulatoris Ecclesiarum, Ecclesiorum, & Hospitalium. pag. 1.

Cap. II. Super comparis & exactionibus reditus fabricarum Ecclesiarum, Ecclesiorum, & Hospitalium, & super reparatione ædificiorum, & ornamentorum. pag. 48.

Cap. III. Super ædificatione Ecclesiarum earumque immunitate, necnon delictis, quæ in illis patrabuntur. pag. 58.

Cap. IV. Super nominatione collectorum, & exactione collectarum Ecclesiarum Parochialium. pag. 96.

Cap. V. Super publicatione Ecclesiastici interdicti in Parochialibus Ecclesiarum. pag. 97.

Cap. VI. Super collatione beneficiorum curatorum, examine & approbatione Parochorum Presbyterorum. pag. 117.

Cap. VII. Super collatione Capellaniarum & petitione legatorum piorum usuq; Patronatuum. pag. 136.

Cap. VIII. Super erectione Capellaniarum, & fundatione Confraternitatum. pag. 148.

Cap. IX. Super visitatione Capellaniarum anniversariorum, & Confraternitatum piorum operum, & cognitione litium ad illa pertinentium. pag. 149.

Cap. X. Super visitatione Ecclesiarum Parochialium Collectoriarum, ornamentorum, & aliorum. pag. 171.

Cap. XI. Super vinratione reliquiarum, & defectorum ab intestato, & super juribus, & propinis visitationis. pag. 183.

Cap. XII. Super exercitio cumulativo jurisdictionum delegatæ, & ordinariæ formaque procedendi contra Parochos Priores. pag. 195.

Cap. XIII. Super publicatione mandatorum expeditorum a Dignitate Archiepiscopali in rebus concernentibus matrimonia, & alia. pag. 201.

Cap. XIV. Super examine, & approbatione, & revocatione Parochorum Presbyterorum. pag. 211.

Cap. XV. Super examine, & nominatione de eorumdem incapacitatibus beneficiorum curatorum. pag. 215.

Cap. XVI. Super Tribunali Vicarii Religionis, & exemptione interessentium illi. pag. 216.

Cap. XVII. Super adscriptis servitio Ecclesiarum. pag. 221.

Cap. XVIII. Super expeditione litterarum dimissoriarum pro ord nandis Religiosis & Sæcularibus, ac licentia pro exercendis ordinibus per Clericos sæculares. pag. 224.

Cap. XIX. Super matrimonialis servitutis. pag. 236.

Cap. XX. Super Vicariorum relictarum dilitiadis Populis, ac Sede, & loco, quem occupare debent in Ecclesiis. pag. 246.

Cap. XXI. Super gubernio, & directione Processionum, & loco, quem in illa occupare debent Vicarii. pag. 268.

Cap. XXII. Super quibusdis circumstantiis in nocte Nativitatis Domini, Jovis Sancti, & aliis. pag. 275.

Cap. XXIII. Super expeditione cautionum monitorialium. pag. 285.

Cap. XXIV. Super nominatione Ecclesiarum, & forma illi, quo uti debent Vicarii. pag. 289.

Cap. XXV. Super jure Patronatus, & jurisdictione Capellanorum ab Archiepiscopali Ordinario Sancti Bernardi Oppidi de Conflentia. pag. 296.

Cap. XXVI. Et ultimum concordia super reparatione, & exactione decimarum locorum Priorarum. pag. 289.

Conclusio Brevis Innocentiani. pag. 295.

CON-

CONCORDIA PASTORALIS.

SUPER

JURE DIOECESANO,

INTER

EPISCOPOS ET PRÆLATOS INFERIORES.

PARS PRIMA.

PROOEMIUM.

Aliqua præmittuntur ad introductionem tractatus, quibus maximè commendatur Concordia Paſtoralis, ſimulque traditur ratio operis, ac methodi.

SUMMA PROOEMIJ.

1 *Commendatur operis argumentum ex ipſo* Concordiæ Paſtoralis *titulo.*

2 *Ab ipſo Chriſti ortu Eccleſiæ Paſtoribus concordia commendatur.*

3 *Epiſcopi ſicut cæteris gradu eminent, ita charitate debent anteire.*

4 *Ab Epiſcopis in populos charitatis fluenta exundant.*

5 *Eccleſia eſt grex, cuius vnitas & ſocietas concordia Paſtorum ſolidatur.*

6 *Eccleſia eſt domus, cuius exteriora concordare nequeunt, ſi interiora diſſentiant.*

7 *Eccleſia eſt Caſtrorum acies, cuius ordinem ac vires auget concordia Ducum.*

8 *Statum Reipublicæ regentium concordia firmat, diſcordia vero debilitat & deſtruit.*

9 *Prælati concordiæ ſtudioſi proximè accedunt ad Deum, qui pax & Charitas nominatur.*

10 *Nullus Eccleſiæ Prælatis ſplendidior, aut honorificentior titulus, quam mutuæ inter ipſos concordiæ.*

11 *Evangelio Concilijs & Patribus commune fuit votum, vt concordia paſtoralis ſervaretur.*

12 *Quædam Sanctiſsimorum Præſulum eggregia referuntur exempla admirandæ Epiſcopalis concordiæ.*

13 *S. Malachias Epiſcopatum ſuum partiri voluit, & præſtantiorem ſedem vltro alij reliquit, iuri ſuo renuntians.*

14 *Gregorius Nazianzenus Epiſcopatu diſceſſit, exulemque egit, vt concordiam paſtoralem ſervaret.*

15 *Huius concordiæ ſtudium eò perduxit Hiſpaniæ Epiſcopos in Concilio Toletano III. vt Eccleſiæ Canonibus contrariari viderentur.*

16 *Eodem pacis ferventiſsimo deſiderio agitantur Patres in Concilio Africæ Generali.*

17 *Præſulum controverſiæ non ſtatim ac temerè ſunt damnandæ.*

18 *Graves quandoque inter Sanctiſsimos viros exarſerunt controverſiæ & quæſtiones.*

19 *Inter probos viros innocua quandoque certamina fuere, quia alterius alterum latebat intentio.*

20 *Prælati tenentur ſuæ Eccleſiæ & Dignitatis iura defendere.*

21 *Excuſari non debent à culpa, qui, pacis prætextu, ſuæ Eccleſiæ iura deſſerunt & amittunt.*

22 *Lites tamen cum lenitate & dulcedine exerceri debent.*

23 *Lites rectè exercentur, ſi in eis concordia perquiratur.*

24 *Sicut prima diſcordiæ origo eſt ambitio, ita prima concordiæ radix in eo eſt ponenda, vt quiſque proprijs terminis contentus ſit.*

25 *Fieri non poteſt, nec debet, vt omnes pari poteſtate potiantur.*

26 *Concordia conſiſtit in eo ordine, qui ex munerum diverſitate, & inæqualitate conſurgit.*

27 *Natura ſuperiora cum inferioribus ordine colligavit.*

28 *Hoc ordine rupto, mundi machina diſſolvetur.*

29 *In Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe convenit.*

30 *Eccleſia eſt domus Domini, cuius partes maximo ordine ſunt diſpoſitæ.*

31 *Ordo dignitatum & graduum in Eccleſia, ad Prælatorum concordiam, inventus.*

32 *Vt ſunt inter Eccleſiæ Prælatos certi gradus, ita inter eos controverſiæ certis gradibus ſunt diſtinguendæ.*

33 *Primæ ac periculoſiſsimæ ſunt controverſiæ, quæ Romano Pontifici moventur.*

34 *Succedunt controverſiæ ſuper Iure Patriarchali, & Primatiali.*

35 *Frequentes etiam ſunt ſuper Iure Metropolitico.*

36 *Frequentiores ſunt, quæ agitari ſolent ſuper Iure Diœceſano, de quibus agere inſtituitur.*

37 *Inter huiuſcemodi controverſias famoſior eſt, quæ diu inter Toletanos Archiepiſcopos & Magnos Priores Hieroſolymitanos acritèr fuit agitata.*

38 *Hæc Toletana cauſa & concordia accommodatiſsimum præbet exemplum ad ſedandas & definiendas controverſias inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores.*

39 *Vt ſuum cuique Ius & iuriſdictio conſervetur, prima concordiæ regula eſſe debet ex Canonum, Patrumque præſcripto.*

40 *Suum cuique ius ſervare non niſi Iuſtitiæ miniſterio effici poteſt.*

41 *Vt ſuum cuique ius & iuriſdictio tribuatur, prius ſcire opportet, quod qualeq̃ ius cuique competat, quod in ſequentibus Capitibus proponitur agendum.*

42 *Favor Dei, Tutelariumque ad iuſtum operis complementum imploratur.*

Ar-

1 ARgumenti noſtri vtilitatem & præſtantiam vel ipſe nudus *Concordiæ Paſtoralis* titulus abundè inſinuat & oſtendit. Ab ipſis enim Eccleſiæ crepundijs Prælatorum concordiam, maximè commendatam, cernere licet; nam ſi in ipſum Chriſti & Eccleſiæ ortum oculos conijcimus, occurrunt ſtatim Angeli, qui felicibus auſpicijs, fauſtoque vaticinio, hominibus pacem datam prænuntiant: at quibus nuntiant? Paſtoribus vtique, qui erant *vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Luc.* 2. Paſ-
2 toribus, qui Prælatos Eccleſiæ deſignant, de quibus dictum eſt: *Attendite vobis & vniverſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Act.* 20. Veniens ergo Chriſtus Dominus, qui Summus ac æternus eſt Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum 1. *Petr.* 2. *verſ.* 25. Quoſdam Eccleſiæ ſuæ ovili Paſtores dedit, teſte Paulo *ad Epheſ.* 4. *verſ.* 11. quos indiſſolubili concordiæ vinculo voluit eſſe coniunctos, vt in vnitate pacis charitativis præceptis & inſtitutionibus commiſſum ſibi gregem ordinarent ac paſcerent.

3 Quamvis enim charitatis præceptum, vt vniverſale, omnes qui è Chriſti ovili ſunt, ad pacem & vnitatem ſervandam, arctiſsimè conſtringat, arctius tamen & validius, qui ovili præſunt, Paſtores vrget; ſicuti enim gradu & ordine cæteros antecellunt, ita manſuetudine & charitate debent
4 anteire. Sunt ſanè Prælati velut altiſsimi in Eccleſia Montes, à quibus paternæ charitatis fluenta in populum derivantur, vt illud Davidis *Pſalm.* 71. rectè congruat: *Suſcipiant Montes pacem populo.* Vt in rebus alijs, mirum quantum in hac apud vulgus valeant exempla regentium, qui ſi concordes fuerint, cæteri amoris vinculo in ſtrictam ſocietatem coaleſcent; ſin autem diſſentierint, factiones inter ſubditos ſuboriri, & turbellas ſuſcitari conſequens eſt: *diſſentientibus*, Principibus inquit Div. Thom. *de regim. Princ. cap.* 5. *conſequens eſt vt in multitudine ſequatur diſſenſio.* Quod & res ipſa ſatis evincit: Eſt enim Eccleſia, vt vidimus, & teſta-
5 tur D. Cyprianus *lib.* 4. *Epiſt.* 9. velut grex Paſtoribus concreditus, vt ab ipſis regatur & adunetur; nunc verò, ſi Paſtores ipſi non conſentiunt, ſi de bonorum prærogativa litigant, ſi non auctoritate ſui ordinis, ſed audacia aut cupiditate imperant, & nefaria ambitione luctantes inter ſe divelluntur: quomodo populus in gregis vnius ſocietatem poterit coagmentari; aut quomodo grex in partes & factiones non diſſipabitur? Nam *lux gregis eſt flama Paſtoris.* teſte D. Gregorio *Epiſt.* 32. Eſt
6 velut ampliſsima domus Eccleſia, in qua interiorem partem tenent Prælati, exteriorem, qui his ſubſunt, fideles: nunc ergo: *Quid mirum*, exclamat Potho Presbyter *de Domo Dei, ſi exteriora domus à ſe invicem diſcordent, cum & hi qui intus ſunt per diſcordiam ſe dividant; ſpiritalibus namque ſæcularia fulciuntur, & ab interioribus domus exteriora*
7 *reguntur.* Conſideratur etiam Eccleſia velut *Caſtrorum acies ordinata. Cant.* 6. in qua Epiſcopi alijque Prælati, vt primarij Duces, Chriſti milites moderantur: quiſnam igitur hoc ſenſu, ſive ad exercitus ordinem ſive ad roborem, Ducum concordiam neceſſariam non putabit? Nam *ſi Primarij Duces diſcordes diſſimileſque ſint, nihil in exercitu perniciоſius accidere poteſt.* Ut ait Polyb. *lib.* 4.

8 Sive Eccleſiæ ſive Sæculi annales quiſquam evolverit, ſæpiſsimè notabit, quot mala Rectorum diſcordia attulerit; ex adverſo autem quot bona ex eorum concordia dimanarint. Ut edu-

ceret Deus Filios Iſraël de Ægyto, ſtrictiſsima adeo concordia fuit inter Moyſem & Aaron populi Rectores, vt vnicam eis manum Scriptura attribuat, iuxta illud *Pſal. 76. Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moyſi & Aaron.* Statum enim Reipublicæ regentium concordia firmat, ac roborat, diſcordia verò debilitat ac extinguit. Floruere imperia & Reſpublicæ quamdiu hi qui moderabantur vnanimi conſenſu in publica conſpirabant commoda; cuius rei luculentiſsima, ijs qui ſapiunt, erunt exempla, quæ ex Græcorum Romanorumque hiſtorijs paſsim occurrunt; atque in noſtris illud Numantiæ habemus; cum enim Scipio Africanus Numantinos ſæpè victores iam fregiſſet, obſeſſoſque tandem expugnaſſet Tyreſium Principem Celticum rogavit, qua de cauſa Numantia aut prius invicta, aut poſt everſa fuiſſet, cui non aliam Tyreſius rationem dedit quam: *Concordia victoriam diſcordia exitium præbuit.* Bruſſ. *lib. 2. cap. 4.* cui conſentit Mariana de *reb. hiſpan. lib. 5. cap. 10. in fine.* Sed quid in prophanis teſtimonijs hæremus, dicente Domino in Scriptura: *Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur, & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe non ſtabit. Mat. cap. 12.*

9 Maximis igitur proſequendi veniunt laudibus & honoribus Prælati illi ac Paſtores, qui mutuis inter ſe affectionibus & officijs pacem nutriunt, & procul relegata diſſenſione, concordiam alunt, nam vt aiebat Gregor. Nazianz. *Qui amplexantur pacem, diſſenſionemque odio proſequuntur ad Deum ac divinas mentes proximè accedunt.* Quod ſi rationem ab ipſo quærimus, illam præſtat, quæ in concordiæ commendationem principem locum tenet: *Quia Trinitas*, inquit, *adeo concors eſt, vt præ alijs nominibus appellari gaudeat Pax & Charitas. Deus enim charitas eſt, & Deus pacis glorioſo nomine appellatur.* Clareſcant licet

10 alijs dotibus Eccleſiæ Paſtores, fulgeant licet alijs clariſsimis titulis, nullo certè illuſtriores & honoratiores erunt, quam ſi concordiæ & vnitatis vinculo interſe indiſſolubiliter vinciantur: Hoc ipſum nos edocet Chriſtus cum Patrem ſuum alloquens apud *Ioan. 17.* ita ait: *Claritatem, quam dediſti mihi dedi eis, vt ſint vnum; ſicut & nos vnum ſumus.* Ubi optimè ad propoſitum noſtrum Theophilactus: *Nam ſicut Deum admiramur, quod non eſt ſeditio neque pugna in natura eius, & iſta maxima gloria eſt, ita & ipſi à Concordia clari fiant.*

11 Ut ergo hæc inter Eccleſiæ Prælatos concordia invaleſcat, inter eoſque floreat vnitatis ſtudium totus eſt Chriſtus in Evangelio & ſupplex pro grandi beneficio à Patre expetit hoc ſolum: *Oro pater, vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ita illi vnum ſint. Ioan. 17.* Hic etiam Almæ Matris Eccleſiæ vnus ſemper extitit ſpiritus in Sanctiſsimis Concilijs, vt Prælatorum concordiam ſarctam tectamque ſervaret, aut diſruptam reſtitueret ſolidaretque. Exarſere etiam eodem vnitatis ſtudio Apoſtoli, & Paulus maximè & Ioannes. Nec mirum, ſi Apoſtoli pacis ſatores & Doctores adeo illius amore flagrarint, cum illis temporibus reliquos inter fideles ſtrictiſsima adeo concordia eſſet, vt locis etſi diſsitis habitarent omnium tamen vna videbatur domus, & omnibus patrimonium vnum, cor vnum, & vna anima erat. *Act. 2. verſ.*

12 Quò magis pleniuſque hæc illuſtrentur, libet quædam in medium exempla proferre, quibus appareat prolixa ac effuſſa Sanctiſsimorum quorumdam Præſulum charitas, qua, vt paſtoralem inter ipſos concordiam ſervarent illæ-

13 ſam, iuri ſuo renuntiabant. Reſcivit Sanctus Malachias in ea, quam ipſe tenebat, Diœceſi, duas quondam Epiſcopales Sedes fuiſſe, & quamvis ad ſolidæ Diœceſis retentionem præſcriptio-

ne

ne poſſet iuvari, proprio tamen commodo neglecto, Epiſcopatum partiri præſtantius duxit, quodque ſtupet, novo adiuncto Epiſcopo nobiliorem, in qua ipſe ſuam Sedem hactenus habuerat, civitatem vltro conceſsit : refert D. Bernardus *in eius vita*, ibidemque ita exclamat : *O oculum columbinum! Locum tradidit novo Epiſcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur, locum in quo ſederat ipſe. Vbi ſunt qui de terminis litigant, pro vno viculo perpetuas ad invicem inimicitias exercentes. Neſcio ſi quod genus hominum magis quam iſtos antiquum vaticinium tangat, Secuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum terminos ſuos.*

14 Vt quodnam Paulus æſtu charitatis commotus cupiebat eſſe anathema pro Chriſto, ita Gregoriũ Nazianzenum eò concordiæ Paſtoralis ſervandæ ardentiſsimum votum perduxit, vt hac de cauſa nedum facultatum, & dignitatis, ſed & vitæ diſcrimen paratus eſſet perpeti; ſcribit enim Gregorius Præsbyter *in eius vita*, quod *Epiſcopos ſui temporis ad pacem & concordiam hortatus ſubijciebat; ſi vobis vllo modo diſsidij cauſa ſum, Ionam Prophetam integritate vitæ non ſupero. Proijcite me in mari, & tumultum tempeſtate agitari deſinetis. Quidquid vobis viſum fuerit libenter perpetiar, ſiquidem hac ratione concordia veſtra repreſentari ac reſarciri poſsit. Throno exturbate: Vrbe eijcite. Tantum veritatem & pacem, vt cum Zacharia loquar, amate. Valete Sacri Paſtores, meorumque laborum memoriam perpetuò conſervate. His dictis è Concilio Conſtantinopolitano exceſsit in Cappadociam (vbi diem extremum clauſit) porrecturus.* Prævaluit ſanè apud Sanctiſsimum Gregorium ſententia, voluntarium exilium ſubeundi, patriamque vltro relinquendi, vbi pro tuenda inter Collegas concordia neceſsitas flagitaret, in quam ſententiam conſpirat Ambroſius *in lib. de Patriarch.* dicens. *Melius eſt emigrare cum gratia, quam cohabitare cum diſcordia; melius eſt ſine lite abire, quam cum iurgio reſidere.*

15 Contigit etiam Sanctiſsimis Eccleſiæ Prælatis diſcordiæ adeò impatiens animus, vt quandoque, non modo iuri ſuo renunciare, ſed & receptis Eccleſię Canonibus pacis ſtudio contraire, viderentur. Manifeſtiſsimus eſt Nicæni Concilij Canon VIII. qui duos in eadem Eccleſia Epiſcopos prohibet, quam prohibitionem agnovit S. Auguſtinus *Epiſt.* 110. & tamen turbulentiſsimis Eccleſiæ temporibus in Hiſpania noſtra poſt obitum Leovigildi Regis, Recharedo Catholico ac pijſsimo in Regno ſuffecto, Epiſcopi Catholici, ab exilio ſuis ſedibus reſtituti, Toleti Concilium Nationale III. habuere anno 589. in quo Epiſcopos Arianos poſt hæreſis abiurationem ad Sedis communionem cum pleno honore admiſerunt, vt hac via deviantes animos ad concordiam incitarent : quod Concilium miris laudibus extollunt D. Gregorius *lib.* 1. *Epiſt.* 41. Iſidor. *in Chron. Gothor. æra* 635. & de eo plura Mendoza *lib.* 1. *Concil. Illiberit. capit.* 1. *pag.* 11. Baron. *anno* 591.

16 Hoc ipſum concordiæ exemplum dedere trecenti ferè Patres, qui in plenario totius Africæ Concilio, hoc ſarciendæ pacis remedium inter Epiſcopos Catholicos & Donatiſtas communi conſenſu decreverunt, vt conſtat *ex cap.* 1. *de Paroch.* & aliquando Catholici, pro lucrandis hæreticis, proprijs ſedibus ceſſerunt, ita vt nec ipſi, nec hæretici converſi propriam ſedem retinerent, ſed tertius eligeretur, vt conſtat *ex notoria Epiſtola ad Marcellinum V. C. Tribunum* vbi admirandum, & ſempiterna memoria dignum Epiſcopalis concordiæ extat monumentum : *Aut ſi forte Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, vtrique de medio ſeceda-*

damus, & Eccleſijs, damnata ſchiſmatis cauſa, in vnitate pacifica conſtitutis ab his, qui ſinguli in Eccleſijs ſingulis inveniuntur, annuentibus vnitati factæ per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. Quid enim dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An verò ille de Cœlis in membra humana deſcendit, vt membra eius eſſemus: & nos ne ipſa eius membra crudeli diviſione lanientur de Cathedris deſcendere formidamus? Propter nos nihil ſufficientius, quam Chriſtiani fideles & obedientes ſimus: Epiſcopi autem propter Chriſtianos populos ordinamur. Quod ergo Chriſtianis populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus: Si ſervi vtiles ſumus, cur Domini æternis lucris, pro noſtris ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis deposita collegerit, quam retenta diſperſerit. Ita eſt apud Franciſc. Florenſ. *Tom. 1. in præfat. de diſpenſat. Eccleſiaſt.* Qui ibidem non diſsimullat in huiuſmodi factis contra ſeveritatis integritatem, contra diſciplinam Eccleſiæ & Nicænos Canones, aliquid admiſſum, quod profectò non debuiſſet; niſi pacis ipſius & vnitatis compenſatione ſanaretur, nam vt ait S. Auguſtinus *Accipimus vnitatem Spiritus in vinculo pacis, accipimus & charitatem, quæ peccatorum multitudinem cooperit, & violatæ diſciplinæ cicatricem & notam abſtergit & inducit.*

17 Quæ hucuſque in laudem Epiſcopalis charitatis & concordiæ congeſſimus non eò tendunt, vt omnes Prælatorum quæſtiones & controverſiæ ſtatim improbentur, cum enim inter eos qui officio & dignitate ſunt pares facilè irrepant diſcordiæ, Iuſtin. *Hiſtor. lib.* 16. Nec ſublime adeo ſanctumve aliquid inter homines fingi poteſt, quò non quandoque ſimultas ac diſſenſio pertingat, quandoquidem canit Sil. 9.

.....Diſcordia demens
Intravit Cælos, ſuperoſque ad bella coegit.

Vnde nec ipſum Sanctiſsimum Apoſtolorum Collegium ab hoc diſcordiæ morbo extitit immune, ſiquidem *facta eſt contentio inter eos quis eorum videretur eſſe maior. Lucæ* 22. 24. Hinc mirandum non eſt, nec ſcandalum inde ſumendum, quod per ſæpè inter Eccleſiæ Paſtores ac Prælatos ſuper iuriſdictione, prærogativis & præcedentijs perſonent controverſiæ: ex quo enim Prælati ſunt, hominem non exuunt; ac propterea humanæ imbecillitati tribuendum, ſi & ijs, quæ hominum ſunt, quandoque vitijs non carent. Cum ipſo propè Mundi exordio hoc controverſiarum genus, videtur ſumpſiſſe initium, nec finem certè ſunt habituræ, niſi vbi Mundi venerit excidium, vt conſiderat Ceccoper *de Canon. præced. lib. 1. tit. 1. num. 24.* Inſtat enim in hæc diſsidia illa hominum naturalis ad diſſentiendum facilitas, qua ſtante, lites oriri diſſenſioneſque ſuſcitari etiam vbi ambitio ceſſat, eſt inevitabile. Occurrunt ſæpè inter probos
18 viros certamina, quæ vel ob hoc vnum, quod ab ipſis exercentur, improbare quiſque non audeat; vtut enim inter ipſos mentis diſcrepet ſententia, vna tamen eſt ipſis, qua cohærent, voluntas. Sanctiſsimos inter Apoſtolos Paulum & Barnabam ea increpuit diſſenſio, quæ ipſos fecit diſſociari: *Facta eſt contentio, ita vt diſcederent ad invicem* legitur *in Actis Apoſtol. cap.* 15. At ne quis ibi offendat, ipſos nec pacem nec amorem deſerviſſe notat Hieronymus *in Apolog. ad Rufin. Apoſtoli*, inquit, *ſalvis interſe amicitijs diſſenſerunt.* Nec aliter iudicandum de illis altercationibus, quæ inter Sanctiſsimos, eximioſque Eccleſiæ Præſules olim interceſſerunt, vt inter Baſilium & Euſebium, teſte Nazianzeno *Orat.* 20. Inter D. Chriſoſtomum & D. Epiphanium, Auctore Nicephoro *lib.* 13. *Hiſt. cap.* 3. Inter D. Auguſtinum,

&

& D. Hieronymum; atque inter hunc & Rufinum, vt teſtatur D. Auguſtinus *Epiſt.* 15. Atque in hunc ferme modum paſsim inter alios, quorum exempla ſuppeditat Eccleſiaſtica Hiſtoria.

19 Huiuſmodi iurgia & certamina vt excuſaret Facundus mirabilem exhibet Sanctorum Angelorum conflictum apud Danielem 10. necnon in medium confert pugnam inter Iſraëlitas Scriptura teſte ſubortam, in qua cum par eſſet inter contendentes pietatis & religionis amor, inde excuſationem accerſivit, quod diſpar eſſet & hinc inde occulta ad pugnandum intentio; ait enim *in lib. 7. cap. 6. Vides quod pro eadem religione, qua rectè colitur Deus, non ſolum diſſentire à ſe invicem, verum etiam laudabiliter pugnare adverſum ſe religioſi, ac rectiſsimi poſſunt, dum eos non ratio divini cultus, ſed alterius alterum latet intentio.* Ut ſunt ſanctiſsimis etiam viris abdita & abſtruſa conſilia, nec alteri in alterius mentis penetralia facilis eſt aditus, vt alienæ intentionis faciem poſsit obſervare, hinc haud mirandum, ſi quandoque inter ſe diſcrepent & dividantur: qua de cauſa laudatus Facundus nedum excuſat, ſed & laudat exortam contentionem inter Concilium Epheſinum ex vna parte, ex alia Anthiochenum cum decem Provincijs: *Quære*, inquit, *intentionem, & invenies vtramque partem pro divino cultu fuiſſe ſolicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad divinum cultum pertineat, ſed alteram partem alterius latet intentio.* Atque hac ipſa ratione fervens olim inter D. Gregorium, & Ioannem Ieiunatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum diſsidium extra culpam ponere tentat Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 11. num. 19.*

20 Quin & perſæpè lites à Prælatis neceſſariò agitantur, cum enim ipſi inſtar tutorum ſint, hinc eſt quod meliorem ſui beneficij conditionem facere poſſunt deteriorem verò neutiquam: in his præſertim quæ non ſunt ſui arbitrij, quæque ſolus diſtrahere, aut alienare non poteſt: ipſis namque ſicuti & rerum ita iurium tacita aut expreſſa alienatio Sacris Canonibus eſt interdicta, vnde immani ſe ſcelere obſtringunt ſi iura ſive honoraria ea ſint ſive vtilia, ſuæ Eccleſiæ aut Dignitati quæſita, eiuraverint, vel liti ſuper his motæ ceſſerint, quod ne quis ex meo ſenſu proferre putet, verba ſubijciam Panormitani *in cap. cum pridem de pact. num. 4. Prælatus litigans ſuper iuribus Eccleſiæ non poteſt liti & cauſæ cedere ſi cauſa eſt talis, in qua non habeat liberam diſpoſitionem, vt quia agitur de re quæſita Eccleſiæ; ſicut nec directè poſſet rem in iudicium deductam alienare, ſecus ſi ageretur de re in qua Prælatus haberet liberam diſpoſitionem.* Quod & aliàs evincitur ex notiſsima vtriuſque Iuris regula, quæ in id maximè cavet ne privatorum pactis aut remiſsionibus, quæ publicis iuris ſunt immutentur *Cap. ſi diligenti de for. compet. l. ius publicum 38. de pact.* Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltraque citraque nequit conſiſtere rectum, vt aiebat Horatius.

21 Itaque ſicut magni eſt facienda Prælatorum illorum comitas, qui iniuſtis litibus, aut ijs, in quibus privatum ipſorum commodum verſatur, abſtinent; excuſari nequeunt, ſi pacis conquiſito prætextu, in propriæ Dignitatis iuribus conſervandis, & defendendis oſcitanter ſe gerunt. Unde Gregorius ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum reſcribens, propriæ Eccleſiæ defenſionem enixè commendat *in Epiſt. 36. lib. 4. Obteſtor*, inquit, *vt conſtanter, ac ſine præiudicio ſervetis, quas accepiſtis Eccleſias.* In idemque facit S. Leo Antiocheno Epiſcopo ita reſcribens *in Epiſt. 5. Tertiam à Romana Eccleſia dignitatem te defendere ſummoperè monemus non tuæ gloriæ cauſa, ſed pro ſedis, cui ad tempus ſedes honoriſicentia.*

Cum

22 Cum verò neceſsitas eò adigit Prælatum, vt ſuper ſuæ Eccleſiæ aut Dignitatis iuribus cum alio debeat in iudicio contendere; tunc ittidem erit optandum, vt iudicio non voluntate conſeratur certamen, vt in prælibato Pauli, & Barnabæ diſsidio; atque ita qua fieri poſsit dulcedine & lenitate in litis civili bello vtrinque dimicetur, cum *apud veros Dei cultores etiam ipſa bella ſint pacata*, vt ait Auguſtinus *in cap. apud veros* 23. *quæſt.* 1. Deinde & illud
23 erit percupiendum, vt in lite concordia perquiratur, velut pax in armato bello, in quo, vt ait Salluſt. *de bell. Iugurth. Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otij ſuſtentant.* Bella enim & lites ſi ratione duce geruntur eò debent collimare, vt, iniquorum compreſsis cupiditatibus, quietis commodum perquiratur, vnde Ariſtoteles 4. *de republ. cap.* 14. docet: *Bellum pacis & negotium otij cauſa inſtitutum.*

24 Ut verò concordiæ quam optamus, quamque perquirimus radices fundamentave detegamus, illud ante omnia ſtatuimus; quod ſicut omnium in vniverſum diſſenſionum, & controverſiarum radix & origo eſt illa nobis inſita dominandi ambitio, vt dixit Salluſt. *in Conſul. Catil.* ibi: *Vna & ea vetus cauſa bellandi profunda libido imperij & divitiarum.* Ita prima concordiæ ac pacis origo, & cauſa inde eſt petenda, quod quiſque inſatiabilem hanc cupiditatem inhibeat, nam *aliena concordiæ & fæda eſt ambitionis materia*, teſte Plutarch. *in Pyrr.* Hoc autem haud facilè obtinebitur, niſi quiſque intra proprij muneris actiones contineat ſe ſe, atque propriæ ditionis terminis contentus, maiorem, quam fas eſt, poteſtatem ſibi arrogare non ſtudeat, quod monet Leo Papa relatus *in cap. ſi quis Epiſcopus* 31. 7. *quæſt.* 1. *Suis igitur terminis contentus ſit quiſque nec ſupra menſuram iuris affectet augeri.* Ut ſubortam inter Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem Epiſcopos controverſiam ſedaret Concilium Hiſpalenſe II. eamdem iurgij extinguendi rationem ex Canonum præſcripto deſumpſit *in Can.* 2. vnde deſumptus eſt *cap. inter memoratos* 7. *q.* 1. non ex Innocentio Papa, vt advertit Card. Turrecremata; dicitur enim in eo Canone; *prolatis Canonibus Synodalia decreta perlecta ſunt: quorum auctoritas præmonet, ita opportere inhiberi cupiditatem, vt nè quis terminos alienos vſurpet.*

25 Fieri non poteſt, nec vbi fieri poſsit expediret, vt omnes ad vnum potentiæ gradum conſcenderent, & pari potirentur imperio; neceſſe quidem, vt in his certus ſit ordo, qui officia diſcernat, munera diſtinguat, Dignitates dividat; dum autem ordo hic conſervatur, & intra proprij gradus ſphæram quiſque operatur, ſuaviſsimus quidam concentus generatur, vnde vtilis iucundaque Univerſitatis pullulat harmonia & concordia: quod belle demonſtrat Auguſtinus *de Civ. Dei cap.* 21. *Vt in fidibus*, inquit, *ac tibijs, atque in cantu ipſo ac voce, concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum, aut diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſsimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: Sic ex ſummis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderatam ratione Civitatem conſenſu diſsimillimorum concinere, & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in Civitate concordiam, arctiſsimum atque optimum in Republica vinculum.*

26 Generaliter igitur concordia ex graduum diverſitate & diſparitate proficiſcitur; ſiquidem in hac munerum & officiorum diverſitate ordo conſiſtit, ſi politicum Orbem ad inſtar terreni volumus efformare, in quo vt cecinit Manil. *lib.* 4. *Aſtronom. Eſt æquale nihil terrenos reſpicet tractus.* Vtut enim vltrò con-

ſen-

ſentiamus cum Ariſtotele, qui æqualitatem concordiæ matrem ac nutricem facit *in lib. de Mundo* : ibi : *Æqualitas concordiæ nutrix & conſervatrix.* Nihil ſuperioribus erit contrarium ; ipſe enim Philoſophorum Princeps tum *in Ethicor.* tum *in Politic. libris* ſæpè ſtatuit, inæqualitatem hanc, ordine ac moderatione, ad æqualitatem reduci.

27 Lex eſt concordiæ & conſenſionis poſita à natura, vt alia ab alijs dependeant, quod fieri non poteſt, niſi alia maiora, quædam minora ſint ; vt illa emineant ac regant, hæc ſubſint & obtemperent ; ita parendi & obtemperandi commertio ſtant vniverſa ; nec aliunde Orbis compago ſubſtinetur, illiuſque venuſtas conſurgit, quam ex mutua ſuperiorum & inferiorum rerum amica coniunctione, & ex illo amplexu officiorumque ſecreta neceſsitudine, quæ inter elementa ſympathica diſſenſione cohærentia intercedit : hic nexus, hic amplexus, hæc coniunctio, ordo eſt, concordia eſt, ac vitalis quidam
28 orbis ſpiritus ; vnde hoc ordine diſsipato, hoc rupto inter inferiora & ſuperiora nexu, omnia præcipiti ruina diſſolventur, & in priſtinum confuſumque redibunt chaos, in quo vt canit Ovid.

Sed neque terra diu Cœlo, neque cætera Phœbo
Sydera cedebant : par erat omnis honor.

Ergo vt Orbis vniverſus ſubſiſtat, ordinem ab initio præſcriptum, ſervare præſtat, quo ſingulæ quæque res, maximo decore & venuſtate, proprijs ſedibus locatæ & diſtributæ fuerunt, vt idem canit Ovid. *Fab.* 1. nam poſtquam Deus

Limitibus diſcreverat omnia certis.
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque Deorum
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus vndæ.
Terra feras cæpit, volucres agitabilis aër..

29 Quæ alma natura in mundi formatione docuit ; quæque politiæ ratio in vniverſum ſuadet, maiorem ſibi vindicant locum in Eccleſiæ ordine & œconomia, ab ipſo Chriſto & Apoſtolis in eum finem maximè inſtituta, vt pax & concordia ex ipſo reſultet ordine : Cum, vt aiebat S. Leo *in Epiſt.* 62. ad Maximum Antiochenum, *in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conveniat, vt in vno Chriſti corpore & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non inſultent.* Ut eſt Eccleſia domus Do-
30 mini in montibus Sanctis firmitèr & ordinatè conſtructa 1. *ad Thimoth.* 3. *& ad Hebr.* 3. *verſ.* 3. hinc, qui in hac domo ſunt congregati non debent tantum loco eſſe coniuncti, ſed amore cohærentes, non turbatim permixti, ſed certa graduum ac dignitatum ordine diſtributi. Sunt enim ampliſsimæ huius domus lapides maximo mirabilique ordine diſpoſiti, dicente Domino per Iſaiam 54. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos.* Quod ſi quærimus, quinam ſint huius domus lapides, qui ligna, qui trabes, qui marmora, eos inveniemus apud Apoſtolum *ad Epheſ.* 4. dum ait : *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti.* Hos ergo lapides ſi evertis, ſi ordinem diſsipas, ſi omnia cæca coacervatione permiſces domum deſtrues, & triſtem ruderum ac ruinarum cumulum efficies, magis quam commodam recipiendis hoſpitibus habitationem. Mirificè præfata illuſtran-
31 tur teſtimonio D. Gregorij, relato *in cap. vlt. diſt.* 89. vbi totus eſt in commendando hoc ordine, & graduum connexione, ex qua inde concordia reſultat : *Ad hoc*, inquit, *diſpenſationis divinæ proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diverſitate contextio, & recte officiorum gereretur admini-*

niſtratio ſingulorum; neque enim vniverſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi eam differentiæ ordo ſervaret. Quia verò quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel vivere non poteſt: Cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſunt Angeli & ſunt Archangeli, liquet quia non ſunt æquales: ſed in poteſtate & ordine differt alter ab altero. Simillimum huic nec minus elegans eiuſdem Sanctiſsimi Gregorij teſtimonium repete *ex cap. ſingula ead. diſt.*

32 Ex dictis dilucide conſtat Prælatorum concordiam in eo ſtare, vt hi gradus & hic ordo conſervetur; ex adverſo autem concordia hæc ſcinditur quoties partitio & œconomia iuriſdictionis inter Eccleſiæ Paſtores ambitione interrumpitur, dum quiſque ad maiorem gradum conſcendere nittitur. Sunt enim in Eccleſia Hierarchia mira venuſtati locati Summus Romanus Pontifex in vertice, & in culmine: ſuccedunt ampliſsima poteſtate donati Patriarchæ & Primates: hos ſequuntur Metropolitæ: accedunt Epiſcopi Diœceſani; ac tandem adſunt Inferiores Prælati. Ut ergo in his ſunt ſui gradus, iuxta dicenda *in cap. ſeq.* ita concordia Prælatorum per gradus etiam debet diſtribui, vt vnicuique propriæ referantur diſſenſiones, ipſi Eccleſiæ concordiæ oppoſitæ: atque in hunc modum primæ ponendæ ſunt controverſiæ, quandoque motæ,

33 Romano Pontifici Chriſti Vicario, totius Eccleſiæ Capiti, cuiuſmodi fuerunt illæ, quas ſuperbè & arrogantèr ſuſcitarunt Anatolius, Acacius, Ioannes Ieiunator alijque Conſtantinopolitani Præſules, plorabiliſanè ac infelici exitu; nam qui divinæ Romani Pontificis poteſtati obedire detrectabant, hodie immani ac triſti Turcarum dominationi Dei iuſta providentia ſubduntur. Hoc numero ponendus etiam eſt Ioannes Ravenatium Archiepiſcopus, de quo Ludov. Creſol. *in Miſtagog. lib. 1. cap. 20. ſect. 2.* Omnes autem hæ controverſiæ cum Paſtore Summo diſcriminis & periculi ſunt plenæ, nam vt aiebat S. Cyprianus *Epiſt. 55.* non aliunde hæreſes exortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex cogitatur.

34 A Romano Pontifice per gradus deſcendentes ferventiſsimæ occurrnnt controverſiæ inter Patriarchas & Primates circa prærogativas Sedium, poteſtatis ac iuriſdictionis limites; vt omiſsis illis vetuſtis iurgijs Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſulum cum Antiocheno & Alexandrino Patriarchis; famoſæ ſunt altercationes, quæ ſuper Iure Primatus cum Epiſcopis Galiarum ſubſtinuit Archiepiſcopus Lugdunenſis; cum illis Angliæ Cantuarienſis; & denique in Hiſpania noſtra Toletanus Archiepiſcopus cum Bracharenſi, Tarraconenſi, & Compoſtellano.

35 Pariter etiam Super Iure Metropolitico frequentiores fuerunt, & nunc ſunt controverſiæ, vel inter ipſos Metropolitanos, quia de limitibus comprehenſioneque Provinciarum non ſatis conſtat, vt quondam recuperata à Mauris Hiſpania concertatum eſt inter Narbonenſem, & Tarraconenſem Præſules, de quibus Baron. *ann.* 1091. Urbanus II. *Epiſt. 7.* inter Compoſtellanum & Bracharenſem de Epiſcopalibus Eccleſijs Ulyſipponenſi, Conimbrica, Lamecenſi, Vicenſi, Egitana, & Eborenſi; & cum eiſdem Epiſcopis concertavit Archiepiſcopus Toletanus de Epiſcopatu Zamorenſi; cum Hiſpalenſi etiam de Cordubenſi, vt conſtat ex Petr. Vener. *lib. 4. Epiſt. 9.* Innocent. III. *Regeſt. 2. Epiſt. 105. 153. & ſeq.* Vel denique contenditur ſuper Metropolitici Iuris exercitio ac poteſtate, vt inter Hincmarum Remenſem

Me-

Metropolitanum, & Hincmarum prioris nepotem Episcopum Laudunensem, de quo Thomasin. *d. lib. 1. cap. 43. num. 5. & cap. 47. num. 8.* Et nostris diebus inter Toletanum Archipræsulem & Seguntinum suffraganeum, quæ controversia adhuc pendet.

36 Succedunt vltimo loco & gradu controversiæ super Iure Diœcesano illiusque exercitio, quæ quæstiones vel agitantur inter ipsos Diœcesanos Præsules, vt quondam super Diœcesano Iure in Ecclesia Bastenata cum Episcopo Acitano strenuè dimicavit Eminentissimus ille Heros, mihi semper venerandus Servus Dei Cardinalis Ximenius de Cisneros, Dominus meus, animi rerumque gestarum magnitudine incomparabilis. Vel disceptatio intercedit inter Episcopos & Prælatos Inferiores, quæ controversiæ in dies personant in foro. Fateor quidem latum *Concordiæ Pastoralis* titulum illud exigere, vt de his omnibus concertationibus ageretur, statutis tum ex Iure, tum ex bono & æquo regulis, quibus ad concordiam reducerentur; sed, vt concepta vota non desint, hodiè tamen, ad illas vltimi gradus inter Episcopos & Prælatos Inferiores, labor noster erit coarctandus; fortè enim, Deo auspice, ab his quæ inferiores sunt, iusto methodi ordine, ad cæteras per suos gradus ascensus sternetur.

37 In his autem controversijs, de quibus agere instituimus personatissima est illa diutina, ac penè immortalis suscepta inter Archiepiscopos Toletanos, Magnosque Priores Castellæ & Legionis Sacræ Hierosolymitanæ Religionis, quæ cum per quinque ferè sæcula acriter hinc inde fuisset agitata, tandem post varios casus, vt Religiosissimos decebat Principes, pertinacem tædiosamque litem, plenissima terminarunt transactione, quam Summus Pontifex Innocentius XII. Apostolica confirmatione roborabit.

38 Si personas concertantium, si temporis diuturnitatem, si partium ardorem, si copiam decisionum in hac iurisdictionali causa perpendimus, nullam oppidò inter Episcopos & Prælatos Inferiores illi parem possumus invenire. Si verò sequutam indè concordiam attendimus, exarata videtur iuxta mentem D. Gregorij *Epist. 7. indict. 2. lib. 7.* ibi: *Quatenus amota penitùs totius altercationis materia, inter eos inter quos charitatis immutabilitèr debet manere concordia, nulla deinceps queat litigiosa contentionis occasio generari.* Sicque nec vberior nec plenior fingi potest, sive eius digestum ordinem ac methodum, sive exactam ac exquisitam casuum comprehensionem, ac præventionem consideremus attentè: vt enim singulari pacis studio seduloque examine fuit disposita, post rem maximè discussam in quam plurimis decisionibus, omnia prolixè declarantur, adeo vt nullus ferè ad hanc materiam spectans articulus maneat intactus. Quæ omnia fuerunt in causa, vt acturus de his controversijs inter Episcopos & Prælatos Ieferiores optimum, & accomodatissimum hocce Toletanæ controversiæ exemplum seligerem. Quod præmoneri expedit, ne fortè quis iudicet laborem nostrum huic tantum particulari causæ & casui deservire; dum ideò exemplo particulari vtimur, quò magis ac plenius doctrina generalis alias difficillis & involuta exempli luce clarescat: atque vt paucis dicam, hic non materia exemplo, sed exemplum materiæ subservit. Qua in methodo non desunt clarissimi Scriptores, quorum vestigijs insisterem.

39 Sed vt è diverticulo ad viam redeamus, illud, quod supra insinuavimus, repetere oportet; nimirùm, ad concordiam & pacem tuendam in Ecclesiastica politia primam, ac fundamentalem regulam eam esse, vt vnicuique

que proprius gradus & iuriſdictio conſervetur ; hac regula vſus fuit Urbanus II. *in cap. ſanè quia 6. 16. quæſt. 2.* cum enim ibi varia præſcriberet ad concordandos cum Epiſcopis Monachos Cluniacenſes, è quorum gremio ipſe fuerat ; tandem ad eam devenit generalem ſententiam ; *Sua cuique Iura ſerventur.* In eandem regulam & ſententiam conſpirarunt Patres Concilij Lateranenſis, celebrati ſub Leone X. dum in Seſſ. 11. ſic exordiuntur : *Ad conſervandam inter Epiſcopos, & eorum Superiores ac Prælatos & Fratres huiuſmodi mutuam charitatem, & benevolentiam, divinique cultus augmentum, pacemque & tranquilitatem vniverſalis Eccleſiæ ſtatus, quod demum fieri cognoſcimus ſi vnicuique quantum fieri poteſt ſua iuriſdictio conſervetur.* Agnoverant ſanè huius Concilij Patres, concordiam ibi ſtare non poſſe, vbi alienæ iuriſdictionis aut prærogativæ vſurpatio meditatur : & meritò ; ſi enim Prælatorum concordia, mutuaque inter eos officiorum viciſſitudo in eo fundatur, vt quiſque proprio gradu contentus, alienum non inceſſat, aut inſultet ; noxia confuſio, indeque triſtis conſequetur diſcordia, ſi, ordine turvato, quod cuique ius competit, non ſervatur. Hæc profectò fuit Sanctiſſimi Gregorii; mens *in Epiſt. 32. lib. 9.* reſcribentis Romano defenſori Siciliæ, quem, ne quid Epiſcoporum iuriſdictioni detraheret, monet Gregorius, hac ipſa ratione, quæ refertur *in cap. pervenit 39. 11. quæſt. 1.* ibi: *Nam ſi ſua vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi vt per, nos per quos Eccleſiaſticus ordo cuſtodiri debuit confundatur.*

40 Quod autem proprium cuique ius & iuriſdictio conſerventur, vt Canones Patreſque exoptant, fieri non poteſt abſque miniſterio Iuſtitiæ, cuius quidem præcipuũ munus, in ſuo vnicuique tribuendo iure verſatur: atque hinc pateſcit, Iuſtitiam eſſe ſolidius fundamentum intimioremque concordiæ radicem, & expeditiſsimam viam ad illam obtinendam, quod innuit Pſalmiſta in *Pſal. 84.* dicens : *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt*, quo loco S. Auguſtinus indivulſum, quo adſtinguntur, vinculum ita declarat : *Ama iuſtitiam, quia duæ amicæ ſunt, Iuſtitia & Pax, ipſæ ſe oſculantur, ſi amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te.* Abſit ergo, vt ſive in agendo, ſive in docendo vna ſeiungatur ab altera, quo hæc amicitia diſrumpatur ; Iuſtitia ſiquidem animos mortalium diſponit ad ea, quæ ſunt pacis, & ipſa eſt velut concordiæ mater, nam *opus Iuſtitiæ pax.* Iſai. *cap. 12.* Sic igitur in hoc opere, quod ſub titulo *Concordiæ Paſtoralis* aggredimur labor & ſtudium eò collimabit, vt cognoſcamus quale ius, qualiſque iuriſdictio cuique competat ; vt recto ita libramine, abſque vllius iniuria, in ſuo cuilibet iure redendo, Iuſtitiæ, quam ex munere cum Conſulto *in l. 1. de Iuſt. & Iur.* colimus, obſecundemus.

41 Ad cuiuſque verò ius recto ordine dignoſcendum, & deſuper ortas ſedandas controverſias, præſtat animadvertere, totiès Iuſtitiam concordiamque turbari, quotiès Epiſcopi alijque Prælati, ſibi non competentis iuriſdictionis ſpecie vtuntur : vel territorio circunſcriptam & terminatam extra illud protendunt : aut in alias quam ſibi ſubditas perſonas exercent : aut tandem alias præter ſibi competentes cauſas diſquirunt. Hæc ſunt ſumma capita, circa quæ controverſiæ verſantur, quæ vt iuſto definiantur ordine in ſequentibus huius Proœmij Capitibus, illud vtiliter inveſtigabimus : quæ & qualis ſit Epiſcoporum iuriſdictio : quomodo partitis Diœceſibus concludatur : quas perſonas, cauſaſque comprehendat : ac poſtea quæ qualiſque ſit Prælatorum

In-

Inferiorum, iuxta ſuas claſſes, iuriſdictio, illiuſque ſimiliter comprehenſio: quæ omnia clariùs percipientur, ſubiuncto poſt exemplo Toletanæ controverſię, & illuſtratione proœmij Brevis Innocenciani.

42 Sed quia ſanctas adeò res quales ſunt Ius, Iuriſdictio, & concordia Eccleſiæ Prælatorum tractare manibus communibus, & illotis profanum eſſet, & fruſtrà hoc tentaremus non aſcita ab exordio divini Numinis ope; ideò à Summo Deo initium noſtro huic dabitur negotio, ab illo, inquam, qui pax noſtra voluit nominari; qui Princeps eſt pacis, in cuius natura neque ſeditio eſt neque pugna, qui pacem nobis reliquit, qui facit concordiam in ſublimibus. Quo circà, ò immortalis Omnipotens & ineffabilis Deus, quo authore, nos vivimus, movemur, & ſumus, da mihi, ut ad nominis tui gloriam dignè ac perſpicuè de his controverſijs ita agam, ut eas aliqua ex parte ſedare queam: daque, nè quod mihi verbum excidat, quod animos inficere, verum fucare, aut falſum inducere valeat; quodve à Iuſtitia abhorreat, vel quod à miti concordiæ ſtudio deviet, aut ullius offenſionem pariat. Voſque, ò infulati Tutelares mei, Præſules Sanctiſsimi Ildephonſe, ac Thoma à Villanova, tot mihi titulis à nomine, à patria, à Collegio, à Toga deſſumptis, venerandi, favete, mihique in ardua tendenti opem à Deo impetrate; hominis enim eſt diſponere animam ſuam, Dei autem gubernare eamdem *Prov.* 16. Et cum conſumaverit homo invenire magnalia Dei tunc incipiet. *Eccleſ.* 18.

CAP. I.

Ut concordia in Eccleſia floreſceret aliquam dari præcellentem poteſtatem expedit: atque hinc agitur de Epiſcoporum inſtitutione, & de eorum poteſtatis comprehenſione, & partibus.

SUMMA CAPITIS.

1 *Arctiſsimè cohærent hominum concordia & Principatus.*

2 *Neceſſe eſt ad ſervandam ſocietatem, quod ſit aliquis, qui multitudinis bonum ſollicitet.*

3 *Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ Paſtores dedit, qui fidelium bono ſtuderent, & pacem procurarent.*

4 *Ob hunc finem Chriſtus in Epiſcopali ordine ſummum Principatum, & ampliſsimam poteſtatem locavit.* & n. 6.

5 *Summus indè Epiſcopis honor accedit, quod Chriſtus voluit nominari Epiſcopus.*

6 *Epiſcopalis ordinis præcellentia & amplitudo uno oſtenditur D. Ignatij Martyris teſtimonio.*

7 *Chriſtus Apoſtolis ordinem dedit Epiſcopalem, cum quo curam gregis & vnitatis coniunxit.*

8 *Nè Paſtorum multitudo vnitatem turbaret, uni præcipuè curam commiſit, D. Petro nimirum.*

9 *Epiſcopalem ordinem & poteſtatem perpetuò durare Chriſtus voluit.*

10 *Vt perpetuus eſſet ordo Epiſcopalis, tradita eſt poteſtas Apoſtolis Epiſcopos creandi.*

11 *Epiſcopi perenni ſucceſsione in locum Apoſtolorum ſuccedunt.*

12 *Epiſcopalis ordinis virtus, amplitudo, & gradus à Collegij Apoſtolici forma peti debet, ut à fonte.*

13 *Præſtat hanc Epiſcoporum in Apoſtolorum locum ſucceſsionem cautè expendere, ad veram Epiſcoporum poteſtatem ſtatuendam.*

14 *Ex quo Apoſtoli plures fundarunt Eccleſias & Epiſcopatus, vel per ſe, per ſuoſve diſcipulos, Epiſcopos eis ſucceſsiſſe, dici poteſt.*

15 *Hac etiam ratione primitivi Epiſcopi ab Apoſtolis ordinati* Apoſtoli *vocabantur.*

16 *Idalus Barcinonenſis Iulianum* primę Sedis Toletanæ Apoſtolum *appellat.*

17 *Procedente tempore, ob reverentiam SS. Apoſtolorum Epiſcopi à nomine* Apoſtoli *ſe abſtinuere.*

18 *An Epiſcopi in omnem Apoſtolorum poteſtatem ſucceſſerint?*

19 *Apoſtoli immediatè acceperunt à Chriſto Ordinis poteſtatem, quæ inter eos fuit æqualis.*

20 *Epiſcopi etiam hanc poteſtatem immediatè à Chriſto accipiunt, & æquales ſunt in ea cum Romano Pontifice.*

21 *Dum Canones & Patres indiſtinctè pronunciant, Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe, de ſucceſsione in poteſtatem ordinis ſunt exaudiendi.*

22 *Cum dicitur in Epiſcopatu reſidere ſummum Principatum & poteſtatem, aliæque id genus loquutiones, ratione ordinis ſunt accipiendæ.*

23 *Hac ipſa ratione Epiſcopis quandoque ea nomina attribuntur, quæ ſummam poteſtatem indigitant.*

24 *Licet Sanctiſsimi Viri magnificentiſsima illa nomina quandoque acceptaverint, eis tamen in mentem non venit, vt Romano Pontifici ſe exequarent.*

25 *An Epiſcopi propriè & abſolutè poſsint dici Apoſtolorum ſucceſſores quoad poteſtatem iuriſdictionis?*

26 *Fundatur ſententia negativa.*

27 *Apoſtoli immediatè à Chriſto acceperunt poteſtatem iuriſdictionis.*

28 *Epiſcopi accipiunt iuriſdictionem immediatè à Papa, ut à Capite.*

29 *Venuſtis comparationibus demonſtratur hæc à Papa in Epiſcopos iuriſdictionis derivatio.*

30 *Poteſtas iuriſdictionis in Epiſcopis non modò quoad exercitium, ſed quoàd ſubſtantiam à Romano Pontifice pendet.*

31 *Apoſtoli æqualem iuriſdictionis poteſtatem Petro habuerunt.*

32 *Epiſcoporum iuriſdictio longè inferior eſt iuriſdictione Romani Pontificis.*

33 *Apoſtolorum iuriſdictio fuit univerſalis interminataque in toto Orbe.*

34 *Epiſcoporum iuriſdictio certæ Diœceſeos limitibus coarctatur.*

35 *Licet Epiſcopi propriè & abſolutè non ſucceſſerint Apoſtolis in poteſtatem iuriſdictionis; impropria tamen, ob quamdam ſimilitudinem, ſucceſsio verificatur.*

36 *Similitudo deſumitur ex ipſa Collegij Apoſtolici forma.*

37 *Reffertur Divi Leonis Papæ compendioſum teſtimonium* in Epiſt. 84.

38 *Expenditur paraphraſticè præfatum Leonis teſtimonium.*

39 *Corporis comparatio accomodatiſsima eſt, ad demonſtrandum Epiſcopalem ordinem, & Eccleſiæ concordiam.*

40 *Corpus Eccleſiæ unum, ſanum & pulcherrimum eſſe debet.*

41 *Ad perfectam corporis connexionem membrorum omnium vnanimitas & concordia requiritur.*

42 *Hæc totius corporis connexio maximè firmatur Prælatorum concordia.*

43 *Quod inter Epiſcopos ordo ſit generalis, dignitas verò & iuriſdictio diſpar, ad unitatem, & concordiam conducit.*

44 *In eumdem finem deſervit, quod Epiſcoporum iuriſdictio dependeat & derivetur à Romano Pontifice.*

45 *Hæc Epiſcoporum in ordine æqualitas, & in iuriſdictione diſparitas divinæ Chriſti ordinationi eſt referenda, & repetenda à forma Collegij Apoſtolici.*

46 *Chriſtus præcellentem poteſtatem Petro dedit, ad Eccleſiæ concordiam tuendam.*

47 *Primus omnium & in culmine locatur Romanus Pontifex ut Epiſcopus Epiſcoporum.*

48 *Inter Epiſcopos magna eſt diſtinctio & præcedentia.*

49 *Epiſcopis Diœceſanis præeminent Metropolitani, qui curam Provinciæ gerunt.*

50 *Sequuntur ampliori dignitate præditi Patriarchæ & Primates.*

51 *Hæc Epiſcoporum diſtinctio & per gradus ſubordinatio ad Eccleſiæ connexionem & concordiam eſt inſtituta.*

52 *Eccleſia poteſt ad huius ſpiritualis iuriſdictionis exercitium alios præter Epiſcopos, qui hoc ipſo Prælati Inferiores dicũtur, cõſtituere.*

53 *Prima diviſio Epiſcopalis poteſtatis in ordinem, adminiſtrationem, & iuriſdictionem explicatur.*

54 *Ordinis poteſtas, quæ per conſecrationem confertur indelebilis ſemper permanet in Epiſcopo, etiamſi excommunicatus, ſuſpenſus, aut degradatus ſit.*

55 *Quæ actiones & iura ad hanc ordinis poteſtatem pertineant.*

56 *Hæc poteſtas proprio directoque iure Epiſcopo tantum competit & ipſi reſervatur.*

57 *Quæ ad poteſtatem Ordinis ſpectant præſcribi nequeunt.*

58 *Poteſtas Ordinis ſpeciali Eccleſiæ conceſſione poteſt competere Prælatis Inferioribus.*

59 *Alia pars Epiſcopalis poteſtatis eſt* adminiſtratio *cuius obiectum eſt cura animarum & ſollicitudo paſtoralis.*

60 *Ob hanc adminiſtrationem vocari ſolet Epiſcopus* Speculator, Superintendens, & Superinſpector.

61 *Ob eamdem rationem ei incumbit munus Apoſtolicum prædicationis, & Cathedra conceditur in Eccleſia.*

62 *Cathedra munus Epiſcopi deſignat, & Epiſcopatum ipſum.*

63 *Licèt Epiſcopus alios huius adminiſtrationis & curæ participes faciat, in ipſo tamen ſemper remanet, ut in fonte.*

64 *Ex hac adminiſtratione plura iura exoriuntur remiſsivè.*

65 *Tertiò ſplendet in dignitate Epiſcopali* Iuriſdictio, *quam ipſius muneris ratio neceſſariò repoſcebat.*

66 *In Iuriſdictionis ſibi competentis ſignum habet Epiſcopus Tribunal, ubi Eccleſiaſticæ omnes cauſæ diſceptantur.*

67 *Secunda diviſio Epiſcopalis poteſtatis in ea, quæ pertinent ad* dignitatem Epiſcopalem, *& ea quæ ſpectant ad* ſimplicem iuriſdictionem.

68 *Quæ ad dignitatem Epiſcopalem ſpectant expedire ſolùm poteſt Epiſcopus conſecratus, ea verò, quæ ad ſimplicem iuriſdictionem, electus exercere poterit.*

69 *Facilius competere poſſunt Prælatis Epiſcopo Inferioribus, ea quæ ad iuriſdictionem, quam quæ ad dignitatem Epiſcopalem pertinent, remiſsivè.*

70 *Tertia diviſio Epiſcopalis poteſtatis in* legem diœceſanam & iuriſdictionalem.

71 *Referuntur quamplures hanc diviſionem probantes.*

72 *Recenſentur AA. qui illam reijciunt, ut novam, obſcuram & inexplicabilem.*

73 *Hæc diviſio inuſitata fuit antiquis Canonibus, qui dum legem diœceſanam dicunt ſolidum Ius Epiſcopi frequenter ſignificant.*

74 *Hæc tamen diſtinctio doctrinalis eſt, & neceſſariò introducta, nec niſi verbis novitatem continet.*

75 *Hæc diviſio ut recepta ab Honorio III. & Innocentio IV. impugnari non debet.*

76 *Referuntur explicationes huius diviſionis traditæ à Gloſſa & alijs, quæ non admittuntur.*

77 *Hæc diſtinctio in ſubſtantia non differt à præcedentibus.*

78 *Harum vocum* poteſtas, dignitas, imperium, ius, iuriſdictio; *&* lex *varia acceptio.*

79 *In Epiſcopo duplex eſt conceptus, Adminiſtratoris nempè, & Magiſtratus.*

80 *Ex horum conceptuum diverſitate reſultat diviſio utriuſque legis.*

81 Lex *in præſenti aliquibus reſpectum, alijs præceptum ſignificare videtur, ſed Ius, ſeù poteſtatem importare eſt probabilius.*

82 *Vox* Diœceſis *ſumitur hic iuxta naturalem ſignificationem pro adminiſtratione, & procuratione.*

83 *Dum dicimus legem* iuriſdictionis, *non intelligimus iuriſdictionem in ſpecie, ſed in genere.*

84 *Statuitur, quænam iura & actus ad utramque legem reſpectivè ſpectent, reiecta Gloſſæ opinione.*

85 *Primum Argumentum, quo noſtra Sententia firmatur & contraria Gloſſæ refellitur.*

86 *Secundum argumentum.*

87 *Recenſentur in particulari quædam iura, ad utramque legem pertinentia.*

88 *Proponitur obiectio contra noſtram ſententiam.*

89 *Solvitur obiectio ſub diſtinctione.*

90 *Lex iuriſdictionis auxiliatur legi diœceſanæ.*

91 *Retorquetur obiectio.*

92 *Dividitur Iuriſdictio Epiſcopalis in ordinariam & delegatam.*

93 *Quid ſit ordinaria iuriſdictio.*

94 *Quid ſit iuriſdictio delegata.*

95 *Valde antiquæ ſunt hæ delegationes Epiſcopis factæ à Sede Apoſtolica.*

96 *Plures delegationes fecit Concil. Tridentinum, vel novam iuriſdictionem tribuendo, aut antiquam ſuſcitando.*

97 *Vnde quæſtio ventilatur: An iuriſdictio, à Tridentino tributa certis locis, delegata ſit, vel ordinaria?*

98 *Cum Epiſcopo conceditur iuriſdictio, qua iure communi carebat, erit iuriſdictio delegata.*

99 *Sin autem ea tribuitur, quam de iure communi habebat, etiamſi clauſula delegatoria adſit, erit ordinaria.*

100 *In his caſibus non ad Papam, ſed ad Metropolitanum erit appellandum.*

101 *Non obſtat clauſula delegatoria.*

102 *Hiſtoria Concilij Tridentini refertur ſuper iuriſdictione delegata tributa Epiſcopis.*

103 *Quis finis fuerit propoſitus Patribus Tridentini, in adijcienda clauſula delegatoria pluribus in locis.*

1 INdiſſolubili arctiſsimoque vinculo cohærent ac connectuntur hominum concordia & Principatus; abſque hoc enim rupta ſocietate *multitudo in diverſa diſpergeretur*, ut ait D. Thom. *Opuſc. 1. de regim. Princ. cap. 1.* quia ut, ait Salomon, *ubi non eſt gubernator diſsipabitur populus.* Vnde ab ipſo penè Mundi ortu ipſa naturalis ratio, quæ homines in ſocietatem redegit, eos ſenſim imperio ſubiecit Principis, qui legibus & armis, ipſam ſocietatem inſtitueret, inſtitutam ſervaret, ruptamque ſarciret; ut iam indè quiſque ſtatuat, concordiam haud aliter ſervari potuiſſe, quam imperio & principatu introducto, ut conſentiunt D. Chriſoſtom. *Homil. 34. ad Corinth.* D. Auguſtin. *in lib. propoſit. in Epiſt. ad Rom. propoſit. 72.* Petr. Gregor. *de Republ. lib. 6. cap. 1.* & Lipſ. *Polit. lib. 2. cap. 1. & 2.* Dùm enim in cæca
2 ac permixta multitudine, quiſque pro libitu privatum ambiret commodum, alios ab alijs ſecedere atque ad invicèm diſcrepare conſequens erat, nam, ut cupidè ſinguli proprio ſtuderent lucro, communis negligenda, quin & lædendà erat utilitas. Ergo, aliquem præponere, qui multitudinis univerſæ commodum, procuraret, & communibus invigilaret compendijs, ipſa pacis ſocialiſque concordiæ ratio efflagitabat. Hac ergo de cauſa Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ concordiæ ita conſuluit, ut perfectiſsimum in ea Regnum ordinaret, & multitudini fidelium, quibus grex dominicus

nicus conſtat Paſtores præponeret ad *Epheſ.* 4. Paſtoris enim munus in id arctiſsimè urget, ut commune ovium bonum ſemper ac indefeſsè ſollicitet; quapropter Paulus Apoſtolus inſtitutionis Epiſcopalis rationem ac finem ex Dei ordinatione eò collimare prædicat, ut gregi regendo paſcendoque invigilent, ij quibus gregis cura eſt demandata *Act.* 20. ibi: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Regere autem multitudinem, illiuſque bono attendere, in eo præcipuè verſatur, ut regens ſua induſtria unitatem, quæ pax dicitur, procuret, Div. Thom. *dict.* 1. *opuſc. cap. fin.* Sed quia,
4 ad hanc unitatem procurandam, haud ſufficit induſtria & auctoritas, ſi præeminens non adſiſtat poteſtas; ideò Chriſtus in Epiſcopali ordine locavit Summum Imperium, & Principatum, præcellentiſsimam dignitatem, qua ſubditos regeret ad concordiamque urgeret Epiſcopus; utque ei nihil, quo bonum omnium perquireret, deeſſet, omnes in uno Epiſcopatu ordines colligavit Div. Ambroſ. *in Epiſt. ad Epheſ. cap.* 4. *In Epiſcopo omnes ordines ſunt quia primus Sacerdos eſt, ideſt, Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium.* Ineſt hoc ipſo Epiſcopali ordini ſumma iuriſdictio & poteſtas, ut Sacramenta conficiat, & munia adimpleat Hierarchica, ut docet Petrus Aurel. *Tom.* 2. *pag.* 90. 109. *Præter conſecrationem Sacerdotum,* inquit, *Epiſcopalis ordo eſt poteſtas ſumma in Sacramenta omnia, & in omnes actiones hierarchicas; quæ ab eo omnes ut à capite & fonte in Eccleſijs particularibus fluere, ac manere debent, ex Chriſti lege, ſicut ab vniverſali Epiſcopo in totam Eccleſiæ univerſalis amplitudinem. Quod perſpicuè docuerunt Concilia & Patres, dum nihil à Presbyteris, aut Diaconis ſine nutu Epiſcopi agendum eſſe declarant.* Denique ordine Epiſcopali nullus eſt in Eccleſia maior, ſplendidior, aut excellentior, in quo proculdubiò Romanus Pontifex continetur, ut patet *in cap. ſi Epiſcopus* 2. *q.* 9. *cap. Tranſmarinos cap. Aphoros* 98. *diſt.* Quodque ad ornatum & ſingula-
5 rem huius ordinis decorem, luculentius, magnificentiuſque eſt, ipſe Dominus Ieſus-Chriſtus Epiſcopus & Paſtor animarum noſtrarum vocatur, 1. *Petri,* unde Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus maximum honoris reverentiæ, & poteſtatis argumentum duxit *in Epiſt.* 1. ibi: *Nemo Epiſcopum hominis contemplatione deſpiciat. Recordemur quod Petrus Apoſtolus Dominum Epiſcopum nominarit. Sed converſi, inquit, modo ad Epiſcopum & Paſtorem animarum noſtrarum: Quid Epiſcopo negabitur in quo Dei nomen operatur.* Operoſum ſanè arduumque eſſet ſi Conciliorum & Patrum ampliſsimas ſententias de magnificentia & præſtantia Epiſcopalis ordinis hic vellem congerere, nec volumen, nec inſtitutum permitterent, itaque hoc uno D. Ignatij Martyris *in Epiſt. ad Smyrnen.* rem hanc abſolvam: Epiſcopum enim ita depingit: *Qui omni principatui, & po-*
6 *teſtati ſupereminet, & quoad homini licet imitator Chriſti veri Dei; Princeps Sacerdotum, imaginem Dei referens: Dei quidem propter Principatum, Chriſti verò propter Sacerdotium. Nec enim Rege quiſquam præſtantior, aut quiſquam ſimilis ei in rebus creatis; nec Epiſcopo quicquam maius in Eccleſia, qui Deo conſecratus eſt pro totius mundi ſalute: quem qui honorat à Deo honorabitur; qui ignominia afficit à Deo punietur: ſine quo nihil faciendum cenſet earum rerum, quæ ad Eccleſiam ſpectant, neque baptizandum, neque offerendum, neque ſacrificium immolandum, nec oblationem celebrandam, neque conjugij vnitatem faciendam, ut coniugium ſit ſecundum Deum non ſecundum carnem. Qui ubi comparet ibi ſit Chriſtiani populi mul-*

titudo, quemadmodum ubi Chriſtus, ibi omnis aſtat exercitus Cæleſtis, veluti Imperatori poteſtatis divinæ omniſque intellectualis naturæ gubernatori, diſpenſatorique vereri opportet ut Chriſtum. Sic enim nobis præcipiunt divini Apoſtoli. Cui qui non obtemperat, ille ſine Deo eſt, pietatis expers, Chriſtum ſpernens, eiuſque ordinationi reſiſtens: ſine quo nulla eſt Eccleſia, nulla Sanctorum congregatio. Abſque cuius auctoritate qui agit foris eſt, inquinatam habet conſcientiam, infideli deterior: qui enim Chriſti ſunt, Epiſcopi ſunt; qui verò ab illo declinant, & cum impijs communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur, nec enim Chriſti agricultura ſunt, ſed Diaboli ſemen. Sacerdotium enim ut omnium honorum, quæ in homine ſunt ſupremus apex, qui adverſus illum facit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum, & Chriſtum Ieſum primogenitum, qui natura ſolus eſt primus & Summus Sacerdos. Laici enim Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopis, Epiſcopus Chriſto, ut ipſe Patri ſubijcitur. Tota hæc Sacerdotij plenitudo, honorum abundantia, & Principatus excellentia in Epiſcopali ordine figenda erat, ne oves diſperſæ per ſchiſmata perirent, & Eccleſiæ unitas dilaceraretur, ita Hieronym. *Adverſus Luciferianos: Eccleſiæ ſalus,* inquit, *in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & eminens datur poteſtas, tot in Eccleſijs efficiuntur ſchiſmata quot Sacerdotes.*

7 Hunc ergo celſiſsimum ordinem Sanctiſsimis Apoſtolis Chriſtus contulit, at cum ipſo ordine Paſtoris munus, curamque unitatis indivulsè copulavit, ut conſtat *ex d. cap.* 20. *Act. Apot.* & expreſiſsimam hanc Apoſtolorum inaugurationem in Epiſcopos, cum ampliſsima poteſtate coniunctam, agnoſcunt omnes in illo Mathæi *ult. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptzantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: docentes eos ſervare, quæcumque mandavi vobis.* & Ioan. 20. 21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: Sicut miſsit me Pater, & ego mitto vos,* nec non etiam *Mat.* 18. *Marc. cap. vlt.* Sed 8 nè Paſtorum multitudo pari ordine, æqualique poteſtate ornata, ipſius unitatis ſciſſuram, & gregis diviſionem importaret; ipſam gregis curam & unitatem uni præcipuè, Petro nimirùm, commendavit: uni, qui etſi ordine & electione cæteris æquaretur, dignitate præiret & anteſtaret: vni, cui cæteri adhęreſcerent in ſimilitudine honoris, & ipſi ſubeſſent quadam diſcretione poteſtatis, ut mox diluceſcet in Leonis teſtimonio, & nunc clareſcet in eggregio Sanctiſsimi Bernardi documento *Lib. 2. de conſiderat. ad Eugen. Sunt & alij,* inquit, *gregum Paſtores &c. Habent illi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos, Tibi univerſi crediti, uni unus. Non modò ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Pater. Paſce oves meas inquit; Quas? illius, vel illius Populi, Civitatis, aut Regionis? Cui non Planum eſt, non deſignaſe aliquas, ſed aſsignaſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret.*

Univerſam hanc poteſtatem, 9 ipſiuſque poteſtatis formam, non temporalem, & quæ cum morte Apoſtolorum periret, Chriſtus inſtituit; ſed perpetuam, & quæ Mundi ætatem æquaret, eſſe voluit, iuxta illud *Iſaiæ* 9. *Super ſolium David, & ſuper regnum eius ſedebit: ut confirmet illud & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodò & vſque in ſempiternum.* Nec enim regimini Eccleſiæ ſatis eſſet proſpectum, ſi Apoſtolorum perſonis reſtricta commiſsione poteſtatis, ipſis vita functis, Eccleſia careret Paſtoribus, qui in vicem illorum gregem, gregiſque unitatem curarent. Ne hoc ita accideret Sanctiſsimis Apoſtolis

10 tolis illam etiam facultatem Chriſtus dedit, ut alios poſſent eligere & aſciſcere ad idem opus & miniſterium, ſicut ipſe eos elegerat & aſſumpſerat : dixit enim illis : *Sicut miſsit me Pater, & ego mitto vos. Ioan.* 20. Ut ita etiam ipſi Apoſtoli poſſent quodammodo 11 perpetuari, ipſorum iugi intermiſſaque ſucceſsione, quæ uſque ad conſumationem ſæculi perennaret : quod optimè explicuit Auguſt. *in Pſal.* 44. his verbis: *Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos conſtituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es; de prole tua crevit tibi Paternitas, pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij.* Perennem hanc ſucceſsionem Apoſtolorum confirmant alij Eccleſiæ Patres, & expreſsiſsimè Hieronymus *in Epiſt. ad Marcell.* ibi : *Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Et in Epiſt. adverſ. Montan.* ibi : *Apud nos Apoſtolorum locum tenent Epiſcopi.* Manet ergo planum, hodie iugi perpetuaque ſucceſsione Epiſcopalem ordinem durare iuxta Chriſti ordinationem; ita ut ad Dominici gregis curam Summum habeamus Paſtorem loco Petri, Romanum nempè Pontificem Chriſti Vicarium, & aliorum Apoſtolorum loco cæteros per vniverſum orbem ſubſtitutos Paſtores, qui ſunt Epiſcopi.

12 Prædicta ſatis inſinuant Epiſcopalis poteſtatis inſtitutionem ac finem in ipſa Collegij Apoſtolici forma velut in Archetipo effictam; quamobrem ſi vires, gradus, comprehenſionemque huius poteſtatis penitùs dignoſcere intendimus, in illam formam oculos convertere debemus, ab ipſaque velut à limpidiſsimo fonte totum doctrinæ noſtræ rivulum derivare, nam, ut bellè Tertullianus *in cap.* 20. *de præſcript. adv. hæret. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt : Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima ex qua omnes.* Sic ergo Leo Magnus ſanctitate & doctrina *in Epiſt.* 84. infra referenda, ut Epiſcoporum cætum componat, formam Apoſtolici Collegij repreſentat. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus *in cit. Epiſt.* 1. eumdem fontem, eamdemque repetit originem : *Totum*, inquit, *ad nos ex Apoſtolorum forma & poteſtate deductum eſt.* Ita ſanè eſt ſi res ipſa ad Patrum Conciliorumque lucernam diſpiciatur. Sed quia ſunt 13 aliqui non ſanè ſentientes, qui ut Epiſcoporum poteſtatem magnificent ultrà debitum, & Romani Pontificis poteſtatem deprimant, hanc ipſam ſucceſsionem in locum Apoſtolorum indiſcriminatim accipiunt, & ex aſſe Epiſcopis attribunt; opportet ideo, ut verum ſtatuamus, expendere in præſenti, quatenùs quouſqueve Apoſtolis Epiſcopi ſucceſsiſſe dici poſsit.

14 Et quidem hac in re, ut Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe dicamus, primùm occurrit ratio petita à fundatione Eccleſiarum, conſecrationeque Epiſcoporum ab Apoſtolis facta; notiſsimum eſt enim in Eccleſiaſtica hiſtoria, quod poſtquam Chriſtus Apoſtolos Epiſcopali ordine inſignivit, illi iuxta Domini præceptum : *Euntes in mundum vniverſum prædicate omni creaturæ. Marc.* 16. Provincias diviſerunt, ad quas profecti, poteſtate alios Epiſcopos creandi, ipſis à Chriſto tradita utentes, plurimos ordinarunt Epiſcopos, & ſuis Eccleſijs & plebibus præfecerunt, vel per ſe ubi præſentes aſsiſterent, vel per diſcipulos ſuos in illis partibus, ubi ipſi pertingere non potuerunt. Sic Div. Petrus Romanam & Antiochenam per ſe fundavit Eccleſias, Alexandrinam autem miniſterio Marci ſui diſcipuli : Sic &

Paulus

Paulus Titum Cretæ reliquit, ut per ſingulas Civitates Presbyteros ordinaret, ideſt Epiſcopos. Si has ergo fundationes Eccleſiarum & Epiſcoporum ordinationes ab Apoſtolis factas attendimus, rectè, & citra invidiam dicere poſſumus, Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe; utpotè qui eaſdem Cathedras & ſedes occupant: Quæ ratio tanti eſt, ut & nomen cum Cathedra in ſuc-
15 ceſſorem tranſiret; quare & qui primùm ab Apoſtolis ordinabantur, & ipſi vocitabantur Apoſtoli, ut in nomine etiam iugis ſucceſsio denotaretur: profero in rem hanc teſtimonium Hieronymi *adverſus Luciferian.* ubi ita ait: *Quod autem exceptis duodecim quidam vocentur Apoſtoli illud in cauſa eſt; quod omnes qui Dominum viderant, & eum poſtea prædicabant fuiſſe Apoſtolos appellatos.* Paulatim verò, tempore procedente, & alij ab his, quos Dominus elegerat, ordinati ſunt Apoſtoli Epaphoditus, Silas, & Iudas Apoſtoli ab Apoſtolis nominati ſunt. Quod etiam notavit Theodoretus *in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15.* dumre fert de Divo Paulo, quod *Apoſtolos non ſolum duodecim vocavit, ſed omnes qui eumdem ordinem acceperant.* Agnovit hoc ipſum Pacianus *in cit. Epiſt.* ibi: *Et Epiſcopi Apoſtoli nominantur: Sicut de Epaphrodito Paulus ediſſerit: Fratrem & commilitonem, inquit, meum veſtrum autem Apoſtolum &c.* Et *in Epiſt. 3.* oſtentat meritò gloriam utriuſque nominis, Apoſtoli nempè & Epiſcopi: *Nos Epiſcopi*, inquit, *quia Apoſtolorum nomen accepimus, & Chriſti appellatione ſignamur.* Nec præteriri abſque piaculo in
16 propoſito poteſt, quædam inſcriptio Idali Barcinonenſis etiam Epiſcopi Iuliano Toletanæ Sedis Sanctiſsimo Præſuli directa, his verbis: *Iuliano Toletanæ primæ Sedis Apoſtolo*, quam inſcriptionem refert Acher. *in Spicileg. tom. 1. pag. 313.* Nec intermiſſam hanc ſuc-
17 ceſsionem quiſquam eò exiſtimare debet, quod, ut refert Theodoret. *in Epiſt. 1. ad. Tit. cap. 3. Qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos olim nominabant: procedente tempore Apſtolatus nomen reliquerunt ijs, qui verè erant Apoſtoli.* Hoc enim nihil detrahit ſucceſsioni, quam diximus, nec impedit, ut Epiſcopi in opus munuſque Apoſtolorum ſubrogati dicantur; ſed arguit eximiam reverentiam demiſſamque humilitatem poſteriorum Epiſcoporum, qui ab ea nominis gloria præſtantiùs duxerunt ſe abſtinere, & illis Sanctiſsimis viris à Chriſto electis reſervare; ſic & ipſe Theodoretus agnoſcit *ſuper Iſai. cap. 61. Apoſtolicum nomen præcipuum & ſingulare beatiſsimi illi habuerunt. Etſi enim eorum operi iſti ſucceſſerunt, illorum tamen appellationem nemo arrogare audet.*

18 Epiſcopos in Cathedras & in Sedes Apoſtolis ſucceſsiſſe vidimus; at non ita planum eſt, ut cum Sedibus ad ipſos univerſa Apoſtolorum dignitas & poteſtas fuerit derivata: quidam, Patrum teſtimonijs indiſcretè acceptis, ita volunt; at non ita profectò eſt, nec unquam Patres tale ſenſerunt, quod ut pateat, diſtinguenda eſt in Apoſtolis ordinis poteſtas à poteſtate iuriſdictionis, & de utraque ſeparatim erit agendum.

19 Circa Ordinis poteſtatem, (quæ quid contineat poſtea dicemus) duo ſunt, quæ in Apoſtolis obſervanda veniunt. Primum, hanc poteſtatem Apoſtolos omnes immediatè ab ipſo Chriſto accepiſſe, ut conſtat ex Sacræ Scripturæ locis ſupra relatis. Secundum, eamdem Ordinis poteſtatem, æqualem inter omnes Apoſtolos fuiſſe, quin, parem fuiſſe cum illa Beati Petri, ut patet luculentèr ex Div. Cypriano relato in *cap. loquitur Dominus 24. q. 1.* ibi: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis*: Et Leo Papa

in

in Epiſt. 84. ibi : *Eſt tamen ordo generalis*; & oſtendit Cardin. Bellarm. *de Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 11. *verſ. altero modo* : pluresque refert Roſa *de reſid. Epiſcop. cap.* 1. *ſect.* 3. *num.* 46. Atque hæc duo etiam in Epiſcopis verificantur; ut nimirùm hanc ordinis poteſtatem, poſita conſecratione, immediatè à Chriſto accipiant; & quod huius poteſtatis intuitu à Romano Pontifice Petri ſucceſſore non differant, ut eſt concors ſententia, eamque expræsè tenent Div. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *ad tertium.* Bellarmin. *de Romano Pontif. lib.* 4. *cap.* 22. Alſed. *de Epiſc. orig. cap.* 1. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 16. Proſper. Fagnan. *in cap. Perniciosam de offic. ordin. num.* 33. D. Gonzal. *in cap. quanto num.* 9. *de conſuet.* Roſa *d. cap.* 1. *ſect.* 3. *num.* 2. ubi plures refert. Quamobrem apud omnes firmum eſt ab Apoſtolis in Epiſcopos hanc ordinis poteſtatem fuiſſe tranſmiſſam; quod etiam convincitur ex ijs, quæ diximus circa perpetuitatem ordinis Epiſcopalis, qui nunquam fuit extinctus, nec extinguetur uſque ad Mundi conſumationem, ut explicat Bozius *de ſign. Eccleſ. par.* 2. *ſign.* 77. *cap.* 5. *& par.* 1. *ſigno* 12. *cap.* 7.

20

21 Cum verò eadem ordinis poteſtas, quæ fuit in Apoſtolis, ſit etiam derivata in Epiſcopos, apparet via, qua Canones & Patres, quandoque indiſtinctè affirmantes Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe, commodè verèque poſsint intelligi, nimirùm relativè ad dignitatem ſeu ordinem Epiſcopalem. Qua etiam ratione accipiendæ ſunt illæ auctoritates, quibus aſſeritur Epiſcopos culmen dignitatis obtinere, Summum in Eccleſia Principatum, verticem, apicem, faſtigium, & aliæ id genus, quæ reſpectu ordinis rectè exaudiuntur.

22

Inficiari nequit, Epiſcoporum ſucceſſionem in hanc ordinis poteſtatem ipſis gloriæ & honoris plurimum afferre; atque exindè mirandum non eſt, ſi & ipſis quandoque fuere tributa illa ſplendidiſsima nomina, quæ poſtea uni tantum Romano Pontifici attribuuntur, ut ſunt illa *Papæ*, *Apoſtoli*, *Apoſtolici*, *Beatiſsimi*, *Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi*, quæ Epiſcopis olim frequentèr fuiſſe tributa pluribus exemplis oſtendit eruditus Ludov. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *per tot.* Ex quo etiam inibi patet, tunc temporis, in dandis & in accipiendis his nominibus, Sanctiſsimos Epiſcopos non eam mentem habuiſſe, ut indebitam ſibi poteſtatem arrogarent, aut per omnia Romano ſe æquarent Pontifici; ſed reverentia Epiſcopalis ordinis, qui, propter hanc ſucceſsionem, unus, par, ſeu generalis eſt omnibus Epiſcopis, ea nomina invexit; & cum ordo eſſet communis, communicata etiam ſunt & nomina. Semper enim in comperto fuit contemplatione iuriſdictionis longè cæteris Epiſcopis eminentiorem Romanum Præſulem eſſe, ut qui Eccleſiæ Primatu ex Chriſti inſtitutione gaudet.

23

24

25 Circa iuriſdictionis poteſtatem ſuccedit ſermo, ut videamus, an Epiſcopi huius poteſtatis reſpectu poſsint dici Apoſtolorum ſucceſſores & hæredes? Et ſanè dici non poteſt, quod Epiſcopi in hanc poteſtatem Apoſtolis ſucceſſerint propriè & abſolutè; ad hoc enim erat neceſſe, ut hæc iuriſdictio eodem omnino modo quo fuit in Apoſtolis, ab ipſis fuiſſet in Epiſcopos derivata & transfuſſa; quod non ita eſſe pluribus demonſtratur. Nam in primis Apoſtoli poteſtatem iuriſdictionis, ſicut & illam ordinis acceperunt immediatè à Chriſto, ut tenet cum Theologis & Canoniſtis Togæ decus Collega meus Dominic. Soto *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 2. *maximè col.* 4. *in fin.* D. Præſes Covarr. *in reg. peccatum part.* 2. *§.* 9. *num.* 5. *verſ.* 4. Bellarmin.

26

27

d. lib. 4. *cap.* 22. *in fin. & cap.* 23. Pro quo adducunt illud Ioann. 20. *Sicut miſsit me Pater, & ego mitto vos.* Quem locum, eodem Bellarmino teſte *in d. cap.* 23. ſic exponunt Patres Chryſoſtomus, & Theophilactus, ut luculentèr aſſerant factos eſſe his verbis Apoſtolos Chriſti Vicarios; immò ipſum Chriſti officium & auctoritatem ad eos fuiſſe translatam. Epiſcopi autem hanc iuriſdictionis poteſtatem non
28 immediatè à Chriſto, ſed à Papa recipiunt in veriori ſententia, quam propugnant AA. ſupra laudati, quibus iungendi ſunt Exim. Doctor P. Suarez *tom.* 4. *de Pœnitent. part.* 2. *diſp.* 25. *ſect.* 1. *num.* 10. & plenè diſputans Fagnan. *in d. cap. Perniciosam de offic. Ordin. à num.* 29. Pro qua etiam ſententia apperta ſunt Patrum teſtimonia, quæ varijs ac venuſtis comparationibus ſatis abundè demonſtrant in Epiſcopos iuriſdictionem derivari tanquam à capite & centro, & ne immoremur in re nota, duo tantum teſtimonia proferam; primum eſt Leonis Papæ *in cap. ita Dominus* 29. *diſt.* ubi ſic inquit: *Ita Dominus huius muneris Sacramentum ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in Beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Alterum teſtimonium erit D. Cyprian. *in cap. loquitur Dominus* 18. 24. *q.* 1. Ubi cæteras par-
29 ticurales Eccleſias Romanæ comparat ſicut radios ad Solem, rivulos ad fontem, ramos ad radicem: *Avelle*, inquit, *radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum fructus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcet.* Fit ergo ex his Cypriani comparationibus, ut Epiſcopi quidquid habent virtutis, regiminis, & iuriſdictionis à Romano Pontifice accipiant, qui Princeps ſeu Monarcha eſt Principatus Eccleſiæ
30 *cap. nolite* 11. *diſt.* In quo reſidet plenitudo & immenſa poteſtatis copia, & à quo in reliquos Epiſcopos pars ſollicitudinis & iuriſdictionis derivatur, ita Vigilius Papa *in cap. qui ſe ſcit* 12. 2. *q.* 6. dixit: *Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis*: Quamobrem cum doctiſsimo Hiſpaniæ noſtræ homine, Cardinali Turrecremata *in cap. omnes diſt.* 22. *num.* 3. *verſ.* 5. concludimus, quod *nullus credentium dubitare debet, quod poteſtas iuriſdictionis omnium Prælatorum non modo quoad exercitium, ſive uſus amplitudinem, ut fingere quidam voluerunt; ſed etiam quantum ad ſubſtantiam poteſtatis dependeat à Romana Eccleſia, à qua etiam omnes principium ſumpſiſſe dicuntur.*

31 Eſt & alia differentia inter Apoſtolos & Epiſcopos quoad hanc poteſtatem iuriſdictionis, quod illa Apoſtolorum æqualis fuit cum iuriſdictione D. Petri, ut *ad cap. in novo* 21. *diſt.* Notant Canoniſtæ, & ij quos
32 ſupra retulimus; at Epiſcoporum iuriſdictio longè inferior eſt iuriſdictione Romani Pontificis, ſive amplitudinem & comprehenſionem, ſive extenſionem inſpiciamus; Epiſcopi enim, ut vidimus, in partem ſollicitudinis tantum ſunt vocati *d. cap. qui ſe ſcit.* deinde ſunt & quamplures cauſæ & actus Romani Pontificis ſupremæ & interminatæ iuriſdictioni reſervatæ, *cap. maiores de bapt.* S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. ad quas Epiſcopi manus extendere prohibentur, *cap. huic* 17. *diſt.* Accedit
33 quod iuriſdictio Apoſtolorum non una parte Orbis contrudebatur, ſed eorum quiſque in univerſo Orbe ſuam potuit poteſtatem exercere, dum ex Chriſti ordinatione totus mundus ipſis ſubiugandus & regendus committitur, ex illo *Marc.* 16. At Epiſcoporum iuriſdictio
34 certis limitibus continetur, quatenùs

pro-

propriæ cuiuſque Diœceſis termini permittunt, ut ſtatim videbimus *in cap. ſeq.* Quas differentias optimè confirmat doctrina Div. Thom. *in* 4. *d. ſt.* 20. *q.* 1. *art.* 4. ibi : *Papa habet plenitudinem pontificalis poteſtatis quaſi Rex in Regno ; ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis quaſi Iudices ſingulis Civitatibus præpoſiti.*

35 Ex his iam liquidò apparet poteſtatem iuriſdictionis non eodem modo reſidere in Epiſcopis, ac in Apoſtolis, ac proinde reſpectu huius poteſtatis propriè & abſolutè affirmari nequit Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe; ſed adhuc tamen impropria quædam ſucceſsio in hac parte admitti debet ob quamdam ſimilitudinem & proportionem Epiſcoporum cum Apoſtolis, ad quam profectò reſpexit S. Leo in teſtimonio nunc referendo, cum docuit Epiſcoporum cætum ad normam Apoſtolici Collegij fuiſſe inſtitutum. Similitudo autem ea eſt, quod Sanctiſsimi
36 Apoſtoli licet æqualem cum D. Petro acceperint à Chriſto poteſtatem, fuerunt tamen ſub Petro, cuius diſpoſitioni ut Capitis, & Ordinarij Principis, Primarijque Paſtoris erat ſubordinata, ad hoc, ut Concilium convocaret, ut *Act.* 15. cæteraque exerceret Præſidentis officia ; ſimulque Eccleſiæ & Epiſcopatus unitas ſervaretur : ita Epiſcopi, licèt ordinis poteſtate ſint æquales, ſubſunt tamen Petri ſucceſſori Romano Pontifici, à quo velut à fonte & centro unitatis Eccleſiæ accipiunt partem ſollicitudinis, partemque illius Pontificalis iuriſdictionis, cum ea graduum diſcretione, quæ ad Eccleſiæ unitatem & concordiam expedit.

37 Iuvat nunc integrum D. Leonis Papæ teſtimonium *in Epiſt.* 84. in medium proferre, in eo enim dictorum hucuſque compendiariam pulchramque inculcationem habemus ; enitet ſiquidem in ipſo, quod Chriſtus Epiſcopalem ordinem inſtituerit ; quod Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerint ; quod unus parque omnibus ordo conferatur; quod non omnium eadem ſit iuriſdictio ; quod hanc à Romano Pontifice accipiant; quodque tandem huic uni ut Capiti adhæreant & obediant, & ut Primario Paſtori in regendo Chriſti grege ſubordinentur ; hæc omnia, inquam, in Leonis teſtimonio ad Eccleſiæ unitatem, ipſorumque Prælatorum concordiam, apparent directa, & introducta. En iam Leonis verba : *Connexio totius corporis unam ſanitatem, unamque pulchritudinem facit. Et hæc connexio totius corporis unanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis. Quoniam inter Beatiſsimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium eſſet par electio; uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes omnia ſibi vindicarent; ſed eſſent in ſingulis Provincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia ; & rurſus quidam in Maioribus Vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura confluereret, & nihil uſquam à ſuo Capite deſideret.*

38 Nemo, reor, ægrè feret, ſi in hoc Leonis teſtimonio conſiderando paululùm immorer, & ex ijs, quæ dicta manent, novis teſtimonijs paraphraſim adhibeam, qua id quod quærimus magis & pleniùs percipiatur. Ad demonſtrandum Epiſcopalem ordinem & iuriſdictionem ſimul cum Eccleſiæ concordia, occurrit in primis corporis comparatio, qua utitur Leo, ut alibi *in Epiſt.* 89. relata *in cap. ita Dominus* 39. *diſt.* ibi : *in corpus unum.* Quæ
39 comparatio paſsim invenitur in Sacris Ca-

Canonibus & deſſumitur ex Apoſtolo
40 *ad Epheſ.* 1. & 4. Hoc autem corpus unum perfectum & pulcherrimum eſſe, quis dubitabit ? Dicente Domino in Cantico Canticorum : *Pulchra eſt amica mea ſuavis & decora ut Ieruſalem*, & inferiùs : *Vna eſt columba mea, perfecta mea. Cant. 6.* Unitas verò & perfectio, & pulchritudo in corpore, ex ipſius corporis ſtricta compagine reſultat ; ſi enim membra diſsideant, aut ſeparentur, nec ſanum erit corpus, nec pulchrum ; atque ita *connexio totius corporis unam ſanitatem, unamque pulchritudinem facit.* Ad hanc autem membrorum ſa-
41 lutarem venuſtamque connexionem nedum loci coniunctio requiritur, ſed animorum deſideratur conſortium, itaque *in cit. cap. 4. ad Epheſ.* poſtquam Eccleſia dicitur unum corpus, dicitur *una fides* ; ſimiliterque S. Cyprianus *in cap. alienus* 24. *q.* 1. Meritò ergo S. Leo ad ſolidam Eccleſię connexionem *totius corporis unanimitatem requirit.* Non enim ſufficit quod aliqua tantum membra, principaliora licèt ſint, conſentiant & connectantur ; ſed omnia ad unum per concordiam redigi opportet, ut totum corpus vegetet & coàleſcat. Ut enim in materiali corpore & eſt Caput, & principaliora quædam membra, quæ vitalem influxum ac motum, in inferiora transfundunt ; ita in Eccleſiæ corpore quidam ſunt eminentiori loco poſiti, ut regant, inſtruant, ac paſcant ; alij, inferiori ſitu locati, ab his paſcuntur & reguntur : Illi Paſtores ſunt & Sacerdotes, hi cæteri fideles Chriſti Oves & agni : Neceſſe ergo eſt ad unitatem, & totius corporis connexionem, ut inferiora cum ſuperioribus conſentiant, & ut omnes in unum gregem inconvulſa unanimitate coagmententur.

42 Sed ut à ſuperioribus virtus & influxus in inferiora deſcendit, inficiari nequit ; quod hæc *totius corporis connexio præcipuè exigit concordiam Sacerdotum*, Epiſcoporum nimirùm : ſic Cyprianus *de unitate Eccleſiæ* ſcribens, & relatus *in cap. loquitur Dominus* 24. *q.* 1. ita ait : *Quam unitatem tenere firmiter, & vendicare debemus maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus.* At quanam ratione & via hæc Epiſcopalis concordia obtinebitur ? Sæpè diximus, & nunc inculcamus, ad Paſtoralem concordiam aſſequendam illud neceſſariò exigi, ut quiſque ſuo gradu contineatur, & iuxta ſuam vocationem, & menſuram, ſibi datam, operetur, ut voluit Apoſtolus *cit. cap. 4. verſ. 1. & 7. ad Epheſ.* Sed dices unus collatus ordo, ut ait Leo *eſt ordo generalis.* Verum utique : Aſt ipſe fatetur, quod omnibus *dignitas non ſit com-*
43 *munis*, nec eadem iuriſdictio ; unde æquales non ſunt ; licèt enim eiuſdem corporis ſint principaliora membra, non eumdem actum habent, non eodem ſunt loco poſita ; ſed alia ſuperiùs alia inferiùs locata, & omnia Capiti, Romano nempè Pontifici, ſubordinantur, à quo virtutem & iuriſdictionem recipiunt, iuxta illam menſuram, qua ab ipſo ad partem ſollicitudinis vocantur. Quod ordo inter Epiſcopos ſit generalis, unitatem producit : quod dignitas & iu-
44 riſdictio non ſit communis, & in hac obtinenda à Capite dependeant, connexionem & concordiam totius corporis operatur : quod & S. Cyprianus oſtendit *in Epiſt. 55.* ibi : *Epiſcopatus unus eſt multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus.* Nec me continere poſſum, quin aliud locupletiſsimum eiuſdem Cypriani teſtimonium tranſcribam *ex d. cap. loquitur Dominus.* ibi : *Epiſcopatus unus eſt : cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia una eſt, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur : quomodò Solis multi radij, ſed lumen unum : & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum : & cum de fonte uno rivi plurimi de-*

deſluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Vide, ut Cyprianus venuſtis comparationibus in ipſa receptione dignitatis à Romano Pontifice, qui certè Sol, radix, fons & origo eſt unitatis, Epiſcoporum ſtatuit ſubordinationem, ex ſubordinatione connexionem, ex connexione concordiam, & ex concordia unitatem.

45 Hæc omnia profectò referenda ſunt Chriſti ordinationi, *ex quo*, ut docet Apoſtolus *in cit. cap.* 4. *verſ.* 16. *totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Quare ſcitiſsimè proſequitur, advertitque S. Leo, quod in prima Epiſcoporum inſtitutione & inauguratione Chriſtus præfatam formam diſpoſuit: *Quoniam inter Beatiſsimos Apoſtolos*, quos ipſe Epiſcopos ordinavit, *in ſimilitudine honoris* Epiſcopatus & Apoſtolatus, quo omnes erant æquales, *fuit tamen quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio* ad unum miniſterium; *uni tamen*, Petro nimirùm, *datum eſt, ut cæteris præemineret*, ut omnium curam gereret, ut præcellentem poteſtatem haberet. At quorſum uni diffuſa adeò ſu-
46 pra cæteros poteſtas? Ad manifeſtandam unitatem, inquit S. Cyprianus *in d. cap. loquitur Dominus*, ad tuendam Eccleſiæ concordiam & unanimitatem inquit S. Thomas *lib.* 4. *contra Gentes, cap.* 79. ad corporis totius Eccleſiæ ſanitatem, inquit S. Hieronymus *adverſ. Luciferian.* & *in Epiſt. ad Evagrium. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur in ſchiſmatis remedium factum eſt, nè unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* Idem *lib.* 1. *adverſ. Iovin.* ibi: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Suggerit enim ratio, quod ab unius dominatione pax & proſperitas in Imperio ſolet eſſe certa; à Principatu multorum diſcordia & funeſta omnia ſolent in Rempublicam, effractis obedientiæ retinaculis, irrumpere, ut Politicorum Princeps Tacitus 1. *hiſtor.* aiebat: *Pacis intereſt omnem potentiam ad unum conferri.*

Proſequitur S. Leo, & ait, *de qua forma*, Collegij nimirùm Apoſtolici, perpetua iugique ſucceſsione, *Epiſcoporum* formatus eſt cœtus & *orta diſtinctio*; nam etſi omnes uno generali ac pari Epiſcopatus ordine exequentur; diverſis tamen ad concordiam & connexionem gradibus collocantur: Atque in hunc modum primus eminet in culmi-
47 ne Epiſcopus Epiſcoporum Romanus Pontifex, Petri Succeſſor, qui univerſæ, quæ ſub Cœlo eſt Eccleſiæ Princeps Paſtor vocatur à S. Leone *in ſerm.* 2. *de ſui Aſſumpt.* Primus Paſtorum à S. Gregorio *in can. Pœnitentiam de pœnit. diſt.* 3. Princeps omnium Patriarcharum à Patribus Concilij Nicæni *can.* 39. Primus omnium Sacerdotum à Iuſtiniano *Novella* 131. Princeps Epiſcopalis Coronæ à Theodoſio *Novella* 24. Nec,
48 qui huic ſubſunt, Epiſcopi, indiſtincta ac pari poteſtate potiuntur; verendum enim erat *ne omnes omnia ſibi vendicarent*, atque ideò cum non in plenitudinem, ſed in partem ſollicitudinis vocentur; alijs fuſior, alijs reſtrictior iuriſdictio conceſſa, *unde magna diſpoſitione proviſum eſt* ab Eccleſia, præiactæ formæ inhærente, ut præter illos, qui eſſent in ſua quiſque Civitate & Diœceſi, Epiſcopos ſimplicitèr dictos, alij etiam Epiſcopi *eſſent in ſingulis Provincijs ſinguli*, qui Metropolitani Archie-
49 piſcopique dicuntur, quorum poteſtas reliquorum per Provinciam Epiſcoporum iuriſdictionem excederet, & eorum *inter fratres prima haberetur ſententia*, atque ut Nicæna Synodus *can.* 4. ſtatuit: *Firmitas autem eorum, quæ geruntur*

per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur. Poſt hos in Eccleſiæ Hie-
50 rarchia inſtituti ſunt *rurſus quidam*, Patriarchæ nimirùm & Primates, *in Maioribus Vrbibus*, ſeu Regijs, (ut vocat Concil. Tricenſ. *cap.* 33. *fol.* 269.) *conſtituti, qui ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem.* At quorſum hic ordo & Prælatorum gradus? Ut negotijs &
51 cauſis Eccleſiaſticis, per ſuos tramites diſcuſsis, omnia concorditer perage-rentur, & per Epiſcopos, Metropolitanos, Primates ſive Patriarchas *ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura confluereț*, atque ita iuriſdictio omnis ad illud rediret centrum, à quo in omnes hos gradus erat derivata. Hunc ergo in modum illa abſdubiò obtinebitur totius corporis connexio, unanimitas, atque illa, præcipuè, exoptanda *Concordia Paſtoralis*, quam quærit S. Leo, & quæ id efficit, *ut nihil uſquam à ſuo Capite diſideat.* Quod confirmat B. Laurent. Iuſtinianus *de triumph. Chriſti in agon. cap.* 26. dicens: *Ad utilitatem, & decorem, unitatemque cuſtodiendam in Eccleſia conſtituti ſunt gradus.* Et optimè ad propoſitum D. Chriſoſtomus *homil.* 34. *in* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *Aſsiduis*, inquit, *& continentibus undique vinculis ad concordiam nos Deus diſciplinamque coegit.*

52 Epiſcopalis poteſtatis inſtitutionem & derivationem, prout ad noſtrum inſtitutum ſpectat, quiſque iam perſpectiſsimam habebit in hac Leonis Epiſtola, qui licèt ex Eccleſiæ communi Iure, ſuorumque temporum uſu, (ſæculo enim V. vixit, quo nondum Prælati Inferiores exempti erant, ut fusè *infra in Cap. IV.*) ſpiritalis huius poteſtatis uſum ſolum Epiſcopis attribuat; inficiari tamen nequit ab Eccleſia Romanoque Pontifice ſingulari iure, ſingularibuſque de cauſis, ad partem ſollicitudinis alios poſſe vocari, commiſſa eis parte aliqua huius iuriſdictionis, ſi Eccleſiæ regimini aut utile, aut neceſſarium, ipſe, qui in culmine ſedet, & univerſalem iuriſdictionem tenet, iudicaverit, ut patet ex D. Bernardo *in Epiſt.* 14. *ad Mediolanenſes*, ubi oſtendit Romani Pontificis poteſtatem in augenda, aut minuenda Epiſcoporum iuriſdictione.

53 Opportunè nunc, quam hucuſque in genere poteſtatem conſideravimus, in ſuas partes diviſam perpendere opportet: Atque in primis Ordinem Epiſcopalem tribus præcipuè conflari apparet, ordine nimirùm, adminiſtratione, ac iuriſdictione. Singula percurramus. Primo in Epiſcopo fulget *ordinis* poteſtas, quæ ipſi confertur per conſecrationem immediatè à Deo, im-
54 preſſo in anima ſplendidiſsimo quodam charactere, qui cum ſimul ſit indelebilis & huius ordinis firmiſsimum fundamentum; hinc eſt, ut hæc ordinis poteſtas ſemper firma in Epiſcopo maneat, nec ab eo aufferri aut divelli poſſit ullo caſu, ut *ex cap.* 1. *&* 3. *de Conſecrat.* tenet Fagn. *in cap. Perniciosam num.* 44. *de Offic. Ordin.* Unde illud certò evincitur, quod etiamſi excommunicatus, degradatus, ſuſpenſus, interdictus, aut in hæreſim prolapſus fuerit Epiſcopus, ordinis adhuc poteſtatem retineat, ut *ex cap. cum ſecundum* 19. *diſt. & in cap. Dominus §. memento* 1. *quæſt.* 1. & ex Div. Thoma 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. tenet Collega meus Domin. Soto *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Alzedo de præcell. Epiſc. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. Fagn. *ubi ſupra, & in cap.* 1. *de ſuppl. neglig. Prælator. num.* 7. *& in cap.* 1. *num.* 7. *de ſacr. unct.*

55 Ex vi autem huius poteſtatis plura ſunt, quæ Epiſcopus, ut propria iura ſibi vendicat, nam ordo hic plenitudinem continet Sacerdotij, & ſtupendam quamdam fæcunditatem: unde, factus per ordinem Epiſcopus Eccleſiæ ſponſus, ei Filios per baptiſmum pro-

procreabit ; procreatos roborabit & perficiet Sacramento Confirmationis; immanium ſcelerum laqueis innodatos abſolvet ; Euchariſtiam conficiet ; Templa , Altaria , & vaſa conſecrabit ; alios ad ſacrum miniſterium ordinabit ; alios ut Abbates , Abbatiſſas & puellas benedicet , Deoque dicabit ; quæ omnia in ſummam redigere voluit Gloſſa *in cap. tranſmiſſam de elect. verb. de talibus* ad hæc tria , confirmare , ordinare , & conſecrare. Hæc abſolutè , & directò ad hanc ordinis poteſtatem ſpectant ; alia tamen quædam ſunt, quæ aliquomodò, ſeu (ut dicitur in ſcholis) ſecundumquid , ad eam ſunt referenda , quatenùs ab ea dependent , de quibus ſermo erit *in cap. 8. part. 2.* cum de temporalium bonorum in ſpiritualia erectione , & ipſorum divino cultui dedicatione agemus.

56 Hæc quidem poteſtas , proprio directoque iure Epiſcopis tantùm inhæret , in eiſque ſolum reſidet , ut demonſtrat Concil. Toletan. VIII. *can. 7.* ibi : *Qua de re noſſe nos convenit , quod Epiſcopalis eminentiæ culmen non immeritò Sacris omnibus eſſe ſumma percenſuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, ſcilicèt Templorum Dei ſacrationem , chriſmæ benedictionem , Sacrorumque Ordinum inſtitutionem; quæ tam divinalitèr ordinata perſiſtunt , quam excellentiſsimè conferuntur ; quia & tanto ab eis ſingularitèr impenduntur , quanto eidem ſummo culmini peragenda ſervantur.* Similiter Concil. Hiſpallenſe II. *can. 7.* ſacris Eccleſiæ legibus quædam Præsbyteris prohibita, & Epiſcopis reſervata dicit, ut ſunt, *Presbyterorum ac Diaconorum , ac Virginum conſecratio , ſicut conſtitutio Altaris , benedictio , vel unctio.* Accedit in hoc ipſum auctoritas Leonis Papæ *in Epiſt. 88.* Quæ reſervatio magna adeò eſt , ut ea,

57 quæ ad hunc ordinem ſpectant delegari nequeant , nec alij per uſum aut præſcriptionem queri valeant,ut eſt expreſsè deciſſum *in cap. Aqua de Conſecr. Eccleſ.* Vbi improbat Papa contrariam , quæ ſuper hoc dicebatur vigere , conſuetudinem in Provincia Bracharenſi ; quam non tàm conſuetudinem, quàm corruptelam appellat. Atque ita in Concilio Barcinonenſi *can. 7.* & in Toleteno II. alijſque locis firmatur prohibitio nè Chorepiſcopi , qui erant in Pagis & Villis , neceſsitatis prætextu , ad conſecrationem Eccleſiarum procederent. Proſequuntur latiùs Canoniſtæ *in cap. quanto de conſuet. & in d. cap. Aqua.* & Fagnan. *in cap. nullus num. 3. de Parroch. S. Rota , in Fuldenſi iuriſdictionis 1. iunij. 1708. num. 99. Cor. Anſald.*

58 Sed licèt Epiſcopus ut primarius miniſter ex Chriſti & Eccleſiæ inſtitutione , proprio directo iure, ſolus hac poteſtate gaudeat ; alijs tamen ex conceſsione eiuſdem Eccleſiæ poteſt hęc ipſa poteſtas ſpeciali iure competere , ut eſt doctrina D. Thomæ *in 4. diſt. 26.* quem refert & ſequitur Fagnan. *in d. cap. 1. de ſuppl. neglig. Plælator num. 41.* Quod utique fit vel intercedente benedictione , aut mediante privilegio. At cum huiuſmodi poteſtas in alijs Prælatis Epiſcopo inferioribus plurimis coarctata ſit moderationibus , ut , quoad minus fieri poſsit , ius Epiſcopale lædatur; hinc ſuper uſu & exercitio eiuſdem poteſtatis , & praxi prædictarum moderationum , frequentes ſolent oriri controverſiæ inter Epiſcopos , & Prælatos Inferiores , Abbates , puta benedictos, aut alios , qui , licèt benedicti non ſint, ſpecialia ſuper hoc à Sede Apoſtolica obtinuerunt privilegia : de quibus controverſijs aliqua dicemus *in cap. 1. 3. & 8. part. 2.*

59 Secundum , quod conſiderandum propoſuimus in Epiſcopali Iure & poteſtate eſt *adminiſtratio* , cuius ſubiectum eſt cura Animarum & Eccleſiarum, ad quam tenetur Epiſcopus ex voto, *cap. niſi §. verum de renuntiat.* cui curæ

perpetùò cohæret Iuriſdictio fori Pœnitentialis. Incumbit ergo Epiſcopo ex natura & inſtitutione ipſius muneris hæc adminiſtratio, quæ in eo præcipuè verſatur, ut Epiſcopus ſpiritualia, & temporalia omnia ſuæ Eccleſiæ fideli diſpenſatione gubernet : atque illud exigit, ut indefeſſa ſollicitudine in mores & vitam ſuarum ovium quaſi ex ſpecula inquirat & vigilet; denique, ut functiones omnes boni Paſtoris ad gregis commodum adimpleat. Qua ratione advertit Iſidorus *in cap. Cleros* 60 *§. Epiſcopus* 21. *diſt.* quod qui Græcè dicitur Epiſcopus, Latinè vocatur *ſpeculator.* Atque eadem ratione *in cap. qui Epiſcopatum* 11. 8. *q.* 1. *Superintendens* apellatur. Et à D. Ambroſio *de dignit. Sacerd. cap.* 6. dicitur *Superinſpector.* Quæ ſanè nomina eò collimant, ut Epiſcopalem adminiſtrationem, & inhærentem curam, expreſsiùs ſignificent. Ut Paſtorum Eccleſiæ cura in mu- 61 nere Apoſtolico Evangelicæ prædicationis & doctrinæ præcipuè conſiſtit, ita in huius rei ſignum conceditur Epiſcopo in Eccleſia Cathedra ſeu Solium, quod eum primum Paſtorem, ſeu Adminiſtratorem denotat, ut præter Ambroſium *in dict. cap.* 6. declarat Urbanus Papa *in Epiſt.* ubi ait *Sedes Epiſcopis in Eccleſijs erectæ indicant ſpeculatorem & poteſtatem iudicandi, & ſolvendi atque ligandi à Domino eis conceſſam.* Unde mirum non eſt, ſi in Sacris Canonibus 62 per Cathedram principale munus Epiſcopi deſignatur, quin & Epiſcopatus ipſe, *ut in cap. non autem* 12. *cap. placuit.* 21. *cap. ſi quis Epiſcopus* 31. 7. *q.* 1. *cap. luminoſo.* 6. 18. *q.* 2. docet Duarenus *de Sacr. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. D. Gonzalez *in cap. Eccleſijs num.* 2. *de Cenſib.*

Adeò enim directè hæc admi- 63 niſtratio & Cura ad Epiſcopum pertinet, & ei ita perpetuò cohæret, ut licèt pro hac exercenda cura, alios ſibi miniſtros ſubalternos aſciſcat, adhuc tamen ipſi præcipuè huiuſmodi cura incumbat; unde ipſe Paſtor univerſalis in Diœceſi ſua ſemper conſideratur, licèt in partem ſollicitudinis, laboriſque conſortium, alios vocet & aſſumat, ut *in can. regenda* 4. 10. *q.* 1. monet Leo Epiſcopos Britaniæ *Regenda eſt*, inquit, *unaquæque Parrochia ſub proviſione ac tuitione Epiſcopi per Sacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore proviſerit, cui Iure pertinere videtur, & circumire, ut ſibi neceſſarium viſum fuerit Eccleſiaſtica utilitate cogente.* In Concilio Antiocheno mirè coniungitur ſolida Epiſcopi adminiſtratio totius plebis & Eccleſiaſtici Patrimonij, ut refertur *in can. quæcumque ead. cauſ. & q.* ibi : *Quæcumque res Eccleſiæ ſunt, convenit cum omni diligentia & bona fide, quæ Deo debetur, qui omnia providet, atque iudicat, gubernari & diſpenſare cum iudicio & poteſtate Epiſcopi, cui totius Plebis animæ videntur eſſe commiſſæ.* Ergo, ut maximè in Diœceſi alij ſint Parrochi, adhuc tamen Epiſcopus manet Parrochus univerſalis, cuius reſpectu illi habentur ſicut Baiulibi, ſive Præpoſiti ad Regem; nec cura ipſis principalitèr competit, ſed quædam tantùm adminiſtratio inferior & derivata ab ea, quæ in Epiſcopo pleniſſimè reſidet: Ex quo plures magni momenti habentur effectus, quos in hoc 64 opere fuſè diſpiciemus, ut eſt ſanè, quod nullus ſine iuſu & electione Epiſcopi curam Animarum ſibi arroget exercendam; quod ab initio Eccleſiæ ſtatutum apparet *in can.* 40. *Apoſtol.* ibi. *Præsbyteri, & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini Populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic rediturus eſt rationem.* Et in propoſito D. Thomas 2. 2. *q.* 18. *art.* 6. *in reſp. ad* 2. & 3. Hinc etiam deſcendit, Ius illud univerſam Diœceſim luſtrandi, Epiſcopo præcipuè competens, de quo *in cap.* 9. 10. & 12. *part.* 2. agemus. Item ex eadem radice oritur Ius

Epiſ-

Episcopi, ad obtinendas illas præstationes, quæ à fidelibus in compensationem administrationis debent conferri, ut est Cathedraticum pro doctrina: Synodaticum, seu præstatio Paschalis pro Synodo. Procuratio pro visitatione: Quarta mortuariorum seu legatorum, & quarta decimarum, de quibus Iuribus passim in hoc opere, & ex professò *in cap. ult. part. 2.*

65 Præter ordinem, & administrationem coruscat in Episcopali dignitate *Iurisdictio*, nam ut ait Petrus Aurelius relatus à Thomasino *de vet. & nov. discipl. part. 1. lib. 1. cap. 2. num. 14. Episcopalis dignitas, ut summa, & in suo genere perfecta, Iurisdictionem necessariò complecta ur, nec sine ea consistat non magis quam Regia dignitas, cui Sancti Patres Episcopalem dignitatem passim comparant, sine Imperio concipi nequit.* In quod etiam urget ea ratio, quod cum Episcopi in id sint instituti ut subditos regant, & pro ultimo supernaturali assequendo fine, eorum vitam, & mores dirigant; res ipsa efflagitabat, ut eis Iurisdictio in id ipsum concederetur; qua ratione, inesse Episcopis Iurisdictionem coercitivam coniunctam cum potestate Ordinis, docent Cayetan. *de potest. Papæ.* Rousset. *libr. 4. histor. Pontif. Iurisdict.* Petav. *lib. 3. Hierarch. Eccles. cap. 11.* Hallier. *eod. tract. pag. 421.* Cano *de Locis lib. 6. cap. 8.* Naucler. *de Monarch. Eccles. tom. 1. part. 2. lib. 5. cap. 4.* Bozius *de Sign. Eccles. cap. 1. & sign. 42. num. 20.* Baron *anno 46. & 57. num. 23.* Dominus Gonzalez *in cap. 1. de offic. Ordin. num. 6. & cap. 2. de Iudic.* In huius ergo potestatis signum habet Episcopus Tribunal, in quo disceptari debent omnia

66 Ecclesiastica negotia & causæ, *cap. decernimus de iudic.* sive personales sint, *cap. Clerici eod. tit.* sive reales, *cap. 3. eod.* sive criminales, *cap. 1.* ubi Glossa *verb. secundum quod Canones de offic. Ordin.* sive civiles, Concil. Carthaginen. *can. 9.* de quo videndus D. Gonzalez *ubi sup.* & Anast. Germon. *lib. 2. de iur. Sacror. cap. 12. & seq.* Forma autem & consessus Episcopi in hoc Tribunali non una fuit in Ecclesia, nam primùm, Episcopo præsidente coram universis fidelibus, iudicia agitabantur & terminabantur: postea in Synodis & Concilijs agitari cæpta, vel etiam apud Episcopos consilio Cleri adhibito: & postremo etiam apud solos Episcopos, vel apud eos qui Episcoporum vices gerunt. Illustrat Florens *tom. 2. in præfat. ad lib. 1. Decretal. vers. sequitur.*

Plures apud AA. occurrunt Episcopalis iurisdictionis divisiones, in id directæ, ut ipsis manuducamur ad eius integram & perfectiorem comprehensionem. Aliqui enim iurisdictionem

67 Episcopalem ratione materiæ ita distingunt, ut quædam sint simplicis iurisdictionis, quædam verò dignitatis Episcopalis: hæc distinctio doctrinæ gratia substineri potest, eique consentit Augustin. Barbos. *de potest. Episc. part. 1. cap. 1. num. 11.* ubi ita eam explicat, ut ad dignitatem Episcopalem referat: *Cognoscere de causis matrimonialibus; publicas iniungere pœnitentias, atque indulgentias concedere.* Ad simplicem tantùm iurisdictionem refert: *Iudicare, excommunicare, corigere, iuramenta accipere à Vassallis, confirmare, investire, beneficia conferre, instituere.* Hic cautè age, nam beneficiorum collatio, & institutio generalitèr accepta ad dignitatem Episcopalem debet referri; ut ex dicendis apparebit. Inter has ergo res ea est

68 differentia, quod ea, quæ ad dignitatem Episcopalem dicuntur pertinere, licèt habeant aliquid iurisdictionis, ut exerceantur, atque hinc actus iurisdictionales dici possint; tamen propius adhærent ordini, seu administrationi, atque ideo Episcopus in eorum actuum exercitio, non tam meri Iudicis, quam

Epiſcopi & Adminiſtratoris poteſtatem exerit : ex adverſo autem in his quæ ſimplicis ſunt iuriſdictionis, meri Iudicis partes exercet ; unde alia conſequitur differentia, quod nempè ea, quæ Epiſcopalem Dignitatem reſpiciunt ſolùm peragere poteſt Epiſcopus conſecratus, exceptis indulgentijs, quas, qui fuerit electus, poterit elargiri, D. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *art.* 2. *& diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 4. quem alij ſequuntur. Illa verò, quæ ad ſimplicem ſpectant iuriſdictionem, rectè exercebit Epiſcopus electus, quamvis conſecratus non ſit, Barboſ. *ibidem.* Cui differentiæ aliam, inſtituto noſtro pertinentem, adiungo, in ſuperiori doctrina fundatam; nimirùm facilius concedi ſolere, & adquiri Prælatis Inferioribus ſive præſcriptione, ſive privilegio, quæ ad ſimplicem iuriſdictionem ſpectant, quam ea, quę ad dignitatem Epiſcopalem pertinent ; & ratio eſt, quia hæc quædam Epiſcoporum privilegia, ſeu privata eorumdem Iura cenſentur, ex illo nimirùm, quod in ſuperiori poteſtate ordinis, & adminiſtrationis videntur radicata ; unde Canones eorum præſcriptionem non niſi ægrè admittunt; & Pontifices, quibus propoſitum eſt Epiſcoporum ius conſervare, *cap. pervenit* 39. 11. *q.* 1. ab huiuſmodi privilegijs plerumquè abſtinent, niſi magnæ iuſtæque cauſæ aliud afflagitent, ut fuſſius in hoc opere conſtabit.

69

70 Occurrit alia uſitatiſsima Iuris & poteſtatis Epiſcopalis diviſio in legem diœceſanam, & legem iuriſdictionis : At mirum, quanta inter Canoniſtas diviſio ac diſſenſio adeſt, tum circa ipſam diviſionem, tum circa illius explicationem, quarè in obſcuro involutoque articulo explorare duo opportet I. An huiuſmodi diviſio ſit de mente Canonum ? II. Quid in unoquoque diviſionis membro contineatur ?

71 Quoad I. Gloſſa *in can.* 1. 10. *q.* 1. *& in can. cum pro utilitate* 16. *q.* 1. hanc diviſionem probat, ut ex ipſis Canonibus hauſtam ; atque Honorius III. *in cap. dilectus de offic. Ordin.* eam expreſsè admiſsit ; ac deinde Innocentius IV. *in cap. veniens.* 1. *de verb. ſignif. in* 6. Ut mirandum non ſit communiter ab AA. hanc diſtinctionem doceri, & comprobari, & præter antiquos D. Gonzal. *ad d. cap. dilectus num.* 8. Lother. *d. lib.* 1. *q.* 21. *num.* 10. Cardin. Albit. *in ſua percelebri diſcept. de iuriſd. Cardin. in Eccleſ. ſuor. titulor. diſcept.* 2. *q.* 1. *num.* 38. ubi ait, quod illi, qui huic diviſioni ſe opponunt, & unam legem cum alia confundunt, nihil aliud faciunt, quam ſe opponere nedùm modernis, verùm etiam antiquis Canonibus, à quibus recedere nihil aliud eſt, quam per viam diſtortam incedere, *can.* 1. *& 2. diſt.* 3

72 Ex adverſo autèm Innocentius *in cap.* 1. *de ſtat. Monachor.* diviſionem hanc tanquam commentitiam reijcit, unicamque tantum legem diœceſanam admittit, ſub qua iuriſdictionalem legem comprehendit. Similiter Anton. de Butrio *in Conſil.* 19. quod incipit *in nomine Patris &c. quia hic agitur n.* 1. diviſionem hanc impugnat, ut quæ doctrinalis non ſit. Alij autem inexplicabilem dicunt, & quæ ſub certa regula comprehendi nequeat, ob Iurium in hac parte varietatem, ita Cardin. *in eod. cap. dilectus*, quia ſæpè in eis confunduntur, unaque pro altera ſumitur, uni referendo, quod ad aliam alibi dicitur pertinere, Hoſtienſ. *in eod. cap. dilectus ſub num.* 6. *verſ. quamvis autem.* Inter modernos Innocentius Cironius *in Paratit. ad lib.* 5. *Decretal. ad tit. de offic. Ordin.* ait diviſionem hanc & differentiam utriuſque legis novam eſſe & obſcuram. Tandem Franciſc. Florens *tom.* 2. *ad lib.* 1. *Decretal. tit.* 18. *de offic. Iud. Ordin. ad cap.* 18. §. 1. *& tom.* 2. *ad q.* 2.

q. 2. *cauſæ* 18. *de ſtat. Monach.* §. *in reliquis.* In eam acritèr invehitur diviſionem, quaſi à mente Canonum alienam, & quadringentis ab hinc annis adinventam à Ioanne Ugutione, ſeu Teutonico veteri Decreti Interprete *in notis ad can.* 1. 10. *q.* 1. cuius ſententia cum certatim ab omnibus reciperetur, factum eſt, ut error in ius evaderet, atque ita ex Pontificibus primus eam admiſit Honorius III. *in d. cap. dilectus.*

73 In hac opinionum diſcrepantia & varietate probabilius iudico in primis hanc diviſionem, licèt revera ineſſet contineturque in antiquis Canonibus, inuſitatam tamen fuiſſe; quod patet, nam ſi attentè inſpiciantur Canonicæ vetuſtæ ſanctiones, nullibi invenietur expreſſa diſtinctio inter has leges, ita ut diverſam Iuris Epiſcopalis partem unaquæque reſpectivè denoter; ſed frequenter illa lex diœceſana, quoties ſubiecta patiebatur materia univerſum Ius & poteſtatem Epiſcopi denotabat; ita ut hac lege iuriſdictio etiam comprehenderetur *cap. quod ſuper his* 9. *de mai. & obed. cap. auditis de præſcript. cap. vlt. de capell. Monach.* ubi Abbates & Sacerdotes lege diœceſana Epiſcopo ſubditi dicuntur, quod ibi omnes intelligunt de ſubiectione quoad iuriſdictionem. Unde lex diœceſana, (quæ ita dicitur, quia in univerſa Diœceſi Epiſcopi locum habet, nec ultra extenditur) idem importat ac aliæ phraſes, quibus Canones utuntur ad denotandam univerſam Epiſcopi poteſtatem, ut eſt ſubiectio & obedientia, quam dicit Pontifex *in cap.* 2. *de in integ. reſtit. cap.* 2. *de ſent. & re iud.* Ius aut poteſtas Diœceſani, ut *in cap.* 20. *& ſeq. de ſent. & in re iud.* ac tandem Ius Epiſcopale & iuriſdictio innumeris in locis. Quæ figura loquendi inſolens non eſt Sacris Canonibus, nam *in cap. Paſtoralis de offic. Ordin. Lex Metropolitana* dicitur, & *in l.* 16. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* privilegium Metropolitanum, ſive Patriarchichum, quibus verbis univerſum ius Metropolitani, aut Patriarchæ comprehenditur, ut notat Florens *loco cit.*

74 Ita ſanè eſt, & hucuſque conſentimus cum Innocentio, Cironio, & Florente, ut antiquis Canonibus inuſitatam hanc diviſionem dicamus; aſt neutiquam dicemus eam à mente Canonum alienam; ſed potius in ipſis contentam, ipſoſque huic diviſioni faciendæ ocaſionem dediſſe; nam cum occurrerent à ſæculo VI. aliqua privilegia, quæ hos illoſve Monachos ab Epiſcopi diœceſana lege partim liberarent, eos ſubducendo ab aliquibus oneribus Iuris Epiſcopalis, ſalvo tamen ipſorum Epiſcoporum iure in pertinentibus ad iuriſdictionem, ad quæ ſanè privilegia refertur Concilium Illerdenſe *cap.* 3. undè deſſumitur *d. can.* 1. 10. *q.* 1. *& can.* 34. 16. *q.* 1. hinc ocaſio ſe obtulit Interpretibus, ut legem quandam Diœceſanam ſpecialem inducerent, in qua comprehenderent omnia illa, quæ in huiuſmodi privilegijs conſueta erant concedi; & quia in eiſdem privilegijs notarunt illæſſam relinqui Epiſcopis eam partem, quæ ad iuriſdictionem ſpecialiter dictam pertinebat; hinc etiam aliud membrum diviſionis induxere, nimirùm legem iuriſdictionis. Itaque dum Ius Epiſcopale, ſeu lex diœceſana integra fuit Epiſcopis, Sacri Canones illius diviſionem non agnoverunt; at poſtquam privilegijs fuit diviſa, ac pars ab eis cæpit adimi, hæc diſtinctio in magno uſu eſſe cæpit: ita ut lex illa diœceſana generalis dividatur in legem diœceſanam ſpecialem, & legem iuriſdictionis; nec mirari quis debet, quod nomen generis ad ſpeciem contrahatur, frequentiſsimum enim eſt hoc in utroque iure. Manet ergo diviſionem hanc licèt antiquis Canonibus inuſitatam, doctrinalem eſſe, & neceſſariò

ſariò adinventam poſt introductum privilegiorum uſum. Quin ſi res exactè perpenditur nec novitatem aliam habet, quam quæ voces præſeferunt; reverà enim hæc d viſio eadem eſt cum duadus proximè præcedentibus, ut iam patebit. Undè nec Ugutioni ideò imputandus error, quod eam invenerit: Interpretis huiuſcè, aliorumque antiquorum error, dum de hoc agunt, aliò reſidet, quod nimirùm docent Monachos & Monaſteria iure communi in univerſum ab hac lege diœceſana ſpeciali fuiſſe relaxatos, quod ſanè falſum eſt, ut videbimus *infra in cap. 3. & 4.*

75 Ergo hac adinventa diviſione, ad commodiorem doctrinam, facilè fuit, ut apùd omnes invaleſceret, quodque eam receperit Honorius III. *in d. cap. dilectus de offic. Ordin.* poſteaque eam apertè inſinuarit Innocentius IV. *in cap. veniens de verb. ſignif.* Quibus ſtantibus ab ea iam recedere non licèt; pro qua etiam facit auctoritas S. Rotæ, quæ in his iuriſdictionalibus controverſijs conſuevit declarare ſubiectionem, vel exemptionem, *quoad utramque legem diœceſanam, & iuriſdictionalem.*

76 Succedit nunc ſecundum, quod ſupra diſquirendum propoſuimus; nimirùm, quid in unoquoque huius diviſionis membro contineatur. Et quidèm in hac re, ommiſſa explicatione, quam dedit Barboſa *in d. cap. 1. num. 15.* & alia, quam præſtat D. Gonzalez *in d. cap. dilectus num. 8.* frequentèr admitti ſolet explicatio, quam ponit Gloſſa 2. *in eod. cap. dilectus*, ubi legi diœceſanæ attribuit, quæ in recipiendo conſiſtunt *Cathedraticum, Synodaticum, quarta mortuariorum, & decimarum, Eulogiæ,* & aliæ penſitationes quæ vocantur *Angariæ.* Ad legem iuriſdictionis ea, aſſerit, ſpectare, quæ conſiſtunt in dando, veluti *datio Curæ animarum, dilectorum coerctio, ordinatio Eccleſiarum, & virginum, confectio Chriſmatis*, & generalitèr *omnium Sacramentorum & ordinum collatio.* Sed quamvis hæc Gloſſæ doctrina à pluribus conſectetur, nulla tamen apparet, qua ſuſtineatur, ratio, nec ipſa Gloſſa eam aſsignat: quo enim reſpectu & regula hæc diſtinctio inter ea, quæ in dando, & ea quæ in recipiendo conſiſtunt, poterit affirmari? Nullum ſanè in Canonibus huius differentiæ vel veſtigium detegitur.

77 Ergò ut, quod in re hac involuta ſatis probabilius exiſtimo, demonſtrem, illud in primis adverto hanc diſtinctionem in ſubſtantia effectuque coincidere, quin eamdem eſſe cum illa ſuprapoſita Iuris Epiſcopalis diviſione in ordinem, adminiſtrationem, & iuriſdictionem; eo tamen hæc diſtinctio ab illa differt, quod in hac, quæ ordinis & adminiſtrationis ſunt, uno diſtinctionis membro continentur. Similiter hæc diſtinctio à ſecunda reverà non niſi verbis differt, ita ut, quæ illic dicuntur eſſe dignitatis Epiſcopalis, hic legi diœceſanæ, & quæ ibidem dicuntur ſimplicis iuriſdictionis, hic legi iuriſdictionali attribuantur. Deindè, ut vitentur æquivoca, notandum eſt hæc verba *poteſtas, dignitas, imperium Ius, Iuriſdictio, & lex* aut latè aut ſtrictè accipi poſſe, quod plurimùm refert; nam ſi latè accipiantur, quod perſæpe fit, cum abſolutè pronuntiantur, tunc ea omnia idem important, genericam nimirùm & univerſam Epiſcopi poteſtatem: ſin verò ſtrictè accipiuntur, & in ſpecie, tunc cuiuſque propria ſignificatio erit ſpectanda; quo modo rectè fit, ut omnia illa verba quandoque generis in his diviſionibus obtineant locum, & inter ſe reciprocentur; quandòque ad ſpeciem contrahantur, & ad invicem opponantur, ut inter ſe diverſa.

78

79 His ergo prænotatis, diſtinctionem ita explico, ut in Epiſcopo, qui excellens quidam eſt in Eccleſia Magiſtratus

tratus cum ampliſsima poteſtate, duplex ſit conceptus diverſus, quo in huiuſmodi generica poteſtate exercenda operatur, undè duplex eiuſdem poteſtatis diverſa ſpecies reſultat. Incumbit enim Epiſcopo ex ipſo Paſtoris munere adminiſtratio, quæ eum adigit, ut iam diximus, ut immenſum laborem, curam & pervigilem ſollicitudinem impendat in Eccleſiam & plebem ſibi commiſſam, ac proinde in Sacramentorum adminiſtratione, & ordinatione Eccleſiarum. Aliundè conſideratur in Epiſcopo iuriſdictio cum mero & mixto imperio, ut ſubditos in officio contineat, eorumque cauſas diſquirat. Cum ergo Epiſcopum primo modo inſpicimus, appareret in eò conceptus Adminiſtratoris, ſeu Diœceſani præciſivè à iuriſdictione: cum verò illum ſecundo modo conſideramus, reſultat in eo conceptus Magiſtratus, quo, præciſivè ab adminiſtratione, continetur officium Ius dicentis cum mero & mixto imperio.

80 Iuxta hanc ergo conceptuum, ſeu reſpectuum differentiam inducta eſt diſtinctio & diviſio, de qua quærimus; ita ut poteſtas Epiſcopi univerſa dividatur in poteſtatem adminiſtrationis, & poteſtatem iuriſdictionis; hoc eſt in legem diœceſanam, & legem iuriſdictionis: Nam ſi verborum ſenſum ſpec-
81 tamus, *lex* in propoſito idem ſignificat ac ratio, reſpectus ſeu conceptus D. Gonzal. *in d. cap. dilectus num.* 8. ſive præceptum, ut *ex l.* 1. *&* 2. *ff. de legib.* putat Lother. *de re beneſic. lib.* 1. *q.* 21. *à num.* 20. Aut ſi mavis, quod proprius iudico, *lex* in præſenti idem ſignificat quod Ius, ſeu poteſtas, quo etiam ſenſu dicitur *lex Metropolitica* pro Iure Metropolitico, ut vidimus ſupra *ex cap. Paſtoralis de offic. Ordin.*

Quod autem lex Diœceſis dicatur una, & altera Iuriſdictionis, ita explicandum eſt, ut verbum *Diœceſis* non accipiatur hic pro territorio Epiſcopo aſsignato, prout communitèr uſurpatur, iuxta dicenda in *cap. ſeq.* Sed ſumatur in ſua naturali, primige-
82 niaque ſignificatione. Diœceſis enim Græca vox eſt, quæ adminiſtrationem procurationem, ſeu diſpenſationem ſignificat, quæ ut amplior, reſtrictiorve erat, variè apud Latinos, à Græcis accipientes, fuit uſurpata, nam & quandoque multarum Provinciarum adminiſtrationem denotabat, ut *in l. un. C. ut omn. Iud. l.* 3. *de collat. equor. in C. Theodos. l.* 34. *de naviculat. eor.* aliquandò verò in una Provincia, quia opus erat pluribus adminiſtratoribus ob eius amplitudinem, diviſæ erant adminiſtrationes, quæ Diœceſes dicebantur, ut apud Cicer. *lib.* 13. *Epiſt.* 67. ibi: *Ex Provincia mea Cilicienſi, cui ſcis tres Diœceſes Aſiaticas attributas fuiſſe.* conſentit in eamdem ſignificationem Petr. Gregor. *Syntagm. Iur. lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 3, Alciat. *diſpunct. lib.* 3. *cap.* 18. Undè in præſenti idem ſignificat lex diœceſana ac poteſtas, ſive ius adminiſtrationis inhærentis Epiſcopo, & diſtrictum ei aſsignatum complectentis. Alteram verò poteſtatem Iuriſdictionis dicimus,
83 ſed non profectò eo ſenſu, ut iuriſdictionem in ſpecie intelligamus, quæ ad poteſtatem iuris dicendi, ſeù dandi Iudicis reſtringitur, ut *in l. Imperator de iuriſd. omn. iud.* Duaren. *lib. diſp. anniverſ. cap.* 53. Menoch. *de iuriſd. cap.* 1. *in fin.* amplior ſanè in præſenti tribuitur ſignificatio, atque ita denotat iuriſdictionem in genere, iure proprio competentem in territorio cum mero & mixto imperio; quamobrem ſi ſtrictè ageretur, ſcribendum eſſet lex *iuriſditionis* ablata *C.* ut ſic differret, excederetque iuriſdictionem in ſpecie per verbum *ditionis*, ut ex *text. in l.* 2. *§. capta deinde Sardinia de orig. Iur. & l.* 2. *C. de libert. & eor. liber.* erudite advertit Menoch. *ubi ſupra.*

Explicita

84 Explicita hac diſtinctione ſuccedit, ut iura unicuique legi pertinentia recenſeamus, in qua quidem re, ſi præiactis hucuſque principijs ſtandum eſt, non poſſum non diſſentire à communi receptaque opinione, quæ, cum Gloſſa ſupra relata, affirmat Epiſcopalia Iura, quæ in dando conſiſtunt ad legem diœceſanam eſſe referenda; illa verò quæ in recipiendo, ſeu in paſsione dulci, ut aiunt, ad legem iuriſdictionis: præterquam enim quod inter eos, qui Gloſſæ doctrinam ſequuntur, in particularibus actibus recenſendis & referendis, non adhuc convenit; aliundè nec à Gloſſa, nec ab alio ratio traditur, qua huiuſmodi firmetur differentia. Quarè hac relicta ſententia, noviter teneo, ad legem Diœceſanam pertinere omnes illos actus, quos gerit Epiſcopus tamquam Supremus ſuæ Diœceſis adminiſtrator & Paſtor univerſalis; ſive illi actus in dando, ſive in recipiendo conſiſtant: atque ita ad hanc legem pertinent, quæcumque ad ordinem & ad adminiſtrationem Epiſcopi diximus ſupra ſpectare: Ad legem verò iuriſdictionis reliqui, qui ordinem, aut adminiſtrationem directè non tangunt, pertinebunt; ut ſupra diximus in prima diviſione tripartita.

85 Ut autem hæc noſtra firmetur ſententia, & illa Gloſſæ ſimul refellatur, hoc licebit conficere argumentum. Lex diœceſana, iuxta ſuperius dicta, idem importat ac poteſtas ſeù Ius Epiſcopi quatenùs eſt Supremus Adminiſtrator; ſed poteſtas Epiſcopi, ut Supremi Adminiſtratoris, non modò complectitur, ea quæ in recipiendo, ſed quæ in dando conſiſtunt. Ergo ad legem diœceſanam non debent præcisè referri ea, quæ verſantur in dando, ſed omnia quæcumque exequitur ut Adminiſtrator. Maior propoſitio patet ex dictis, illamque admittit Lother. *d. quæſt.* 21. qui Gloſſæ tenet ſententiam. Minor facilè probatur, quia docere ordinare, Sacramenta miniſtrare, & alia id genus, in dando abſdubiò conſiſtunt; & inficiari non poteſt, quod, in eis exercendis, Epiſcopus, ut Adminiſtrator operetur. Aliud autem argumentum, ut reor, concludentiſsimum, licet à poſteriori deſſumptum, hoc eſt. Dubio
86 vacat, privilegia & immunitates Monachis indultas ante ſæculum XI. à Summis Pontificibus, præſertim à S. Gregorio, eò tantùm reſpexiſſe, ut Monachos eorumque Eccleſias liberarent ab aliquibus oneribus legis diœceſanæ, non autem legis iuriſdictionis, quam Epiſcopis integram & illibatam, reliquerunt, ut latè *infra in cap.* 3. *&* 4. Nunc verò manifeſtum eſt, in prædictis privilegijs libertatem Monachis, & Monaſterijs indulgeri ab aliquibus oneribus, quæ non in recipiendo, & paſſione dulci, ſed etiam in dando conſiſtebant. Manet igitur contra opinionem Gloſſæ falſa diſtinctio inter ea iura, quæ in dando, quæque in recipiendo conſiſtunt. Minor argumenti patet, nam Abbatem eligere, Miſſam publicam celebrare, Cathedram in Monaſterijs collocare, & Monachos ordinare, ſunt iura, quæ de iure communi ad Epiſcopum ſpectant, & quæ, ut ad ſenſum patet, non in recipiendo, ſed in dando conſiſtunt, ab his ergo iuribus & oneribus ſubducuntur Monachi in privilegijs conceſsis à Summis Pontificibus à ſæculo V. & VI. ut conſtat *ex cap. Abbas cap. Abbatem el* 1. *&* 2. *cap. quam ſit neceſſarium cap. luminoſo* 18. *quæſt.* 2. Ubi ſtatuitur, ut ipſi Monachi & non Epiſcopi Abbatem ſibi eligant, nè Epiſcopus in Monaſteriorum Eccleſijs Cathedram collocet, aut Miſſam publicam celebret, niſi ipſorum fratrum intercedat voluntas, & denique nè Abbate invito Monachos ordinet.

87 Iam ergo ex dictis quiſque facilè ſibi ſtatuet, quæ iura reſpectivè ad

utram-

utramque legem pertineant, itaque ad legem diœceſanam referet, quæcumque ad ordinem ſpectant, ut ordinare, confirmare, conſecrare, benedicere, dedicare, & præſtationes, quæ ex his iuribus proveniunt; item quæ adminiſtrationem reſpiciunt & curam, ut ſunt prædicare, viſitare, Synodum indicere, & præſtationes ſeù emolumenta, quæ indè derivantur; & generalitèr quæcumque, ut diximus, exercet Epiſcopus, tanquam ſuæ Diœceſis Supremus Adminiſtrator & univerſalis Paſtor. Ad legem verò iuriſdictionis ſunt referenda reliqua iura, ut ſunt iudicare, excommunicare, & ſi quæ ſunt alia, quæ Epiſcopus exercet ex præciſo conceptu Magiſtratus.

88 Nec diſsimullamus obiectionem, quæ contra præiactam ſententiam fieri poteſt, ex eo nimirùm, quod ordinare, conſecrare, benedicere, &c. exerceri non poſſunt niſi in perſonas ſubiectas, ut conſiderat Abbas *in d. cap. dilectus ſub. num.* 4. *in ult. col. verſ. ad unum tamen adverte*, ac proindè, quatenùs applicantur rei ſubiectæ, eſſe iuriſdictionis. Et quoad Synodum illa ratio militat, quod, pro cogendis tam Sæcularibus, quam Regularibus ad Synodum, Epiſcopus procedit per viam cenſurarum *cap. his quod ſuper. 9. de maiorit. & obedi.* Ex quo efficitur, indictionem Synodi eſſe prorſus Iuriſdictionis, cum facultas excommunicandi non niſi iure Magiſtratus competat, *cap.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. Huic autem

89 difficultati brevitèr reſpondemus: aliud eſſe conſiderare hæc iura in ſe, & prout ſunt in origine, ſive in radice; aliud ea conſiderare in exercitio, & quoad exitum; ſi enim primo modo inſpiciuntur, prout hucuſque fecimus, loquendo de illis in abſtracto, certa eſt doctrina, & referri debent legi Diœceſanæ; ſi verò ſecundo modo conſiderantur inficiari nequit, eo in ſenſu aliquid iuriſdictionis admixtum habere; ſed adhuc principalitèr debent reputari legis diœceſanæ, quia hæc lex nobilior

90 acdignior eſt, & illa iuriſdictionis ſolùm intervenit in his actibus velùt auxilians, & deſerviens alteræ adminiſtrationis, & diœceſis, ut meritò in hoc caſu dicere poſsimus, hæc iura *magis eſſe legis diœceſanæ*, exemplo ſatis ſimili conſulti *in leg. iubere de iuriſd.* ibi: *Imperij magis*

91 *eſt*. Ac denique argumentum hoc retorqueri poteſt, nam Synodaticum Eulogiæ, & cæteræ præſtationes, ſuprà recenſitæ, non niſi à ſubiectis perſonis exiguntur; & deindè, ſi ſubditi ea præſtare detrectant, Epiſcopus Iuriſdictione utitur, ut eos ſolvere cogat, ut notum eſt; & tamen omnes indiſcriminatim aſſerunt, præſtationes has ad legem diœceſanam eſſe referendas. Igitur quia proùt in ſe ſunt, & in radice, & non quoàd exercitium, & exitum attenduntur.

92 Dividitur ergo Epiſcopi iuriſdictio in ordinariam, & delegatam. Primam DD. *propriam* vocant; atque ideò in iuribus frequentèr deſignatur Verbo *ſua*. Secundam *alienam*, vel *mandatam*. Ordinaria Epiſcoporum iu-

93 riſdictio eſt illa, quæ immediatè, & iure proprio, ideſt per conſequentias Dignitatis ex iure communi Epiſcopis perpetuò, & indiſtinctè competit in ſuis Diœceſibus; ut explicat Florens *ad lib.* 1. *Decretal. de offic. Ordin.* Molina *de iuſtit. & iur. tom.* 6. *diſp.* 24. *num.* 1. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 92. *num.* 6. *part.* 3. De hac iuriſdictione ſuperiora intelliguntur, atque ideò de altera videamus. Delegata iuriſdic-

94 tio eſt poteſtas, quam Epiſcopi non ex proprio munere, ſed excommiſsione mediata, vel immediata Sedis Apoſtolicæ exercent Pax Iordan. *elucubrat. volum.* 3. *lib.* 13. *num.* 6. Maranta *in prax. part.* 4. *diſt.* 5. De hac ergò iuriſdictione opportunè hic agemus propter

varias

varias multipliceſque delegationes, quę in decurſu huius operis apparebunt Epiſcopis factæ in cauſis exemptorum, quæ ſanè non eiuſdem roboris ſunt, & naturæ, ita ut eas diverſimodè conſiderare opporteat.

95 Delegationes has, quibus Sedes Apoſtolica Epiſcopos armavit ad varias cauſas, haud quaquam de novo eas in Eccleſia induxit Tridentina Synodus; præluxerunt enim antè eam in pluribus Canonibus. Solebant quippè Pontifices in illis negocijs, inquibus plenior, & efficacior exercenda erat poteſtas, de ſua plenitudine implere quidquid poteſtatis Epiſcopis minus adeſſe poterat, cummulum quemdam auctoritatis impertiendo, quo ordinaria Epiſcoporum auctoritas corroboraretur, ut varijs aductis exemplis eruditè probat Thomaſsin. *de veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 60. *à num.* 2. Fiebant etiam aliæ delegationes, in quibus nova tribuebatur auctoritas, qua aliàs carerent Epiſcopi, ut patet *in cap. ad abolendam de hæret.* ubi Lucius III. Epiſcopos Sedis Apoſtolicæ delegatos in cauſis fidei contra hæreticos, eorum ampliata iuriſdictione, conſtituit. Similitèr. Bonifatius VIII. *in cap. Periculoſo de ſtat. Regul.* Epiſcopos delegavit ad omnia iudicia, quæ ſpectarent ad Monaſteriorum exemptorum clauſuram.

96 Succeſsit Concilium Tridentinum, & ſimilitèr pluribus in locis poteſtati, & iuriſdictioni Epiſcoporum varias cauſas, præſertim exemptorum, commiſit, addita illa qualitate, & clauſula, ut *tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati procedant*, ut videre eſt *in ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 9. 10. 11. & 14. & *ſeſſ.* 2. *cap.* 2. & *ſeſſ.* 6. *de reform. cap.* 2. 3. & 4. & *in ſeſſ.* 7. *cap.* 6. 8. & 14. & *in ſeſſ.* 14. *cap.* 4. & *in ſeſſ.* 22. *cap.* 3. 5. 6. 8. & 10. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. & 9. Sed quia in aliquibus ex his locis nova auctoritas tribuitur Epiſcopis, quam aliàs numquàm habuerunt; in alijs verò ea præſtatur, quam iure communi obtinent, licèt ſopitam, aut ſuſpenſam privilegijs & exemptionibus: hinc intèr ſcribentes fuit orta dubitatio, an iuriſdictio, in prædictis ſanctionibus præſtita, ordinaria eſſet, vel delegata? Et conſequenter, an ut ordinarius, vel ut delegatus procedere deberet Epiſcopus; cuius dubij reſolutio plurimum intereſt, nam ex ea plures in hoc opere notandi promanant effectus. 97

Exagitarunt hanc quæſtionem plures magni nominis Interpretes; & licèt non defuerint ex antiquis (quos refert, & reijcit D. Salgado *de ſuplicat. ad Sanctiſſ. part.* 2. *cap.* 25. *à num.* 13.) qui virtute illius clauſulæ delegatoriæ moti iudicarunt, in illis Concilij locis non ordinariam ſed delegatam tribui iuriſdictionem; tamèn inveriori, receptiorique opinione, diſtinguendum eſt in hoc dubio: Nam aut Epiſcopis committitur nova auctoritas, & poteſtas; 98 quam anteà de iure communi non habebant; & tùnc iuriſdictio eis tributa non ordinaria, ſed delegata erit, Epiſcopuſque ut delegatus procedet. Aut verò Epiſcopis earum cauſarum cognitio demandatur, quæ anteà de iure communi ad eos indiſtinctè ſpectabat, ſed privilegijs exemptivis erat ſuſpenſa eorum iuriſdictio, (ut accidit in cauſis exemptorum, qui de iure communi Epiſcopis ſunt ſubiecti, ut *infra cap.* 3. videbimus) & tùnc perdictam commiſſionem cum illa clauſula, *tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati*, non cenſetur revocata, ſed excitata eorum ordinaria poteſtas, commiſsioque talis iuſus, non verò delegatio nuncupabitur, atque hanc ſententiam ex optimo text. *in cap. licet in corrigendis de offic. Ordinar.* tenent Cened. *in Collect. ad Decretal.* 157. *ſub num.* 1. & *quæſt. can.* 34. *num.* 7. Zerola *in prax. Epiſcopor. part.* 2. §. *viſitatio verſ.* 99

verſ. 3. *in fin.* Thomas Sanchez *in tract. de Matrimon. tom.* 3. *lib.* 8. *diſp.* 2. *ſub num.* 7. *&* 10. Barboſ. *in collect. ad cap. licèt in corrigendis de offic. Ordin. num.* 2. Molina *de iuſtit. & iur. tom.* 6. *tract.* 5. *diſput.* 24. *num.* 1. *verſ. quando verò.* Karg. *in pac. Religioſ. decade* 3. *cap.* 2. *num.* 102. Francès *in Paſtor. Regular. part.* 2. *q.* 10. *num.* 54. Fagnan. *in cap. quoniam num.* 7. *de offic. delegat.* & latè D. Salgado, qui plures refert *d. cap.* 25. *à num.* 16. Van-Eſpen. *in repagulo regul.* 10. *§.* 1. *cum ſeq.*

100 Eidem ſententiæ adhæſit S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi V. *part.* 3. *cap.* 11. ubi ſtatuit: *Vt ſi Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus ſententiam in his cauſis tulerit, in quibus ante Concilium Tridentinum tanquam ordinarius eadem iuriſdictione poteſtatevè uti poterat, non ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad Archiepiſcopum devolveretur appellatio.* Quod decretum manifeſtè indicat, Concilium Mediolanenſe pro certo habuiſſe, Epiſcopum in his cauſis non ut delegatum, ſed ut ordinarium procedere; aliàs enim non ad Metropolitanum, ſed ad ipſum Papam delegantem devolveretur appellatio *ex cap. ſuper quæſt. §. potuit de offic. deleg.* Hoc ipſum confirmat Sacra Congregatio *declarat.* 484. in hæc verba: *Si in viſitatione appellari contigerit ab Epiſcopo ſuffraganeo etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, prout Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. debet appellari ad Metropolitanum quoàd devolutivum, non quoàd ſuſpenſivum, prout ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de reform.* quam declarationem refet Cened. *d. quæſt.* 34. *num.* 4. Cochier. *de iuriſdict. Ordin. in exempt. part.* 2. *q.* 14. *num.* 4. D. Salgado *d. cap.* 25. *num.* 25. qui etiam refert aliam ſimilem declarationem ſuper *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reformat. numer.* 24.

101 Nec quominùs ita ſtatuamus, officit clauſula delegatoria in his cauſis, nam ſi attentè inſpicimus finem & mentem S. Concilij, ea de cauſa appoſitam videbimus, ut maiori auctoritate fiat illud, quod præcipit, & magis timeatur; non verò ut deroget iuriſdictioni ordinariæ, ut *ab argum. text. in leg.* 2. *§. meritò, & §. ſiquis à Principe nequid in loco publico.* Et ex declaratione expreſſa S. Congregationis tradunt Cened. *d. q.* 34. *num.* 7. *per tot.* Zerola *d. verſ.* 3. *in fin.* Atque in cauſis exemptorum, teſte Card. de Luca *de iuriſdictio. diſc.* 100. *num.* 13. Concilium Tridentinum & Apoſtolicæ conſtitutiones, dum moderantur exemptiones, terminum delegationis ideo adhibent, ut ſic verbalitèr ſatisfacti exempti, minus ægrè ferrent illam moderationem, quæ, ſpectato effectu, reverà dicenda eſt reſtitutio priſtinæ, & nativæ poteſtatis ordinarię, cui prius erant obnoxij.

102 Ut autem prædictorum fundamentum appareat, libet hic attexere narrationem hiſtoricam à Rota adductam in ſimili *in Firmana iuriſdiction.* 13. *Martij* 1702. *cor. Molines.* Litteris quippè traditum eſt, quod intendentibus diligenter Tridentini Patribus, abuſus extirpare exemptionum, & potiſſimùm in ea parte, quæ impediebat Paſtoribus liberam, & rectam ſuarum ovium gubernationem, inſurrexerint, acie facta, exempti inſtantes enixiſsimè, quominus eorum violarentur privilegia, maioreſque efferbuerint contentiones quàndo primo actum, & ſtatutum fuerat in congregationibus *Seſſionis quintæ* de inſtituenda lectione Sacræ Scripturæ non ſolum in Cathedralibus, ſed in Monaſterijs quoque Monachorum; proponentibus Patribus, operæ prætium eſſe, ut Epiſcopis committeretur ſuperintendentia, & poteſtas ad compellendos Abbates, qui talis decreti

executionem negligerent; opponentibus è contrà Monachis, per hanc poteſtatem Epiſcopis tradendam, violata remanere eorum privilegia; ad haſce autem ſedandas controverſias opportunum ſuggeſsit temperamentum Sebaſtianus Pighinus Sacræ Rotæ olim Auditor, & poſteà à Iulio III. inter S. R. E. Cardinales emeritè cooptatus, ut ea facultas demandaretur Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, exemplo eius, quod ſtatuerat Innocentius III. *in cap. irrefragabili 13. in §. cæterum de offic. Ordinar.* ubi conſiderans Pontifex, quod de Iure Archiepiſcopus iuriſdictionem in ſuos ſuffraganeos exercere non poſſet, ut ſancitur *in cap. Paſtoralis de offic. Ordinar.* illi attribuit iuriſdictionem delegatam, ad effectum procedendi in illo caſu contra Canonicos ſui ſuffraganei.

Arriſsit hæc cautela Patribus Concilij, dum in ſubſtantia ſine violatione privilegiorum eumdem favore Epiſcoporum producebat effectum, fuit proindè amplexata, & ad effectum deducta *in cap. 1. d. ſeſſ. 5.* in quo inſtituta fuit lectio Sacræ Scripturæ, & *in cap. 2.* ubi traditur Epiſcopis iuriſdictio in concionatores exemptos deinde paſsim adhibita in alijs Seſsionibus, in quibus congruum, & expediens apparuit moderari quoad effectum privilegia exemptionum, ut patet ex pluribus Capitibus Concilij, & refert Cardinalis Pallavicinus *in hiſtor. Sacr. Concil. Trident. lib. 18. cap. 10.* & latè etiam diſſerit Karg. *d. decad. 3. cap. 2. per tot.*

103 Cum itaque ex præmiſſa hiſtorica narratione liqueat Patres Tridentini communicaſſe Epiſcopis facultatem procedendi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, in illis caſibus, inquibus obſtabant exemptionum privilegia, ad finem illa præſervandi, dum Epiſcopus cognoſcens tanquam delegatus non cognoſcit nomine proprio, ſed tanquam gerens vices Papæ, cui exempti immediatè ſubijciuntur, ut ad propoſitum notat Fagnan. *in cap. gravè num. 57. de offic. Ordinar.* Neceſſarium conſequens eſt, ut in illis caſibus, inquibus Epiſcopi procedere poterant ante Concilium iuriſdictione ordinaria, ſine ullo obſtaculo exemptionum, utpotè eoſdem caſus non comprehendentium, per adiunctionem auctoritatis Apoſtolicæ, cenſendum non ſit, fuiſſe ſublatam poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam, eamque mutatam in delegatam; ſed talis poteſtas Apoſtolica data præſumitur, vel conditionalitèr, quatenùs occurreret obex recentiorum exemptionum; vel cumulativè, ut Epiſcopi maiori auctoritate exercere poſsint id, quod eis præcipitur, & ſubditi ſuperiorem, duplici gladio munitum, eò magis pertimeſcerent, ut *ex can. quis neſciat diſt. 11.* ibi: *Vt maiori auctoritate tuos inſtruas*, tenet Zerola, & Salgado *ſupra citat.* & expreſsimè Van-Eſpen *d. cap. 10. in repagulo.* ibi: *Per hanc delegationem nihil derogari auctoritati Epiſcoporum, ſi quæ ante hanc delegationem competierit Epiſcopis in exemptos, Concilium quippè Tridentinum admodum ſollicitum, ut quantum temporum accervitas ferret auctoritas Epiſcopalis multiplicibus privilegijs, ac prætenſis exemptionibus penè conculcata in priſtinum erigeretur, noluit eam per adiunctionem auctoritatis Pontificiæ diminuere, ſed potius roborare, & firmare.* De hac ipſa materia plura adijciam *in cap. 10. part. 2.*

***

*** ***

*** ***

***

CAP.

CAP. II.

Diœceseon diviſio & aſsignatio valde erat neceſſaria ad Concordiam Paſtoralem, atque hinc agitur, à quo, quando, & quomodò Diœceſes inſtitutæ & diviſæ fuerint, unde elijciuntur conſectaria.

SUMMA CAPITIS.

1 *Territorium Iudicibus præſcribere, maximè ad Concordiam conducit, atque ita omni iure ſive Sacro, ſive prophano cavetur.*

2 *Iuriſdictio exigit, ut ſubditi & locus Magiſtratibus determinentur.*

3 *Duplex eſt ſubiectum iuriſdictionis, locus, & perſonæ ſubditæ.*

4 *Origo huius vocis* Diœceſis, *cuius quinque acceptiones adducuntur.*

5 *Sicut ad hominum ſocietatem fovendam, dominia rerum Ius gentium diviſit, ita ad Eccleſiæ concordiam, Diœceſes ſunt partitæ.*

6 *Obijcitur, Epiſcopos Apoſtolis ſucceſsiſſe, qui univerſales fuerunt Epiſcopi in toto Orbe, abſque ullis limitibus.*

7 *Reſpondetur, Epiſcopos non propriè & univerſalitèr ſucceſsiſſe Apoſtolis.*

8 *Quiſnam fuerit auctor Diœceſium dividendarum.*

9 *Aliqui auctorem faciunt Dioniſium Papam.*

10 *Impugnatur hæc ſententia, & explicatur* cap. Eccleſias 13. q. 1.

11 *Alij diviſionem Diœceſium Conſtantino tribuunt.*

12 *Aliquorum de hac ſententia iudicium.*

13 *Tertia ſententia, referens diviſionem Diœceſium, & Prælatorum in ſuos gradus partitionem in D. Petrum & SS. Apoſtolos.*

14 *Sedium Epiſcopalium diviſio & præcellentia non eodem tempore ubique ſe explicuit.*

15 *Apoſtoli, ab uno Magiſtro edocti, unam eamdemque regulam in Eccleſiæ fundatione obſervarunt.*

16 *Eccleſiæ Hierarchia una & eadem à principio extitit.*

17 *Pace Eccleſiæ reddita ſub Conſtantino Eccleſiæ Hierarchia plenè formari cæpit.*

18 *Epiſcopatus creare, dividere, & unire ad Eccleſiam tantum pertinet.*

19 *Conſtantinum Diœceſes diviſiſſe poteſt dici executione attenta, & ita explicatur ſecunda ſententia, varijs congeſtis exemplis.*

20 *Poteſt etiam dici, quatenùs Conſtantinus, facta diviſione Imperij, Eccleſiaſticæ diviſioni ocaſionem dedit.*

21 *Græcorum ignavia & aſſentatio poteſtatem creandi & dividendi Epiſcopatus in Imperatores tranſtullit.*

22 *Quam formam Apoſtoli obſervarint in Diœceſium, Provinciarumque aſsignatione & diviſione.*

23 *Plures tenent Epiſcopatus fuiſſe diviſos iuxta Orbis civilem partitionem, & iuxta Vrbium temporalem ſplendorem.*

24 *Oſtenditur iuxta hanc ſententiam ordo in diviſione & prærogativa Sedium.*

25 *Abſurdum verò & riſibile eſt è ſæculi vaniſsimo ſplendore Sacras Dignitates honorem accipere, ſive exinde Eccleſiam normam deſſumere.*

26 *Primitiva Concilia & Pontifices alio longè sensu meminere temporalis Vrbium magnitudinis.*

27 *Civilis Orbis divisio nec perpetua, nec universalis regula, ut decebat, esse potuit.*

28 *Quæstio hæc circunspectissimè examinari meretur.*

29 *Prælatorum Hierarchici gradus divina Christi institutione nittuntur.*

30 *Christus Dominus in ipsa Collegij Apostolici forma, exemplar normamque dedit, ad Ecclesiæ Hierarchiam disponendam.*

31 *Petro supra cæteros Apostolos tributus Primatus, Patriarchis, Primatibus, & Metropolitis est velut radix & norma.*

32 *Ecclesiæ Romana, Alexandrina & Antiochena ab initio Patriarchales fuerunt, quia Petrus eas fundavit, & eius Sedes sunt.*

33 Prima regula: *ad discernendam Sedium prærogativam, ab honore & auctoritate fundatoris dessumi debet, quod demonstratur exemplis.*

34 *Hinc Græci Moderni Constantinopolitanæ Ecclesiæ fundatorem volunt D. Andream.*

35 *Galli Dionisium Areopagitam primum suæ Ecclesiæ fundatorem asserunt.*

36 *Hispani gloriamur, quod SS. Paulum & Iacobum Evangelici seminis satores Regnum nostrum habuerit.*

37 *Hispaniæ Ecclesiæ, quæ ad Primatum aspirarunt, S. Iacobum fundatorem ostentare studuerunt.*

38 *Opponitur superiori regulæ exemplum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quæ primum habuit Episcopum D. Iacobum fratrem Domini, & tamen serò ac difficulter ad Patriarchatum pervenit.*

39 *Solvitur obiectio, ex quo antiqua Hierosolyma fuit eversa, & nova intelligitur esse alia.*

40 Secunda regula: *ad Sedium præcellentiam vestigandam, ab ordine propagationis Evangelij petitur: & confirmatur exemplo trium Ecclesiarum Patriarchalium, & alijs exemplis in Gallia & Anglia.*

41 *Ecclesia Toletana in alias Hispaniæ veræ doctrinæ, puriorisque disciplinæ suis Concilijs fluenta transmisit.*

42 Tertia regula: *ubi Sedium origines seu propagines sunt confusæ, temporalis Vrbium splendor & maiestas est attendenda.*

43 *Qua de causa Apostoli eorumque discipuli maiores ad Vrbes commigrarint.*

44 *Civitatum splendor magis cæpit attendi, ex quo Imperatores Vrbes aliquas honore Ecclesiastico illustrari conarunt.*

45 *Constantinopolitanus Præsul, favore potius Principum, quam ratione, ad Patriarchatum fuit evectus.*

46 *Græci duo suadere studuerunt. I. Romanæ Ecclesiæ Primatum ab Vrbis in Orbem Imperio temporali provenire. II. Vrbium splendorem necessariò inferre Ecclesiasticum honorem & gradum.*

47 *Quid tentarint Græci in Cons. Constantinopolitano I. Et in Chalcedonensi contra assensum Romanorum Pontificum. Quid sub Iustiniano, & in Pseudosynodo Trullana.*

48 *Patriarchatus Constantinopolitanus confirmatur ab Innocentio III.*

49 *A verò deviant, qui Toletanos Antistites, in obtinendi Primatus ratione, cum Bizantinis comparant.*

50 *Notantur tres præcipuè inter eos differentiæ.*

51 *Toletanus Præsul, antequam Gothi in suam Vrbem Regium thronum transferrent, quin & citra hominum memoriam universæ Carthaginensis Provinciæ, extitit Metropolita.*

52 *Toletanum Primatum iustis initijs exortum, & in Hispaniæ Concilijs tributum, facile confirmarunt Romani pro tempore Pontifices, quod factum primùm apparet sæculo VII. Regnante Chindasvinte.*

53 *Toleto à Mauris erepta, antiquum Primatum Hispaniarum confirmavit Vrbanus II.*

54 *An Diœcesium divisio fuerit ab Ecclesiæ exordio universalis in toto Orbe?*

55 *Ratio dubitandi, quia Apostoli in toto Orbe prædicarunt, nec credibile est ipsos, imperatam sibi à Christo regulam, non implevisse.*

56 *Cursus Evangelicæ prædicationis fuit velocissimè confectus.*

De-

57 *Defenditur diviſionem Diœceſium non fuiſſe ab initio univerſalem in toto Orbe.*

58 *Satisfit rationi dubitandi, & expenduntur S. Scripturæ loci, prædicationem Apoſtolorum univerſalem arguentes.*

59 *Ex quo Apoſtoli in aliqua Orbis regione prædicarunt, non ſtatim efficitur inibi facta Diœceſium diviſio.*

60 *Evangelicæ prædicationis velox curſus Apoſtolos ubique remorari non patiebatur.*

61 *Apoſtoli plerumque ſuis committebant diſcipulis, ut inceptum ab eis opus perficerent & abſolverent.*

62 *Operi huic complendo valdopere obſtabant ſævientes perſecutiones.*

63 *Politia Eccleſiæ non actutum & è veſtigiò perpoliri potuit, ſed ut Reſpublica augebatur Chriſtiana, & iuxta propagationem Evangelij.*

64 *Primùm Nationi uni unus dabatur Epiſcopus.*

65 *Sedes Epiſcopales incertas & liberus in exordio Religionis Epiſcopi habebant.*

66 *Poſterioribus ſæculis idem propè modus uſitatus figendarum Epiſcopalium Sedium & Diœceſium.*

67 *Adducitur exemplum regionum Americarum.*

68 *Quonam tempore fuerint in Hiſpania partitæ Diœceſes?*

69 *Aliqui iudicant, S. Iacobum Hiſpaniæ Diœceſes & Provincias diviſiſſe.*

70 *Alij tenent, ſeptem Epiſcopos miſſos à D. Petro in Hiſpaniam, totius rei Eccleſiaſticæ deſpoſitionem dediſſe; quæ ſententia probatur.*

71 *Quas verò Eccleſias ipſi fundaverint, certò non apparet.*

72 *Sæculo II. conſtant abſdubiò, Epiſcopos certis Sedibus præfixos in Hiſpania fuiſſe.*

73 *Haud temerè affirmari poteſt, ſæculo IV. ineunte, Diœceſes in Hiſpania fuiſſe partitas.*

74 *Theodomirus & Receſvinthes aliquibus dividendis Diœceſibus operam dederunt.*

75 *Sub Vvamba Rege ſæculo VII. iterum diviſæ fuerunt generaliter Diœceſes.*

76 *Poſt Vvambæ diviſionem nulla alia diviſio generalis fuit facta, quamvis plurimum circa Epiſcopales aliquas Sedes variatum ſit.*

77 *Stabiliuntur aliquæ regulæ foro utiles.*

78 Prima regula: *fines temporalis territorij nihil commune habere cum finibus Eccleſiaſticis Diœceſium.*

79 *Hinc nihil profuit Hieroſolymitanis, iuriſdictionem temporalem in Magno Prioratu habere, ad vindicandam ſibi iuriſdictionem ſpiritualem in eodem territorio.*

80 Secunda regula: *fines Diœceſium & Parochiarum, de quibus conſtat præſcribi non poſſe.*

81 *Fines Diœceſium Iuris publici ſunt.*

82 *Iurgia & controverſias de finibus Ius maximè abhorret.*

83 *Exponitur* text. in capit. 1. & in capit. auditis de præſcript.

84 Tertia regula: *Epiſcopus in ſua Diœceſi habet fundatam intentionem, ut liberè poſſit exercere ſuam iuriſdictionem in omnia loca & perſonas.*

85 *Epiſcopus ad exercendam ſuam iuriſdictionem, probata ſituatione nulla alia probatione indiget.*

86 *In his controverſijs cum Prælatis Inferioribus ante omnia Epiſcopus probare debet ſituationem, ut eius bonum ius reſultet.*

87 *Ex hac iuris aſsiſtentia Epiſcopo concedi debet manutentio, etſi non probet poſſeſſionem.*

88 *Adepta poſſeſsione ſuæ Sedis, adquiritur Epiſcopo quaſi poſſeſsio quoad omnes actus in ſua Diœceſi; quod ſingulare eſt in hac materia.*

89 *Prælatus Inferior, ut excludat Epiſcopum probabit limitationem, vel claro exhibito privilegio, vel immemorabili per tres ſententias conformes comprobata.*

90 *Limitatio in dubio non præſumitur.*

91 *In his controverſijs locum non habet interdictum* uti poſsidetis.

INTER ea, quæ paſtorali Prælatorum concordiæ fovendæ & ſervandæ, deſſerviunt, illud maximè cenſendum, ut quiſque ſibi ſeiunctum ac ſeparatum territorium obtineat; fieri enim nequibat, ut rectè & quietè, prout opus eſt, Magiſtratus ſuo defungerentur munere, ſi promiſcuè & indiſtinctè omni in loco ſuum vellent exequi imperium: nam concurrentibus Iudicibus, mutuò ſibi obſtarent, atque hinc concertatio & confuſio proveniret. Meritò ergo tam Civilibus, quam Canonicis ſanctionibus huic rei proſpectum eſt, certis deſſignatis limitibus, intra quos cuiuſque Magiſtratus diſtrictus, & iuriſdictio contineretur, quoſque ultrà, iuriſdictionem protendere, liceret memini, ut videre eſt *in leg. extra territorium 20. de iuriſd. omn. Iud. & in leg. Pupillus 239. §. territorium de verb. ſignif.* & in iure Canonico *in cap. Eccleſias 13. q. 1.* ibi: *Et unicuique ius proprium habere ſtatuimus, ita videlicèt ut nullus alterius Parochiæ terminos aut ius invadat, ſed ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus.* At cum hi limites ſive termini ſæpè varijs de cauſis confundantur, nec ſatis vicinis conſtent, hinc frequentèr hac de re ebulliunt controverſiæ, quibus propriè litis nomen quadrat, nam ut dicitur *in cap. forus de verb. ſignif. Lis autem à contentione limitis prius nomen ſumpſit, de qua Virgilius: Limes erat poſitus, litem ut diſcerneret agris.* Iam ergo cum *in cap. præced.* ad removendas omnes inter Eccleſiæ Prælatos controverſias, Eccleſiaſtica iuriſdictio prout eſt in Magiſtratu ius dicente, ſive (ut in Scholis loqui amant) formalitèr & activè conſiderata maneat; nunc, eodem inſervientes propoſito, paſsivè ſeu ratione ſubiecti conſideranda venit: 2 Conſiſtere enim iuriſdictio nequit abſque ſubiecto, ad quod natura ſua relationem dicit; ita ſiquidem comparata ſunt relativa, ut viciſsim vel conſiſtant, vel pereant, *leg. fin. ff. de accept.* ideòque iuriſdictio amat præfigi in his vel illis perſonis, in hoc aut in illo loco, ut expreſsè docet Fagnan. *in cap. perniciosam num. 43. 53. & ſeq. de offi. Ordinar.* Card. Petra *tom. 2. ad conſtit. 3. Innocent. III. num. 36.* Et aliundè, ad vitandam confuſionem ſcire non ſufficit, quæ & qualis ſit cuiuſque poteſtas in ſe conſiderata, niſi deinde cognoſcamus, aſſignationem tum perſonarum, tum locorum; in quibus continetur ſubiectum iuriſdi&ionis duplex, iuxta doctrinam Iaſon. *in l. 1. num. 15. verſ. hoc magis placet de iuriſd. omn. iudic.* Ut eſt duplex, 3 in quo verſatur, ordinariæ iuriſdictionis ſubiectum, ita & eiuſdem ſubiecti ratione bifariam ſolet iuriſdictio reſtringi, ut puta certis perſonis, vel locis ademptis, & alteri Prælato addictis. De perſonis *in ſequenti Capite* agemus, reſtricto in præſenti ſermone quoad locum, in quo Epiſcopus iuriſdictionem exercet, quem *Diœceſim* dicimus.

Quamvis hæc vox græca *Diœceſis* 4 ex ſua nativa & primigenia ſignificatione adminiſtrationem ſeu gubernationem ſignificet, ut diximus *in cap. præcedent. num. 82.* tamen uſus eam accomodavit, ad denotandum locum ſeu diſtrictum, in quo, & intra quem hæc adminiſtratio exercetur; quo in ſenſu magnopere variatum eſt à Græcis & Latinis, ad quos ab illis vox ipſa eſt derivata, ita ut ipſius quinque occurrant paſsim ſignificationes, quas, ne in æquivoca incidamus, præſtat percurrere. I. pro omni illo Orbis tractu, ſeu climate, quod ad Patriarcham pertinet, ſic Innocentius *Epiſt. 18.* dixit, *Anthiochiam ſuper Diœceſim, non ſuper aliquam Provinciam eſſe conſtitutam.* II. pro multorum Provinciarum conſociatione, & unicæ

ad-

administratione, ut *in Novell.* 131. *& in can.* 2. *VI. Constant. Synodi.* III. & minus frequens, pro Provincia specialiter dicta, quæ Metropoli Civitati subest, sic Hincmar. *in Epist.* 2. *circa fin.* IV. apud Latinos præcipuè Africanos usitata valde, pro Vicis, Villulis, suis quæque Parochis subditis, & unius Episcopi ditioni attributis; quo in sensu totum Episcopale territorium non denotat, sed illius partes Oppida scilicèt Urbi Episcopali subiecta, unde frequentiùs pluralitèr, quam singularitèr enuntiatur: ita in Concil. Africano *capit.* 23. & Carthagin. III. *can.* 46. dicitur: *Audivimus constitutum, ut Diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi cum consensu eius, sub quo fuerunt constitutæ.* Diœceses istas vocamus nunc usitatius Parochias, ut *in can.* 17. Conc. Chalcedon. Sæpè enim in antiquis Canonibus Diœcesis pro Parochia accipitur, ut in Concil. Tolet. 12. *can.* 4. ibi: *Vt Diœcesis, quæ numquam habuit Episcopum non habeat.* Uti per contrarium Parochia pro Diœcesi usurpatur in *can.* 14. Concil. Nicæni, & in Vernens. *can.* 13. ibi: *De Episcopis vagantibus, qui Parochias non habent.* V. & ultima huius vocis crebrior, usitatiorque nunc notio denotat illam omnem ditionem, seu districtum uni Episcopo tributum, in quo & Urbs præcipua & alia Oppida cum suis Parochijs continentur, ut optimè docent Morin. *exercitat. Ecclesiast. lib.* 1. *exercit.* 11. *per tot.* Thomasin. *de vet. & nova discipl. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. *& cap.* 17. *num.* 3. Florens *ad cap.* 16. *de stat. Monach.* Unde Diœcesim in præsenti intelligimus illud universale corpus, complexivum plurium Oppidorum, unicuique Episcopo assignatum, ut in eo, & intra illud suam exerceat iurisdictionem, velut in proprio territorio, ut *in cap. unio* 10. *q.* 3. *cap. quicumque. cap. liceat* 16. *q.* 3. Hieronym. de Monte *de finib. regend. cap.* 12. D. Gonzal. *in cap. cum causam de probat. num.* 2. Card. Petra *d. tom.* 2. *ad constit. VI. Alexandri III.*

5 His præiactis, illud in primis tenendum est, Diœceseon assignationem & divisionem necessariò fuisse inductam, ad fovendam inter Episcopos concordiam; ut enim, ab ipso Mundi penè exordio, usus exegit, discerni gentes, regna condi, dominia distingui, & terminos agris præfigi, teste Consulto *in l. ex hoc iure* 5. *ff. de iust. & iur.* quia in cœco & communi rerum statu hominum societas & concordia stare nequibat *arg. leg. cum pater* 77. *§. dulcissimis de leg.* 2. *l. in re communi de servit. præd. urban.* Sic in Ecclesiæ regno, imminenti discordiæ malo, divisione & partitione fuit prospectum; licèt enim sanctissimis charitatis & fraternæ communionis regulis Christus hoc Ecclesiæ regnum fundaverit; hominibus tamen, cupiditatibus obnoxijs, erat compositum, unde haud mirum, si inter ipsa initia, illud iam exarserit dissidium: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi*, in quod insurgit Apostolus 1. *ad Corinth.* 1. Meritò ergo Ecclesia, cui cordi semper fuit, confusionem, perturbationem, atque omnem exinde controversiam inter Ministros Pastoresque suos aufferre, convenientissimum iudicavit, curam regiminis, sollicitudinemque Pastoralem, partitis Diœcesibus, inter Episcopos dividere; ideòque *singulis Pastoribus* (ut loquitur Cyprianus) *portio gregis fuit assignata, quam regat unusquisque & gubernet.* Præluxit enim olim hæc, pastoralis concordiæ instaurandæ, via inter Abraham & Loth, scriptura teste *in cap.* 13. *Genes.* Cum enim præpotentes essent, nec possent communitèr habitare, & hinc rixa inter utriusque pastores successerit, terræ divisionem ad pacem retinendam

Abra-

Abrahamus fratri ſuaſit : *Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & Paſtores meos, & Paſtores tuos ; fratres enim ſumus: ecce univerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro ; ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.*

6 Sed in hæc forſam obijciet aliquis ; Sanctiſsimos Apoſtolos, qui primi certè in Eccleſia fuere Epiſcopi, nullis limitibus concluſam ſuam iuriſdictionem habuiſſe, ſed eam in toto Orbe omnibus æqualem fuiſſe ; quippè à Domino, non ad certam Orbis partem, ſed in Mundum univerſum, miſsi fuerunt, ut docerent omnes gentes & prædicarent ubiquè ; & quamvis poſteà ſinguli ſingulas Orbis partes fuerint ſortiti, quia ubiquè prædicare non poterant, ſed in ea tantùm parte, in qua præſentes erant, non propterea limites aut termini ſortitione hac ſuæ poteſtati ſunt poſiti ; ſed adhuc remanſerunt Epiſcopi univerſales, ita ut unicus videretur Epiſcopatus per Mundum, cuius caput erat D. Petrus, quia eorum ordinatio fuit univerſalis, Van-Eſpen *in ius Eccleſ. part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 3. *à num.* 2. Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 10. *num.* 5. Nunc ergo, cum Epiſcopi Apoſtolis ſucceſsiſſent, *cap. in novo* 21. *diſt.* & ad illorum exemplar ſint conformandi, nullis etiam limitibus particularis territorij & Diœceſis eos, cingendos eſſe debere, videbatur.

7 Hoc ſanè argumentum, facillimè diſſolvitur, ex latè traditis circa hanc Epiſcoporum ſuceſsionem ; *in cap. præced. à num.* 13. unde etiam hic reponimus, Epiſcopos non abſolutè, & omninò Apoſtolis ſucceſsiſſe, ſed in quibuſdam tantùm : habent enim quædam Epiſcopi, quæ Apoſtoli habuerunt, ut eſt poteſtas ordinis immediatè à Chriſto tradita, & munus evangelizandi ; ſed alia ſunt, quæ Apoſtolorum ita fuere propria, & perſonalia, ut ad Epiſcopos tranſmiſſa non ſint, quia Apoſtolis inhærentia privilegia fuere, ut dignitas Apoſtolatus, donum linguarum, & miraculorum, poteſtas ſcribendi libros canonicos, & iuriſdictio univerſalis & illimitata, qua in quacumque orbis parte poterant, abſque alterius præiudicio, Sacramenta miniſtrare, ordinare Preſbyteros, Epiſcopoſque conſecrare ; cum enim ſoli Petro dictum fuiſſet, *Tu eſt Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, hinc ſola Petri ordinatio fuit perennis & tranſmiſsibilis, quatenus fuit univerſalis ; cæterorum verò Apoſtolorum ordinatio, quamvis univerſalis extiterit, tamen temporaria & perſonalis fuit, hoc in ſenſu ; unde licèt illis Epiſcopi ſucceſſerint, ut dicitur *in d. cap. in novo*, non tamen univerſalitèr, prout illi fuerant conſtituti, ſucceſſerunt ; ſed ſingularitèr, prout ſingulis ſingulæ aſsignantur Civitates ſeu Diœceſes, ut optimè explicat Exim. P. Suarez *in lib. de defenſ. Fid. Cathol. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 6. *& de fide diſput.* 10. *ſect.* 1. Lother. *de re benefic. d. q.* 10. *à num.* 5. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *à num.* 32.

8 At iam nobis duo occurrunt frequentèr apud AA. diſceptata, & ipſorum diſcordantibus ſententijs, involuta ſatis & difficillima : I. quis fuerit dividendarum Diœceſeon auctor ? II. qualis huiuſcè fuerit diviſionis ordo & proggreſſus ? Et quoad primum, fue-

9 runt aliqui, non contemnendi, Scriptores, qui autumarunt generalem hanc partitionem ac aſsignationem particularium Diœceſium initam, & ordinatam fuiſſe à S. Dionyſio Papa ſæculo III. ſub anno ſalutis 270. moti Epiſtola eiuſdem Dionyſij, Severo Epiſcopo conſcripta, & à Gratiano relata *in cap. Eccleſias ſingulas* 13. *q.* 1. huic opinioni ſubſcribunt Gloſſ. *in cap.* 1. *diſt.* 99. Ioan. Andreas, Abbas, & alij

Ca-

Canoniſtæ *in rubric. Extravag. de Paroch.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. d. tit.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. Carol. Anton. de Luca *ad Gratian. cap.* 212. *num.* 10. Card. de Luca *de iuriſd. diſc.* 1. *num.* 3. & hanc ſententiam ſæpiùs admiſsit Sacra Rota, ut *in deciſ.* 665. *num.* 18. *cor. Coccin. in Gerunden. iuriſdictionis ſuper bono iure* 13. *Iunij* 1692. §. *etteim cor. Molines, & in Hiſpallen. viſitationis* 30. *Aprilis* 1703. §. 13. *cor. eod.*

10 Verùm hanc ſententiam acriter meritòque impugnant Hiſtorici penè omnes, & plurimi Iuridici Scriptores; ſiquidem iuxta ſenſum eruditorum dicta Epiſtola eſt apocripha, falſoque tribuitur Dionyſio Pontifici, quæ putridis Iſidori Mercatoris mercibus debet annumerari, ut docuit Van-Eſpen *d. par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. *ſub n.* 1. & ſequitur Rota in Fulden. *Iuriſdictionis* 16. *Februarij* 1703. *verſ. non officiente cor. Molines*; unde infirmum ad adſtruendam Diœceſium diviſionem ex ea depromitur argumentum. Deinde, quia & ſi illius Epiſtolæ veritas admittatur, non adhuc tamen ex ea, bene perpenſa, concluditur, Dionyſium diviſsiſſe Diœceſes; ſed Parochias diſtinxiſſe, prout eiuſdem Epiſtolæ verba demonſtrant, quæ hæc ſunt: *Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus: Parochias & cœmenteria eis diviſimus: & unicuique ius proprium habere ſtatuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut ius invadat.* Quibus ex verbis neutiquam evincitur ulla à Dionyſio diviſio Diœceſium facta, ut ibidem notat Gloſſ. *verb. diviſimus*, & agnoſcunt Fagnan. *in cap. nullus de Paroch. n.* 15. & latè Hurtad. *de reſident. tom.* 1. *lib.* 1. *reſolut. n.* 3. & *ſeq.* ubi reijcit Barboſam contrarium aſſerentem, & plenius Roſa *de reſident. Epiſc. ſect.* 4. *n.* 18. Lother. *d. quæſt.* 10. *num.* 9. Rota *deciſ.* 651. *num.* 7. *in fin. part.* 4. *recent.* & noviſsimè Petra *ad d. conſt.* 6. *n.* 21.

11 Fuerunt alij AA. qui hanc Diœceſium diviſionem à Magno Conſtantino factam dicunt, adductis pro ſua opinione Scriptis cuiuſdam Arabi, Raſis nomine, proùt recitat Mariana *de reb. Hiſpan. lib.* 6. *cap.* 16. ex quibus depromitur, Conſtantinum eo tempore, quo Diœceſes diviſit, Metropoles etiam ac Provincias deſsignaſſe, deſcriptis finibus & terminis, ut ex quodam M. ſſ. Eccleſiæ Toletanæ conſtat apud D. Garciam de Loayſa *in notis ad Concil. Lucenſ.* Sed hanc opinionem
12 reijciunt Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. d. cap.* 7. *num.* 7. Lother. *de re benefic. d. q.* 10. *num.* 11. & ex Criticis Spondan. *ad annum* 675. *num.* 2. qui illam dicit commentum & ſomnium hominis Barbari & infidelis, cuius falſitatem ex eo deſſumit, quod plures in ſua partitione Eccleſias nominavit, quibus iam, vel ab Apoſtolis, vel ab eorum diſcipulis, fuerant Epiſcopi præfecti.

13 Sed ſuſpenſo pro nunc iudicio circa hanc opinionem, erit tertia, & ſane receptior, diviſionem hanc Diœceſium & Provinciarum, & generaliter diſtributionem illam territoriorũ & graduum, quibus Eccleſiaſtica Hierarchia conſtat in Divum Petrum, cæteroſque Apoſtolos eſſe referendam, ita ut non modo crearint Epiſcopos, ſed & Metropolitas, & Primates, ſeu Patriarchas, ut ex *cap. vrbes* 1. *& can. in illis* 2. *diſt.* 80. *& ex cap. Provinciæ diſt.* 99. tenent communiter DD. relati per Roderic. de Acuña *in d. cap. in illis num.* 5. Burſat. *conſil.* 126. *num.* 11. Roſa de reſid. *dict. ſect.* 4. *num.* 9. Hurt. *de reſid. tom.* 1. *lib.* 1. *d. reſolut.* 9. *num.* 3. & noviſsimè S. Rota *in d. Fuldenſi Iuriſdictionis* 16. *Februarjj* 1703. *verſ. reſiquidem.* Quorum ſententia verior mihi videtur, etſi enim hi AA. illam fundent incitatis Decreti capitibus, quæ, ut deſſumpta ex collectione Iſidoriana, ſuſpecta habentur,

adhuc

adhuc tamen alijs comprobatur fundamentis. Certum ſiquidem eſt Apoſtolos per univerſum Orbem diſperſos, poteſtate ipſis à Chriſto Domino tradita deſignaſſe Epiſcopos, & eiſdem diſtrictus & leges prefixiſſe quibus Eccleſiæ divina Monarchia fundaretur, iuxta modum ab ipſo Chriſto edoctum, dum, ut dicitur *Act.* 1. cum eis de regno Dei loqueretur: Nec iudicari abſque piaculo poteſt, primos illos Eccleſiæ fundatores regulam hanc convenientiſsimam aut ignoraſe, aut præterijſſe, ut latius expoſui *in public. Academic. Relect. de offic. Metropolitan. cap.* 3. *num.* 10.

14 Benè tamen verum eſt, quod cum hæc Diœceſium diviſio, & Prælatorum diſcretio propagationem Evangelij ſequeretur, & hæc, ut poſtea dicemus, non par fuerit in omnibus Orbis partibus, cum in alijs citiùs, in alijs ſeriùs lux veræ fidei claruerit; hinc illud provenit, quod hæc Diœceſeon diviſio non eodem tempore apparuerit in omnibus regionibus, nec ita clara & diſtincta ſedium præcellentia ubiquè innotuerit; aſt per hoc à præiacta ſententia recedendum non eſt; minuſque iudicare licebit, non eamdem in propo-

15 ſito regulam Apoſtolis fuiſſe, nam cum ab eodem Magiſtro, fuerint edocti, inter ſe diſcrepaſſe citra nefas iudicari nequit; ut hic accomodemus, quod Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo de quibuſdam, quæ ad diſciplinam pertinebant quæſtionibus, interroganti, reſpondit Sanct. Leo *in Epiſtol.* 81. *Cum Petrus*, inquit, *Apoſtolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Eccleſia in eius permaneat inſtitutis: nefas eſt credere, quod Sanctus Diſcipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Eccleſiam gubernavit, alijs regulis traditionum ſuarum decreta formaverit, cum ſine dubio de eodem fonte gratiæ unus ſpiritus fuerit, & diſcipuli, & Magiſtri.* Nec ſicubi hæc Sedium Epiſ-

16 copalium diviſio & gradus primùm longo poſt intervallo apparent, novum quid conſtitui aut introduci exiſtimes; Eccleſia enim eiuſque Hierarchia fuit eritque ſemper eadem, at non eadem tempora; cum enim perſecutiones ſæviebant, & ob eas Epiſcopi perſæpè latitabant, facile non fuit, ut in unum convenirent locum, & de Sacra perpolienda politia cogitarent, ut poſtea ſerenis temporibus cogitarunt, in quibus quod iam erat inſtitutum, ad effectum eſt deductum, quod bellè explicat Gerſon. *in tom.* 1. *pag.* 157. ubi loquens de gradibus Epiſcopalis dignitatis ita ait: *Fuerunt primitùs velut in quodam ſeminario vivifico poſiti in Eccleſia per Chriſtum, & poſtmodum creſcente Eccleſia, diſcretio talium magis innotuit, velut ſi ſtipes vineæ in folia, & flores, & ramos ſe explicuerit.*

17 Sic ergo, ceſſantibus perſecutionibus, & pace Eccleſiæ reddita ſub pijſsimo Imperatore Conſtantino, dilucida exactiſsimaque forma Eccleſiaſticæ Hierarchiæ dari cæpit, novarum ſedium erectione & Metropolitanis, Primatibus, ſeu Patriarchis conſtitutis, ut fidem facit eo tempore habita generalis Nicæna Synodus *can.* 4. 6. & 7. & optimè ad propoſitum *in dict. can.* 4. notat Chriſtianus Lupus, quod *ob aſſiduos perſecutionum motus plene non fuerat formata Eccleſiaſtica Hierarchia, neque erectæ Sedes Metropoliticæ, etenim per Hiſpanias & Africanas Provincias præſidebat ſenior Epiſcopus.* Per hæc etiam tempora habitum fuit in Hiſpania Concilium Illiberitanum; in cuius *can.* 58. apparet iam mentio facta Primæ ſedis & inferiorum; atque ut plures putant, Mariana teſte *in d. cap.* 16. Juſſu Magni Conſtantini in hoc Concilio Diœceſes fuerunt diviſæ, & Metropolitanis termini conſtituti.

18 Præfata nos ſenſim & ſine ſenſu perduxerunt, ut iam valeamus pro ba-

babile proferre iudicium circa ſententiam, quæ, Diœceſium & Provinciarum dividendarum, conſtantinum facit auctorem; cum enim exploratum ſit, poteſtatem creandi novos Epiſcopatus, eoſque dividendi, uniendi & transferendi, unicè tantùm penes Eccleſiam reſidere, ut probat Lother. *d. quæſt.* 10. *num.* 17. Hinc illa ſententia eo tantum
19 ſenſu procedere poteſt, ſi non iure, ſed executione attenta, Conſtantinum Diœceſes diviſiſſe dicatur, ita ut Eccleſiæ circa hoc primæ & præcipuæ partes fuerint, & quæ Pontifices & Epiſcopi ſacra auctoritate præfinirent, ipſe poſtmodùm Imperiali poteſtate expleret & roboraret, ut reverà accidit; nam cum illo imperante, Eccleſia formam ſuæ Hierarchiæ, ab ipſo Chriſto & Apoſtolis traditam, ſed non adhuc plenè ſtatutam, perficere curaret in præfatis Concilijs, ut Religioſiſsimus Princeps, plurimùm horum Conciliorum Sanctionibus opitulavit, ſua accomodata auctoritate, ut quæcumque in eis ad Eccleſiæ regimen & diſciplinam erant ſtatuta, exequerentur omnino; atque ita poteſt dici Diœceſes & Provincias diviſiſſe & aſsignaſe, quatenus præcedente decreto & auctoritate ſynodorum, diviſionem & aſsignationem fieri curavit; quod ut ſtatuam non mero ratiocinio ducor, ſed auctoritate ſolida, nam in M. SS. quæ aſſervantur Toleti, & in Regio Divi Laurentij Monaſterio in Eſcuriali, hæc leguntur: *Cæſar Conſtantinus Imperij ſui quarto anno, quum eſſet in Hiſpania, convocatis eius Epiſcopis, totam Provinciam in ſex Archiepiſcopatus partitus eſt.* Vide D. Garciam de Loayſa *Concil. Hiſpan. pag.* 131. Non ſecus ac de Vvamba Rege dicitur Epiſcopatus Hiſpaniæ diviſiſſe, cum ipſe tantùm, decretam ab Epiſcopis diviſionem, exequeretur, ut conſtat apud eumdem Loayſ. *pag.* 142. *Hæ ſunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub domin'o Gothorum, tam Archiepiſcopales, quam Epiſcopales: hæc igitur noſtra inſtitutio, quæ aſſenſu omniũ Archiepiſcoporũ & Epiſcoporum dictarum Sedium, facta eſt. Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Vvamba in Concilio Toletano, ubi omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi convenerunt, quæ ſubſcriptione omnium firmata ſunt. Quiriaco Toletano Archiepiſcopo & Primatiæ dignitate, & fide Catholica conſiſtente.* Ita etiam iudicandum, cum varia Chronica & priſci Hiſtorici inveniuntur, qui, plerumque executioni ſolùm attendentes, plurimùm in hac re Principibus ſæcularibus tribuunt; quorum conſenſus ideo ſæpè adijciebatur, quia eorum temporalis poteſtas & beneficentia ſæpiſsimè neceſſaria erat, ad propulſandos obices, & dotandas Eccleſias; ſic ergo in Chronico Hildeſeheimenſi apud Du-Cheſne *tom.* 3. *pag.* 517. invenitur, Othonem I. in Bohemia ſeptem creaſſe Epiſcopatus & Metropolitanum Pragæ adſignaſſe; aſt hoc coadunata Synodo, & Romani Pontificis licentia. Sic etiam, Eduardum Angliæ Regem ſeptem Epiſcopatus creaſſe, & duos antiquos in quinque novos ſcindiſſe, legitur apud Malmeſbur. *lib.* 2. *de Reg. Angl.* aſt hoc, Synodo etiam convocata, Formoſo Papa invitante & excitante, poſteaque à Sede Apoſtolica confirmatione obtenta, factum.

20 Quin, & alio ſenſu, attento nimirum frequenti effectu ſeu occaſionaliter, quandoque hæc ſedium Epiſcopalium diviſio aut translatio ad Principes ſæculares poteſt referri; nam cum in hac ſedium aſsignatione & diviſione, & ordo Civitatum & temporalis Imperij diviſio frequenter fuerit ſpectata, ut poſtea dicemus, hinc eſt quod Principes ſæculares, novis Provinciarum diviſionibus, ocaſionem dederunt, ut Eccleſia, quandoque eundem ordinem ſequendo, & novas ſedes creaverit, antiquas aliò tranſtullerit, aut nova hono-

pli-

ris prærogativa auxerit, quod multiplicibus exemplis poterat demonſtrari; quo in ſenſu, mirum non eſt, ſi quandoque apud Hiſtoricos, & alios Scriptores Provinciarum Eccleſiaſticarum diviſio & partitio Magno Conſtantino tribuitur; cum notiſsimum ſit, & ipſum Romani Imperij celebratiſimam feciſſe partitionem. Caveſis tamen, ut iuris quidquam in hoc Principibus Sæculi tribuas, quamvis enim Eccleſia plerumque eorum de hac re diſpoſitionem ſit amplexata, liberè tamen fecit, nec ſpirituale Eccleſiæ regimen temporalibus ſanctionibus protuit alterari, ut optimè admonet Nicolaus Papa *in cap. lege Imperatorum* 1. *diſt.* 10. ibi: *Nam quod ſciſcitaris, utrum diviſis Imperiali iudicio Provincijs, ut duo Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani debeant nominari: non viſum eſt ad mobilitatem neceſsitatum humanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas, duxerit Imperator.*

21 Benè tamen verum eſt, in hoc, ut in alijs capitibus, ad diſciplinam Eccleſiæ pertinentibus, ignaviam & aſſentationem Græcorum plurimam Imperatoribus tribuiſſe poteſtatem, ut patet ex Concil. Chalcedonenſi *can.* 6. ibi: *Si quælibet Civitas per auctoritatem Imperialem renovata eſt, aut ſi renovetur in poſterum civilibus, & publicis ordinationibus, etiam Eccleſiarum ſequatur ordinatio.* Idem repetitur in VI. Synodo Generali *cap.* 38. ſed latiùs ſe effudit Imperialis auctoritas in Concil. Chalcedonenſi *cap.* 12. ubi ab Imperatore Alexio Comeno ita eſt decretum: *Præſente Synodo, communique ſuffragio decernente, ut Imperatori permiſſum ſit, præſidentiæ thronum Eccleſijs largiri & tam Epiſcopatus, quam Archiepiſcopatus in Metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones in his faciundas, cæteraque rectè conſtituenda pro libitu ſuo diſponere citra ullum Canonis illius impedimentum.* Refert Balſamon apud Leunclavium *tom.* 1. *Iur. Oriental. lib.* 2. *pag.* 131. Idem profitetur Græcorum interpres Zonaras *in can.* 38. *Concil. in Trull.* ubi inquit: *Vt ſeu novæ Vrbi Epiſcopatus appellationem, ſeu Metropolitani faſtigij honorem Imperator indulſerit, eodem prorſus ordine ac iure Eccleſiaſticis quoque legibus habenda eſſe cenſeatur.* Expreſsiùs poteſtatem Imperatoris recenſet Balſamon *in can.* 16. *Concil. Carthaginenſis*: *Adijciunt*, inquit, *quod Imperator nec Canonibus nec legibus tenetur, & ideo eſt in eius poteſtate Epiſcopatus in Metropoles erigere, & à ſuis Metropolitanis alienare, & de novo Epiſcopos & Metropolitanos conſtituere, & iubere Epiſcopis in alienis Diœceſibus abſque ullo præiudicio ſacrificare præter ſententiam Epiſcoporum illius Regionis, & alia eiuſmodi Epiſcopalia iura exercendi.* Miranda ſanè hæc; ſed & illud magis ſtupendum, quod Concilia ipſa, ut ſuos Imperatores his facultatibus inveſtirent, nedum Epiſcopis, ſed & ipſis Concilijs hoc ius quodammodo abrogarunt, teſte eodem Balſam. *in can.* 60. *Concil. Carthaginen.* ibi: *Fieri Epiſcopos de novo in Parochijs ſine Regio mandato non permittitur, etiamſi millies conſenſerit, qui eam habet Epiſcopus: Synodicè enim conſtitutum eſt, ut nec ipſa magna Synodus ſine iuſſu Regio poſsit novare Epiſcopos.* Ultra ſanè proggredi Græcorum nequibat adulatio, quæ vel ex hoc extrema ipſis mala comportavit.

22 Illud cum maneat fixum, diviſionem partitionemque Dicœceſium ad Divum Petrum cæteroſque SS. Apoſtolos eſſe referendam; iuvat brevitèr inquirere, quam formam, quodve exemplar in territoriorum Provinciarumque partitione Apoſtoli fuerint ſequuti; nam notum eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, ab ipſo initio, aliquos præcelluiſſe Epiſcopos tum territorij amplitudine, tum ipſius, in qua Sedes figebatur, Civitatis præcipuo ſplendore;

con-

convenienter ſanè differentiæ dignitatum, quæ inter Epiſcopos ab initio fuit, de qua S. Leo *Epiſt.* 84. Et quidem in hac re pluribus placuit, antiquam Urbium, & Provinciarum diviſionem ante Chriſti adventum ab Ethnicis Principibus factam, ab Apoſtolis fuiſſe renovatam, & iuxta eam certos Diœceſibus conſtitutos limites, ita ut in diſtributione Orbis Eccleſiaſtici, pro regula Apoſtoli habuerint politicam civilemque diſpoſitionem, quæ per illas tempeſtates in Imperio Romano vigebat; quod eò congruentiùs factum putant, quò politia, leges, & inſtituta Romanorum, etſi Ethnicorum, maximè iuſtitiæ & rationi erant conſona: Tum quia expeditior, Spirituali Monarchiæ fundandæ, via erat, ſi quantùm fieri poſſet leges & regimen Eccleſiæ, & Sæculi, non diſcordarent, utpotè quæ eò facilius ſervarentur à Subditis Romani Imperij, quod tunc latiſsimè patebat; quam certè opinionem præ omnibus tuetur Archiepiſcopus Pariſienſis Petrus Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. cap.* 1. quem alij moderni eruditi ac Cretici ſequuntur; ex quorum iudicio propagines Epiſcopatuum, prærogativæ Sedium, amplitudo & dignitas Epiſcoporum non in alium fontem eſt reducenda, quam in Urbium maieſtatem, & Magiſtratuum, in illis degentium, honorem & amplitudinem.

23

24 Itaque, qui hanc ſententiam tenent, politiam Eccleſiæ cum illa ſæculi ita conformant, ut quemadmodum in Civili politia unus erat Imperator, univerſo Orbi præſidens, deinde Viri Conſulares, ſeu Præfecti Prætorio, qui diviſum Orbem in tractus interſe haberent; poſt hos Vicarij, quibus certa Natio ſeu Diœceſis, civilitèr & propriè dicta, ſubeſſet; rurſus Præſides, qui Provincias ſingulas moderarentur; ac tandem Magiſtratus, qui inferiores Civitates regerent; ita & in Eccleſiæ ordine & Regno unus eſt Summus Hierarcha Romanus Pontifex, qui univerſum Chriſtianum Orbem moderatur; hunc ſequuntur Maiores Patriarchæ, unuſquiſque certo Orbis tractui præpoſitus; deinde Primates uni Nationi præſidentes; ſuccedunt Metropolitani in Provincijs; ac tandem in reliquis Civitatibus inferioribus Epiſcopi, qui ſuam Parœciam, Diœceſim nunc dictam, moderantur, ita Morin. *exercitat. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 11. *in fin.* Atque hanc analogiam ſive proportionem proſequendo, aſſerunt, Primam Orbis Eccleſiam, caput cæterarum, Romæ fuiſſe fundatam, quia ibidem temporalis Imperij prima Sedes & Caput erat; deinde, quia Præfecti Prætorio Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ erant, ideo ab ipſo initio Eccleſias ibidem fundatas Patriarchatus honore claruiſſe: propterea etiam cum Diœceſis Africæ Metropolis Civilis eſſet Carthago, ubi Præfecti Vicarius reſidebat, ideo illic Primatem ab initio conſtitutum; atque ita pari ratione de Metropolitanis, & Epiſcopalibus Sedibus & Eccleſijs iudicant, in quod etiam inclinat Cabaſſut. *in Diatrib. de Provinc. Eccleſiaſt.*

25 Huic tamen opinioni, aliqui plenè aſſentire renuunt, haud exiguis rationibus; nam quis abſurdum non putabit, Eccleſiam, qua nihil firmius ac conſtantius fingi poteſt, rerum humanarum vicibus agi & volutari, & Imperia ac Reſpublicas ſuam in Sacra ac myſteria levitatem transfundere, ſpiritalique regimini normam præſtare; quaſi Deus non alia, quam hominum luce ſplendeat, & quam Pontificum ſuorum infulis maieſtatem Chriſtus impreſsit, eam à Sæculi, quam faſtidivit, opulentia & vaniſsimo ambitu coactus ſit mendicare? Ut per hæc verba diſſentit Lemaiſtre *de bon. &*

poſſeſsion. Eccleſ. lib. 2. cap. 13. verſ. Ideoque. Quamobrem obiurgans olim Gelaſius I. ambitionem Græcorum, de Conſtantinopolitanæ Sedis maieſtate ſuperbientium, riſibile iudicavit è ſæculari Civitatum ſplendore & faſtu prærogativam ſpiritualemque Sedium honorem ac Præſulum metiri ac derivare, *in Epiſt. ad Epiſcop. Dardan.* his verbis: *Riſimus quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Vrbis. Numquid apud Romanos Mediolanum, Syrmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperium? Numquid harum Vrbium Sacerdotes ultrà menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quidquam ſuis dignitatibus uſurparunt?*

26 Et ſanè, ſi ad ipſa initia reflectere libet, unde pura, nitidaque diſciplinæ ratio hauritur, animadverſione dignum occurrit, quod nec Concilia, nec Pontifices, ſæcularis Urbium magnitudinis mentionem umquam fecerunt, ut ex ea, tanquam regula, Eccleſiæ cuiuſlibet gradum & honorem inferrent; ſed ut inde quamdam congruentiæ deſſumerent rationem, ut nimirùm Chriſti Crux & humilitas ſplendidiùs coruſcaret, ubi plurimùm potuerat ſuperbia & impietas. Exemplo ſint illæ tres maximæ ab ipſo Eccleſiæ exordio Sedes Romana, Alexandrina, & Antiochena, quæ ut obſervat eruditus Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 1. cap. 7. num. 8. & 9.* in præexcelſum dignitatis apicem ſunt ſublimatæ, non quod Regiæ fuiſſent, ſive Romani in toto Orbe, ſive Græci Imperij in Ægypto & Syria Capita; ſed quod ad eas acceſſerit, eaſque fundaverit D. Petrus, ut monet Leo *in Epiſt. 54. 62.* ubi ait: *Alia eſt ratio divinarum, alia humanarum. Nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit ſtabilis erit ulla conſtructio.* Imperatoriæ potentiæ illud utique tribuitur rectè, ut Regiam, non ut Apoſtolicam poſsit efficere Sedem: *Non dedignetur*, proſequitur idem S. Leo, *Regiam Civitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem.* Ac tandem illud obſervatu digniſsi-

27 mum, primorum Eccleſiæ temporum ſimplicitati non congruere, ut vaniſsimus rerum terrenarum ſplendor in Eccleſiaſticis ordinationibus pro regula haberetur; nec credi par eſt, firmiſsimam Chriſtianæ politiæ normam innixam fuiſſe civili diſtributione, quæ ut volubili Principum in arbitrio conſiſtens, perpetua non erat, nec univerſalis inſuper, nam ut maximè extenderetur Romanorum ditio; extradubium tamen eſt quamplures Provincias iugum eorum reſpuiſſe, ut de Germania ex annalibus Cornel. Tacit. conſiderat in ſimili Rota *in Fulden. Iuriſdict. 16. Februarij 1703. verſ. non officiente cor. Molines.*

28 Is equidem eſt præſens articulus qui non niſi circunſpectiſsimè, & molli, ut aiunt, pollice, agendus veniat, ne quid minus honorificè de ſanctiſsimis dignitatibus dicamus, aut quidquam eis de antiquitate, illuſtrique origine & gloria detrahamus. Atque,

29 ut quod ſentio liberè dicam, illud memoria repetendum, quod ſupra cum Tertulliano monui, gradus hoſce Patriarchæ, Primatis, & Metropolitæ, licèt non ſtatim ſe explicuerint; divina Chriſti inſtitutione niti, licèt non immediata, ut *cap. præced.* diximus de ordine Epiſcopali, tamen mediata, & initiativa; nam ſi in ipſa initia oculos conijcimus, occurret, Chriſtum D. in ipſa Collegij Apoſtolici forma, luculentiſsimum hu-

30 ius ordinis exemplar dediſſe; nam inter Sanctiſsimos Apoſtolos ordine æquales, diſcretionem fecit poteſtatis & dignitatis, & omnibus Petrum præeſſe iuſsit, ut nobis oſtendit S. Leo *in ſæpius citata Epiſt. 84.* ibi: *Quoniam & inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium*

nium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret. Præformabat enim Christus totam Ecclesiæ suæ Hierarchiam, cùm illam in exordio, il-
31 liusque membra, hoc invicèm ordine & situ compingebat; atque ut Petrum alloquendo, primum supra omnes constituit Episcopum; ita hos præcedentiæ & dignitatis gradus velut in radice condidit & instituit: testis sit idem Leo ibidem: *De qua forma* (Collegij nimirùm Apostolici) *Episcoporum est orta distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis Provincijs singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia, & rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluereet, & nihil usquam à suo Capite desideret.* Hoc uno Petri exemplo & privilegio, quo suprà cæteros Apostolos evehitur, Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum illustris claresçit origo, & privilegia continentur, quæ in hoc uno sita sunt, quod præsint Episcopi alij alijs; undè omnes Episcoporum prærogativas & præcellentias, ceu radios à sole fonte luminis, ab hac prærogativa Petri ortum duxisse, docet Hincmar. *tom. 2. pag.* 402. ibi: *In illius Primatu ipse Beatus Petrus cunctorum onera portat, cuius principatus auctoritate Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus Sedem Romanam super omnes sublimavit, Alexandrinam decoravit, Antiochiam confirmavit, & per cæteras Provincias privilegia suis Ecclesijs conservari ac corroborari decrevit.* Ergo dùm Episcopi, ut alijs præsint, vel hanc divinam Petri imitantur potestatem, vel de illa participant, non ab humana institutione & arbitrio has profectas dignitates, quibus discernuntur, dicemus; sed ex divina institutione, ut mirè indicat Tertullian. *in cap. 20. de præscript. adverſ. hæres.* his verbis: *Omne genus ad originem suam censeatur necesse est: itaque tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.* Atque ita iudicarunt semper Latini Patres, & omnes, qui de spiritualibus Ecclesiasticisque rebus sanè & sincerè iudicant: quod non ita fecere Græci, qui studiosè, eoque fine, de quo infra, terrenas ac fæculentas origines Magistratibus Ecclesiasticis asignant, ut monet Thomasin. *d. libr. 1. cap. 14. num. 6.*

32 Ut uni Petro summa collata est divinitùs potestas & Primatus in Apostolos, ita & ab ipso hæc potestas, qua Episcopi alij alijs prę̣siderent, exundavit, & convenienter ab ipso hæc regula & Præsulum partitio sumpsit exordium; unde eę, quas ipse fundavit, Ecclesiæ, maximo conditoris splendore inter cæteras orbis ab exordio coruscant, ut apparet in Concilio Nicæno *Can. IV.* relato apud Gratianum *in cap. mos antiquus dist. 65.* ubi Romano, Alexandrino, & Antiocheno Episcopis, omnibus alijs longè præcellentior, tribuitur auctoritas & potestas; quod non alia ratione factum, nisi quia Petri Sedes insident, ut docet Hincmar. *d. tom. 2. pag. 432.* ibi: *Sedes Ecclesiarum, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ idcirco speciales Sedes dici, cùm plurimæ Sedes Apostolorum, sicut Iacobi Hierosolymæ, & Ioannis apud Ephesum, in qua sedit, & Thimotheus Pauli discipulus, & multæ aliæ principalium Civitatum; quoniam Sedes sunt, quin potius una Sedes sunt magni Petri Apostolorum Principis.* Ergo ad maiestatem splendoremque Ecclesiarum comparandum & vestigan-
33 dum, illam in primis, ut præcipuam, regulam observamus, ut honor auctoritasque conditoris sit spectanda; ita ut primæ habeantur Ecclesię, quas Apostolorum Princeps fundavit, ut sunt tres illæ nominatæ; deindè licèt non excelso adeò gradu, præcellenti tamen,

quas reliqui Apoſtoli in ſortitis ſibi Provincijs condiderunt, ac tandem illæ, quas eorum diſcipuli ipſorum monitis & præcepto fundarunt. Quam in rem conſentit Nicolaus I. *ad conſult. Bulgaror. cap.* 92. ita reſpondens : *Deſideratis noſſe quot ſint veraciter Patriarchæ? Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui Sedes Apoſtolicas per ſucceſsiones Pontificum obtinent, ideſt qui illis præſunt, quas Apoſtoli obtinuiſſe probantur.* Sic igitur Epheſino Epiſcopo Eccleſiaſticum videmus tributum Exarchatum, quia ut habetur ex Irenæo, quem refert Euſeb. *hiſtor. libr.* 3. *capit.* 23. Epheſina Eccleſia & Pauli condentis, & Ioannis regentis antiqua gloria fulget : *Sed & Epheſina Eccleſia, quæ à Paulo quidem fundata eſt, Ioannem verò uſque ad Trajani tempora habuit præſidentem; teſtis locupletiſsima eſt Apoſtolicæ traditionis.* Accedebat etiam ad huius Eccleſiæ honorem, quod idem Euſeb. *d. lib. cap.* 4. tradit, quod *Thimotheus Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopatum primus accepiſſe dicitur.*

34 Hæc cùm, ad Eccleſias illuſtrandas, ſolidiſsima via ſit, cuiuſque Nationis Scriptores magna aviditate ſollicitant, exordia Chriſtiani nominis ab aliquo ex Apoſtolis, vel eorum ſaltem diſcipulo ſuæ genti adſcribere. Certarunt utique Græci poſteriores, ut Nicephorus Conſtantinopolitanus *in Chronico*, Bizantinam Eccleſiam à S. Andrea fuiſſe fundatam, auguſtius ſolidiuſque, illo Imperialis gratiæ & honoris, fundamentum ad Patriarchatum meditantes; at hoc commentum Græcorum validè reiecit Agapetus Papa in Quinta Synodo *Act.* 2. Galliarum Eccleſiæ, & Regno
35 gloriam ſui AA. attribuunt, quòd Dionyſium Areopagitam D. Pauli diſcipulum primum Evangelici ſeminis ſatorem habuerint; verùm hic honor nec Gallicis ipſis Scriptoribus conſtat, ut patet ex doctiſsimis diſſertationibus, quas de hoc edidere : hinc Sirmondus, & Launoius : inde Andreas Sauſſæus, Menardus, & Samblancatus. Quòd ſi à Gallia in Hiſpaniam noſtram gra-
36 dum admovemus, maximè gloriamur, quod D. Paulus in eam venerit, in eaque prædicarit, ut eſt plurium probabiliſsima opinio, quam & exteri amplexantur homines, ut eſt Baron. 1. *tom. Annal. Eccleſ. anno Chriſti* 61. ubi reſpondet *ad text. in cap. Beatus* 22. *q.* 2. Similitèr AA. noſtri cum alijs conſtanter aſſerunt D. Iacobi in eam
37 adventum, Eccleſiaſticæque rei ab eo factam primam ordinationem : unde poſterioribus ſæculis, ſi quæ Eccleſia primum locum inter reliquas Hiſpaniæ ſibi adſumere voluit illud maximè ſtuduit, ut S. Iacobum, vel eiuſdem aliquem diſcipulum ſuum oſtentaret fundatorem; quod liquidis incontroverſis monumentis an aliqua ſit aſſequuta; aut quænam validioribus coniecturis in hoc utatur; aliorum iudicium eſtò : mihi ſanè in re obſcura ſatis placent, quæ pro Eccleſia Toletana eruditiſsimè congeſsit Nicaſ. Sevillano *in defenſ. Primat. Tolet. part.* 3. *cap. fin. per tot.* Cum ad inſtituti noſtri rationem illud ſatis ex dictis pateat, quàm infixum ſuerit omnium animis gloria conditoris, ut præcipuo fundamento, uti, ad maieſtatem Eccleſijs comparandam.

38 Aſt piaculare ſanè eſſet, ingentem hic diſsimulare obiectionem, quæ ab Eccleſia Hieroſolymitana ſubſultat; ſi enim regula, quam propoſuimus adeò ſolida via erat, ad aſſerendam Eccleſijs prærogativam; iniuria ſanè factum videtur, quod Epiſcopus Hieroſolymitanus longè poſt Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Conſtantinopolitanum ad Patriarchatum pervenerit, & inter ipſos extremum locum ocuparit, ut patet

in

in cap. renovantes 6. dist. 22. deſſumpto ex Quini-ſexta Synodo, cum notum ſit, & Epiphanius *hæreſi* 78. *num.* 7. aſſerat S. Iacobum Apoſtolum, qui *frater Domini* ſolet appellari, eius Urbis primum fuiſſe Epiſcopum: *Primus ille*, inquit, *Epiſcopalem Cathedram cæpit, cum ei ante cæteros omnes ſuum in terris thronum Dominus tradidiſſet.* Quin, ut refert Euſebius *lib.* 3. *hiſtor. cap.* 11. Apoſtoli poſt mortem Iacobi coierunt, & in eius locum Simeonem, carnis propinquitate Chriſto coniunctum, ſubrogarunt; ut mirum non ſit, quod Iuſtinus Imperator ad Hormiſdam Pontificem reſcripſerit, *quod Hieroſolymitanæ Eccleſiæ omnes favent, cum ſit mater Chriſtiani nominis, ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere. Poſt Epiſt.* 74. *Hormis.* Quæ cum ita ſint, non poteſt non videri permirum, quin & ſuperioribus contrarium, quod Iuvenali Epiſcopo Hieroſolymitano, ad Patriarchatum aſpiranti, Cyrillus Sanctiſsimus vir viriliter reſtitit, & Leo Pontifex accerbiſsimè illum reprehenſit in ſua *Epiſtol.* 62. ubi, relato Iuvenalis conatu, ita ait; *Quod Sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit indicavit, & ſollicita prece multùm popoſcit, ut nulla ſollicitis conatibus præberetur aſſenſio.*

39 Haud quidquam tamen hæc regulæ noſtræ officiunt, nam cum Hieroſolymitana Civitas, præſentia & Sede Iacobi decorata, à Romanis fuiſſet everſa tempore Veſpaſiani, & non niſi aliquantis poſt annis extructa & nominata *Ælia* ab Ælio Adriano Imperatore loco non eodem, quamvis vicino; hinc iam alia urbs, aliuſque Epiſcopatus videri cæpit, qui cum nomine & prærogativam ammiſsit. Itaque D. Hieronymus *in Epiſt. ad Theophil. contra error. Ioan. Hieroſolym.* hunc Epiſcopatum *Ælium territorium* vocat, & de illius Epiſcopo non ſine joco dicit, *Apoſtolicam Cathedram habere ſe jactans.* Pariter Concilium Nicænum *Can. VII.* eius loci Epiſcopum, *Æliæ Epiſcopum* nominat. Cum verò Conſtantinus, magnificis templis Chriſto conſtructis, novam quaſi ex ſuis cineribus excitaſſet Hieroſolymam, ex adverſo illius veteris celeberrimæ, quæ poſt nefariam Domini cædem, ultimam vaſtitatem experta eſt, teſte Euſeb. *in vita Conſtant. lib.* 3. *cap.* 33. Ex tunc Ælienſes Epiſcopi ad veteris urbis honorem & privilegia aſpirare cæperunt, & non niſi magnis difficultatibus ad Patriarchatum pervenere poſt Concilium Chalcedonenſe.

40 Si certò ac liquidò conſtarent, quas quiſque Apoſtolus fundaſſet, Eccleſiæ, non adeo rigidæ pro tempore inter Præſules de Sedium prerogativa & amplitudine controverſiæ exarſiſent; at quia ipſa antiquitatis caligo, ne hoc perſpiquè liqueat, efficit; ideo alia ſuccedit regula ſuperiori finitima, ut nimirùm, ad Sedium præcellentiam adſtruendam, ordo recepti & propagati Evangelij, & diſciplinæ ſpectetur; ita ut illa præcipuo honore habeatur Eccleſia, quæ veræ doctrinæ rivulos in alias tranſmiſſerit & derivarit. Primitivæ ſiquidem Eccleſiæ ab Apoſtolis, eorumve diſcipulis fundatæ Chriſtiano Imperio tunc exordienti, velut arces & Coloniæ quædam fuerunt, è quibus in Provincias Evangelium propagabatur; unde haud mirum, ſi hac de cauſa cæteræ Eccleſiæ Eccleſias illas Matrices, à quibus editæ profitebantur, ſummo honore colerent, & primas agnoſcerent. Quod & innuit *Can. Apoſt.* 33. dum ait: *Epiſcopos uniuſcuiuſque gentis noſſe opportet eum, qui in eis eſt primus & exiſtimatur ut caput.* Hinc Romana Eccleſia, à qua in univerſum Orbem lux, normaque rerum credendarum profluxit, omnium Eccleſiarum Primatum tenet:

hinc Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſijs ſuus ab initio Patriarchatus honor conſtitit : hinc Carthaginenſis Eccleſia , quamvis à nullo ex Apoſtolis fundata , in reliquas Africæ indubium ſemper Primatum obtinuit , quia ipſa primarius fons fuit , unde Africa prima hauſit fidei rudimenta , ut patet ex D. Auguſtino *Epiſt.* 162. Hac ergo regula, ad adſtruendum antiquum Primatum Arelatenſem, utuntur Epiſcopi Provinciæ in libello, ab ipſis oblato, Leoni Papæ , quem refert Sirmond. *tom.* 1. *Concilior. pag.* 89. *ſub anno* 450. his verbis: *Omnibus Gallicanis Regionibus notum eſt, ſed nec Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ habetur incognitum , quod prima intra Gallias Arelatenſis Civitas miſſum à Beatiſsimo Petro Apoſtolo Sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem , & exinde alijs paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & Religionis infuſſum , Priuſque alia loca ab hoc rivo fidei quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſſerunt , meruiſſe manifeſtum eſt Sacerdotes , quam Vienenſem Civitatem , quæ nunc impudenter ac notabiliter Primatus expoſcit honores.* Unde apparet eiuſce temporis Epiſcopos ignoraſſe Sedium amplitudinem ab Urbium maieſtate repetendam : namque non erant neſcij , Vienam Metropolim eſſe Vienenſium , Arelatem verò huic eſſe politica lege ſubiectam; proindeque fieri non poſſe , ut Primatus dignitas Vienæ negaretur , ſi modo conſtans eſſet Epiſcoporum gradus & prærogativas locorum dignitate metiendas.

Similiter in Anglia ordo dignitaſque Epiſcopatuum non ab alio fonte , quam ab ordine recepti Evangelij promanavit. Ettenim poſtquam Evangelici verbi facibus iterum illuſtrata eſt Anglia , Cantuariæ Primatus refulſit , quia illic Auguſtinus ad fidem prædicandam à Gregorio miſſus Sedem collocavit. Ex hac ipſa regula, inſuperhabita Civitatis amplidudine, Sancto Proculo Maſsilienſi Epiſcopo Primatus conſignatur in Concilio Taurinenſi in Eccleſias omnes ſecundæ Narbonenſis , quia ipſe eas primus inſtituit , & in illis Regionibus per diſcipulos fidem propagavit : dicitur enim in Synodo : *Id indicatum eſt à Sancta Synodo contemplatione pacis , atque concordiæ, ut non tam Civitati eius , quæ in altera Provincia ſita eſt , cuius magnitudinem penitus neſciremus, quam ipſi potiſsimum deferretur , ut tanquam pater filijs honore Primatus aſsiſteret.* Hinc non immeritò Scriptores aliqui Primatus honorem
41 Toletanæ Eccleſiæ indè conſignant, quod ex ipſa veluti ex fonte luminis, ſapientiæ lucem Spiritus Sanctus per totam Hiſpaniam effudit , cuius Eccleſiæ cæteræ, Toletana docente, compotes fierent ; quam in rem lucullentiſsimum Orbi teſtimonium præſtant repetita ac celebertima Concilia Toletana ; ad quæ cum adverteret eruditus Franciſ. Long. Corjolan. *in Breviar. Chronol. pag.* 189. ita ait : *Summo tamen honore ſuper omnes alias Hiſpaniarum Eccleſias ſemper habitam eſſe Toletanam frequentiora illic celebrata Concilia ſatis indicant.*

42 Aſt ubi de Sedium exordio nec de origine Eccleſiarum conſtat, quod frequenter accidit , ac proinde neſcitur , quæ Eccleſia ab alia originem trahat ; tunc iudicat Lemaiſtre *d. cap.* 13. *verſ. idem argumentum* , civilem politiam & diſtributionem eſſe attendendam , quam ſententiam ex animo amplector ; nam , ut illud maneat ratum, temporalem Urbium ſplendorem , Sedium honorem ſtatim non inferre , haud exiguum tamen ſuppeditat argumentum , quoties de exordio & origine non conſtat ; cum certum ſit , Apoſtolos
43 eorumque diſcipulos frequenter in magnis Urbibus conſtitiſſe , pluribus quidem de cauſis : tum quia ipſis erat propoſitum Reges , Principeſque in

eggre-

eggregijs Urbibus degentes adoriri, ut de his reportata victoria, reliquos faciliùs Christo lucrifacerent: tum quia in Metropolibus magnisque Civitatibus maxima erat populorum frequentia, & propterea commodior expeditiorque patebat via ad Evangelij propagationem in reliquas minores Civitates. Accedebat quod in magnis Civitatibus Evangelici Præcones faciliùs, quam in vicis, quoties erat necesse, latitabant.

44 Hoc argumentum à magnitudine civilique honore Civitatum petitum, maioris haberi cæpit postquam Imperatores posterioribus sæculis aliquod ius sibi in hoc adsumentes, quasdam Sedes nec Apostolicas, nec Matrices seu primitivas, in ordine Ecclesiastico sublimare, magnis connatibus studuerunt: quam in rem famosissimum exemplum Constantinopolitana Ecclesia
45 suppeditat, quæ nec alicuius Apostoli conditoris, nec Matricis gloria suffulta, cum tantùm esset Heraclienſis Provinciæ in Tracia Parœcia, *favore potius Principum, quam ratione Patriarcha Pontifex eius nominatur*, ut perpendit Nicolaus I. *ad consultation. Bulgaror. cap. 92.* Cumque Præsules Constantinopolitani hoc infirmo tantùm titulo nitterentur, nec illa Canonica ac propè divina fulcimenta, quæ Romano, Alexandrino, & Antiocheno, ipsis suffragarentur; hinc, ut cum eis æqualitatem affectarent, ipsi eorumque assentatores, duo omnium animis exculpi, optarunt. Primùm:
46 Romanæ Sedis maiestatem ab Urbis in Orbem antiquo Imperio, & à Principum beneficentia, præcipuè à fictitia Constantini donatione, promanasse: Secundùm: hanc civilem & temporalem Urbium præcellentiam ad Sedium prærogativam adstruendam ineluctabilem normam, firmissimamque esse regulam. Resedit ergo in Græcorum iudicio, Patriarchatum suum obfirmatum iri, si hæc duo starent, quibus potissimum eiusce prærogativa poterat stabiliri. Constantinopolis siquidem, Birantium ante adicta, à Constantino summè fuit nobilitata, cum in eam Sedem Imperij transtullit, & *Novæ Romæ* appellationem invexit: Hac ergo Sæcularis dignitatis accessione, & splendida appellatione elati Græci, statim Ecclesiæ suæ augmentum conari cæperunt, unde in Concilio Constantinopolitano I. *Canon.* 3. decreverunt, ut *Constantinopolitanus Episcopus habeat Primatus honorem post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma.* At cum Canonem hunc reprobasset Damasus Papa in Concilio Romano, nec illum in præiudicium antiquorum Patriarcharum Romana Ecclesia umquam receperit, ut constat ex Div. Gregorio *lib. 6. Epist.* 31. eumdem Græci conatum renovarunt, sexagessimum post annum, in Concilio Chalcedonensi, in quo fraude Anatolij & aliorum Episcoporum Orientalium, absentibusque Legatis Pontificijs, tres Canones adulterini, & obrreptitij fuerunt Concilio inserti; in quorum primo, ut honorem Primatus, in Constantinopolitano decretum, confirmarent, illud iactarunt, Romæ veteri privilegia concessa fuisse *eò quod Vrbs illa imperaret*; quasi inde petito honoris argumento & ratione, quam novæ æmulæque Romæ possent applicare; at infeliciter; solidioribus enim fundamentis, quam Sæculari Imperio Romanæ Ecclesiæ maiestas & Primatus stabat; nam ut ea fuisset ratio, quæ Petrum illexit ut Romam eligeret, non fuit in causa temporalis Urbis fastus & maiestas ex Imperio deducta; sed ut in maximè culta & frequenti Civitate fontem cælestis doctrinæ poneret, in omnes Orbis partes inde dimanaturæ: Ita sanè Leo Papa *in serm. in natal. Apostol. Petrus Princeps Apostolici ordinis*, inquit, *ad arcem Romani destinatur Imperij, ut lux veri-*
47

veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo Capite per totum Mundi corpus effunderet. Cuius autem Nationis homines in hac tunc Vrbe non eſſent, aut quæ uſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Tentarunt etiam Græci Conſtantinopolitano Canoni robur adijcere in hoc Chalcedonenſi, temporis tranſcurſi conquiſito præſidio; ſed eorum artibus occurrit idem Leo *in Epiſt.* 53. & 54. his verbis: *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſufragatur quorundam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas, annos facta ſubſcriptio, numquam à Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubijcere fulcimenta voluiſti.* Ergo in hunc Calcedonenſem Canonem reclamarunt Legati Pontificij, cauſati inter alia, quod Leonis monitorio, ipſis tradito, obviaret, in quo illud erat, quod *ſi qui forte Civitatum ſuarum ſplendore confiſi aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc, qua dignum eſt conſtantia, retundatis.* Vnde Leo, ſcriptis ad Epiſcopos Encyclicis litteris, ea ſolùm probavit Synodi decreta, quæ ad fidem ſpectarent, & Canonem illum irritum fecit *præcitatis Epiſtolis*, & in alia ad Anatolium, quæ *eſt* 51. Sed Græci haud deſtitere, unde poſteà Iuſtiniani Imperatoris prodivit *Novella* 131. Græcæ huic vanitati adſtipulans: at ecquid laica potuit poteſtas non alio fulcro ſubnixa, quàm Synodorum Canonibus reprobatis? Prioribus etiam Canonibus Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi ſimilem edidit Pſeudo Synodus Trullana, quæ *Quini-ſexta*, ſæpè dicitur, *in can.* 2. ſub alterolustiniano; at quis vigor in reprobato conventu? Atque ita ius Patriarcha-
48 tus Conſtantinopolitani plenè confirmatum non eſt uſque ad Innocentium III. qui unionis & concordiæ tuendæ cauſa, Imperatoribus Græcis gratificari conveniens iudicavit in Concilio Lateranenſi, relato *in cap. antiqua de privil.* ut tenet Cabaſſut. *in not. ad Concil. Conſtantinopol. I.* & P. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 20.

Hæc de Conſtantinopolitano Patriarchatu libuit recenſere, ut ijs, qui in hoc ſæcularem politiam, & temporalem Vrbium ſplendorem præcipuè ſpectant, pateat, quodnam Eccleſiæ circa hoc fuerit iudicium; & ſimul unde ſuæ regulæ firmitatem deſſumant, nam certè omnes illi, qui prædictam ſententiam ſequuntur, præiactis Canonibus ab Eccleſia reprobatis, obfirmantur. Maneat ergo honorem & amplitudinem Vrbium temporalem, non concludere neceſſariò Eccleſiaſticam præcellentiam; quamvis non debilem congruentiæ & veriſimilitudinis rationem ſuppeditet, quoties alia non refragantur, ut puta, cum de origine Eccleſiarum non conſtat, ac etiam cum alijs de recepto honore & gradu nihil detrahitur.

49 Quibus iactis, in honorem Toletanæ Sedis illud perpendo, nullas gratias Scriptoribus illis habendas, qui, in Hiſpaniarum Primatus obtinendi ratione, Toletanos Præſules cum Conſtantinopolitanis comparant, quaſi illis, ut his, non aliunde eximius honor acceſſerit, quàm à Principum favore, & Regiæ Vrbis ſplendore; firmioribus enim & iuſtioribus titulis Toletani ad Primatum, quàm Conſtantinopolitani pervenere: nam ut verum ſit, Gothis univerſam Hiſpaniam dominantibus, & Regiam Sedem Toleti transferentibus anno 577. magnum honoris incrementum huic Urbi acceſſiſſe; quippè Gothi, Romanorum potentiam, & maieſtatem æmulantes, Toletum eorum Aulam *Romam* appellarunt, ut conſtat in procemio legum Gothicarum Codicis, nobis *Fuerojuzgo*,

&

& ex Codice legum Sobrarbiæ ; in cuius nominis ſortiendi ratione , par Conſtantinopolis & Toleti fortuna extitit ; tamen inter utriuſque Civitatis
36 Eccleſias graves notandæque diſſimilitudines intercedunt. Prima : quod inter Orientales Eccleſias , quibuſcum Conſtantinopolitanæ concertatio fuit, quædam ab Apoſtolis erant fundatæ, cæteræ antiquiorem Bizantina oſtentabant originem , unde eis, attenta prima & ſecunda regula ſupra poſitis , Primatus & præcellentia congruebat : at
37 in Hiſpanienſibus Eccleſijs, etiamſi antiquiorem omniumque Matricem Toletanam non aſſeramus , nec validis coniecturis , quæ hoc ſuadent , utamur; nulla ſanè alia erit quæ ex adverſo poſsit antiquiorem originem liquidò demonſtrare , aut parem antiquitatem certò convincere ; caligo enim vetuſtatis , & documentorum inopia (quæ maxima eſt) omnes ex æquo comprehendit. Secunda diſsimillitudo : quod Præſules Conſtantinopolitani nonniſi ruina minorum Patriarcharum Epheſini , nimirùm , Heraclienſis , & Ceſarienſis , quorum indubitata erat præcellentia, pervenerunt ad novam & optatam dignitatem ; at in Præſulibus Hiſpaniæ nullus meritò quæri poterit , ob tributum Toletanæ Eccleſiæ Primatum, cùm ſuæ Eccleſiæ præreptum probare nequeat ; utut enim poſt renovatum ab Urbano II. Toletanum Primatum aliqui reclamarint, quin, & irritis argu-
38 mentis geſtierint , hunc honorem prenſare: Ecquis horum verò quibit aſſerere ius hoc incontroverſium tenuiſſe,& Toletanum ſibi applicaſſe , ut Bizantinus fecit ? Tertia & quidem præcipua diſſimillitudo : quod Bizantium , ante Conſtantini in eam cum Aula Imperiali tranſlationem , ſimplex tantùm erat Sedes Epiſcopalis Provinciæ Heraclienſis in Tracia Heraclienſi Metropolitæ ſubdita, ut conſtat ex Gelaſio
51 Papa *Epiſt.* 13. Toletum verò longè primùm quam Gothi thronum Regium inibi transferrent , iam Metropolis erat Eccleſiaſtica totius Provinciæ Carthaginenſis ; ſiquidem Leuvigildus primus RegiamSedem in Toletũ tranſtullit anno 577. Toleti verò Prę ſul Montanus anno 527. in Conc. Tolet. II. Metropolita agnoſcitur : hunc S. Ildephonſ. *de vir Illuſt.* Primæ Sedi Provinciæ Carthaginenſis locatum dicit ; & ipſe Montanus *Epiſt.* 1. aſſerit Metropolitæ munus ſuæ Sedi ab antiquo inhærere ; ut meritò citat. Nicaſ. Sevillano *d.* 2. *part. cap.* 7. *& ſeq.* aſſeruerit Præſulem Toletanum, citra hominum memoriam , univerſæ Provinciæ Carthaginenſis fuiſſe Metropolitanum ; ubi etiam mira eruditione ad evidentiam uſque oſtendit in Concilio Toletano anni 610. & in decreto Gundemari non aliquid novi iuris tributum Toletano Antiſtiti , ſed eius antiquam confirmari prærogativam.
52 Quibus ſtantibus , etſi non ab antiquo gauderent (ut certò gaudebant) Præſules Toletani iure Primatus , facile fuit, ut & ipſa Concilia Hiſpaniæ illud ius ipſis attribuerent , quod & poſteà Pontifices confirmarent ; quod ſaltem factum apparet Sæculo VII. cum poſt Concilium Toletanum VII. Chindaſuintes Rex fuffragia & placita Hiſpanorum Præſulum ſequutus , à Pontifice Summo efflagitavit , ut Primatus antiqua dignitas , quæ ſæpè ſuſpendi & velut intercipi ſolebat aliquibus delegationibus , quibus Sedes Apoſtolica vices ſuas alijs elargiebat Præſulibus, (ut Hiſpallenſi Sanctiſsimo Leandro) Toletanæ Sedi perpetuò inhæreret, ſervareturque illæſſa , ut teſtis eſt Rhoderic. *lib.* 2. *hiſtor. cap.* 21. his verbis: *Hic* , Chindaſuintes nimirùm , *à Romano Pontifice obtinuit privilegium , ut ſecundùm beneplacitum Pontificum Hiſpanorum Primatiæ dignitas eſſet Toleti ſicut fuerat ab antiquo.* A quo tempore certiſsima huius

huius Primatus in Hiſpaniæ Concilijs
53 apparent argumenta, quibus inhærentes Romani Pontifices, ſi quando opus fuit, confirmationibus ſuis illuſtrarunt, ut, à Mauris Toleto erepta, priſtino ſplendori quodam velut poſtliminio reſtituit Urbanus II. & qui huic ſucceſſere Petri Vicarij: Unde hoc uno ſaltem Toletani Antiſtites à Conſtantinopolitanis differunt, quod Toletani reliquorum noſtræ Nationis Epiſcoporum beneplacito, & Romanæ Sedis aſſenſu & gratia Primatum obtinuere; Conſtantinopolitani ex adverſo renuentibus Orientalis Eccleſiæ minoribus & maioribus Patriarchis, & Romanis Pontificibus reluctantibus, ad Patriarchatum conſcenderunt improbis illis artibus, quæ *num.* 47. detectæ manent.

54 Si cui plus iuſtò immoratus, aut quadantenus diſtractus ab meo videar inſtituto, æqui bonique conſultum habendum reor, ſi materiæ affinitas eò me conduxit, ut in re non iniucunda, & noſtris diebus valdè ab eruditis profligata, aliqua & ipſe obſervarem. Sed iam propoſitum noſtrum repetentes, illud inquirendum ſuccedit, an Diœceſium diviſio ita ab initio fuerit in univerſo Orbe ſtatuta, ut omnis locus ab initio ipſo fuerit ſub certò Epiſcopo conſtitutus? Et quidem pro parte affirmativa aliqua ſunt, quæ urgent; nam ſi vera ſunt, quæ ſupra ſtatuimus,
55 Apoſtolos nimirùm fuiſſe ſolicitos, ut iuxta Domini & Petri inſtructionem in ſortitis regionibus, Epiſcopos Sedibus ſuis præficerent eiſque diſtrictus aſſignarent; ad univerſalem Orbis in Diœceſes partitionem, ab ipſis factam ſuadendam, illud tantùm demonſtrandum reſtat, quod Apoſtoli ad omnes Orbis Provincias acceſſerint, illaſque luſtrarint; quod quidem clariſsimis evinci videtur argumentis: nam in primis conſtat Chriſti Domini præceptum, Apoſtolis iniunctum, ut Evangelium in omni loco, & omni creaturæ prædicarent, omneſque gentes docerent, ut habetur Lucæ 6. 10. & 24. Ioann. 20. Marc. 3. & 16. Matth. 10. 18. & 28. Act. Apoſtol. *cap.* 1. & refertur *in cap. in novo* 21. *diſt.* Apoſtolos autem huic præcepto plenè feciſſe ſatis, ex ipſa ſcriptura clareſcit, cum de eis D. Marcus *cap. ultim.* ita teſtetur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubiquè Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quod longè ante vaticinatus fuerat David *Pſalm.* 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*; quæ verba propter Apoſtolos fuiſſe dicta, probat Tertulian. *adverſ. Marcion. cap.* 43. ibi: *Siquidem & Apoſtolos mittens ad prædicandum univerſis Nationibus, in omnem terram exire ſonum eorum, & in terminos terræ voces eorum, Pſalmum adimplendo præcepit.* Et eſt in hanc rem apertiſsimum D. Pauli teſtimonium *in Epiſt. ad Roman. cap.* 10. *verſ.* 18. *& ad Colloſenſ. cap.* 1. *verſ.* 5. *&* 23.

56 Quodque mirabilius eſt, viginti, aut ad ſummum triginta annorum ſpatio Evangelij faces toti Orbi ſplenduerunt, ut tradit Chriſoſtom. *homil.* 76. *in Matth.* quem alij Patres ſequuntur, quos refert Maluenda *lib.* 3. *de Antichriſto cap.* 2. Velociſsimum ſanè fuiſſe Evangelicæ prædicationis curſum, bellè explicat Nicephor. *lib.* 2. *cap.* 8. his verbis: *Cæleſti, divinaque virtute, & præſidio, repentè, nulla morâ interpoſita, tamquam quodam Solis iubar ſalutare Dei Verbum, univerſum terrarum Orbem ſuo ſplendore colluſtraſſe, ſacrarum litterarum teſtimonio appoſitè reſpondens; in omnem terram ſonus divinorum Evangeliſtarum & Apoſtolorum exivit, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Nunc autem, ſi ex dictis habemus, Apoſtolos iuxta ſuum munus omnes Orbis partes peragraſſe, in eiſque prædi-

caſſe;

caſſe ; reliquum eſt , ut dicamus, Epiſcopos ubiquè inſtituiſſe , eiſque certas Diœceſes aſsignaſſe , ut ex eo tempore nullus locus extra Diœceſim remanſerit.

57 Sed tamen vero proximior ſententia eſt , diviſionem Diœceſium ab initio univerſalem in toto Orbe non fuiſſe ; nam in primis certum non eſt, Sanctiſsimos Apoſtolos omnes Mundi partes peragraſſe , nam ut ait D. Auguſtinus *Epiſt.* 78. *&* 80. ad Heſychium: *Sed qui putant hoc quod dicitur prædicabitur Evangelium Regni in univerſo Orbe; per ipſos Apoſtolos factum eſſe , non ita eſſe certis documentis probatum eſt ; ſunt enim apud nos , hoc eſt , in Africa , barbaræ innumerabiles gentes , in quibus nondum eſſe prædicatum Evangelium , quotidiè nobis addiſcere in promptu eſt.* Quod Auguſtinus teſtatur de Africa , id longè credibilius dici debet de regionibus Americanis , tempore Apoſtolorum incognitis , & Hiſpanorum virtute nuper ac primùm repertis , & Chriſto debellatis , uti mira diviteque eruditione oſtendit D. Ioann. de Solorzano *lib.* 1. *de iur. Indiar. cap.* 14. *à num.* 67. Ubi ex profeſſo rem hanc diſcutit,

58 argumentiſque occurrit , largo modo acceptis illis Sacræ Scripturæ locis, univerſalem prædicationem Apoſtolorum in univerſo Orbe demonſtrantibus; ita ut per hyperbole univerſus Mundus, & omnes gentes per Apoſtolos converſæ dicantur : vel per ſynedochen, abſoluta illa & generali enuntiatione ad partes contracta , ad illas nimirùm, quæ tunc cognitæ erant , & Romanorum Imperio & commercijs patebant, quæ integrum Orbem conficere credebantur *leg. in Orbe* 17. *de ſtat. homin.* Quo dicendi genere alibi Scriptura utitur , ut in *Luc.* 2. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto , ut deſcriberetur univerſus Orbis* , necnon *Act.* 2. & *Machab.* 1. Latiùs hoc proſequitur D. Solorzano *ubi ſupra.*

59 Nec adhuc in omnibus his partibus, ad quas Apoſtoli pervenerunt , ſtatim hæc diviſio Diœceſium ſtatui potuit, nam , ut verum ſit illos imperatam ſibi à D. Petro Sacræ politiæ formam exequi peroptaſſe , multa etiam fuerunt, quæ negotium faceſſerunt , ut erat inſtans ac velociſsimus Evangelij curſus, qui illos indeſinenti ac perpetuo motu rapiebat , iuxta illud propheticum Iſaiæ *cap.* 60. *Qui ſunt iſti , qui ut nu-*

60 *bes volant* ? Ac proindè alicubi eos remorari non patiebatur , ut teſtatur Euſeb. *lib.* 3. *hiſtor. cap.* 17. *Poſtquam,* inquit , *in remotis ac Barbaris Regionibus fidei fundamenta iecerunt , alioſque Paſtores conſtituerunt , ad alias gentes properabant.* Ergo in illis Regionibus , è quibus erat ipſis diſcedendum diſcipu-

61 los rectè inſtructos præficiebant , vel illos ablegabant ad illas provincias ad quas ipſi pervenire non poterant , ut ipſi opus perficerent , & Sacram politiam formandam ſuſciperent , ut cum Tito feciſſe , ipſe Paulus de ſe teſtatur, ad *Tit. cap.* 1. *Reliqui te Cretæ , ut conſtituas per Civitates Presbyteros , ſicut ego*

62 *diſpoſui tibi.* Sed his temporibus ſævientes perſecutiones plurimùm impediebant , ut Apoſtolici diſcipuli commiſſum ſibi opus perficerent : Nec res hæc ſtatim ab initio perfici potuit, cum

63 ea ſit cuiuſque ſive ſacræ , ſive civilis politiæ indoles , ut lentis quibuſdam incrementis invaleſcat , & tunc perpoliatur , cum Reſpublica augetur : Qui enim Epiſcopi poterant eſſe conſtituti, aut quænam partitæ Diœceſes in ijs Provincijs , quæ Chriſtianæ Religioni nondum erant ſubactæ ? Ergo paulatim & iuxta Evangelij propagationem

64 Diœceſium diviſio eſt inducta ; ita ut primùm Nationi uni unus daretur Epiſcopus , & prout fidelium numerus augebatur , ita & novi præficiebantur

65 Epiſcopi. Hinc etiam eveniebat , ut & cùm iam plures fuiſſent Nationi alicui

Epiſ-

Epiſcopi; incertæ tamen & veluti deſſultoriæ in ipſis primordijs eorum Epiſcopales Sedes eſſent, ut accidiſſe in Scotia teſtatur Cambden. *in Britan. anno* 683. ibi : *Scotorum Epiſcopi munia Epiſcopalia, quocumque fuerant loco, ſine diſcrimine obierunt, uſque ad Macolmi III. tempora, circa annum ſalutis milleſsimum ſeptuageſsimum.* Quamobrem ſæculorum ſucceſſu, ante præfixionem Epiſ-
66 coporum in illis Regionibus, in quibus ſemen Evangelicæ prædicationis, vel effundi non poterat, vel effuſſum non radicaverat, fuerunt ſæpè delegati Evangelizantes, inter quos plerumque ſimplices Monachi & Religioſi, quouſque tandem, aucto fidelium numero, ſtabiliti, & ſuperaucti fuerunt Epiſcopi veri Operarij; inſtitutis ac de novo erectis ibidem auctoritate Summi Pontificis Diœceſibus & Mettopolibus, ut de Hiſpania noſtra refert D. Gonzal. *in cap. cum cauſam de probat. lit. E.* & de Anglia conſtat *ex cap. fraternitatem fin. diſt.* 80. & *in vita S. Leonis* & de Germania tradit Francès *de Eccleſiaſt. Cathedr. cap.* 3. *num.* 149. viderique poteſt Thomaſin. *d. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 54. *num.* 1. Et noviſsimè tempore Ale-
67 xandri VI. in partibus Americanis, hoc ipſum videmus, in quarum plurimis nec adhuc eſt introducta diviſio Diœceſium, ſed ad ſummum in partibus Chinenſis Imperij adſunt aliqui iuxta opportunitatem Epiſcopi Regionarij, vel aliæ perſonæ Apoſtolicis indultis, & auctoritate munitæ ad exercendam ſpiritualem iuriſdictionem, quod ad propoſitum conſiderat S. Rota *in d. Fuldenſ. Iuriſdictionis 16. Februarij* 1703.

68 Avidè fortaſſe quis in præſentis ſcire cupiet quonam tempore Diœceſes in noſtra Hiſpania fuerint ſeparatæ? In quo fuit aliquorum iudicium
69 Beatum Iacobum Apoſtolum, Zebedei filium, Hiſpaniam omnem luſtrantem, Diœceſes diviſsiſſe, & Eccleſiaſticam Hierarchiam in ea diſpoſſuiſſe, cuius opinionis fuit Gil Perez *in Chron. num.* 5. quem ſequitur D. Didacus de Caſtejon *in Primat. Tolet. part.* 1. *cap.* 6. *per tot*: Sed hac opinione, ut genuino firmoque fundamento deſtituta, ommiſſa : Dicendum eſt, primam in Hiſpania Diœceſium parti-
70 tionem, ſicuti univerſæ rei Eccleſiaſticæ regimen & ordinationem, petendam eſſe ab illis ſeptem Epiſcopis, in eam, à D. Petro miſsis, ut teſtatur Gregorius VII. *in Epiſt. ad Alphonſ. & Sanct. tom.* 26. *Concil. pag.* 26. his verbis. *Septem Epiſcopos ab Vrbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ Populos à Petro & Paulo directos fuiſſe, qui deſtructa idolol-atria, Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, Ordines, & Officium in Divinis cultibus agendis oſtenderunt, & Eccleſias dedicavere, noſtra diligentia non ignorat.* Quæ Gregorij aſſertio optimè conſonat cum alia Innocentij I. *in Epiſt.* 1. *ad Decentium Eugubienſem Epiſcopum*, ubi ait : *Cum manifeſtum ſit in omnem Italiam, Galliam, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, nullum inſtituiſſe Eccleſias niſi eos, quos Venerabilis Petrus Apoſtolus, aut eius Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes.* Credibile profectò eſt ſeptem laudatos Apoſtolicos viros pro virili adlaboraſſe, ut iuxta Petri præceptum, regimen œconomiamque Hiſpanienſis Eccleſiæ diſponerent, & inter cætera novis etiam creatis Epiſcopis, Diœceſes diviſsiſſe, ut coniectatur Nicaſ. Sevillano *in defenſ. Primat. Tolet. part.* 3. *cap. fin. num.* 4. *& ſeq.* Sed
71 quas Eccleſias & Epiſcopatus fundaverint & diviſſerint, certò dici non poteſt, cum genuina illius primi Eccleſiæ ſæculi monumenta in Hiſpania non teneamus; verumtamen eſt ſe-
72 cundo iam ſæculo Hiſpanienſis Epiſcopos certæ Sedi & Eccleſiæ apparere præfixos, ut Sanctus Petrus Epiſ-

Episcopus Bracharensis in Concilio Bracharen. I. apud P. Labbè *tom.* 2. *fol.* 1508.

73 Ineunte verò sæculo IV. universam Ecclesiæ Hierarchiam in Hispania disposítam, & divisionem Diœcesium factam, tutissimè possumus affirmare, siquidem in Illyberitana Synodo, (quæ, ut est doctissimorum hominum opinio inter eosque Cardin. de Aguirre *tom.* 1. *Concil. Hispan.* celebrata est anno 303.) præcellentia & Primatus inter ipsas Episcopales Sedes agnoscitur, dicitur enim in Synodi *Can.* 58. *Placuit ubiquè, & maximè in eo loco, in quo prima Cathedra Episcopatus constituta est, ut interrogarentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant.* Ergo ex hoc Canone clarè constat, vel hoc tempore Hispaniæ Diœceses fuisse divisas; aut, quod verisimilius est, divisionem ab illis septem Primitivis Episcopis inceptam, & à Successoribus continuatam, absolutiori forma à Patribus Illyberitanis donatam: & hoc sensu accipi potest quod supra diximus, aliquos tenere in hac Synodo iussu Magni Constantini Diœceses fuisse divisas, Marian. *de reb. hispan. lib.* 6. *cap.* 16.

74 Sed cum ab hominibus ordinata, extremam adeò perfectionem numquam obtineant, ut ipsis vel addi superfluum, aut detrahi sit damnosum; mirum hinc non est si posterioribus sæculis, politioribusque temporibus, huic rei exactior accomodatiorque forma data est. Atque ideo sub Theodomiro Suevorum Rege anno 562. in Concilio Lucensi, reformata est divisio Diœcesium Provinciæ Gallœciæ; quodque singulare est, in eadem Provincia duo instituti Metropolitani; dicitur enim in Concilio: *Quia in tota Gallœciæ regione spaciosæ satis Diœceses à paucis Episcopis tenentur ::: Insuper tantæ Provinciæ unus tantùmmodo Metropolitanus Episcopus est &c. elegerunt in Synodo, ut Sedes Lucensis esset Metropolitana, sicut & Bracara ::: Etiam in ipso Concilio alias Sedes elegerunt, ubi Episcopi ordinarentur. Sicque post hæc pro unaquaque Cathedra Diœceses & Parochias diviserunt, ne inter Episcopos contentio aliquatenus fieret.* Sic etiam in Concilio Emeritensi anni 666. *in Can. VIII.* dicitur Recceswintum Regem, suggerente Oroncio Episcopo Emeritensi, terminos Provinciæ Lusitaniæ cum suis Episcopis, eorumque Parochijs, iuxta priorum Canonum formam restaurasse. Qui Canon notabilis est, iuncta Epistola Innocentij III. quam transcripsit Loaysa *in notis ad hoc Concil. Emeriten. fol.* 525. Ac tandem de hoc

75 ex integro actum est, & nova Diœcesium partitio facta sub Vvamba Rege anno 675. in Concilio Toletano XI. ut testatur Mariana *eod. lib.* 6. *cap.* 14. & 15. & constat ex M. SS. Ecclesiæ Toletanæ & Ovetensis, ubi habetur, quod cùm Rex videret discordes Pontifices, *eò quod alij aliorum Parochias invadebant, ad concordiam studuit revocare. Fecit & chronicas Regum priorum coram se legere: ut facilius posset terminos Parochiarum dividere, sicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris censura, & iura propria quælibet Ecclesia possideret.* Inibi etiam constat universam Gothorum ditionem divisam fuisse in sex Archiepiscopatus Toletanum, Tarraconensem, Hispallensem, Bracharensem, Emeritensem hodie Compostellanum, & Narbonensem, quæ divisio consonat cum alijs antiquioribus, quas refert Loaysa *in not. ad Concil. Lucense.* Illud

76 sanè in comperto est post Vvambæ divisionem nullam aliam generalem fuisse, quamvis varijs de causis vetusti aliqui Episcopatus extincti, alij noviter erecti, alij translati, alij uniti, alij ad metropoles evecti sæculorum decursu appareant, cum in hac sicut

cæteris in rebus temporum viciſſitudines ſuam potentiam exerceant ; in quas etiam mutationes maximè conſtrinxit diuturna Maurorum dominatio , quæ Hiſpanienſis Eccleſiæ ordinem atque politiam deſtruxit penè ac extinxit.

77 Hucuſque nec iniucundè nec ſine fructu plura non ſatis obvia , ut in Scholis verſantem decet , declaravimus ; nunc Forenſis partes ſuſcipiendo, quaſdam opportet ſtabilire regulas, quæ ex antedictis ſpontè ſua ac legitimè derivantur , quarumque in decurſu huius operis frequens erit mentio & uſus. Sit prima : Fines terminoſque Diœceſium nihil commune habere,
78 cum finibus , limitibuſque temporalis territorij & prophanæ ditionis ; nonumquam enim Diœceſis una intra diverſorum Principum ditiones ſe protendit ; quod pluribus poterat exemplis oſtendi , & abundè comprobat Hincmar. *in Epiſt. 2. ad Nicolaum Papam* , ubi ſic de ſua loquitur Diœceſi: *Non ſolum Diœceſis verum etiam Paræcia mea inter duo Regna ſub duobus Regibus habetur diviſa.* Quamobrem nullius ponderis eſt argumentum deſſumptum à territorio prophano ad concludendam ſituationem ſive conterminationem diſtrictus ſpiritualis Gloſſ. *verb. Diœceſis in Clem. ne Romani de elect.* Hieronym. de Monte , *de finib. regund. q. 75. num. 9.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 1. cap. 7. ſub num. 15.* Lother. *de re benefic. lib. 1. quæſt. 23. à num. 8.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 16. num. 23.* Cochier. *de iuriſd. in exempt. part. 5. quæſt. 26.* Card. de Luca *de iuriſd. diſc. 9. num. 8. & de Regul. diſc. 28. num. 4.*

79 Huiuſque regulæ ratione cum S. Hieroſolymitana Religio in rigida controverſia , de qua acturi ſumus magnopere extolleret in Sacra Rota , ad vindicandam ſpiritualem iuriſdictionem in Magno Prioratu Caſtellæ & Legionis , in eo iuriſdictionem temporalem ſibi conceſſam à potentiſſimo Philippo II. Rege : nullius momenti fundamentum hoc eſſe declaravit S. Rota *in deciſ. 70. part. 3. recent. num. 51.* his verbis : *Nec quidquam facit, quod Magnus Prior in locis Prioratus , per felicis recordationis Philippum II. donatis, dominium , & iuriſdictionem temporalem obtineat , ſiquidem illa nihil commune habet cum territorio & dominio ſpirituali.* Idemque repetitum habemus *in deciſ. 197. num. 2. part. 8. recent.* ibi : *Quia ex iuriſdictione temporali non rectè infertur ad iuriſdictionem ſpiritualem.* Et generaliter hanc regulam admiſit S. Rota in caſibus huic ſimilibus , ut videre eſt *in deciſ. 1422. num. 17. apud Seraphin. deciſ. 324. num. 10. part. 1. rec. deciſ. 483. num. 16. & 17. part. 14. deciſ. 340. à num. 18. part. 15. & in Gerund. Iuriſdict. 13. Iunij verſ. minus 1692. cor. Molines.*

80 Succedit ſecunda regula , quæ dictat fines Diœceſium & Parochiarum, de quibus conſtat præſcribi non poſſe *Cap. quicumque 4. cap. licet 5. 16. q. 5.*
81 quia fines Diœceſium cum iuris publici ſint , ex quo Eccleſiæ auctoritate præfixi ſunt , ut vidimus *ex cap. 1. diſt. 80. cap. 1. 13. quæſt. 1.* Concil. Trident. *ſeſſ. 14. de reformat. cap. 9. & ſeſſ. 24. cap. 13.* placuit Sacris Canonibus in Eccleſiaſticis limitibus præſcriptionem excludere , ſicut in prophanis illam non admiſit Ius Civile *leg. 7. §. 1. de peric. & comod. rei vend.* illuſtrat Cujac. *libr. 10. obſerv. cap. 2.* & D. Gonzal. *in cap. 9. de præſcript. num. 5.* & tradunt hanc regulam Barboſ. *d. ind. cap. 7. num. 10.* Parlador. *lib. 1. rer. quotidian. cap. 1. §. 17.* Hieronym. de Monte *de finib. regund. cap. 107. num. 2.* Cum
82 enim ius maximè abhorreat iurgia & contentiones circa confines , ut omnium longè pernicioſiſsimas , undique

eis

eis additum præcludere voluit, atque exinde finium adquisitionem per longi temporis usum inhibuit. Quod si ali-
83 quando alterius Diœcesis prædiorum, & in quibus fines sunt, admittitur præscriptio, ut *in cap.* 1. *cap. auditis. cap. ad aures de præscript.* neutiquam statutæ regulæ derogatur, quia tunc non præscribuntur prædia illa quatenus limites, aut termini sunt; sed tantùm quatenus sunt prædia; hoc ettenim modo desinit esse controversia de fine, & incidit tantùm controversia de loco, ut benè explicat D. Gonzalez *in d. cap.* 9. *num.* 5. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 131.

84 Tertia regula, quæ in hac materia principalissima est, & præsens semper debet cuique esse, dictat, quod Episcopus in sua Diœcesi fundatam habet intentionem, ut liberè possit exercere suam potestatem & spiritualem iurisdictionem in omnia loca & personas intra terminos suæ Diœcesis consistentes, *text. capitalis in cap. omnes Basilicæ* 16. *quæst.* 7. ubi ex Concil. Aurelianen. 1. *can.* 19. ita habetur: *Omnes Basilicæ quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidiè construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, ut in eius Episcopi potestate consistant, in cuius territorio positæ sunt.* Ergo ex hac regula quicumque
85 Episcopus velit, aliquas sibi vindicare Ecclesias locave alia, & in eis iurisdictionem exercere, illius loci aut Ecclesiæ in sua Diœcesi situationem probabit, ut vincat, quin alia probatione indigeat: sic Urbanus IV. *in cap. cum venerabilis de relig. domib.* dixit: *Quia igitur nobis constitit Ecclesiam supradictam constitutam esse in Diœcesi Sabinensi, Episcopale ius in omnibus spiritualibus eidem Episcopo adiudicavimus in eadem.* Urbani decisioni mirè consonat *text. in cap. de Xenodochijs, & cap. constitutus eod. tit. cap. cum contingat de for. compet. cap. cum olim* 19. *de censibus, cap. auditis* 15. *cap. cum olim* 18. *de præscript. cap. cum Episcopus de offic. Ordin. cap. cum personæ de privil. in* 6.

86 Principium ergo & fundamentum in his iurisdictionalibus controversijs pendet omninò à situatione prætensi loci, unde eam in primis probare debet Episcopus, ut probata, statim eius favore resultet bonum ius & iuris assistentia ad exercitium suæ iurisdictionis, tam de iure communi, per textus supra adductos, quàm ex S. Concil. Trident. *sess.* 7. *&* 21. *cap.* 8. *de reform.* Qua in re optima est decisio Sacræ Rotæ in Gerundensi, quæ *est la* 19. *num.* 4. *in addit. ad tit. de iurisd. Cardin. de Luca*, ubi ita habetur: *Ex qua situatione, quam ante omnia debet iustificare Episcopus pro exercenda sua iurisdictione, sequitur Episcopum Gerundensem habere fundatam intentionem ex assistentia iuris ad exercendam iurisdictionem Ecclesiasticam in omnibus Ecclesijs, ac locis, ac personis Vallis de Amerio tanquam sitis in sua Diœcesi.* Et hic est & fuit Sacræ Rotæ uniformis sensus, ut patefit ex infinitis decisionibus, quas brevitati consulens missas facio, præcipuè dum in controversia, qua de agitur inter Archiepiscopos Toletanos, & Magnos Priores Hierosolymitanos expresè hoc confirmetur *in d. decis.* 70. *num.* 18. ibi: *Iustificata ex his situatione, ac comprehensione Prioratus intra fines Archiepiscopatus consequitur D. Cardinalem Archiepiscopum habere intentionem fundatam ibidem exercendi omnimodam iurisdictionem.* Et prosequitur referendo plura iura, Rotæ decisiones, & AA. quibus iungendi sunt Fagnan. *in cap. cum dilectus num.* 14. *de relig. domib.* Post. *de manuten. observat.* 45. *num.* 6. Pignatell. *tom.* 2. *cons.* 26. *num.* 18. Card. de Luca *de iurisd. disc.* 1. *num.* 18. Antonell. *de loco legali libr.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 22. *numer.* 264.

87 Hæc autem iuris aſsiſtentia ex ſituatione reſultans, & favore Epiſcopi militans, illum præcipuum operatur effectum in his controverſijs cum Prælatis Inferioribus, (de controverſijs ſiquidem cum alio Epiſcopo in præſenti non agimus) ut ipſa ſola, abſque alia probatione, ſtante, concedi debeat Epiſcopo manutentio in iudicio poſſeſſorio, ut per *text. in cap. cum perſonæ de privil. in 6.* tenet Cardin. de Luca *de iuriſd. diſc. 2. num. 4.* Rota *deciſ. 156. num. 4. part. 1. recent. & deciſ. 501. num. 1. part. 2. recent.* Lother. *de re benefic. lib. 1. cap. 21. num. 1.* Roſa *de reſident. Epiſcopor. cap. 4. ſect. 6. num. 190.* Quod adeò procedit, ut

88 hæc manutentio Epiſcopo ſit concedenda, quamvis poſſeſsionem non probet, ut in hac controverſia dixit Rota *d. deciſ. 70. num. 19.* nam adepta poſſeſsione ſuæ Eccleſiæ ex omnimoda iuris aſsiſtentia, ei intelligitur adquiſita quaſi poſſeſsio quoad omnes actus indifferenter, ut in terminis Roſa *ubi ſupra* D. Præſes Covarruv. *variar. lib. 1. cap. 17. num. 7. & præcipuè practic. cap. 17. num. 9.* Fermoſin. *in cap. ſi diligenti 12. de for. compet. num. 24.* D. Salgad. *de reg. protect. part. 3. cap. 10. numer. 131.* Quod quidem ſpeciale eſt in his controverſijs iuriſdictionalibus, nam in alijs ob ſolam iuris aſsiſtentiam manutentio non conceditur, niſi accedat extrinſecus probatio quaſi poſſeſsionis iuris prætenſi, ut præter laudatos probat agens de hac Toletana controverſia Card. de Luca *d. diſc. 1. & diſc. 44. n. 99. de iuriſd.* & generalitèr Barboſ. *axiom. 197.* Mantica *deciſ. 251. num. 4.*

89 Ex adverſo verò onus Prælati Inferioris erit probare limitationem, ita ut, contra hanc iuris aſsiſtentiam faventem Epiſcopo, doceat de claro privilegio Papæ, quo loca controverſa, etiam ſi intra Diœceſim exiſtentia, à Diœceſi diſmembrentur, & ipſa ſeorſim conſiderata proprium faciant territorium, quod Prælati Inferioris ſit velut Diœceſis, ab illa Epiſcopi ſeparata Rota *cor. Celſo deciſ. 200. num. 2. & cor. Dunozet. Iun. deciſ. 101. num. 2.* Si verò huiuſmodi claro privilegio Prælatus Inferior deſtituatur, tunc ſuccedit, ut immemorabilis præſidio ſe protegat, quatenus ipſa ſub ſe comprehendit præſumptionem dicti privilegij, ſeu alterius melioris tituli de Mundo; ſed notandum eſt, quod ut ille, qui prædicto expreſſo privilegio eſt munitus, expeditam habet, ut obtineat, viam, exhibitionem nimirùm privilegij; ita, qui ad hunc præſumptum titulum immemorabilis confugit, laboriosam provinciam ſuſcipit, cum non liberetur ab Epiſcopi petitione, quouſque immemorabilem plenè probet; unde priuſquam per tres ſententias conformes confirmata fuerit, Epiſcopus manutenendus eſt, ut ex reſolutione S. Congregationis Concilij tradit Cardin. de Luca *de iuriſd. diſc. 3. num. 2.* D. Salgad.

90 *de ſuppl. ad Sanctiſ. cap. 16. num. 7.* & ratio eſt, quia limitatio in dubio non præſumitur, niſi probetur, ut in propoſito tradit Carol. Ant. de Luca *ad Gratian. cap. 620. num. 8.* Atque ex dictis etiam derivatur, quod in hac materia

91 Epiſcopo, pro ſe habente iuris aſsiſtentiam, nihil nocebit quoad manutentionem, quòd non poſsideat, & adverſarius poſſeſsionis præſidio muniatur; ſingulare ſiquidem eſt in hoc caſu, quod interdictum *uti poſſidentis* locum non habeat ob clariſsima Iura, favore Epiſcopi militantia, ut in terminis firmant ut regulam generalem & iuri ſubnixam Capic. Galeot. *lib. 2. controv. 53. n. 46.* Gutierr. *pract. lib. 3. q. 19. n. 11.* Merlin. *controv. lib. 1. cap. 13.* Capic. Latr. *deciſ. 77.* Valenz. *conſ. 43. n. 3.* Ric. *par. 1. deciſ. 213.* Scarfanton. *tom. 2. deciſ. 43. nu. 7.* Martha *de iuriſd. par. 2. cap. 5. per tot.* & generalitèr omnes de hoc agentes.

CAP.

CAP. III.

Ut ad Concordiam Pastoralem expediebat, quod Diœceses assignarentur Episcopis, ita eiusdem concordiæ ratio reposcit, ut personæ subditæ designentur; atque hinc agitur de indistincta potestate Episcopi in personas omnes suæ Diœcesis.

SUMMA CAPITIS.

1 *Vt confusio iurisdictionum, & controversiæ vitentur, subditi certò debent designari.*

2 Prælati *nomen non congruit subditos non habenti.*

3 *De personis Sæcularibus non est controversia, quare agitur de personis Regularibus.*

4 *Commendatur materia huius Capitis, & ipsius proponitur argumentum.*

5 *Quinam Monastici instituti primi Parentes sint ex D. Hieronymo.*

6 *Quinam Monasticæ vitæ regulas & incrementum dederint.*

7 *De primis in Hispania Monachis.*

8 *Monachi ab exordio Episcoporum omnimodæ potestati, & iurisdictioni fuerunt subiecti.*

9 *Episcopi potestas universalis in personas omnes suæ Diœcesis divina Christi institutione nittitur.*

10 *Ecclesiæ politia Acephalos abhorret.*

11 *Cùm Monachi non alia regula quàm Evangelio utebantur, nihil erat, quod eos ab Episcopis eximeret.*

12 *Posteriores Monasticæ Regulæ non detraxerunt Episcoporum potestati, immò illam firmavere.*

13 *Improbabilis iudicatur opinio referens exemptiones Regularium ad Ius divinum.*

14 *Monachi primitivi laici erant, & laicali non clericali disciplinæ subiecti.*

15 *Primi Monachatus Parentes, Monachos ordinari prohibuerunt.*

16 *Ambrosius & Hieronymus expressissimè separant institutum Monachorum ab instituto Clericorum.*

17 *Hinc promanabat. I. mira Monachorum in Clericos omnes observantia.*

18 *II. Monachos Parochis extitisse subiectos, ab ipsisque Sacramenta accepisse.*

19 *III. Monachos Episcopo Diœcesano, uti Parocho universali, obnoxios necessariò fuisse.*

20 *IV. His temporibus nullam fuisse controversiarum materiam, seu occasionem.*

21 *Strictissima fuit tunc concordia Monachos inter & Episcopos.*

22 *Episcopi plurima extruebant & substentabant Monasteria, Regulasque Monachis dabant.*

23 *In quo tunc versaretur concordia, ex Hieronymo depromitur.*

24 *Indubitata adeò erat nativa Episcoporum in Monachos potestas, ut scripta lege non indigeret.*

25 *Mutata primitiva Monachorum disciplina, opus fuit iurisdictionem Episcopalem consig-*

nare in Monachos nominatim *in Concilio Chalcedonenſi.*

26 *Pontifices & Concilia ſæpiſsimè Chalcedonenſem Canonem renovarunt particularibus in cauſis.*

27 *Similiter repetitur, ad conſignandam generalem Epiſcoporum poteſtatem in Abbates, Monachos & Monaſteria.*

28 *Spiritus Eccleſiæ unus ſemper fuit, ut Canonica Epiſcoporum poteſtas & auctoritas integra ſervaretur.*

29 *Epiſcopus de iure communi fundatam habet intentionem, ad exercendam ſuam iuriſdictionem in perſonas omnes ſuæ Diœceſis.*

30 *Diſquiritur quouſque Epiſcoporum poteſtas in Monachos integra & illæſa permanſerit?*

31 *Aliqui putant Monachorum exemptionibus initium datum fuiſſe à Sæculo Eccleſiæ VI. & hæc ſententia fundatur : contraria* num. 37.

32 *S. Gregorius amplam Monachis libertatem ab Epiſcopis conceſsit in Concilio Romano & pluribus privilegijs.*

33 *Faventiſsima in hoc ipſo fuere Concilia Africana.*

34 *Galliæ Concilia imitata fuerunt circa hoc illa Africæ.*

35 *Concilia Hiſpaniæ Gallicanorum Conciliorum diſpoſitionem amplexantur.*

36 *Concluditur à Sæculo VI. in univerſo ferè Occidente libertati Monachorum datam fuiſſe operam.*

37 *Proponitur vera ſententia : Monachos nimirum uſque ad Sæculum XI. ſub poteſtate Epiſcoporum fuiſſe, illoſque tantùm antea fuiſſe immunes factos ab aliquibus oneribus legis diœceſanæ.*

38 *Notantur aliqui abuſus quorumdam antiquorum Epiſcoporum.*

39 *Pervagatiſsimum tunc erat ſimoniæ vitium.*

40 *Epiſcopi & Clerici Monaſteria dura dominatione tractabant.*

41 *Plures erant penſitationes, quas Epiſcopi à Monaſterijs extorquebant.*

42 *Electionibus Abbatum, Monachorum ordinationibus, & functionibus Pontificalibus plurimùm officiebant Epiſcopi Monachorum politiæ & quieti.*

43 *Eccleſia maximè ſtuduit ut, his abuſibus extirpatis, Concordia antiqua inter Epiſcopos & Monachos reflorеſceret.*

44 *Sicut Monachi ſunt cohibendi ne Epiſcoporum iura turbent, ita Epiſcopi ſunt moderandi ne Monachos & Monaſteria opprimant.*

45 *In hunc finem plura conceſsa fuerunt privilegia primùm ab Epiſcopis & Regibus, deinde à SS. Pontificibus.*

46 *Hæc privilegia iuriſdictionem Epiſcoporum non percutiebant; ſed tantùm liberabant Monachos à quibuſdam legis diœceſanæ oneribus, quæ recenſentur.*

47 *Privilegia quæ vetant Epiſcopis aliquid pro Chriſmate, Oleo &c. accipere, hoc ipſo Epiſcoporum poteſtatem confirmant, nec ſunt propriè privilegia.*

48 *Privilegia, quæ liberant Monaſteria ab iniuſtis Epiſcoporum exactionibus, temperant, non minuunt eorum poteſtatem, nec illa eximunt à Canonicis præſtationibus.*

49 *Monachi ex privilegio Abbatem eligebant; at inſtituendus erat ab Epiſcopo.*

50 *Abbatibus in privilegijs adminiſtratio, & interius Monaſterij regimen donabatur; aſt Epiſcopo viſitatio & correctio permanebat.*

51 *Ex prædictis concluditur contra ſententiam propoſitam* num. 31.

52 *Solvuntur oppoſita* à num. 32.

53 *Romanum Concilium anni 601. ſub S. Gregorio fictitium dicitur à* Franc. Florente.

54 *Proponuntur argumenta falſitatis.*

55 *Etſi genuinum dicatur, nihil obſtat, quia tantùm liberat à quibuſdam oneribus legis diœceſanæ.*

56 *Nec aliò reſpexere quamplura à S. Gregorio conceſsa privilegia.*

57 *Alieniſsimus fuit S. Gregorius ab eximendis Monachis à iuriſdictione Epiſcoporum, in quam rem quædam eius affertur Epiſtola.*

58 *Vero ſenſu donantur Concilia & privilegia Africæ oppoſita* num 33.

Africæ

59 *Africæ privilegia non tam erant exemptiones, quam commutationes ſubiectionis.*

60 *In eis funditùs non excidebatur Epiſcopi Diœceſani poteſtas & iuriſdictio.*

61 *Non ita ampla iudicanda ſunt hæc privilegia, ut Thomaſinus iudicavit.*

62 *Quid ſingularius in his privilegijs fuerit.*

63 *Obiter & remiſsivè de Concilijs Gallicanis opoſitis* num. 34.

64 *Expenduntur Concilia Hiſpaniæ oppoſita* num. 35.

65 *Hiſpaniæ Epiſcopi id circa Monachos ſtatuerunt, quod Concilium Chalcedonenſe, & Concilia Gallicana decreverunt.*

66 *Sæculo VI. Monachi in Hiſpania omnino Epiſcopis erant ſubiecti.*

67 *Concilium Illerdenſe Epiſcoporum poteſtati non derogavit, ſed quamdam exceptionem induxit circa oblationes, Monaſterijs factas.*

68 *Epiſcopi Hiſpaniæ, ut ſemper fuerunt Monachorum amantiſsimi, eorum immunitates auxerunt in Concilijs Hiſpallenſi II. Toletano IV. & VII.*

69 *Concilia Hiſpaniæ eaſdem ferè immunitates Sæcularibus Clericis, & Eccleſijs conceſſerunt.*

70 *Huiuſmodi immunitates non tam minuebant quàm temperabant Epiſcopi poteſtatem in Monachos.*

71 *Conſtans adhuc Epiſcoporum poteſtas & iuriſdictio in Monachos oſtenditur ex quodam privilegio S. Æmiliani Sæculo XI.*

72 *Privilegia, in quibus Sedes Apoſt. Monaſteria ſuſcipit ſub ſua protectione, ab Epiſcopi iuriſdictione non eximunt.*

73 *Hæc privilegia reſpiciebant tuitionem temporalium, & electionem Abbatis abſque iactura Epiſcopalis iuriſdictionis.*

74 *Nec amplior immunitas conceditur, ſi in ſignum protectionis annuus cenſus exolvendus dicatur.*

75 *Clauſula*: In proprios & ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filios vos recipimus: *non eximit à iuriſdictione Epiſcopi.*

76 *Vis huius clauſulæ ea eſt, ut ij ad quos dirigitur non ab alio quam à Roman. Pontifice aut eius Legato à latere interdici aut excommunicari poſsint.*

77 *Dicta in hoc capite in ſummam rediguntur.*

78 *Quod Eccleſia Epiſcopalem poteſtatem in Monachos nunc integram, nunc limitatam voluit, id mutuæ inter eos cordiæ ſervandæ ergo fecit.*

1 NIHIL actum eſſet pro obtinenda inter Epiſcopos alioſque Prælatos concordia, ſi ultra territorij aſsignationem, certæ etiam non demonſtrarentur perſonæ in quibus eorum poteſtas & iuriſdictio exerceretur: ex quo enim duplex eſt iuriſdictionis ſubiectum, locus videlicet & perſona, hinc ut iuriſdictionum removeatur concurſus, qui controverſias generare poſſet, nedum locum ſeu diſtrictum Magiſtratui cuilibet circunſcribere opportet, ſed & perſonas certò deſignare expedit; hoc enim & aliàs ipſa velut apetit iuriſdictionis indoles & natura, ne aliàs vagum quid & chimæricum eſſet, quod ſatis inſinuavimus *Cap. præced.* Prælati enim nomen
2 non congruit ei, qui ſubditos non habet, ſicut nec dominus diceretur, qui ſervum non haberet, quamobrem dixit Auguſtinus, quod *Deus non fuit Dominus quouſque habuit creaturam ſuam*, refert aliaque cumulat Fagnan. *in Cap. perniciosam num.* 43. *& 53. de offic. ordin.* Sic igitur ſpirituali Eccleſiaſticæque Epiſcoporum poteſtati & iuriſdictioni certæ, ut vidimus Diœceſes, quæ eorum territoria eſſent, fuere aſsignatæ; ſed an ad omnes in eiſdem Diœceſibus exiſtentes perſonas eorum iuriſdictio exporrigeretur, inſpiciendum eſt in hoc Capite. Sanè de per-
3 ſonis Cleri ac populi ſæcularis, cùm non minus hodie quàm olim, earum Epiſcopis ſubiectio, paucis aliquot particularibuſque caſibus exceptis, nota incontroverſaque ſit, ſermo noſter niſi incidenter non erit; unde

ad

ad perſonas Regulares, circa quas in Sacro Eccleſiæ iure tantoperè alternatum, & variatum occurrit, oratio erit coarctanda. Rem aggredimur non minus
4 utilem quàm iucundam, nec vulgariter tritam, in qua Iuris noſtri nobiliſsima portio continetur, cuius inveſtigationem perquàm neceſſariam exiſtimo, cùm eorum quæ dicenda ſunt & quæ hodie in praxi habentur, hinc petenda ſint principia, & radices; ob quod etiam Antiquarij notam libenter ſubſtineam; non enim contemnenda ſunt etſi inuſitata, quæ eorum, quæ in uſu ſunt puriorem rationem & originem continent ac detegunt: ut hic locum habeat quod dicitur *in can. fuerunt diſt. 7. Etſi Legum antiquarum, quæ vetuſtate exolèverunt, nullus iam uſus ſit, notitia tamen neceſſaria videtur.* Pro quo etiam documento eſſe poterant innumera errata, quæ apud Pragmaticos irrepſerunt in hac materia ex antiqui Iuris ignorantia: nam abſdubiò prima corruptę ac obſoleſcentis Iuris Canonici doctrinæ cauſa inde eſt petenda, quòd plerique Interpretum inſuper habuere ius vetus à novo ſecernere, ut advertit Florens *in tract. de orig. & arte Iur. Canon. in præfat.* Ergo illud in præſenti exponam qualiter Monachi & Monaſteria ab initio Epiſcopis fuerint ſubiecti; qualitèr etiam & quouſque Epiſcoporum poteſtas Sacris Eccleſiæ legibus particularibuſque privilegijs temperata aut imminuta fuerit. Atque in his omnibus iuxta ſuſceptum inſtitutum, qualiter Eccleſia optaverit mutuam Monachos inter & Epiſcopos ſarcire concordiam, cuius præclara exempla nullo defuerunt tempore.

5 Ab ipſo Monaſtici inſtituti exordio Monachos Epiſcopis fuiſſe ſubiectos poſteà dicemus, unde præſtat Monachorum originem ſaltem inſinuare; qua in re teſtis eſt Maximus Hieronymus, antiquiſsimam apud multos fuiſſe diſceptationem, quæ & nunc à pleriſque acriter agitatur, quare ad eos, qui ex profeſsò de hoc agunt, erit appellandum, ſi noſtra diſplicuerit ſententia, quæ eſt eiuſdem Hieronymi *in vita Pauli*, ubi Sanctiſsimæ excellentiſsimęque Monaſticę profeſsionis Parentes, primoſque inſtitutores Paulum, Antonium, & Hilarionem facit per hæc verba: *Inter multos ſæpè dubitatum eſt à quo potiſsimum Monachorum Eremus habitari cæpta ſit. Quidam enim altiùs repetentes à B. Elia, & Ioanne ſumpſere principium, quorum & Elias plus nobis Propheta fuiſſe videtur, quam Monachus; & Ioannes ante prophætare cæpiſſe quam natus eſt. Alij autem (in quam etiam opinionem vulgus omne conſentit) aſſerunt Antonium huius propoſiti caput: quod ex parte verum eſt. Non enim tam ipſe ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata ſunt ſtudia. Amathas verò & Macarius Antonij diſcipuli, quorum ſuperior corpus Magiſtri ſepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebanum principem iſtius rei fuiſſe. Quod non tam nomine quàm opinione nos quoque comprobamus.* Quam ſententiam inculcat *in Epiſt. ad Paulin. de inſtit. Monach.* ibi: *Nos habemus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, &c.* Ab his ergo Sanctiſsimis viris cum
6 prima Monaſticæ vitæ ducta eſſent lineamenta, poſteà certis regulis politior exactiorque forma incomparabili huic profeſsioni data eſt ab alijs, ut à Baſilio primùm in Oriente, á Caſiano, Cæſario, Columbano, & Benedicto in Occidente à quibus per Orbem ferè univerſum, magno Chriſtianæ reipublicæ commodo, cætum Monachorum diffuſum teſtantur hiſtoriæ, ut videre eſt apud Socrat. *lib. 4. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 18. & trib. ſeqq.* Theodoret. *eiuſd. hiſt. lib. 4. cap. 24. 25. & 26.* Sozomen. *lib. 3. & lib. 6. cap. 28. & ſeqq. uſque ad cap. 35.* Nicephor. Calliſt. *lib. 2.*

cap.

cap. 15. *& ſeq.* & pleniùs *lib.* 8. *cap.* 39. *& duobus ſeqq. & lib.* 11. *cap.* 34. *uſque ad cap.* 44.

7 Nec fas eſſet ſilentio præterire, quo tempore in Hiſpania noſtra Monachi eſſe cæperint, quandoquidem exteri Scriptores in ſuæ gentis rebus diſquirendis accuratiſsimi, vel hoc ipſo noſtrorum oſcitantiam & incuriam accuſant. P. Mariana *lib.* 5. *hiſt. Hiſpan. cap.* 7. affirmat antiquiorem Monachorum mentionem in Hiſpaniæ monumentis occurrere in Concilio Tarroconenſi coacto anno 516. eamdem opinionem tenet eruditus Ambroſ. Morales *lib.* 11. *cap.* 43. qui etiam iudicat primos hos Monachos regulam S. Benedicti obſervaſſe. Sed tantorum virorum pace utrumque falſum eſt; nam quoad primum, longè ante Concilium Tarraconenſe mentio Monachorum habetur in Conc. Cæſr-auguſtano anni 380. *can.* 6. Et Zozimus Papa in in Epiſt. anni 417. reprehendit Hiſpaniæ Epiſcopos, qui Monachos nimis feſtinantèr ordinabant. Et de erectione Monaſterij S. Victoriani in Aragonia anno 506. tempore Geſelaici Regis meminit Zurita diligens Annaliſta *in d. anno* 506. Quin ex Giraldo & Vaſæo conijcit probabiliter Yepes *in Chron. Ordin. S. Benedicti centuria* 1. *ad annum Chriſti* 516. cùm adhuc Romani Hiſpaniam tenerent, S. Paulinum Barcinone Monaſticam vitam egiſſe. Quamvis enim S. Ildephonſus *de vir. Illuſtr.* quem tranſcripſit Mariana *eod. lib.* 5. *cap.* 11. affirmet, Donatum cum ſeptuaginta Socijs ex Africa in Hiſpaniam primùm adventaſſe; hoc enim intelligendum eſt de primo Monachorum ingreſſu poſt Barbararum gentium irruptionem, ut iudicat idem Yepes; aut, ſi placet, eo ſenſu, ut Donatus primùm certam vivendi normam præſtiterit, ut iudicat Mariana, & innuit ipſe S. Ildephonſus; quem, anteriores Canones & Epiſtolam Zozimi ignoraſſe, credibile non eſt. Nec minùs fundamento deſtituitur, quod Monachi, de quibus loquitur Concilium Tarraconenſe, Benedictini fuerint; hoc enim quamvis Benedictinæ Familiæ & gloriæ & ornamento eſſet, ſtudio veritatis reijciunt præclari eiuſdem familiæ alumni Yepes *ubi ſupra* & Card. de Aguirre *in notis ad idem Conc. Tarraconenſ.* eò ineluctabili fundamento, quod illius Concilij tempore ſuam nondùm exaraverat regulam S. Benedictus.

8 His brevitèr ac curſim de Monachorum exordio inſinuatis, ad præcipuam huius Capitis aſſertionem illuſtrandam, properamus. Atque ita ſtatuo, quod, ut primùm Orbi illuxit Monaſticę Regulariſque vitę pia ac ſancta inſtitutio, Monachi, & Monaſteria Epiſcoporum pleniſsimæ poteſtati & iuriſdictioni fuere ſubiecta. Huius aſſertionis princeps fundamentum illud eſt, quod cùm Monachi & Monaſteria in ſua quæque Diœceſi conſiſterent, fieri non poterat, ut univerſali Epiſcopi Diœceſani poteſtati non ſubeſſent; cùm enim primitiva illa Eccleſiæ diſciplina moderniores exemptiones ſeu emancipationes nondùm recepiſſet, neceſſe erat, ut Monachi parem cùm cæteris fidelibus obedientiam & ſubiectionem Epiſcopo impenderent; quæ ſubiectio non minori nittebatur fulcro, quàm divina inſtitutione, qua Epiſcopis in omnem Chriſti gregem auctoritas & poteſtas committitur, in illo *Act.* 20. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Atque cùm Epiſco-
9 porum in ſuis Diœceſibus ob hoc ipſum una univerſaliſque iuriſdictio eſſet, ut unicum in qualibet Diœceſi caput eſſet, non niſi arrogantèr & temerè ab Epiſcopali imperio Monachi libertatem poterant vindicare, cùm iuſta corporis

poris connexio exigat, ut membra à capite non diſcedant *cap. cùm non liceat de præſcript.* niſi fortè Acephali, ideſt
10 ſine capite, eſſe vellent, quod genus hominum perfectiſsima Eccleſiæ politia numquàm admiſsit *cap. nulla diſt. 93.* ibi : *Nulla ratione Clerici, aut Sacerdotes habendi ſunt, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina & providentia gubernantur. Tales enim Acephalos, ideſt ſine capite, priſca Eccleſiæ conſuetudo nominavit.* Unde factum puto, quod, hac primitiva Canonica diſciplina attenta, quæ non aliud caput in Diœceſi qualibet præter Epiſcopum agnoſcebat, exempti Acephali dicerentur in aliquibus concilijs, ut advertit Sirmondus *in notis ad Gofrid. pag. 39.*

11 Et ſanè in ipſis Monaſticæ profeſsionis incunabulis nihil excogitari valet, quo Monachi, illæ divinitùs inſtitutæ Epiſcoporum poteſtati non ſubeſſent; nam nec Pontificibus, non niſi pluribus ſæculis decurſis, Monachos ab Epiſcopis eximere in mentem venit; nec vitæ ratio ac norma, quàm Monachi ſibi ſervandam proponebant, tale repoſcebat: tum quia primitivi Monachi non alia regula, quàm Evangelio utebantur, & in ipſo Epiſcoporum poteſtas, ut Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, erat in univerſum conſignata, ut non minus Monachos quàm cæteros includeret, ut ad propoſitum optimè conſiderat Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 3. cap. 26. num. 7.* Tum quia etſi poſteà pro
12 Monaſtici inſtituti exactiori forma, diverſæ ſive ſcriptæ, ſive non ſcriptæ ſucceſſerint regulæ, quæ diverſo *Regularium* indito Monachis nomine, eos aliquantulùm à reliquo ſæcularium populo diſtinguere cæperunt; per eas tamen nihil diminutum aut detractum eſt de illa nativa ac indiſtincta Epiſcopi poteſtate; nam certo certius eſt illarum Sanctiſsimis Conditoribus illam præcipuè fuiſſe mentem, ut quæ in Scriptura proponebatur regula, exactiùs perfectiùſque ſervaretur ſuarum regularum auxilio; nec ubi aliud cogitaſſent, conatui reſponderet poteſtas, quæ, ad Epiſcoporum reſtringendam poteſtatem, Romano tantùm tribuitur Pontifici, ut fuſiùs alibi. Manet ergo Monaſticas illas poſteriores regulas nullam quoad propoſitum inter Monachos, & cæteros laicos fideles induxiſſe diverſitatem, præter illam nominis: ipſa enim vetuſta Conciliorum & Pontificum decreta abundè hoc oſtendunt, dùm Monachos & Monaſteria abſque ulla exceptione aut diſcrimine Epiſcoporum omnimodæ poteſtati ſubijciunt in teſtimonijs, proximè referendis.

13 Hinc iam quiſque profectò iudicabit quàm longè abludat à veriſimilitudine illa opinio, quæ Monaſticas ab Epiſcoporum poteſtate exemptiones ad Ius divinum referendas cenſet, ut eſt apud Mirand. *in Manual. Prælator. part. 1. quæſt. 23.* Ut enim omnibus qui Eccleſiæ leges venerantur, ſanctiſsima firmiſsimaque ſint ſacrorum ordinum privilegia, non opus eſt commentitijs commendationibus & præſidijs; ſatis ſecum roboris habet, quodcumque Eccleſia edixit aut recepit in uſum, quamobrem Alviſſet Monachus Benedictinus hanc opinionem increpat & reffellit *in Murenula Vermiculata* ſeu *de privil. ordin. Regular. cap. 18. numer. 11.*

Ut verò nativam & originalem Epiſcoporum in Monachos poteſtatem manifeſtiùs detegamus, in primitivam eorundem diſciplinam præſtat oculos reflectere, quo etiam unicam, & indiſcriminatam in perſonas omnes de Diœceſi Epiſcopi poteſtatem viguiſſe intueamur, ad propoſiti argumenti complementum. Et quidem
14 primævum Monachorum inſtitutum

tum ita nobis depingunt B. Auguſtinus *de morib. Eccleſ. Cathol. lib. 1. cap. 31.* Caſian. *collat. 18. cap. 4.* quorum verba refert Van-Eſpen *in jus Eccleſ. univ. part. 1. tit. 24. cap. 1.* ut luculenter appareat, inter Monachos & cæteros fideles laicos, non aliam tunc fuiſſe differentiam, niſi quod Monachi auſteriorem perfectioremque vitæ normam ſectarentur, & maiorem à mundi tumultibus ac ſecularium hominum converſatione abſtractionem cuſtodirent, quàm cæteri fideles de populo Laico; aſt hæc vitæ perfectior ratio Monachos non eximebat à ſorte & claſi laicorum; unde pari numero cum laicis habebantur, & laicali non clericali diſciplinæ erant addicti, & ſubiecti, ut conſtat ex Concil. Calcedonenſ. *Can. 2. & 8.* Viderique poteſt Morin. *lib. 6. de adminiſtr. Sacram. pœnit. cap. 13.* Van-Eſpen *eod. tract. part. 3. tit. 12. cap. 1. num. 1. & 2.* Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. libr. 3. cap. 13. & ſeq.* Franc. Florens *tom. 2. ad cauſ. 16. q. 1. de ſtat. Monach.* apud quos, frequenterque apud eos, qui antiquam Eccleſiæ hiſtoriam, & diſciplinam contexunt, exploratiſsimum eſt, omninò ſeparatum diſtinctumque fuiſſe inſtitutum Monachorum ab inſtituto Clericali.

15 Conſtat enim Monaſticæ profeſsionis primitivos Parentes à Clericorum ordine & muneribus Monachos maximè removiſſe, ita Baſilius Magnus *in conſtitutionibus Monaſt. cap. 9. Nulla,* inquit, *ratione convenit Monachum, vel Clericum, vel dignitates deſiderare: diabolicus eſt enim morbus & ambitus crimen &c.* Atque ſimilem Pachomij ſententiam refert Roſveid. *in vit. Patr. cap. 26.* ibi: *Cogitatio feralis ambitus ſi in mentes irrepſerit Monachorum, ut vel primi cupiant eſſe vel Clerici.* Hoc enim, ipſo Monachi inſtituto & officio contineri, videbatur, nam ut ait S. Hieronymus *in Epiſt. ad Ripar. Presbyt. adverſ. Vigilantium. Monachus non docentis ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini impavidus præſtolletur adventum.* Quin, & ipſius nominis ærhimologia hoc ipſum innuit & præſefert, ut monet Eugenius Papa *in cap. placuit 7. 16. q. 1.* ibi: *Agnoſcat nomen ſuum: Monos enim Græcè, Latinè eſt unus: Achos Græcè, Latinè triſtis ſonat. Indè dicitur Monachus, ideſt unus triſtis. Sedeat ergo triſtis & officio ſuo vacet.*

Aſt hoc luculentiùs apparet in patrum teſtimonijs, qui hanc officiorum ſeparationem perpendunt, dùm ea diſtinguunt, qua in re notatu digna eſt *Epiſt. 82.* D. Ambroſij, ubi ſic ait: *Namque hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe quis ambigat Clericorum officia, & Monachorum inſtituta? Iſta ad comitatem & moralitatem diſciplinæ: illa ad abſtinentiam atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro; illa in ſecreto. Spectatur iſta; abſconditur illa.* Diffunditur etiam Hieronymus *in Epiſt. ad Heliodor. de vit. heremit.* ut hæc ipſa officia muneraque diſcernat, & ſuam in Clericos obſervantiam exprimat; ait enim: *An de clericis aliquid audeam dicere, qui certè in ſuis Vrbibus commorantur? Abſit, ut de his aliquid ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti Corpus Sacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus. Qui claves Regni Cœlorum habentes quodammodo ante diem iudicij iudicant: qui ſponſam Domini ſui ſobria caſtitate conſervant.* Proprium Clericorum munus & dignitatem extollit, quo magis pateat differentia, quæ ſequitur: *Sed alia,* inquit, *Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor. Illi de altario vivunt, mihi quaſi arbori infructuoſæ ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero. Mihi ante*

Preſ-

Presbyterum ſedere non licet ; illi ſi peccavoro licet tradere me Satanæ in interitum carnis , ut ſpiritus ſalvus fiat.

17 Ex hac diſciplinæ antiqua ratione plura ſunt in propoſito obſervanda , quæ ſuaptè conſequebantur; primum. Monachos Clericorum dignitatem altioremque gradum obſervaſſe , & ipſis maximum impendiſſe honorem cum illuſtri humilitate , ut præter relatum Hieronymi teſtimonium , convincit aliud Auguſtini *in cap. legi* 36. 16. *q.* 1. ibi : *Nimis dolendum , ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigamus , & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus , in quorum numero ſumus : cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat.* Quamvis certè ut loquitur Hieronymus *in Epiſ. ad Ioan. Hieroſol. Epiſc. Clericatus honore non debeant Clerici abuti in ſuperbiam , ſed cuſtodia mandatorum Dei , & obſervatione diligentiſſima niti hoc eſſe quod dicuntur.*

18 Secundum. Monachos , ſicut & cæteri laici , Parochis extitiſſe ſubiectos , cùm ab ipſis Sacramenta & doctrinam perciperent ; nam Monachi cum reliquo populo ad Eccleſias Parochiales primitùs conveniebant , ut ibidem Sacris Myſterijs participarent, uti ex S. Athanaſio *in Apolog. pro fuga ſua.* Palladio *in hiſtor. Lauſ. in vita S. Apollon. cap.* 52. alijſque tam clarè eruitur , ut ſine ulla hæſitatione ſcribat eruditus Morin. *in d. tract. de Pœnit. lib. 2. cap. 17. num. 12. quod Monachi omnes ſi in Vrbibus , aut non longè ab his ipſos verſari opportebat, ad Eccleſiam cùm cætera plebe loco tamen primo , ut nobilior dominici gregis portio feſſuri conveniebant.* Ter-
19 tium. Monachos , qui Parochis particularibus ſubiecti erant , potiore ratione & titulo Epiſcopo , totius Diœceſis Parocho univerſali, ſubiectiſſimos fuiſſe , illique obedientiam & maximum impendiſſe honorem : ut ex inde conſequens etiam ſit , nuſquam illis primis Monachorum temporibus Epiſcopis aut Parochis motam fuiſſe controverſiam , ſed mirabilis apparet inter ipſa initia Monachorum promptiſsima obedientia Epiſcoporum, & Parochorum poteſtati. Nec aliter eſſe poterat : eccur enim obedire detrectarent ijs à quibus neceſſariò regendi erant & inſtruendi ? Sibi enim per ſe ipſos conſulere nequibant , utpotè clericali carentes ordine ; unde pro prædicatione , Sacramentis , diviniſque myſterijs ; ſine quibus Chriſtiana vita tranſigi nequit , à Parochis & Epiſcopis , & ſi nollent , pendere Monachos opus erat. IV. Quod cùm Monachi
20 quà laici , de invadendis aut uſurpandis Epiſcopalibus Paroquialibuſque Iuribus nec cogitare valerent , tunc temporis omninò deficiebat diſſenſionum æmulationiſque materia , & Epiſcopi poteſtas in eos liberè ac quietè exercebatur , ut , temporum differentiam obſervans , notat Eminentiſsimus doctrina & Purpura Card. de Luca. *in diſc. 1. num. 5. de iuriſdict.* cuius verba hic dictorum inſtar compendij tranſcribam. *Illud tamen* , inquit , *certum eſt atque apud omnes Scriptores concorde , quod antiqui ſive Monachi , ſive Anachoretæ, alijque Regulares (qui à Monachis diſcreti Mendicantes dicuntur) non erant Clerici; quinimò clericari prohibiti erant ; ideòque more reliqui populi Sæcularis ſub Parocho vivebant , à quo Sacramenta , aliaque divina recipiebant ; indeque prodijt quod decimas reliqui populi more ſolvebant , ac etiam eiuſdem populi & Cleri ſæcularis more ſubiacebant loci ordinario ſeu Diœceſano , ob adhuc non introductum uſum privilegiorum ſuper illa exemptione , quàm hodie praxis docet. Hinc proinde ſequebatur quod nulla aderat controverſiarum ocaſio inter Regulares & ordinarios, vel Parochos , alioſque Clericos Sæculares.*

Mira-

21 Mirabitur iam nemo, ſi ut antiquis temporibus indubitatiſsima extitit omnimoda Monachorum Epiſcopis ſubiectio; ita Monachos inter & Epiſcopos ſtrictiſsima viguit charitas, & concordia. Nihil erat ex utraque parte, quod non incitaret ad amorem & mutuorum officiorum æmulationem: certabat utique humilitas & obſervantia Monachorum cum Epiſcoporum effuſſa charitate. Epiſcopi enim ſtupendæ Monachorum ſanctitatis ſtudio abrepti, lon-
22 gè plurima eis fundabant Monaſteria, ut conſtat ex Eccleſiaſtica hiſtoria, & de Hiſpaniæ Epiſcopis arguit Concil. Tolet. I. *can.* 3. & 4. Nec tantùm domos, ſed nutrimenta corporalia præſtabant, ut de Ambroſio innuit Auguſtinus *confeſſ. lib.* 8. *cap.* 8. ubi ita ait. *Erat Monaſterium Mediolani extra Vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore.* Quin, quod potiſsimum eſt ad perfectioris vitæ normam cuſtodiendam, Epiſcopi Monachis regulas dabant, ut ex Hallier. *in vindic. lib.* 4. *cap.* 4. probat D. Gonzal. *in cap. grave num.* 9. *de offic. Ordin.* Hæc paterna Epiſcoporum officia Monachorum velut extorquebat illuſtris obedientia, & eorum ſpontanea mirabilis paupertas. Ecquid enim eſſe potuit, ut Epiſcopi inviderent, aut æmularentur Monachos ſolitudinem incolentes, paupertatis cultores; eoſque, qui ipſos, ut Legiſlatores, Magiſtros, & Parentes reverebantur? Ergo & aureis illis ſæculis Monachorum cum Epiſcopis con-
23 cordia in eo verſabatur illoque coalebat, ut Moncahi filiorum obſequia exhiberent; Epiſcopi autem patria uterentur poteſtate: Hoc concordiæ ſpecimen effingit Hieronymus *in Epiſt. ad verſ. error. Ioan. Hieroſolym.* his verbis: *Amari parens & Epiſcopus debet non timeri. Non quæris Monachos tibi eſſe ſubiectos, ideò magis ſubiectos habes. Tu offers oſculum, illi colla ſubmittunt. Exhibes militem, & ducem impetras. Quaſi unus in pluribus es, ut ſis unus ex pluribus. Citò indignatur libertas ſi opprimitur. Nemo plus impetrat à libero quàm qui ſervit, non cogit. Novimus Canones Eccleſiaſticos, non ignoramus ordines ſingulorum &c.* Et rurſus *in eadem Epiſt. contenti ſint honore ſuo; Patres ſe ſciant eſſe non dominos, maximè apud eos, qui ſpretis ambitionibus ſæculi, nihil quieti & otio præferunt.*

24 Adeò conſtans & inconcuſſa his temporibus erat ſubiectio Monachorum pleniſsimæ Epiſcoporum poteſtati, ut præter divinam illam legem, quæ in omnem Chriſti gregem Epiſcopis poteſtatem attribuit, nulla alia eſſet ſcripta, quæ *nominatim* Monachos ſubijceret, nec profectò neceſſaria erat; cum ex tradita diſciplinæ ratione à reliquis de populo non differrent: aſt cùm poſtmodùm Monachorum Monaſteriorumque per varias regiones propa-
25 gatione Monaſticæ vitæ inſtitutum non ſolùm incrementum, & extenſionem, ſed & diſciplinæ novam rationem reciperet, ita ut Monachi à reliquis de populo externo vitæ genere magis diſtinguerentur, & inſuper negocijs Eccleſiaſticis, ac Eccleſiæ regimini ſe immiſcere inciperent, neceſſarium viſum eſt, quinto iam vertente ſæculo, ut Monachi & Monaſteria *ſpecialiter & nominatim* ſubiecti declararentur Epiſcopis; qua quidem ratione ſimul medebatur illis turbellis, ex hac diſciplinæ mutatione ortis & quæ expertæ erant in Pſeudo-Synodo Epheſina ſub Dioſcoro; quæque cauſam dederunt Sanctæ œcumenicæ Synodo Chalcedonenſi anno 451. Ad affirmandam igitur Epiſcopalem poteſtatem, & reparandam inter Monachos & Epiſcopos priſtinam concordiam, Patres Chalcedonenſes, ſuggerente Martiano pijſsimo Imperatore, ſic exordiuntur: in *Can.* 4. unde deſſumptus eſt *Can. qui verè* 12. 16. *quæſt.* 1. *Qui verè & ſincerè*

cerè Monaſticam vitam aggrediuntur digni convenienti honore habeantur. Quoniam autem nonnulli Monachicho prætextu utentes & Eccleſias, & negotia civilia perturbant & temerè, citra ullam diſcriminis rationem in Vrbibus circumcurſantes, quin etiam Monaſteria ſibi conſtituere ſtudentes. Hi enim erant Monachi aut potius Pſeudo-Monachi, qui *Girovagi circuncellioneſque* dicebantur, de quibus Hieronymus *in Epiſt.* 34. & 51. Auguſtin. *de oper. Monachor. cap.* 28. Hi ergo ut tranquilitatis perturbatores coercentur *in Can.* 17. & 18. 16. *quæſt.* 1. Atque, ut ad propoſitam veteremque diſciplinam revocarentur, diſponitur in eodem concilio his verbis: *Viſum eſt nullum uſquam ædificare nec conſtruere poſſe Monaſterium, vel oratoriam domum præter ſententiam ipſius Civitatis Epiſcopi; Monachos autem, qui ſunt in unaquaque regione & Civitate Epiſcopo ſubiectos eſſe, & quietem amplecti, & ſoli ieiunio, & orationi vacare in quibus ordinati ſunt locis fortiter perſeverantes, nec Eccleſiaſticis, nec Sæcularibus negotijs ſe ingerere, vel communicare, propria relinquentes Monaſteria, niſi quandoque eis à Civitatis Epiſcopo permiſſum fuerit.*

26 Habemus in hac Calcedonenſi ſanctione ſpecialem legem de Monachis loquentem, quæ eos in univerſum & generalitèr Epiſcoporum ſpirituali poteſtati ſubijcit: habemus inſuper in ea conſultum Monachorum quieti ac ſecceſſui iuxta priſtinam diſciplinam; quæ, ut remota ab invidia & æmulatione, ſtrictiſsimam adeò inter Epiſcopos & Monachos concordiam induxerat animorum. Hæc ſanè ſanctio princeps regula in hac materia debet iudicari, cuius veſtigijs inhærentes poſteriores Synodi, ſpeciales formavere Canones circa ea, quæ temporum neceſsitas efflagitabat; ſic ergo cùm Monachos, prioris diſciplinæ mutata forma, ad clerum Eccleſia certis caſibus iam admitteret, & conſequenter ad aliquas Clericorum functiones, factum eſt, ut cùm Monachi in his functionibus Clericalibus & Parochialibus exercendis, plùs iuſtò excederent; Chalcedonenſis renovaretur regula, qua Monachi intra clauſtra continerentur & ab Epiſcopo, pro clericalibus officijs peragendis, omninò penderent; ſic enim Bononienſi Epiſcopo reſcribit Paſchalis II. relatus *in cap. pervenit* 9. 16. *q.* 1. *Pervenit ad nos (unde valde miramur) quod quidam Monachi & Abbates in Parochia veſtra contra Sanctorum Patrum decreta Epiſcopalia iura & officia ſibi arroganter vendicant: videlicèt pœnitentiam, remiſsionem peccatorum, reconciliationem, decimas, & Eccleſias: cum abſque proprij Epiſcopi licentia, vel Apoſtolicæ Sedis auctoritate hoc nullatenus præſumere debeant: ſicut in Chalcedonenſi Concilio, de huiuſmodi à Sanctis Patribus cautum eſt, & ſub anathematis vinculo Monachis omnibus prohibitum.* Similiter Calixtus II. relatus *in cap.* 10. *ead. cauſa & q.* ita ait: *Interdicimus etiam Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, infirmos viſitare, & unctiones facere; & Miſſas publicas cantare, Chriſma, & Oleum, conſecrationes altarium, ordinationes Clericorum ab Epiſcopis accipiant, in quorum Parochijs manent.* Sed quia hæc omnia difficillè aſſequerentur, niſi illa vetus inſtauraretur diſciplina, quæ Monachos quieti, ac ſecceſſui Monaſteriorum mancipabat, ideo Alexander II. relatus *in cap. iuxta* 11. *eadem cauſ. & q.* ita edicit: *Iuxta Chalcedonenſis tenorem optimi Concilij Monachis, quamvis Religioſis ad normam Sancti Benedicti intra clauſtrum morari præcipimus, Vicos, Caſtella, Civitates peragere prohibemus, & à populorum prædicatione omninò ceſſare cenſuimus.* Huc etiam referendus venit *can.* 7. Concilij Aurelianenſis anni 508. ubi Abbatibus

tibus & Monachis ad Magnates ſive Reges ſine Epiſcopi litteris prohibetur acceſſus.

27 Hæ omnes & ſi quæ ſunt aliæ particulares cauſæ, in quibus Monachi particularitèr Epiſcopis ſubijciuntur, una illa Concilij Chalcedonenſis, quæ indiſtinctè ſubiectos declarat, ſanctione continentur. Quapropter ab hoc tẽpore in poſterioribus Eccleſiæ legibus ſæpiùs repetitur, & ad ſedandas inquietudines, quæ inter Monachos & Epiſcopos poſſent ſuboriri, paſsim renovatur, ut in Concilio Aurelianenſi I. anni 508. *can.* 21. ubi declaratur: *Abbates ſubeſſe Epiſcoporum auctoritati ac poteſtati, & ab ijs ſi deliquerint eſſe corrigendos*, & in Aurelianenſi II. anno 533. *can.* 21. ſic cavetur: *Abbates, qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem nec penitùs admittantur, niſi contumaciam ſuſcepta humilitate deponant.* Et in Concilio Arelatenſi V. anni 554. *canon.* 2. ibi: *Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertineat Epiſcopum in cuius territorio ſunt conſtituta.* Quam generalem regulam ſæculo VI. admiſit, ſuoque Iuri inſeruit Iuſtinianus *in Novell.* 67. *& Novell.* 123. *& in leg. Monaſteria* 40. *C. de Epiſc. & Cler.* ibi: *Monaſteria degunt, ſeu tenentur ſub Epiſcopis territoriorum ſuorum & Abbatum quidem curam gerunt Epiſcopi, Monachorum verò Abbates.*

28 Quæ congeſsimus teſtimonia abundè oſtendunt generalem Monachorum Epiſcopali poteſtati ſubiectionem pluribus ſæculis integram illibatamque viguiſſe; quod & maximæ curæ fuit Eccleſiæ; nam hæc eo ſemper eſt ſpiritu, ut, quoad maximè fieri poſsit, Canonum primitiva ſtatuta vigeant, nec nonniſi urgentiſsimis de cauſis receptæ dudum diſciplinæ mutationem permittit; præcipuè in propoſito, cùm experientia notum fecerit, ad concordiam, & Monaſteriorum conſervationem, primitivam hanc regulam fuiſſe accomodatam, cuius rei teſtimonium perhibet ſæculo Eccleſiæ IX. Adrianus II. *in Epiſt.* 27. *&* 30. ad Carolum Calvum Francorum Regem, his verbis: *Omne Monaſterium in poteſtate Epiſcopi conſiſtere debet, iuxta Canonicam auctoritatem. Et quia hoc eſt tranſgreſſum, ideo plurima Monaſteria habentur deſtructa.* Ubi notandum eſt in illis verbis *Iuxta Canonicam auctoritatem* reſpectum haberi ad antiquos expenſos Canones, præſertim ad illum Concilij Chalcedonenſis, ut qui in hac materia ſit primus, & originalis, Van-Eſpen *d. tit.* 12. *cap.* 1. *num.* 19. Hic etiam opportunè notandum eſt, quàm vera ſit illa regula, in foro paſ-
29 ſim recepta, Epiſcopum nimirùm de iure communi fundatam habere intentionem, ad exercendam ſuam iuriſdictionem in perſonas omnes ſuæ Diœceſis, quam regulam *ex cap. omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. *& ex cap. cum perſonæ de privil. in* 6. tenent omnes Canoniſtæ, & Morales, prout ſunt Emman. Rodrig. *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* 22. *art.* 8. Lezana *in ſumma verb. exemptio Regularium.* Tamburin. *de iur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 2. Donat. *in praxi Regular. q.* 7. P. Sanchez *lib.* 6. *Conſil. cap.* 9. *dub.* 1.

Inficiari non poteſt ex antedictis poteſtatem Epiſcoporum illæſſam integramque permanſiſſe in perſonas omnes de Diœceſi ſive Sæculares, ſive Regulares quinque Eccleſiæ primis ſæculis; ita ut ſive in hac poteſtate ordinem, ſive adminiſtrationem, ſive iuriſdictionem inſpiciamus, nulla exceptio tunc agnoſceretur; ſed perſonæ omnes in Diœceſi contentæ indiſcriminatim erant ſubiectæ Epiſcopo quoad utramque legem diœceſanam & iuriſdictionalem. Quouſque verò hæc
30 Epiſcopalis poteſtas, integra manſerit, non ſatis convenit inter Scribentes; undè rem hanc accuratè diſquirere

expedit, opuſque eſt, ut verum antiquorum Canonum ſenſum percipiamus.

31 Aliqui enim putant à Sæculo VI. Monachos & Monaſteria à poteſtate Epiſcoporum fuiſſe relaxatos, cuius ſententiæ anteſignanus videtur Ioannes Ugutio antiquus Decreti Interpres *in Can.* 1. 10. *quæſt.* 1. ut inſinuavimus *ſupra in cap.* 1. *num.* 74. cuius opinio ex ſequentibus fundari poteſt: nam in primis in corpore Iuris Canonici habemus generalem immunitatem, quam Monachis conceſit S. Gregorius ſub initium ſæculi VII. in Concilio Lateranenſi, unde
32 deſſumptus fuit *Canon quam ſit neceſſarium* 5. 18. *quæſt.* 2. ubi I. interdicitur Epiſcopis manus extendere ad res ſive reditus Monaſteriorum. II. Electio Abbatis Monachis attribuitur. III. Epiſcopis prohibetur Monachos invito Abbate ordinare. IV. Teſtimonio & voluntati Abbatis tantùm tribuitur, quod Monachus officium aut honorem in Eccleſia obtineat. V. Generalem libertatem conſignat his verbis: *Hanc ergo ſcriptorum noſtrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus Epiſcopis firmam, ſtatuimus illibatamque ſervari, ut & ſuæ Eccleſiæ iuvante Domino, tantummodo ſint iure contenti, & Monaſteria Eccleſiaſticis conditionibus, ſeu angarijs, vel quibuſlibet obſequijs ſæcularibus nullomodò ſubiaceant, nullis Canonicis iuribus deſerviant: ſed remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum ſumma animi devotione perficiant.* Eadem etiam generalis Monaſteriorum immunitas confirmatur ab eodem Sanctiſsimo Pontifice *in ſeq. cap. luminoſo*, ubi poſtquam retulit Epiſcoporum gravamina, quæ penitùs removere, & quieti Monachorum proſpicere ſe velle profitetur, ita proſequitur: *Miſſas quoque publicas in Cœnobijs fieri omnimodò prohibemus: ne in Servorum Dei receſsibus, & in eorum receptaculis ulla popularis conventus præbeatur occaſio (vel mulierum fiat illic introitus) quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi Cathedram collocare Epiſcopus, vel quamlibet poteſtatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam faciendi niſi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus Monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate: ut remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus divinum opus cum ſumma devotione animi perficiant.* Huc etiam referenda ſunt quamplura privilegia ab eodem Sanctiſsimo Pontifice Gregorio collata, quæ paſsim inveniuntur in ſuis Epiſtolis, & à Gratiano aliqua in Decreto fuerunt compilata.

33 Deinde, nec quis mirabitur, quod Sanctiſsimus Gregorius amplas adeò immunitates ſeu privilegia Monachis contulerit, cum longè ante in pluribus, aut omnibus Occidentis Provincijs, præluxiſſent, unde ſuo iam tempore habebantur in uſu. Sic enim in Africa ampliſsima libertate donantur Monachi & Monaſteria in Concilio Carthaginenſi anni 539. ubi ſic Patres decreverunt: *Cætera Monaſteria etiam ipſa libertate pleniſsima perfruantur, ſervatis limitibus Conciliorum in hæc dumtaxat, ut quandoque voluerint ſibi Clericos ordinare, vel Oratoria dedicare, Epiſcopus in cuius plebe vel Civitate locus Monaſterij conſiſtit, ipſe huius muneris gratiam compleat, ſalva libertate Monachorum, nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vendicans; neque Eccleſiaſticis eos conditionibus aut angarijs ſubdens. Opportet enim in nullo Monaſterio quemlibet Epiſcopum Cathedram collocare &c. Eſſe enim debent Monachi in Abbatum ſuorum poteſtate. Et quando ipſi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi ſunt iudicio Congregationis eligantur; nec officium ſibi huius electionis vendicet aut præſumat*

Epiſ-

Episcopus. Si quæ verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum consilio sive iudicio finiatur. Refert Dacher. *in spicil. tom. 6. pag. 16.* Qui etiam ibidem excusit Concilium aliud Carthaginense anni 525. sub Archiepiscopo Bonifacio, in quo Petrus Abbas cum suis Monachis conqueritur de Liberato Metropolitano Provinciæ Byzacenæ, quia ipse, suique Clerici Monasticam infringebant libertatem; illud tandem à Concilio exijt decretum: *Erunt igitur omnia omninò Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm & Deo placentia.*

34 Hæc autem Concilia Africana ut normam privilegiorum concedendorum, sibi posteá proposuerunt Galliarum Episcopi, ut constat ex *tom. 1. Concil. Gall.* ubi in concedendo privilegio Monasterij S. Dionysij his verbis usi sunt Episcopi: *Quamquam Sancta Carthaginensis Synodus facta à Beatæ memoriæ Domino Bonifacio eiusque Coepiscopis non prohibeat Monachos sub privilegio proprio residere &c.* Similiter in alio privilegio concesso ab Andeberto Parisiensi Episcopo ita habetur apud Du-Chesne *Histor. Franc. tom. 1. pag. 663. Si verò contra Patrum Statuta eum fecisse causantur, legant Canones à S. Bonifacio Carthaginensi Episcopo, & alijs Episcopis factos, & invenient, quod Monasteria in quibus regularitèr vivitur, libera esse debeant ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum.*

35 Ut Africana Concilia Gallicanis, ita in hoc genere Gallicana Hispaniensibus præluxerunt: expresissimam siquidem mentionem Agathensis & Aurelianensis Concilij faciunt Hispaniæ Episcopi in Concilio Illerdensi anni 527. *in can. 3.* ex quo Gratianus discerpsit *can. 1. 10. q. 1. & can. 34. 16. q. 1.* ad adstruendam Monachorum libertatem à lege Episcoporum diœcesana; quem Canonem præstat hic integrum transcribere ex collectionibus Illustr. Loaysæ & Cardinalis de Aguirre. *De Monachis verò id observari placuit, quod Synodus Agathensis, vel Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantummodò adijciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari: Ea verò quæ in iure Monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam à se fundatam Basilicam consecrari desiderat, nequaquam sub Monasterij specie ubi Congregatio non colligitur, vel regula ab Episcopo non constituitur eam à diœcesana lege audeat segregare.* A tempore huius Concilij aucta & ampliata est Monachorum libertas ab Episcopali potestate, ut apparet in Concil. Toletano IV. anni 633. *can. 51.* & in Concil. Toletano VII. *can. 4.* Ex

36 hac ergo testimoniorum struè & congeriè illud certò effici videtur: quod nimirùm à sæculo Ecclesiæ VI. per universum ferè Occidentem Monachi & Monasteria ab imperio & potestate Episcoporum relaxari cæperint; quod etiam suaderi poterat, prolatis quamplurimis horum temporum privilegijs particularibus, quæ primùm ab ipsis cuiusque nationis Episcopis, deindè à Pontificibus Romanis apparent concessa.

37 His tamen fundamentis minimè obstantibus, verius est Monachos & Monasteria exemptos non fuisse à potestate Episcoporum usque ad sæculum XI. sed tantummodò fuisse donatos aliquibus immunitatibus à particularibus quibusdam oneribus legis diœ-

38 cesanæ specialis. Ut verò hæc sententia firmetur, & quæ dubitandi ocasionem præbent diluantur, opus est in mores & disciplinam eorumdem temporum oculos convertere. Et in primis notum

eſt, per hæc tempora pervagatiſsimum
39 fuiſſe ſimoniæ vitium, ut convincunt ipſæ cautiones, quæ in Concilijs & privilegijs huius ætatis adhibentur contra Epiſcopos Simoniacos, & de Gallia hoc expreſsè teſtatur Thomaſin. *d. lib. 3. cap. 29. num. fin.* & de Hiſpania oſtendit Concilium Barcinonenſe anni 599. & poſtmodùm Bracharenſe II. *can.* 2. anni 572. Ulteriùs etiam notum eſt in Eccleſiaſtica hiſto-
40 ria eam fuiſſe antiquam Epiſcoporum, quin & Clericorum, exiſtimationem, ut iudicarent res omnes Eccleſiæ & Monaſteriorum temporalis ſui iuris eſſe & poſſeſsionis, ut idem Thomaſin. docet *d. lib. 3. cap. 15. num. 7.* atque hinc oriebatur, ut avida cupiditate plerique Epiſcoporum ad res & bona Monaſteriorum manus extendentes, illa propemo dùm gravarent, ut de quibuſdam Epiſcopis teſtatur Concilium Toletanum IV. *d. can.* 51. his verbis: *Nunciatum eſt præſenti Concilio, quod Monachi Epiſcopali imperio ſervili opere mancipentur & iura Monaſteriorum contra ſtatuta Canonum illicita præſumptione uſurpentur: ita ut penè ex Cœnobio poſſeſsio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ſervitutem ignominiamque perveniat.* Et de quibuſdam Clericis, Monaſteria dominantibus, acritèr conqueritur S. Gregorius *in cap. dudum 27. 18. q. 2.* ibi: *Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, Monaſteria in Ravenæ partibus conſtituta, omninò Clericorum veſtrorum dominio prægravari: ita ut ocaſione quaſi regiminis ea (quod dici grave eſt) velut in proprietate poſsideant.*

41 Qui canones & eorumdem temporum monumenta perpenderit, varios multipliceſque notabit titulos, quos aliqui prætexebant Epiſcopi, ut copioſas à Monaſterijs extorquerent penſitationes, quibus eorum abſumebant ſubſtantiam; exigebant enim certam portionem ex oblationibus, quæ Monaſterijs fiebant: ut Eccleſias conſecrarent, Monachos ordinarent, Abbates benedicerent, Chriſma & Oleum conferrent, alia portio eis erat præſtanda: ſimilitèr in viſitatione magnis ſumptibus Monaſteria onerabant: extorquebant etiam Cathedratica & Synodatica. Quas exactiones & præſtationes Epiſcopi & Clerici honeſtis nominibus xeniorum, numerum, eulogiarum, & conſuetudinum prætexuerunt, ut conſtat ex D. Gregorio *lib. 7. Regiſtri Epiſt. 33. & alijs.*

42 Erant tunc & alia in uſu, quæ inſtitutæ Monachorum vivendi rationi plurimùm officiebant, de quibus Monachi frequenter contra Epiſcopos quærebantur; quòd nimirùm Epiſcopi electionem conſtitutionemque Abbatum ſibi privativè vindicantes, regendis Monaſterijs plerumque eos præponerent, qui aut extranei eſſent, aut Monaſticarum Regularum ignari: necnòn etiam quòd, delectos probatoſque iam Monachos, Monaſterijs præriperent, ut Clero ſuo adgregarent. Nec minùs dolebant Monachi, conquiſitam ab eis & optatam quietem, functionibus Epiſcopalibus turbari & impediri; quippè dùm Epiſcopus pro more ad Monaſteriales Eccleſias accedebat Miſſam celebraturus, ſua adſportata Cathedra, magna populi turba eum ſequebatur, quo quies, otium, & ſilentium Monachorum haud teneri poterat.

43 Hi ſummatim erant exceſſus ſive abuſus illorum temporum, qui ſanè fuerunt in cauſa, ut Monachorum excitarentur quærimoniæ, & fervida libertatis deſideria; indeque alternis ſimultatibus à priori antiquaque conſenſione inter Epiſcopos & Monachos haud parùm deſcitum. In quo rerum ſtatu cùm unus idemque ſemper fuerit Eccleſiæ ſpiritus, ut Monachorum quieti conſulens, & Epiſcopalis poteſ-

tatis

tatis conſervationi, nec Epiſcopi Monachos turbarent ſeu opprimerent, nec Monachi Epiſcopalia inſultarent iura; atque hac via, quæ ab initio fuit inter eos concordia, reſtituta vigeret; hinc à ſæculo VI. mirum in modum adlaboratum eſt in his Epiſcoporum iniuſtis conatibus reprimendis. Ratio enim ſuggerebat, ut ſicut anteactis tempo-
44 ribus in Concilio Chalcedonenſi & alijs varijs proviſionibus frenata eſt quorumdam Monachorum audacia, qui Epiſcopalia & Parochialia iura uſurpabant; ita & nunc quorumdam Epiſcoporum à Monaſterijs removeretur imperioſa dominatio & cupiditas. Atque ut inquietos Monachos in receſſus Monaſterij ablegavit Chalcedonenſis Canon; ita cupidi Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum iure continerentur; & ita moderatè ſuam Epiſcopi explicarent poteſtatem, ut Patrum non dominorum officium explerent, quo & Monachi lubentiùs obedirent, & Canonica emolumenta propenſiùs præſtarent, iuxta formam, quam præſcribit Hieronymus *in cit. Epiſtol. ad Theophil. Contenti ſint honore ſuo Epiſcopi, Patres ſe ſciant eſſe non dominos, maximè apud eos, qui ſpretis ambitionibus ſæculi nihil quieti & otio præferunt.* Quod etiam temperamentum Epiſcopalis poteſtatis æquè cum Clericis tenendum Epiſcopis ſuaſit idem Hieronym. *in alia Epiſt.* quæ refertur *in cap. Soa 6. diſt. 95.* ibi: *Sed Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non dominos, honorent Clericos ſuos quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur.*

45 Ergo hac de cauſa Monaſteria munire, & privilegiorum præſidio cingere, æquum viſum fuit: in qua re explenda primi fuerunt Epiſcopi, nam ut fuerint aliqui Monachis Monaſterijſque infenſi, longè plures extitere illis faventiſsimi, qui Monaſteriorum conſervationem & quietem modis omnibus procurabant. Epiſcoporum privilegijs, Regum quoque chartæ accedebant, tum ut illa roborarent, tum ut laicos invaſores à rebus Monaſteriorum averterent. Deinde Romani Pontifices vel, ut conceſſas à Regibus & Epiſcopis immunitates confirmarent, vel quandoque novas, Epiſcopis ipſis adnittentibus, largirentur, privilegia dedere.
46 Sed ſi Pontificum, Epiſcoporum, & Regum privilegia per hæc tempora conceſſa, attentè inſpiciantur, prout ea attentè inſpexere Thomaſin. *d. lib. 3. cap. 29. & ſeqq.* Van-Eſpen *in ius Eccleſ. univ. part. 3. tit. 12. cap. 4. per tot.* Alteſſerra *in Aſceticon cap. 11. in fin.* Franc. Florens *in cap. auditis de præſcript. cap. 3.* id profectò cum ipſis ſtatuet, huiuſmodi privilegia & Canones nedum Monachos exoluiſſe à lege iuriſdictionis, quod notiſsimum eſt; ſed nec ab omni lege diœceſana ſpeciali; quippè Pontifices & Epiſcopi, fundatorum precibus perſæpè incitati, illud tantùm condonandum privilegijs ſibi propoſuerunt, quod memoratis Epiſcoporum exceſsibus præcavendis expediret: unde ſumma ferè omnium privilegiorum ea erat, ut Monachis libera relinqueretur Abbatis electio; ut Abbatibus illæſa & integrà adſereretur temporalium Monaſterij adminiſtratio; ut ipſis competeret interiùs Monaſterij regimen, & regularis in Monachos animadverſio; ut Epiſcopi Miſſam publicam in Eccleſijs Monaſteriorum non celebrarent, nec ſuam locarent Cathedram; ut Chriſma Oleum aliaque Epiſcopalia gratis conferrent. Hæc ſanè erant, quæ huiuſmodi privilegijs ſolebant contineri; ſed qui adverterit ad ea, quæ *in cap. 1. num. 84.* diximus in lege diœceſana comprehendi, ſtatim conſequetur reliqua adhuc eſſe iura, ad hanc legem ſpectantia, à quibus Monachi & Monaſteria non liberantur.

Quin

47 Quin & in ipſis Iuribus, quæ in privilegijs complectuntur, conſignatam Epiſcopi poteſtatem videre licet, quadam inductione facta; nam in primis ſi Epiſcopo vetabatur, ut aliquid pro Chriſmate, Oleo, conſecrationibus, benedictionibus, & ordinationibus exigeret; ipſo contextu & tempore ſubijciebantur Monachi, ut nonniſi à proprio Diœceſano Epiſcopo Chriſma Oleum &c. acciperent, ut patet ex ſuprà poſitis Concilijs *& ex cap. ſi quis Monachus. cap. ſi quem cap. ne pro cuiuſlibet* 16. *quæſt.* 1. Quodque notatu dignum eſt, privilegia dùm hoc cavebant, non tam lædere quàm moderare Epiſcopi poteſtatem, dici poterat; ita vt hac ratione nec appellanda eſſent privilegia; cùm & divina ordinatione Epiſcopis longè anteà eſſet præceptum, ut gratis darent, quod gratis acceperunt Matt. 10.

48 Prohibebantur inſuper Epiſcopi ne turpis lucri gratia indebitis exactionibus Monaſteria onerarent; aſt per hoc ſimiliter temperata, non diminuta Epiſcopi conſideranda eſt auctoritas; hoc enim ut fieret, Petri præceptum inſtabat, dùm 1. *Pet.* 5. dicitur: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, non turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis.* Unde nullum in hac parte Monachorum ius ſingulare erat, ſed lex quædam ac regula generalis, quam ex Petri præcepto reſpectu totius Cleri definiunt Patres ſeptimæ Synodi *in cap. prædicator* 64. 16. *q.* 1. ibi: *Propter quod & nos edocti ab eo definimus, Epiſcopum nullatenus turpis lucri gratia excogitare ad excuſandas excuſationes in peccatis expetere aurum, vel argentum, aut aliam ſpeciem ab Epiſcopis, vel Clericis, vel Monachis qui ſub ipſo ſunt.* Tum etiam, quia in huiuſmodi privilegijs Monachi non fuerunt liberati à Canonicis & iuſtis præſtationibus, ut conſtat *ex cap. Eleutherius, & ex cap. fin.* 18. *q.* 2. ubi & Gratianus advertit.

49 Concedebatur Monachis, ut ſibi Abbatem eligerent de ſua Congregatione *cap. Abbas & ſeqq.* 18. *q.* 2. At ita electus, ab Epiſcopo confirmandus & inſtituendus erat *cap. hoc tantùm* 1. 18. *q.* 2. Tribuebatur Abbatibus Monaſterij interior cura, regimen œco-
50 nomicum Monachorum, & rerum adminiſtratio, ut præter alia iura probat *cap. nullam, & cap. Abbates ead. C. & q.* At hæc Abbatis poteſtas Epiſcopo erat ſubordinata, ita ut illius viſitationi & correctioni ſubeſſet *cap. ſi quis Abbas cum ſeqq. cap. viſitandi & ſeq. ead. C. & q.* Ac tandem per hęc eadem tempora generali cavebatur conſtitutione, ut Monaſteria omnia illi ſubeſſent Epiſcopo, in cuius territorio ſita erant, *cap. Monaſteria* 17. *ead. C. & q.* Hæc ſufficiant,
51 ut antiquorum Canonum verò ſenſu detecto, nihil obſtent, quæ ſupra *à num.* 32. pro dubitandi ratione propoſuimus; & ut ſimul innoteſcat nonniſi contra expreſſos Canones dici poſſe, prout dixit Ugutio Decreti Interpres, Monachos à iure communi antiquo omninò fuiſſe relaxatos ab integra Epiſcopi lege Diœceſana.

52 Sed adhuc præſtat, ut ſingula quæ oppoſuimus ſeorſim conſideremus. Atque ita non obſtat in primis, quod de S. Gregorio diximus *in d. cap. quàm ſit neceſſarium, & d. capite luminoſo*, quæ duo Capita, ut advertunt Correctores Romani, deſſumpta ſunt ex Concilio Romano anni 601. Nam in primis dici poteſt cum Florente *ad cap. auditis de præſcript. cap.* 2. *fol.* 272. *& de ſtat. Monach. ad quæſt.* 2. *cauſæ* 18. Illud Romanum Concilium, quod Baron.
53 dicit celebratum à S. Gregorio in Laterano *indict.* 4. ſuppoſititium eſſe & commentum ocioſi cuiuſdam Monachi,

qui

qui ex variis Epiſtolis S. hujus Pontificis, maximè verò *ex Epiſt.* 18. *lib.* 7. *Regiſt.* ſcripta *ad Marinianum Ravenatenſem Epiſcopum*, contexuit fictum illud Concilium; ut ex ſingulari indulto inhac & in aliis Gregorij Epiſtolis contento, generale omnibus Monaſteriis fabricaret privilegium. Falſitatis argumenta
54 ea proponit Florens. 1. quod in libro Regiſtri confecto *ſub indictione* 4. illud Concilium non invenitur. 2. quod in illo Concilio repetitæ habentur Epiſcoporum ſubſcriptiones ex aliis Conciliis ſub eodem Gregorio habitis. 3. quod in ipſo Concilio inaudita continentur privilegia, ut nempè ab omnibus Canonicis juribus Monaſteria omnia forent exempta. 4. quod ejuſdem S. Pontificis plura extant teſtimonia, in quibus Monachi Epiſcoporum poteſtati & juriſdictioni ſubjecti declarantur. 5. dici poteſt, quod ſi generali præfati Concilij ſanctione Monachi & Monaſteria ab Epiſcoporum poteſtate & jure eſſent ſoluti; fruſtranea eſſent tot ac tanta privilegia, quæ ſingulariter certis Monaſteriis leguntur poſteà conceſſa, in quibus immunitas à quibuſdam legis diœceſanæ oneribus tribuitur. Falſi etiam mihi ſuſpicionem confirmavit, quod in noviſsima editione collectionis Decreti, quam Card. Turrecremata diſpoſuit, & Iuſtus Fontaninus annotavit, duo illa Capita non inveniuntur.

55 Sed licèt genuinum illud Concilium dicamus, adhuc tamen cum Ludov. Thomaſin. *d. libr.* 3. *cap.* 30. *num.* 3. dicemus univerſam libertatem, Monachis in eo conceſſam, non ultra extendi, quàm ut Monachis tribuat liberam electionem Abbatis, & Abbatibus temporalium Monaſterij adminiſtrationem & clauſtrale regimen & diſciplinam; ac perindè immunitas quædam in eo continetur, quæ tantùm liberat à particularibus oneribus legis diœceſanæ; quin per hoc dici poſsit Sanctiſsimo huic Pontifici in mentem veniſſe, Monachos eximere ab ſpirituali nativa Epiſcoporum juriſdictione, cujus conſervationi maximè ſtuduit, ut patet ex ipſius Epiſtolis. Nec tunc obſtant illa verba quæ leguntur apud Gratianum *in d. cap. quàm ſit neceſſarium*, ibi: *Nullis Canonicis juribus deſerviant*, quæ ſua amplitudine etiam à Canonica ſubjectione & juriſdictione Epiſcoporum eos abſolvere videntur: nam, ut notant ibidem Correctores Romani, in Concilio legitur *Canonicis Curis*, quæ ſanè verba juriſdictionem non lædunt. Atque ita accipienda etiam ſunt quam-
56 plura privilegia ejuſdem S. Pontificis, ut nempè Monachos tantùm liberent à quibuſdam particularibus oneribus legis diœceſanæ; non verò à lege juriſdictionis, quàm ſanctam tectamque ſervare peroptavit ſemper, ut privilegiis hujuſmodi & Epiſtolis prolixè percurſis docuerunt AA. *citati ſupra num.* 46. Pro quo ſuadendo ſufficit *Epiſt.* 24.
57 *lib.* 2. *indict.* 10. ubi ad Euſebium Abbatem ita ſcribit: *Qui ſe contra Præpoſitos ſuos erigunt profectò oſtendunt, quia ſervi Dei eſſe contemnunt.* Proſequitur S. Pontifex, & eumdem Abbatem de ſuo Epiſcopo, licèt juſtè conquerentem, à ſubjectione non abſolvit; ſed, ut ſe humiliter ſubiiciat, hortatur, his verbis: *Et quidem ab illo Epiſcopo hoc quod factum eſt minimè fieri debuit; à te tamen omninò debuit humiliter ſuſcipi: & rurſum cum gratiam redebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita à te factum non eſt, adhuc cognoſco, quia nobis omninò lachrimarum opus eſt. Non enim grande eſt iis nos eſſe humiles, à quibus honoramur, quia & hoc ſeculares quilibet faciunt. Sed illis maximè humiles eſſe debemus à quibus aliqua patimur, nam Pſalmiſta dicit: Vide humilitatem meam de inimicis meis. Nos cuius vitæ ſumus, qui humiles eſſe etiam Patribus nolumus? Proindè dilectiſsime filij, rogo ut omnis ama-*

amaritudo de corde tuo tranſeat, nè fortaſſe finis vicinus ſit, & antiquus hoſtis per iniquitatem diſcordiæ viam regni Cœleſtis intercludat.

58 His præjactis, ad Africæ privilegia expendenda, properamus, & quamvis ex antea dictis recto ſenſu donari poſsint; adhuc tamen ſingularia quædam in ipſis & in Conciliis Carthaginenſibus obſervanda ſunt. Et in primis diffiteri nequit, privilegia in Africa Monachis conceſſa eo tempore ampla & ſingularia valde fuiſſe. Sed reverà hæc Monaſteriorum privilegia
59 non tam fuerunt immunitates, aut exemptiones ab Epiſcopis, quàm commutationes dominationis, & ſubiectionis; quia omnia Africæ Monaſteria, ut maximè libera dicerentur ab Epiſcopo Diœceſano; tamen alteri ſubiiciebantur Epiſcopo, & perſæpè Archiepiſcopo Carthaginenſi, ut certè ſuberat Monaſterium illud, de quo agitur in Concilio ſub Bonifacio. Ut autem alij Epiſcopo quàm Diœceſano ſubeſſent, ſæpè id efficiebat voluntas fundatorum, quibus, Epiſcopis indulgentibus, magnæ in hoc partes erant, ut cui vellent, quæ offerebant ſubiicerent. Ulteriùs obſervandum in his Africæ Concilijs non omninò Diœceſanos
60 Epiſcopos exui Canonica juriſdictione, quippè adhuc eis reſervabatur poteſtas conſecrandi Chriſmatis, ordinandi, ac benedicendi. Quin, correptionem Abbatum & Monachorum ipſis reſervatam, licet arguere, ex quo expreſsè eis non adimitur. Plura alia in hæc privilegia obſervat Thomaſin. *d. lib. 3. cap. 31. num. 9.* Sed vereor, ne adeò ampla hæc privilegia ſint, ut ipſe putat,
61 quoniam ex ipſorum Conciliorum contextu patet, eam unicam Patribus Africanis (veteris aliàs juris retinentiſsimis) curam fuiſſe, ut Monachos & Monaſteria ab infeſtatione & gravaminibus Epiſcoporum liberarent; atque, ut quieti, & Monaſticæ diſciplinæ ſervandæ, conſulerent, unde eædem in his Conciliis recenſentur immunitates, quas antea vidimus in privilegiis S. Gregorij. Atque ita videtur limitationem illam: *Servatis limitibus Conciliorum in hæc duntaxat*, intelligendam eſſe in pertinentibus ad legem diœceſanam; non verò in iis, quæ ſpectant ad legem juriſdictionis. Quæ interpretatio ſuadetur, nam Concilia Gallicana, quæ illa Africæ, ut normam concedendorum privilegiorum reſpexere, non ultrà immunitates ſuas protulerunt quàm ut Monachos à lege diœceſana partim liberarent, ut ſtatim videbimus. Itaque exiſtimo hæc privilegia judicanda eſſe ejuſdem naturæ, ac illa poſtea explicanda, in quibus Sedes Apoſtolica protectionem ſuam elargitur: illudque
62 ſingulare in Africa fuit, Carthaginenſem Primatem hæc protectionis conceſsiſſe privilegia perdiù ante quam Romanus Pontifex ea auctoritate extra Italiam uteretur, ut idem Thomaſinus annotat *eod. num. 9.*

63 Exponendis Conciliis Gallicanis, quæ in ratione dubitandi adduximus, hic ex profeſſo immorarer, niſi ex proximè notatis, & ex eorum contextu, illud ſtatim eniteret, non aliò reſpexiſſe eorum Patres, quàm ut libera Monachis eſſet Abbatis electio, & res Monaſteriorum in tuto eſſent; ac exinde nequaquàm conceſſerunt aliquid, quod Epiſcoporum juriſdictionem læderet. Quod utique prolixè demonſtrant Thomaſinus, & Florens *locis ſupra cit.* Quamobrèm hic ſuperſedebimus, ut, eorum exemplo, Nationis noſtræ diſpiciendis priuilegiis & Conciliis attentiùs immoremur.

64 Putant aliqui Gratianum in Decreto compilaſſe *Canonem 3.* Concilij Illerdenſis, ut ita illum obtruderet tanquam generale quodam conſtitutum, quo Monachi jure communi à lege diœ-

diœceſana univerſa immunes crederentur ; atque ita Florens *in d. capit. auditis* , advertit illius Concilij , ut Provincialis , auctoritatem ad Hiſpaniam , quin ad Provinciam Tarraconenſem reſtringi, ac proindè jus univerſale non inducere. Sed profectò ampla adeò exemptio in Conciliis Hiſpanienſibus non regiſtratur , ut Gratianus eorum auctoritate Monachis omnimodam ab Epiſcopis libertatem aſſerere potuiſſet ; nam in Hiſpania idem ferè jus, quod in aliis regionibus pluribus ſæculis obſervatum permanſit. Hiſpa-
65 nienſes ſiquidem Patres Eccleſiæ univerſalis legibus, aut aliarum Provinciarum conſtitutionibus mirè ſe conformarunt. Sic ergo in Concilio Barcinonenſi anni 540. *can.* 10. illa circa ſubjectionem Monachorum & diſciplinam proponitur cuſtodienda regula , quam Synodus œcumenica Chalcedonenſis, de qua *ſupra num.* 25. præſcripſit ; dicitur enim *in d. can.* 10. *De Monachis verò id obſervari præcipimus , quæ Synodus Chalcedonenſis ſtatuit.* Quod juris ittidem in Gallia erat circa Monachos , id utique confirmatur in Concilio Tarraconenſi anni 516. *can.* 11. ibi: *Canonum ante omnia Gallicanorum de eis conſtitutione ſervata* : quæ verba omiſit Gratianus *in cap. Monachi à Monaſt.* 16. *q.* 1. ubi Tarraconenſem Canonem retulit. Quænam verò ſunt hæc Gallicana Concilia de Monachis loquentia , niſi Agathenſe , & Aurelianenſe , de quibus ſupra , & quæ poſtmodum nominatim renovata fuerunt *in d. can.* 3. Concilij Illerdenſis anno 546.? Manet ergo in
66 Hiſpania noſtra ſæculo VI. jus commune circa plenam Monachorum Epiſcopis ſubjectionem fuiſſe ſervatum, juxta Chalcedonenſis , Agathenſis, & Aurelianenſis Synodorum ſtatuta, quæ abſque exceptione ulla Monachos Epiſcoporum poteſtati ſubiiciebant.

67 Nec Canonicæ huic & univerſali Epiſcoporum poteſtati derogari voluit laudata Illerdenſis Synodus ; dùm enim generalitèr confirmat præfata concilia Gallicana , luculenter conſtat , id unum tantùm voluiſſe , ut , illibato communi jure, quædam tantùm adjiceretur exceptio, quæ antea non obtinebat , quod denotant illa verba : *Hoc tantùm adjiciendum.* Ut nimirùm ad Monachi ordinationem Abbatis voluntas accederet ; & ut oblationes , Monaſteriis factæ , ipſis præcipuæ eſſent , & Epiſcopi eas ſibi non adſumerent. Cavebatur enim in gemini illius Concilij Canonibus pro regula, ut Epiſcopo in res & bona Monaſteriorum ampla eſſet poteſtas : & expreſſimè *in Can.* 14. *&* 15. Concilij Aurelianenſis ex oblationibus Monaſterio factis certa pars addicebatur Epiſcopo : recepti ergo juris in hac parte exceptionem , ſeu moderationem Synodus Illerdenſis induxit , ob ſummam paupertatem veterum Monaſteriorum; atque ita ſtatuit , ut, quæ à fidèlibus ultrò Monaſteriis offeruntur , Epiſcopi non aucupentur ullo diœceſanæ legis prætextu: hoc enim important Canonis verba : *In nullo diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur.* Quæ dùm reſtringuntur ad oblationes , in reliquis jus commune , quod uſque tunc obtinuerat , integrum & illæſum reliquiſſe manifeſtum eſt: ut jam exinde nec nobis obſtet hic Canon.

68 Benè tamen verum eſt in poſterioribus Conciliis Hiſpaniæ Monachorum fuiſſe auctas immunitates, quippè Hiſpanienſes Epiſcopi , qui certè ab initio Monachorum amantiſſimi fuerunt , & in ipſos liberales , maximè conſuluerunt Monaſteriorum conſervationi, ut patet in Concilio Hiſpallenſi II. anni 619. *Can.* 10. ubi Bæticæ Epiſcopi contra eos , qui Monaſteria ſpoliare convellere , vel diſſolvere aude-

audebant, acriter edicunt, Similiter quorumdam Epiſcoporum imperioſa dominatio ab omnibus Hiſpaniæ Epiſcopis coercetur in Concilio Toletano IV. anno 633. *Can.* 51. ibi: *Quapropter monemus eos, qui Eccleſiis præſunt, ut ultra talia non præſumant: ſed hoc tantùm ſibi in Monaſteriis vindicent Sacerdotes quod præcipiunt Canones, ideſt Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbateſque aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere. Quodſi aliquid in Monachis canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quidpiam de Monaſterij rebus tentaverint, non deerit illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſubſtulerunt de illicitis.* Hoc eodem ſpiritu in Concilio Toletano VII. *Can.* 4. cavetur ne duo ſolidi, qui Epiſcopo viſitanti in Concilio Bracharenſ. II. *Can.* 2. aſsignabantur, à Monaſteriis exigerentur, dicitur enim in Canone Toletano: *Monaſteriorum autem Baſilicis ab hac ſolutionis impenſione ſejunctis*, qui Canon integer habetur *in cap. inter cætera* 10. *quæſtion* 3.

69 Hæ ſanè erant Monachorum in Hiſpania antiquæ immunitates ſeu privilegia; quæ licèt exigui, pro illorum temporum conditione, non ſint habendæ; non tamen adeò Monachorum ſingulares fuerunt, ut penè eædem ſæcularibus Clericis & Eccleſiis non indulgerentur. Cùm enim Clerici pariter ac Monachi de quibuſdam Epiſcopis, propter ſupra expenſos abuſus quærerentur, paritèr etiam Clericis & Eccleſiis proſpectum eſt, quod vel unum ſatis probat Concilium Bracharenſe II. in cujus Canone 2. ut diximus, ſtatuitur, *ut nullus Epiſcoporum cum per Diœceſes ſuas ambulant, præter honorem Cathedræ ſuæ, ideſt, duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat.* Sicut Concilium Illerdenſe de oblationibus Monaſteriorum, ita in hoc Canone circa oblationes, Eccleſiis factas, diſponitur, ut Epiſcopus: *Neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Eccleſiis Parochialibus requirat: ſed illa tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ vel reparatione ſervetur.* Ut Concilium Toletanum IV. cohibuit quorumdam Epiſcoporum in Monachos durum imperium, ita hic cohibetur in Clericos: *Similitèr & Parochiales Clerici ſervili more in aliquibus operibus Epiſcopo ſervire non cogantur, quia ſcriptum eſt neque dominantes in Clero.* Hæc *Canon* 2. Bracharenſis, relatus *in cap.* 1. 10. *q.* 3. In eodem Concilio *in can.* 3. relato *in cap. placuit* 22. 1. *quæſt.* 1. prohibetur Epiſcopis ne pro ordinationibus Clericorum aliquod munus exigant. Item *in can.* 4. qui habetur *in cap. placuit* 102. 1. *q.* 1. ſtatuitur, ut pro Chriſmate Epiſcopus nihil accipiat. Denique in *canon.* 5. relato *in cap. placuit.* 1. 10. *quæſt.* 2. diſponitur, ut pro dedicandis Eccleſiis Epiſcopus nihil
70 exigat. Hæc ſatis demonſtrant Monachorum & Clericorum immunitates eumdem in ſcopum collimaſſe, atque utriſque (licèt illæ Monachorum paullò ampliores eſſent) non tam diminutam, quàm temperatam Epiſcoporum fuiſſe poteſtatem, quam Concilia Hiſpaniæ ſæpè confirmant, ut liquet in ipſo Toletano IV. *can.* 51. & 53. & *in d. can.* 4. Toletani VII. nam dùm Monaſteria liberat à præſtatione duorum ſolidorum, ea manifeſtè ſupponit Diœceſani viſitationi ſubjecta. Et ad cumulum in Emeritenſi Synodo anni 705. *can.* 11. pleniſsima tribuitur poteſtas Epiſcopis Abbates corripiendi, illoſque viſitandi.

71 Permanſit pluribus ſæculis in Hiſpania juriſdictio Epiſcopalis ſoſpes & illæſſa, nam ſi quæ concedebantur privilegia, non ſecus ac hucuſque relata, ad electionem Abbatis & res Monaſterij temporales referebantur; integra verò

&

& illibata manente Epiſcopali juriſdictione. In quam rem ex Annaliſta Benedictino Antonio de Yepes *in append. ad* 1. *Tom. ſuæ Chron.* profero privilegium conceſſum Monaſterio S. Æmiliani anno 1038. à Sanctio Navarræ Rege, conſentientibus & confirmantibus Najarenſi, Avetenſi, Alavenſi, & Oſcenſi Epiſcopis; qui eò tunc convenerant, ut corpus S. Æmiliani à Sepulchro, quo continebatur, in arcam à Rege præparatam transferrent: in quo quidem privilegio aliqua propoſito noſtro notanda veniunt. I. Regem in illa Eccleſia Monachorum congregationem ſub regula S. Benedicti conſtituiſſe: *Suggerente mihi Clero, ac populo Monaſticum ordinem ſecundum regulam S. Benedicti in eadem Eccleſia diligenti induſtria conſtitui*: II. Abbatem à Monachis fuiſſe electum; ſed ab Epiſcopo ordinatum: *Ferrutium nomine à congregatione regulariter electum, pontificali conſecratione Abbatem ordinari feci*: III. Ampliſsimis donationibus Rex Monaſterium ditat, & juxta illorum temporum mores Epiſcopis interdicit, ne *ab eorum Monaſterij Parochiis, vel Villis primitiva, vel tertias requirant.* IV. Epiſcopi oblationem à Rege factam laudant, & corrovorant, & prohibent, ne ſuorum ſucceſſorum *aliquis aliqua occaſione, vel iniqua præſumptione ab Eccleſiis, vel Parrochiis Beato Æmiliano datis, vel dandis, & intra fines Epiſcopatuum noſtrorum poſitis, primitiva vel tertias exigat.* V. Hi Epiſcopi dùm res Monaſterij in tuto eſſe volunt, Canonicam Epiſcopalem poteſtatem illæſſam declarant, inſiſtentes Concilij Toletani IV. Regula, his verbis: *Sed hoc tantùm ſibi in Monaſterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, ideſt Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbates divinaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere.*

72 Cùm ea, quæ ad Hiſpaniæ antiqua privilegia ſpectant, abſolverimus, adhuc conſiderandum in univerſum reſtat, quod longè pluris ante ſæculum XI. Pontifices Romani ea ſolebant concedere privilegia, quibus Monachos & Monaſteria ſub Apoſtolica recipiebant protectione: quæ protectio aliquibus eius virtutis viſa fuit, ut Epiſcopi reſolveret excideretque juriſdictionem, ut delata ad Innocentium III. quæſtio demonſtrat; ſed profectò ceſſat prorsùs hæſitatio ex ipſa Innocentij deciſsione, quæ jacet *in cap. ex parte* 18. *de privil.* & ita ſe habet. *Ex parte tua fuit quæſitum utrum Clerici & laici, qui litteras protectionis oſtendunt, in quibus perſonæ ſuæ expreſſo nomine cum omnibus rebus ſuis ſub Apoſtolica protectione conſiſtere declarantur, à juriſdictione Epiſcopi Diœceſani ſint exempti. Nos autem tibi reſpondemus, quod per litteras hujuſmodi ab Epiſcoporum ſuorum poteſtate minimè ſubtrahuntur.* Quæ Inno-
73 centij deciſio mirè illuſtratur, attenta ſimilium privilegiorum origine, quæ inde eſt petenda, quòd pij fundatores cùm in proprio agro, ſeu allodio Monaſteria extruebant dotabantque; ut magis pleniuſque illorum conſervationi & quieti proſpicerent, remotis illis, quos ſupra retulimus exceſsibus, Monaſteria eorumque bona poteſtati, & tuitioni Apoſtolicæ Sedis commendabant; ut ſanè fecit Uvillelmus Dux Aquitaniæ, Cluniacenſis Monaſterij Fundator, in cujus teſtamento relato *in Bibliot. Cluniac. pag.* 88. & 89. habetur: *Res juris mei Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo de propria trado donatione, Cluniacum ſcilicèt.* Pontifices verò, piis Fundatorum moti precibus, haud quaquàm dubitarunt, expetitam protectionem, ſuis privilegiis elargiri. Sed tam fundatores quàm Pontifices longè alia erant mente,

quàm ut Monaſteria per hoc à juriſdictione Diœceſani Epiſcopi eximerent. Sic, cùm Cluniacenſes ejuſmodi privilegio ab Epiſcopis ſe putarent exemptos, menti fundatorum eos contraire Bernardus docuit *lib. 3. de conſider. ad Eugen.* ibi: *Aliud eſt, quod largitur devotio fundatorum, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis.* Ut menti fundatorum reſpondebat illa Pontificum; hinc alia eis in hujuſmodi privilegiis non erat affingenda voluntas, quàm ut vindices ac defenſores ſe conſtituerent, abſque ulla Epiſcopalis poteſtatis jactura. Si cui ergo vacat, legat hujuſmodi privilegia, quorum aliqua retulit Thomaſin. *d. lib. 3. cap. 33. a num. 4.* & inveniet in eis præſervari Epiſcopi juriſdictionem, vel generali clauſula *ſalva Epiſcopi obedientia*, aut *Canonica ſubjectione*; vel ſpecialitèr, Monaſteria ſubjiciendo in ordinibus, Oleo, Chriſmate, dedicationibus Eccleſiarum, conſecrationibus Altarium, criminalium Abbatum judiciis aliiſque cauſis.

74 Nec amplior aliunde exemptio Monaſteriis tributa credenda eſt, ſi ultrà protectionem, cenſus annuus in protectionis ſignum exolvendus injungatur: nam is cenſus, non ut redemptæ libertatis pretium eſt computandus; ſed ut pietatis argumentum & teſtimonium, quo Monachi ſignificarent agros poſſeſſioneſque, quas haberent, Sedi Apoſtolicæ à fundatoribus fuiſſe donatas; quod confirmat Alexander III. *in cap. recipimus de privil.* ibi: *Si ad indicium perceptæ protectionis cenſus perſolvitur, non ex hoc juri Diœceſani Epiſcopi aliquid videtur eſſe detractum.* Ejuſdemque ſententiæ eſt Bonifacius VIII. *in cap. ſi Papa de privil. in 6.* Alia proſequuntur Cypeus *lib. 5. de privil. reſponſ. 1. per tot.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. allegat. 123. num. 16.* D. Salgad. *de reg. protect. part. 1. prælud. 3. num. 207.* Fagnan. *in d. cap. ex parte el 2. num. 1. de privil.* noviſsimè Card. Vincent. Petra *ad Conſtit. Apoſt. tom. 2. fol. 136. num. 42.*

75 His privilegiis affiniæ ſunt illa, in quibus Pontifices, ut ſuam tuitionem pleniùs indigitent, illam ſolent adjicere clauſulam: *In proprios & ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filios vos recipimus.* Quæ ſanè exemptionem ab Epiſcopi juriſdictione non inducit, ut luculenter docet Bonifacius VIII. *in Cap. ſi Papa de privil. in 6.* ubi diſſertè ait: *Si in proprios & ſpeciales filios Rom. Eccleſiæ ſunt ſuſcepti, tales quippè exempti propterea non ſubſiſtunt.* Mens ſiquidem Pontificum, in hujuſmodi clau-

76 ſula adiicienda, eò reſpicit, ut perſonæ, quibus ſuam protectionem & defenſionem impertiri volunt, honoratiores Ordinariis his verbis reddantur; ita ut non ab alio quàm à Romano Pontifice, aut ejus *à latere* Legato, interdici aut excommunicari valeant; in quo licèt magna verſetur immunitas, quæ *pleniſsima libertas* dici ſolet, ut in relato ſupra Concilio Carthaginenſi ſub Bonifacio, ubi præcipuè de hoc agebatur; tamen exemptio à juriſdictione nulla intervenit, ut in quadam controverſia inter Archiepiſcopum Toletanum, & Equites Divi Jacobi, de qua infra *in cap. 5.* expreſsè declaravit primùm Gregorius IX. ac deinde Innocentius IV. *in cap. Veniens de verb. ſignif. in 6.* ibi: *Per illa verba privilegij in ſpeciales & proprios Eccleſiæ Romanæ filios vos recipimus, dictos Fratres exemptos non intelligi, & ipſos ex illo in proprios eiuſdem Eccleſiæ filios fuiſſe receptos, quòd ab alio quàm Romano Pontifice vel Legato ab ejus latere deſtinato interdici vel excommunicari non valeant, declaramus.*

77 Ex iis, quæ in hoc capite conſideravimus, proderit hic principaliora

paliora quædam velùt in ſumma colligere & annotare. I. Perſonas omnes de Diœceſi ſive Sæculares, ſive Regulares Epiſcopi Diœceſani omnimodæ poteſtati, ſive ordinis, ſive adminiſtrationis, ſive juriſdictionis, aut quod idem eſt, quoad utramque legem, eſſe de jure communi ſubjectas; unde hæc ſubjectio naturalis originaliſque dici debet, & in ipſo jure fundata. II. Licèt poſtea in Conciliis & particularibus privilegiis hæc generalis perſonarum ſubjectio fuerit aliquantulùm limitata, aliquibus tributis Monachis immunitatibus; tamen hæ immunitates ordinis poteſtatem & jura Epiſcopo ipſius ratione competentia non immutarunt: adminiſtrationis poteſtatem in aliquibus temperarunt, quatenus Monaſteriorum conſervationi, quieti & Regulari diſciplinæ expediebat. III. Hinc licèt his immunitatibus aliquid detractum ſit de illa Epiſcoporum ampla lege diœceſana; poteſtati verò, aut legi juriſdictionis nihil præjudicatum uſque ad Sæculum XI. in quo cæpit exemptionum (propriè dictarum) uſus innoteſcere, ut dicemus *in Capp. ſeqq.*

78 IV. In his omnibus alternationibus ſacræ politiæ, ſive cùm Epiſcoporum poteſtas in omnes abſque exceptione vigeret; ſive cùm perſonarum cæpit eſſe diſtinctio, & aliqui ab eorum imperio ſubduci cæperunt; unam Conciliis Pontificibus, Epiſcopis, & fundatoribus intentionem fuiſſe, ut unanimitas arctiſsimaque concordia inter Epiſcopos Monachoſque perſiſteret; quæ, his ſtantibus immunitatibus, in eo vertebatur, ut Monachi, ſecundùm priſcam Canonum inſtitutionem, Epiſcopi ſpiritali juriſdictioni eſſent obnoxij; & viciſsim Epiſcopi, omni duritie cupidineque depoſita, temporalia Monaſteriorum, & eorum Clauſtralem curam ac quietem non turbarent, ita Sanctiſsim. Gregorius *in Epiſt. 33. lib. 7. indict. 1.* Ubi poſtquam redarguit Epiſcopi Scillitani avaritiam ſic concludit: *Servatis itaque omnibus, quæ à tuis, ſicut diximus, prædeceſſoribus promiſſa ſunt ac ſervata, curæ tuæ ſit circa actus ac vitam conſiſtentium illic Monachorum te vigilantem inſiſtere: & ſi quempiam illic pravè converſari, aut in aliquam immunditiæ, quod abſit, culpam inveneris incidiſſe, diſtricta ac regulari emmendatione corrigere. Nam ſicut ab iis quæ incongruè uſurpantur, fraternitatem veſtram volumus abſtinere, ita in his, quæ ad diſciplinæ rectitudinem vel animarum curam pertinent, eſſe ſollicitam, modis omnibus admonemus.*

***

*

CAP.

CAP. IV.

Oſtenditur origo & antiquitas Prælatorum Inferiorum, & qualis, quantaque ſit eorum juriſdictio demonſtratur, juxta triplicem exemptionum claſſem.

SUMMA CAPITIS.

1 *Prælatorum Inferiorum jura, æque ac illa Epiſcoporum, illæſſa conſervari ad concordiam expedit.*

2 *De acceptione huius vocis* Prælatus *& quatenus differat ab illa* Præpoſitus.

3 *Prælatus impropriè ac latè eſt quicumque æliis præeſt ratione curæ animarum, vel alterius prærogativæ.*

4 *Prælatus propriè & ſtrictè eſt, qui juriſdictionem coercitivam & contentioſam habet.*

5 *Epiſcopus ſolùm & propriè Prælatus Eccleſiæ de jure communi.*

6 *Prælatus Inferior, qui juriſdictionem habet, propriè eſt Prælatus.*

7 *Bifariàm accipitur hæc vox* Inferiot, *& hinc deducitur diviſio Prælatorum Inferiorum in exemptos, & Epiſcopo ſubjectos.*

8 *Reſtringitur tractatus ad Prælatos Inferiores exemptos.*

9 *Qualis origo quantaque ſit Prælatorum Inferiorum antiquitas?*

10 *Prima Concluſio*: Prælati Inferiores, de quibus loquimur, incogniti fuerunt uſque ad Sæculum XI.

11 *Per quinque priora Eccleſiæ ſæcula Prælati Inferiores verificari non potuerunt.*

12 *Archipræsbyteri, Primicerij, Decani, & alij ex ſua inſtitutione juriſdictione carent, & nudi ſunt Miniſtri.*

13 *Archidiaconi ab ipſo initio magna auctoritate pollebant.*

14 *Sed non erant ab Epiſcopo exempti, & vicaria non propria utebantur juriſdictione; & hinc conciliantur Innocentius & Abbas.*

15 *Vigens primis ſæculis Epiſcoporum indiſtincta juriſdictio in Monachos & Monaſteria, excludit Prælatos Inferiores Regulares & exemptos eiſdem primis temporibus.*

16 *Primi Regularium Prælati uſque ad Sæculum XI. Abbates dicebantur.*

17 *Qualiter aucta fuerit Abbatum dignitas & poteſtas.*

18 *Abbates ab initio ultimum gradum in Eccleſiæ ordine habebant, poſteà proximam Epiſcopo dignitatem obtinuerunt.*

19 *In Concilio Tridentino poſt Epiſcopos Abbates, poſt Abbates Ordinum Generales ſederunt.*

20 *Abbates primitivi laici erant; poſteriores Pontificalibus inſigniis donati.*

21 *Abbates primævi Epiſcopis ſubjecti, & nudi tantùm Miniſtri; poſteriores exempti, potentiaque conſpicui.*

22 *Recentiorum Ordinum SS. Conditores nomen Abbatis humilitatis cauſa declinarunt.*

23 *Munus Abbatiale per ſe & ex ſua inſtitutione juriſdictionem non importat.*

24 *Nomen Abbatis ſolùm dicit ſollicitudinem & poteſtatem œconomicam, ut Patris & Magiſtri.*

25 *Poteſtas Abbatis dicitur præeminentia fraternalis.*

Abbates

26 *Abbates ſuam poteſtatem dependentèr ab Epiſcopo exercebant.*

27 *Sæculo VI. variis privilegiis tribuitur Abbatibus privativa poteſtas in pertinentibus ad clauſtralem diſciplinam, & temporalium liberam adminiſtrationem.*

28 *Hæc tamen Abbatum poteſtas non erat juriſdictionalis, ſed œconomica, & ſubalternata juriſdictioni Epiſcopi.*

29 *Quamvis Monachi, in pertinentibus ad Regulam, potius Abbati, quàm Epiſcopo obedire tenerentur, & hac de cauſa Abbas Monachos poſſet corrigere; tamen correctio non fiebat in figura judicij, ſed œconomicè.*

30 *Excommunicatio per Abbates inflicta, de qua frequens mentio in Regula S. Benedicti, non erat cenſura Eccleſiaſtica.*

31 *Opponitur contra Concluſionem, Sæculo VII. conceſſa fuiſſe Abbatibus privilegia cum privativa juriſdictione, ut eſt illud Adeodati conceſſum Monaſterio Turonenſi, & aliud Zachariæ tributum Abbati Fuldenſi.*

32 *Reſpondetur; præfata privilegia ut ſingularia generalem Concluſionis ſententiam non oppugnare, etſi genuina eſſent.*

33 *Privilegium Adeodati fictitium dicitur à pluribus AA.*

34 *Quædam ſingularia in privilegio Zachariæ.* Primum: *quod conceſſum extitit* cùm Epiſcoporum conſenſu.

35 Secundum: *quod illæſſam ſervavit juriſdictionem Epiſcopi quoad plures actus.*

36 Tertium: *quod Abbatia Fuldenſis erat fundata in loco, ubi non apparebat Epiſcopatus antea conſtitutus; unde Abbas Fuldenſis nativam ſibi poſtmodùm exemptionem adſeruit.*

37 Quartum: *profertur judicium Ludovici Thomaſini.*

38 *Secunda Concluſio*: Prælati Inferiores exempti, de quibus in quæſtione, à ſæculo XI. cogniti in Eccleſia fuerunt.

39 *Ex quo introductæ fuerunt exemptiones, neceſſariò ittidem introducti Prælati Inferiores.*

40 *Diſſonum abſurdumque eſt membra ſine capite fingere.*

41 *Quidquid privilegium exemptivũ Epiſcopo adimit, in Prælatum Inferiorem transfert.*

42 *Exemptionis vis & poteſtas eſt ſubducere ab uno, & ſubjicere ad alterum.*

43 *Diſtinctio inter Monaſteria exempta & non exempta non apparet niſi à ſæculo XI.*

44 *Ab hoc etiã tempore quærimoniæ Epiſcoporũ adverſus exemptiones perſonare cæperunt.*

45 *Per hæc tempora, ſicut alia diſciplinæ capita mutata, ita & juriſdictio Epiſcoporum juſtis de cauſis minui per privilegia cæpit.*

46 *Romana Eccleſia, omnium dignitatum mater, poteſt quoties expedit Prælatos Inferiores creare.*

47 *Vbi Monaſteria in Congregationes redigi & adunari cæperunt ſub uno Prælato Generali, aptiùs congruentiùſque viſum eſt, Monachos ab aliis ejuſdem profeſſionis, quàm ab Epiſcopis gubernari.*

48 *Monachorum ſanctimonia, & Regularum exacta obſervantia ſæpè fuit in cauſa, ut immunes ab Epiſcopis redderentur.*

49 *A Caſſinenſi, & Cluniacenſi Cõgregationibus maximo cùm æſtuarent fervore, privilegia exemptiva fuiſſe exorta, plures affirmant.*

50 *Plures Principes optarunt inter Confratres Cluniacenſis Congregationis adſcribi.*

51 *Cluniacenſes per univerſum ferè Occidentem priſtinum Monaſtici inſtituti vigorem revocarunt.*

52 *Paribus etiam de cauſis poſteriores SS. Ordines Pontifices privilegiis exemptivis ornarunt.*

53 *Eximia, omnique laude digna Hieroſolymitanorum merita iuſtiſſimis remmuneravit Eccleſia privilegiis.*

54 *Introductioni exemptionum cauſam dedit aliquorum Epiſcoporum culpa.*

55 *Analogia quædam inter emancipationes, & exemptiones proponitur, & S. Bernardi de ea judicium.*

56 *Laudantur remiſsive AA. de hoc copioſius agentes.*

57 *Immunitates à Lege Diœceſſana Monachis tributæ ante ſæculum XI. fuerunt velùt rudimenta exemptionum.*

58 *Sedes Apoſtolica juſtis de cauſis à ſæculo XI. privilegia hæc ita propagavit, ut nulla hodie ſit Religio, quæ exemptione non gaudeat.*

59 *Cùm exemptiones ad maximum pervenere augmentum, modificatæ valde ſunt à ſæculo XV. in Conciliis Conſtantienſi Lateranenſi V. & S. Tridentino.*

60 *Si quæ propter privilegia damna experiuntur, non ſtatim damnandæ ſunt exemptiones; ſicut nec ex adverſo deprimenda eſt juriſdictio Epiſcopalis.*

61 *Summa Concordiæ, Epiſcopos inter & exemptos ſervandæ, illud amat, ut exempti privilegiorum limites non excedant, & Epiſcopi intemerata privilegia ſervent.*

62 *Iuriſdictio Prælatorum Inferiorum cognoſci nequit, niſi cognita comprehenſione & extenſione exemptionum.*

63 *Quamvis exemptionum omnium non eadem ſit extenſio, ad tres claſſes rediguntur, è quibus totidem Prælatorum Inferiorum gradus reſultant.*

64 *Primi gradus exemptio ſeu inferior eſt, quæ à ſubjectione Epiſcopi, jure communi debita, liberat.*

65 *Quid comprehendat & quouſque extendatur hæc exemptio.*

66 *Quare* ſimplex paſsiva *dicatur.*

67 *Dicitur etiam activa ob effectum ſecundarium.*

68 *Quia Pontifex nequit incumbere immediato regimini exemptorum, ideo neceſſe eſt dari Prælatum, qui in perſonas & loca exempta juriſdictionem exerceat.*

69 *Exemptio omnis antecedentem ſubjectionem ſupponit, & eſt qualitas accidentalis & ſuperinducta.*

70 *Exemptio non à jure communi, ſed ſingulari pendet, atque ex hinc exemptorum Prælatus nativus & originalis eſt Epiſcopus; alij verò ſunt ſuperinducti & privilegiati.*

71 *Rejicitur illorum ſententia, qui aſſerunt exemptionem Regularium provenire à jure communi, & aliorum, qui eam deducunt à jure divino.*

72 *Nulla exemptio nativa verificari poteſt.*

73 *Exemptio non extinguit omninò Epiſcopi juriſdictionem, ſed eam tegit & obumbrat, quod illuſtratur exemplis prædij occupati à flumine, & peculij Caſtrenſis.*

74 *Epiſcopi juriſdictio, remota exemptione, detegitur & reviviſcit, ſicut dominium in allatis exemplis.*

75 *Res quælibet de facili revertitur ad ſuam naturam, relicta qualitate accidentali, quæ tenebatur.*

76 *Exemptio nec tolit nec obrumbrat Ius reverentiale Epiſcopo debitum propter nativam ſubjectionem.*

77 *Qualitas ſuperinducta operari non debet ultra finem ob quem conceditur.*

78 *Exemptio ſimplex non liberat à ſituatione & denominatione Diœceſis; unde res & perſonæ exemptæ dicuntur eſſe* in Diœceſi.

79 *Quod ſæpè dicitur perſonas & loca exempta non eſſe* de Diœceſi *intelligendum eſt quoad jus juriſdictionale actuale; ſecus quoad habituale & jus reverentiale.*

80 *Exemptio ſimplex non inducit ſeparationem territorij.*

81 *Implicat locus exemptus, ſimulque* nullius.

82 *Prælati Imferiores primi gradus ſunt qui, ad normam privilegiorum, juriſdictionem habent in res perſonaſque exemptione ſimplici gaudentes, abſque jure territoriali.*

83 *Adducitur exemplum ampliſsimi privilegij conceſi Religioni Hieroſolymitanæ, quod tantùm importat ſimplicem exemptionem.*

84 *Prælati Hieroſolymitani ad primum hunc gradum pertinent.*

85 *Exemptio ſecundi gradus ſeu media eſt, quæ tribuit juriſdictionem in populum & Clerum Sæcularum cum cura animarum, compatibilem tamen cum Epiſcopi juriſdictione.*

86 *Exemptio hæc dicitur* activa *ad diſtinctionem præcedentis exemptionis.*

87 *Differt etiam, quod territorium tribuit.*

88 *Exemptio hæc, ſi comparatur cum maximæ tertij gradus, propriè & omninò activa non eſt; ſed* ſecundumquid.

89 *Perperam aliqui confundunt hanc exemptionem mediam cum maxima, & Prælatos huius gradus* nullius *vocant.*

Hæc

90 *Hæc exemptio ſolvit territorium, non verò Diœceſim; & ita locus exemptus rectè dicitur eſſe* in Diœceſi.

91 *In loco ſic exempto Prælatus Inferior dicitur Ordinarius; ſed Epiſcopus in eodem retinet conceptum Capitis, & Diœceſani, & ea, quæ uti Diœceſano competunt exercere poteſt.*

92 *Ratio dubitandi contra ſuperiora; quod repugnant in eodem corpore duo Capita, & duo Prælati Ordinarij in una Diœceſi.*

93 *Reſpondetur; concurſum duorum Prælatorum prohiberi, quoties ſunt æquales, & utrique in ſolidum tribuitur jus & conceptus Capitis, quod non accidit in præſenti.*

94 *Quomodò ſit in propoſito in eodem loco juriſdictio Epiſcopi, cum juriſdictione Prælati Inferioris compatibilis.*

95 *Deſcribuntur Prælati Inferiores, qui ad hunc ſecundùm gradum pertinent.*

96 *Exemptio & juriſdictio hujus ſecundi gradus hodie à ſimplici exemptione parùm aut nihil differt, cùm nimis per Concilium Tridentinum & alias Apoſtolicas Conſtitutiones ſit coarctata.*

97 *Plures AA. bimembrem tantùm exemptionem faciunt, activam nimirùm & paſſivam.*

98 *Prælati Inferiores, exemptione media fruentes, ad maximam obtinendam, frequenter aſpirarunt.*

99 *Exemptio tertij gradus ſive maxima, eſt quæ non modo liberat à ſubjectione, ſed à denominatione, ſituatione, & à Iure reverentiali.*

100 *Locus ſic exemptus propriè* nullius *dicitur, & territorrium ſeparatum.*

101 *Prælati hujus tertij gradus omnimodam Eccleſiaſticam juriſdictionem exercent in ſuo territorio, in quo Diœceſani computantur.*

102 *Sunt tamen caſus aliqui, in quibus vel Metropolitanus, vel vicinior Epiſcopus juriſdictionem in locis ſic exemptis poſſunt exercere.*

SI Concordia Paſtoralis in eo, velut maximo ac præcipuo, fundamento nititur, ut *ſua cuique jura ſerventur*; quod non aliter obtinebitur inter Prælatos, quàm ſi juſta diſtributione & menſura unicuique competens juriſdictio aſſignetur, oſtenſis inſimul terminis cujuſque poteſtati præfixis, ut *in Proœmio* vidimus. Ordinis ac methodi ratio, ibidem inſinuata, expoſcit, ut ſicut Epiſcopalis poteſtatis & juriſdictionis originem, inſtitutionem, & comprehenſionem deteximus; ita ad tituli operiſque complementum, nunc demonſtremus Prælatorum Inferiorum originem & juriſdictionem, quatenuſque
1 hæc protendatur. Sunt enim Epiſcopi & hujuſmodi Prælati ij, de quorum concordia ſarcienda agitur; & ſicut Sacri Canones hoc maximè fine exoptant, ut Epiſcoporum conſervetur juriſdictio *cap. pervenit* 39. 11. *q.* 1. ita percupiunt, ut Inferiorum jura ſerventur illæſſa, quod monet Innocentius III. *in cap. in ſingulis* 7. *de ſtat. Monach.* ibi: *Quia ſicut volumus Superiorum jura obſervari, ita Inferiores nolumus injurias ſubſtinere.*

Expedit rem hanc, utpotè parùm tritam, conſideratiſsimè explorare, & per faciliora aditum aperire, ut hac arte valeamus difficultatem ſuperare. Ergo in ipſo primùm nomine Prælatorum ſiſtamus: Licèt enim vis omnis ponenda non ſit in nominibus *cap. precio de procurat.* magna tamen ex eis, lux tractandis perhibetur, ut convincit familiaris mos Pontificum & Conſultorum, de quo infinita poſſent exempla conſarcinari. Prælatus ergo
2 dicitur, quaſi *quòd ſuis ſubditis præferatur*, unde de Præpoſito dicit Regula Benedictina *cap.* 65. *Quanto Prælatus eſt cæteris, tanto eum opporteat ſervare præ-*

præcepta Regulæ, notat Van-Eſpen *in jus Eccleſ. univ. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 1. *num.* 8. Ex quo inſuper & ego noto cum noſtro Hiſpano Doctore Iſidoro *in cap. quamvis* 9. *de verb. ſignif.* illos qui præſunt propriùs & commodiùs generali *Prælati* verbo comprehendi & denominari, quàm illo *Præpoſitis* quia *quamvis omnes qui præſunt Præpoſiti rite vocentur, uſus tamen obtinuit, eos vocari Præpoſitos, qui quamdam Prioratus curam ſuper alios gerunt.* Unde patet, cur in præſenti voce *Prælati* & non *Præpoſiti* utamur, licèt quandoque hæ voces, ut ſynonimæ accipiantur.

Ulteriùs, ut appareat, quoſnam appellatione Prælatorum in hoc opere comprehendamus, ſciendum eſt, Prælatum quem dici poſſe vel latè & impropriè, vel ſtrictè & propriè. 3 Primo enim modo Prælatus dicitur, quicumque aliis præeſt, vel ratione curæ animarum *cap. tua de Cleric. ægrot.* vel quia ratione ſui beneficij honore, gradu, vel adminiſtratione in Sacro Sodalitio emineat, licèt juriſdictionis ſit expers, ut ſunt Plebani Archipreſbyteri, & conſimiles, ut in *cap.* 1. *de ætat. & qual. & in cap. Romana.* §. *Nec etiam de for. compet. libr.* 6. Secundo verò modo, ſolùm ille dicitur & eſt 4 Prælatus, qui habet in loco juriſdictionem ordinariam coercitivam & contentioſam *cap. decernimus* 2. *de jud.* & ibi Gloſſa & communitèr Canoniſtæ *& in cap. cum ab Eccleſiarum de offic. Ordin.* & ibi Fagnan. *num.* 6. In hoc quidem ſenſu ſolus Epiſcopus de jure communi 5 dicitur propriè & ſtrictè Prælatus: Epiſcopus enim in Diœceſi Regem in Regno imitatur, ex quo omnium ordinum ſtatuumque hominibus, honoris imperij ac juriſdictionis titulis longè præeſt & anteſtat, ut ex *cap. ſi quis Epiſcopus*, & ibi Gloſſ. 1. 2. *q.* 7. *cap. ſanè de for. compet. cap. omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. *& ad cap. cùm contingat de for. compet.* notant Innocent. *num.* 1. *verſ. Epiſcopus habet forum.* Hoſtien. *in verſ. Non valeant.* Butr. *nnm.* 7. Abb. *num.* 4. Fagnan. *num.* 23. quod omnium meliùs explicat confirmatque D. Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 4. *q.* 1. his verbis: *Epiſcopus ſolus propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur, & ideo ipſe ſolus quaſi Sponſus annulum Eccleſiæ recipit, & ideo ſolus ipſe habet poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, & juriſdictionem in foro cauſarum quaſi perſona publica.* Et hinc etiam patet, quod ex Prælatis Inferioribus ille ſolum propriè 6 & ſtrictè nomine Prælati inſignitur, qui juriſdictionem exercet, qualis in jure communi agnoſcitur Archidiaconus, *cap.* 1. & ibi DD. *de offic. Archid.* & de jure ſingulari ſive privilegiato alij quamplurimi, quibus Sedes Apoſtolica juririſdictionem ordinariam in alios impertivit, ut infra apparebit.

Loquendo igitur, prout in præſenti tantùm loquimur, de Prælatis Inferioribus, qui ratione juriſdictionis dicuntur propriè, & ſtrictè Prælati: 7 Inſuper notandum venit, ut res hæc penitùs examinetur; quod cùm dicimus *Prælatus Inferior*, illa vox *Inferior* bifariàm ſummi poteſt; nam vel accipitur eo ſenſu, ut Prælatus ſit inferioris ordinis & gradus reſpectu Epiſcopi, & ulterius ipſi Epiſcopo ſubiectus, quales erant Archidiaconi jure communi *cap. cùm inferior de maj. & obed.* Vel dici poteſt *Inferior*, ea tantùm ratione, quòd minorem gradum & dignitatem in Eccleſiæ ordine Epiſcopo teneat; Epiſcopo tamen ſubjectus non ſit; quin in certas perſonas, certave loca, eo excluſſo, & privativè juriſdictionem exerceat. Ex qua diverſa conſideratione provenit diſtinctio DD. inter Prælatos Inferiores, ut alij ſint ſub Epiſcopo & non exempti, alij exempti dicantur.

8 His prænotatis, & noſtra conſideratione reſtricta circa Prælatos

Infe-

Inferiores exemptos, qui juriſdictionem exercent independenter ab Epiſcopo & privativè ad ipſum; quærimus, qualis
9 ſit eorum origo, quantaque antiquitas in Eccleſia? Non ad ornatum, & meram ingenij exercitationem, examen hujus quæſtionis deſſervire, exiſtimet quiſquam: utiliſsima ſiquidem eſt, ut quæ dicenda poſteà ſunt, quiſque percipiat; atque illa evitet æquivoca, quæ apud AA. hujuſcè articuli examen omittentes, offendi ſolent. In re ergo difficili, ut meliùs me expediam, duas
10 ſtatuam concluſiones, quas juxta temporum ſeriem illuſtrabo. Sit prima, pro reſolutione quæſtionis, concluſio. *Prælati Inferiores, de quibus in quæſtione, in uſu non fuerunt in Eccleſia uſque ad ſæculum XI.*

11 Concluſio hæc per quinque priora Eccleſiæ ſæcula omni prorſus hæſitatione caret, ex iis, quæ in *capitibus præcedentibus* dicta manent: ſuppoſita ſiquidem illa Orbis præcepta diviſione in particulares Diœceſes; & quod ex Eccleſiæ ordinatione tum perſonæ, tum loca quæcumque Diœceſani Epiſcopi nativæ & originali poteſtati obnoxia eſſe debent, ut *ex cap.* 10. 16. *quæſt.* 7. tenent Canoniſtæ; nullus juxta Sacræ politiæ leges conſiderandus relinquitur locus nullaque perſona (dùm contrarium clarè non conſtet ex iis, quæ dicemus infra *in cap. ſeq.*) extra Epiſcopi Diœceſim & ditionem. Stante verò hac Canonica & generali cùm perſonarum tum locorum omnium Epiſcopis Diœceſanis ſubjectione; non aliter Prælati Inferiores in ſenſu quæſtionis verificari poterant, quam reſtricta & relaxata nativa juriſdictione Epiſcopi quoad aliquas perſonas & loca ſuæ Diœceſis, & in ejus locum alio ſuffecto, ut patet ad ſenſum, & infra apparebit, interimque facit *ab arg. tex. in leg. dominicis C. ubi cauſæ fiſcal.* At qui in vetuſtis horum temporum Canonibus aliiſque documentis, non apparet diminuta, reſtricta, aut relaxata juriſdictio Epiſcopi, quin potiùs frequentiſsimè in Conciliis firmata & illæſſa perſpicitur; nec adhuc Romani Pontifices exemptiva privilegia concedere cæperunt, ut vidimus *cap. præced.* Manet ergo, Prælatos Inferiores exemptos, his temporibus verificari non potuiſſe.

12 Non tamen inficiabimur, per hæc tempora inveniri aliquos, qui, ratione muneris ſive adminiſtrationis eis competentis, honore, præeminentia, & prælatione ſupra certum perſonarum genus gaudebant, cujuſmodi erant Archipresbyteri, Primicerij, Decani in Cathedralibus, & Præpoſiti in Collegiatis, & Rectores in ſuis Parochiis; ſed hi omnes ex ſua inſtitutione, præterquam Epiſcopo erant ſubjecti & ſubordinati, ut patet *ex cap. perlectis* 25. *diſt.* juriſdictione inſuper carebant; unde eruitur, eos propriè Prælatos dici non poſſe, juxta ea, quæ notavimus *num.* 4. ſolumque latè ita vocari poterunt, ut docet Barboſ. *variar. diction. verb. Prælatus num.* 7. Quin, eorum origine attenta, & præciſivè à poſterioribus mutationibus, hi nudi miniſtri erant, non tàm dignitatē, quàm merum officium exercentes, ut in fortioribus Van-Eſpen *in jus Eccleſ. part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. *num.* 6. & in terminis *in tit.* 11. *cap.* 1. *num.* 2. *& cap.* 2. *num.* 5.

13 Majorem utique gradum & præeminentiam obtinebant Archidiaconi in Eccleſia; nam licèt dicat Van-Eſpen *d. tit.* 12. *cap.* 1. *num.* 6. Archidiaconi munus antiquitùs ſolùm fuiſſe merum miniſterium, ab arbitrio Epiſcopi committentis, dependens; tamen adhuc certum eſt, Diaconatum in Eccleſiaſtica Hierarchia gradum facere, in qua etſi ſubſit Sacerdoti; populo tamen ſuo modo præeſt, & in eo operationem ſuam Hierarchicam juxta Epiſcopi preſcriptum

ſcriptum exequitur, ut ex Dionyſio *de Eccleſ. Hierar. cap.* 9. & 10. conſtat; & quod populo præſit docet D. Ignatius *in Epiſt. ad Trailianos* in illis verbis: *ſubjecti eſtote Epiſcopo, ſimiliter & Preſbyteris & Diaconis.* Sed & Archidiaconis ab ipſo initio præcellentem fuiſſe poteſtatem concreditam demonſtrat D. Iſidorus *in d. cap. perlectis* 25. *diſt.* dùm inter alia de Archidiacono hæc profert: *Sollicitudo quoque Parochiarum & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti: ipſe inquirit Parochias cum juſsione Epiſcopi, & ornamenta, vel res Baſilicarum Parochiarum: geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert: Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & Clericis proprias partes idem diſtribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Epiſcopo exceſſus Diaconorum: ipſe denuntiat Sacerdoti in Sacrario jejuniorum dies, atque ſolemnitatum, & ab ipſo publicè in Eccleſia prædicatur.* Ex quibus Iſidori verbis, juncto *cap.* 1. & *cap. ad hæc. de offic. Archid.* colligimus, Archidiaconis integram juriſdictionem Epiſcopi tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus fuiſſe concreditam, eiſque viſitationem Parochiarum & Eccleſiarum fuiſſe demandatam; unde Sidonius Apollinaris *lib.* 1. *Epiſt.* 11. eos vocat *Antiſtites ſecundi ordinis.* Synodus Laodicenſis *Viſitatores* appellat. Innocentius III. *Diaconorum Priores, in cap. un. de ſcrut. in ord. fac.* Ut hinc meritò obtinuerit, ut poſt Epiſcopum omnes dignitate antecellat, *d. cap.* 1. & *d. cap. ad hæc*; etiam Abbates, ut ad hæc jura notat Bellam. *in princ.* Quapropter in Decretalibus titulus de officio Archidiaconi, titulum de officio Archipreſbyteri ac cæterorum, qui aliquid juris Epiſcopalis participant, præcedit, ut notat Ioan. Ianuar. *in Archidiac. cap.* 6. Quam ſanè Archidiaconi juriſdictionem luculenter demonſtrat, quod ſæpè ſolet appellari oculus Epiſcopi, ut *in cap. Diaconi el* 1. 93. *diſt.* & Epiſcopi Generalis Vicarius, Innocent. & Hoſtien. *in d. cap.* 1. Fagnan. *in cap. ad hæc num.* 29. *de offic. Archid.*

14 Sed nihil exinde contra concluſionem ſupra poſitam infertur; nam licèt daremus, Archidiaconos per hæc tempora, Prælatos in proprio & ſtricto ſenſu fuiſſe; adhuc tamen non erant exempti, ut procedit quæſtio; quin Epiſcopis erant ſubjecti, non modò quoad ſe, ſed etiam quoad exercitium ſuæ poteſtatis & juriſdictionis; nam quidquid ſit de poſterioribus temporibus, in quibus jam conſuetudinario jure eorum juriſdictio ordinaria eſt effecta, & ipſi proprio jure eam adminiſtrare cæperunt; pro quo ſtatu optimè procedit opinio Innocentij, relata per Fagnan. *in d. cap. ad hæc num.* 31. quod nimirùm ab Epiſcopis removeri non poſsint, nec reſtringi in exercitio ſuæ poteſtatis: tamen, principio & origine attenta, certum eſt, quod tota auctoritas & juriſdictio Archidiaconi erat ſolummodò Vicaria, & delegata, totaque ab Epiſcoporum delegatione & commiſsione dependens; ita ut tunc Archidiaconus non proprio nomine & per ſe; ſed nomine Epiſcopi, ab eoque dependenter juriſdictionem exerceret: & pro hoc ſtatu primævo veriorem puto opinionem Abbatis, (quam ubi ſupra refert Fagnanus) exiſtimantis, Epiſcopum poſſe Archidiacono prohibere, ne munere fungatur: & ita reor opinionem Abbatis cũ illa Innocẽtij cõciliari poſſe.

15 Nec his antiquis temporibus aderant Prælati Inferiores Regulares in ſenſu quæſtionis, ſcilicèt ab Epiſcopo exempti, & ſuam juriſdictionem privativè exercentes in aliquibus perſonis, aut locis; quod patet, tum ex ratione ſupra tradita generaliter *num.* 11. tum ex dictis *in capit. præced.* ubi vidimus ab ipſo Sanctiſsimi Monaſtici inſtituti

exordio

exordio, nedùm Monachos & Monaſteria, ſed & eorum Superiores Epiſcopi poteſtati & imperio omninò paruiſſe, *ex d. cap. omnes Baſilicæ*, & ex Concilio Chalcedonenſi ſub Leone I. *can.* 4. relato *in cap. quidam Monachorum* 10. *q.* 2. cum aliis adductis à Card. Albitio *in diſcept.* 2. *de juriſd. Cardin. in Eccleſ. tit. num.* 3. *&* 4. Thomaſin. 1. *par. lib.* 3. *cap.* 36. *per tòt.*

16 Ut autem id, quod quærimus, pleniùs innoteſcat, præſtat pauca quædam circa Abbates conſiderare; certum ſiquidem eſt, primos Regularium Prælatos Abbates fuiſſe vocatos, unde tam frequens in jure Abbatum mentio; quo ſanè nomine quarumcumque Congregationum Superiores deſignabantur, uſque ad ſæculum XI. in quo, recentioribus aliis ordinibus introductis, alia hujuſmodi Prælatis nomina tribui cæperunt, ut notat Van-Eſpen *d. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 1. *num.* 11. In Abbatibus ergo, quod in cæteris humanis rebus,
17 cernere licet, ut nimirùm temporum deccurſu, & viciſſitudine in eorum præeminentia & poteſtate magnoperè ſit variatum, ut à parvis initiis in magnam dignitatem ſe evexerint. Sic in propoſito videmus; nam Abbates, qui
18 in Eccleſiæ ordine ultimum gradum miniſtrorum tenebant, *cap. à Subdiacono* 5. 93. *diſt.* ibi: *Porro Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolytus, Acolyto Exorciſta, Exorciſtæ Lector, Lectori Oſtiarius, Oſtiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræſentent obſequium*, & qui tot gradibus ab Epiſcopo diſtabant, poſtmodùm ad Epiſcopum propè acceſſerunt, & primam poſt eum dignitatem & gradum ſunt adepti, ut *ex cap. ſi quis deinceps* 16. *q.* 2. Lapus *alleg.* 85. *num.* 11. Itaque in Concilio Tridentino imme-
19 diatè poſt Epiſcopos ſederunt Abbates, & poſt Abbates Ordinum Generales. Fagnan. *in cap. ut Abbates num.* 19. *de ætat. & qual.* Videmus inſuper Ab-
20 bates inter ſua initia Sacris Ordinibus expertes & de laicorum ſorte; poſtmodùm non tam Sacris initiatos adſpicimus, ſed & ſacris infulis, inſigniiſque Pontificalibus donatos, & aliis minores Ordines conferentes, de quo *in cap.* 1. *&* 18. *part.* 2. Similitèr pri-
21 mævos Abbates Epiſcopis per omnia ſubjectos, & nudum tantùm miniſterium exercentes conſpicimus, & exinde, tunc ſollicitudinem tantùm ſonabat nomen *Abbatis*: poſteriores verò videre eſt ab Epiſcopo exemptos, magnis affluentes reditibus, magnamque item poteſtatem cum externo ſplendore exercentes: ita ut recentiorum Ordi-
22 num Sanctiſsimi Conditores illud nomen *Abbatis* humilitatis cauſa declinaverint; quod tradit Van-Eſpen *d. tit.* 31. *cap.* 1. *num.* 12. his verbis: *Cùm diſciplina Monaſtica ſenſim collabente, & unà Monachorum humilitate & pietate imminuta cæpiſſent Monaſteriorum Præfecti Abbates dicti, ad non exiguum tum in Eccleſia, tum in Republica eminentiæ gradum elevari, nomen quoque Abbatis dignitatem ac gradum eminentiorem ſonare cæpit; atque ita Abbates reputari pro perſonis in dignitate conſtitutis. Itaque recentiorum Ordinum Sanctiſsimi fundatores, omnem ſuis filiis ſuperbiæ ac faſtus occaſionem eripere volentes, aliud eis nomen humilius, & mundo abjectius inditum voluere.* En quantopere variata & immutata ſit diſciplinæ ratio circa auctoritatem & gradum Abbatum, & quàm diſsimiles poſteriores Abbates prioribus in dignitate & juriſdictione exiſtant.

23 Nunc rectè monere licebit non ſtatim ac indiſtinctè eſſe admittendam illorum DD. doctrinâ, qui hanc temporum diverſitatem non advertentes, eo ſolùm jure imbuti, quod in Decretalibus, & praxi hodierna docetur, de Abbatibus ita loquuntur & de eorum juriſdictione, ut ſentire vi-

videantur, munus Abbatiale per ſe juriſdictionem importare ſive nomine, ſive inſtitutione attenta; quod utique à verò longè deviat: nam quoad nomen *Abbatis*, certum eſt, illud juriſdictionem non importare, ſed tantùm ſollicitudinem,
24 & poteſtatem œconomicam, ut eſt illa Patris in ſuos filios. Abbas enim in lingua Hæbraica, & Syriaca idem ſonat quod Pater, ut Hieronymus *in Epiſt. ad Galat. cap.* 4. docet, ibi: *Abba Pater, Abba Hæbraicum eſt, id ipſum ſignificans, quod & Pater, & hanc conſuetudinem in pluribus locis Scriptura conſervat, ut hæbraicum verbum cùm interpretatione ſua ponat.* Ex quo factum videmus eoſdem Monaſteriorum Præfectos num *Abbates*, num *Patres* ab antiquo vocitari. Aderat etiam in ipſo Abbatis nomine ratio & officium Magiſtri, unde Tertullianus *Lib. de Orat. cap.* 2. ait: *Appellatio iſta & pietatis eſt, & poteſtatis.* Pietatis, ut paternæ charitatis blandis lenociniis, quos regunt, ad meliora provehant. Poteſtatis, ut eos qui immorigeri durique ſint, auſtero Magiſterio leniantur. Hinc Monachorum Princeps Legislator S. Benedictus *in Cap.* 2. *Reg.* ſic monet Abbatem, *ut miſcens terroribus blandimenta, dirum Magiſtri, pium Patris oſtendat affectum.*

25 Ergo ex ipſo nomine, vel ex ipſa inſtitutione antiqui Abbates illam tantùm ſibi vindicare poterant poteſtatem Magiſtrorum & Parentum; poteſtatem nimirùm œconomicam, quam communitatis regimen expoſcit, & quam præeminentiam fraternalem vocat Barthol. *in leg. fin. num.* 13. *verſ. devitis de Colleg.* Sed tam
26 longè erant Abbates, ut juriſdictionem haberent in Monachos; ut potiùs hanc ipſam œconomicam poteſtatem ſubalternè & dependenter ab Epiſcopo exercerent, cui omninò erant ſubjecti, ut abundè vidimus ſupra *in cap. præced. n.* 50. Unde illis tēporibus eo in numero erant Epiſcopi reſpectu Abbatum, quo hodie ſunt Generales Ordinum reſpectu Prælatorum Inferiorum. Nec percipi poteſt abſque abſurditate, quomodò illi primævi Abbates juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpiritalem in Monaſteria exercerent, cùm ipſi de ſorte laicorum eſſent, ut patet *ex cap. à Subdiacono* 93. *diſt.* & probatum manet *in cap. præced. à nnm.* 14. Nec quo pacto effici potuiſſet, ut Abbates in Monachos & Monaſteria juriſdictionem privativè ad Epiſcopum tenerent, eo tempore, quo omnimoda eorum ſubjectio Epiſcopi juriſdictioni erat indubitata & illæſa, prout fuit uſquè ad ſæculum XI. niſi admitteretur illud duorum capitum monſtrum, rectæ politiæ juriſque præſcripto, adeò repugnans.

27 Benè tamen verum eſt, quod ubi cæpit Monaſtica diſciplina mutari, ipſa Monaſteriorum propagatione, & Monaſtici inſtituti perfectiori ratione; jam tum cæperunt Abbates ſplendidiore poteſtatis gradu nitere; cùm, ut latè vidimus *in capit. præced.* ſæculo VI. ad confovendam Monaſteriorum quietem, & quorumdam amovendas infeſtationes Epiſcoporum, num ipſorum Epiſcoporum privilegiis, num Regum, & aliquando Pontificum, præſertim S. Gregorij, immunitatibus, eò pervenerunt Abbates, ut in pertinentibus ad regulam, clauſtralemque diſciplinam, tota penès eos poteſtas reſideret; & ſimilitèr abſoluta temporalium Monaſterij eis, excluſſo Epiſcopo, adminiſtratio competeret, ut eſt *text. in cap. nullam & aliis cauſ.* 18. *q.* 2. Et hic eſt eminentior gradus poteſtatis, quem tenuere Abbates ante ſæculum XI. Sed præterquamquod hic ſtatus univerſalis non erat, nec uniformis; nam, ut eſſent aliqua Monaſteria immunia, alia erant abſque ullo privilegio Epiſcopo obnoxia. Rurſus inter

pri-

privilegiata aliis latior, aliis reſtrictior tribuebatur immunitas, juxta varias privilegiorum formulas. Deinde etiam
28 poteſtatem juriſdictionalem hujuſmodi non concludebant privilegia, ut Abbates propriè dicerentur Prælati; ſed tantùm poteſtatem œconomicam importabant; quæ licèt amplior & liberior eſſet, præ illa, quæ antiquitùs competebat; ſubalternata tamen erat juriſdictioni Epiſcoporum, quibus generalitèr cura & correctio Monaſteriorum non fuit ablata, ut *in cap. Monaſteria* 18. *q.* 2. ibi: *Monaſteria vel Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum in cujus ſunt territorio conſtituta.* Atque exinde pervigil ſollicitudo & cura ſuper ipſum Abbatum regimen in viſitatione explenda demandabatur eiſdem in Concilio Aurelianenſi, relato in *cap. non ſemel ead. cauſ. & q.* ibi: *Non ſemel ſed ſæpiùs in anno Epiſcopi viſitent Monaſteria Monachorum, etſi aliquid correctione dignum fuerit corrigatur*; hoc ipſum confirmat Gregorius *libr.* 2. *Epiſt.* 18. ibi: *Viſitandi, exhortandique gratia ad Monaſterium, quoties placuerit ab Antiſtite Civitatis accedatur.*

29 In hoc ergo ſtatu patet, quod licèt in pertinentibus ad regulam & inſtituta Clauſtralia Monachi Abbati potiùs, quàm Epiſcopo obedire tenerentur, ut cum Innocentio notat Fagnan. *in cap. quanto num.* 18. *de offic. Ordin.* & hac ratione in his cauſis Abbas Monachorum correctionem haberet, ut depromitur ex omnibus Regulis Monaſticis; tamen hæc correctio non explebatur in figura judicij, ſed tantùm œconomicè, juxta modum in ipſis Regulis præſcriptum; ut eſt opinio Innocentij, Hugonis, Hoſtienſis, Ioan. Andreæ, & aliorum, quos ſequitur Fagnan. *in dict. cap. quanto à num.* 18. propter *text. in cap. hoc tantùm* 18. *quæſt.* 2. Et ideo hæc poteſtas corrigendi, quæ Abbatibus competebat, non arguebat in eiſdem poteſtatem juriſdictionalem, ſed tantùm œconomicam, ut eſt illa patris in filios *cap. oſculatur* 5. *quæſt.* 5. mariti in uxorem *cap. ſicut* 7. *quæſt.* 1. domini ſuper familiam ſuam, ut *in proœm. ff. §. pen.* Fagnan. *in cap. cum contingat num.* 19. *de for. compet.*

30 Nec refragatur, quod paſsim in Regulis Monaſticis, præſertim in illa S. Benedicti *in cap.* 23. & 25. occurrat frequens mentio excommunicationis, per Abbates infligendæ; quæ ſanè non niſi à juriſdictionem habente imponi poteſt, *Cap.* 1. *de Sentent. excom. in* 6. Nam reſpondetur, ibi excommunicationem non ſumi pro cenſura Eccleſiaſtica, qua Monachus ab ipſo corpore Eccleſiæ abſciſſus cenſeretur: tum quia in illis locis ſupponitur excommunicationem infligendam etiam pro leviori-bus culpis; quod intelligi nequit de excommunicatione, ut eſt cenſura, nam cùm ſit maior in Eccleſia pæna, non niſi pro graviſsima culpa ferri poteſt *Cap. nemo el* 2. 11. *quæſt.* 3. Fagnan. *in cap. ſacro num.* 24. *de Sentent. excommunic.* Tum quia *in cap.* 24. ejuſdem Regulæ Benedicti dicitur, menſuram excommunicationis extendi debere juxta modum culpæ; quod excomunicationi propriè dictæ applicari nequit, cùm hæc excommunicatum ſimpliciter reſcindat à corpore Eccleſiæ; quamobrem dicendum eſt cum Van-Eſpen *dict. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 4. *num.* 31. & Joſeph. Mege *in commentar. ad cap.* 25. *Regulæ Benedictinæ.* Hujuſmodi excomunicationes tantùm fuiſſe aliquas pœnas Regulares, Monachis imponi ſolitas, ad propriam, & aliorum emendationem & præcautionem; verùmtamen cùm ipſæ efficerent, ut Monachi eis multati, à fraterno conſortio & oratione removerentur, qua

etiam ſeparatione Sathanæ inſidiis magis videbantur expoſiti ; hinc magnæ & perquàm duræ exiſtimabantur pœnæ, & excommunicationis nomen eis inditum ob quamdam ſimilitudinem, & facto non jure inſpecto.

31 Sed in ſupra ſtatutam aſſertionem illud aliquis fortaſſe opponet, VII. nimirùm Eccleſiæ ſæculo inveniri privilegia aliqua exemptiva à juriſdictione Epiſcopi ; ut eſt, quod Adeodatus conceſsit Monaſterio B. Martini in Gallia anno 670. illud abſolvens à regimine & juriſdictione Epiſcopi Turonenſis, ac per conſequens illud abſolutè ſubdens juriſdictioni Abbatis : quo facto, ex dictis, & infra dicendis, ex tunc hic Abbas dicendus erat Prælatus Inferior cum juriſdictione privativè ad Epiſcopum. Reffertur hoc privilegium *Tom. 1. Concil. Gall.* & illius mentionem fecit Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 3. cap. 30. num 7.* ubi concludit, præter poteſtatem ordinationis & conficiendi Chriſmatis, quæ Epiſcopo in eo privilegio reſervabatur, totam aliàs ſpiritalem juriſdictionem Abbati delegari. In idem etiam poteſt adduci privilegium Zachariæ Pontificis tributum Abbatiæ Fuldenſi anno 751. de quo ibidem Thomaſinus, qui hæc tranſcripſit privilegij verba: *Quia poſtulaſtis à nobis quatenus Monaſterium à te conſtructum privilegij Sedis Apoſtolicæ infulis decoretur, ut ſub juriſdictione Sanctæ noſtræ, cui Deo deſervimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ ditionibus ſubmitatur, &c. Ideo cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfato Monaſterio ditionem quamlibet habere, hac auctoritate, præter Sedem Apoſtolicam prohibemus.* Quibus ampliſsimis verbis vi ipſa, ſpiritalem omnem in Abbatem juriſdictionem tranſlatam eſſe, dici debet ; ac per conſequens, ante ſæculum XI. extitiſſe Abbates Prælatos Inferiores ab Epiſcopo exemptos, & cum juriſdictione privativè ad Epiſcopum, contra id, quod ſupra in Concluſione prima ſtatuimus.

32 Sed nihil eſt, quod à præjacta reſolutione recedere nos adigat ; nam etſi verè conceſſa fuiſſent hęc privilegia, & ampliſsimam juriſdictionem, excluſſo Epiſcopo, his Abbatibus tribuerent: adhuc, ut ſingularia, & ſingularibus de cauſis tributa, ſtatum, aut regulam univerſalem non inducebant ; quod eo magis fit, quò & ex ipſorum clareſcit contextu, id genus privilegia inuſitata fuiſſe : Sed præter hæc, plura ſunt, quæ
33 circa eadem annotemus ; nam in primis Adeodati privilegium, plures ſunt, qui illud tanquam fictitium rejiciunt, ut Van-Eſpen *in jur. Eccleſ. part. 3. tit. 12. cap. 4. à num. 20.* præcipueque Io. Launojus *in aſſertione inquiſitionis in privilegium S. Medardi part. 3. cap. 20.* Quamvis illud defendant Monſnyerus & poſteà Cointius *in Annal. Eccl. Franc. ad an. 676.* quos refert Franc. Pagi *in breviar. chronol. in Adeodato.* Quoad privilegium verò Zachariæ plura licet
34 advertere ex Thomaſino *d. par. 3. cap. 35. num. 7.* I. illud privilegium extitiſſe conceſſum *cum Epiſcoporum conſenſu.* II. privilegium eò reſpexiſſe, ut ſuſ-
35 penderet juriſdictionem Epiſcopalem quoad clauſtralem diſciplinam & temporalium facultatum regimen ; ſed illibatam eamdem juriſdictionem conſervaſſe, ad ordinandos & confirmandos Abbates, ad canonica de eorum flagitiis judicia, ad ordines adminiſtrandos, dedicandas Eccleſias, Chriſma & Oleum diſpenſandum ; ſiquidem quoad hæc nulla in eo privilegio legitur exemptio. III. ſingulare fuiſſe in hoc Cœnobio & Abbatia Fuldenſi, quod
36 S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, illam in eo loco extruxit, quo recèns Chriſto ſe addixerat, & ubi Epiſcopatus ante conſtitutus non apparebat : unde aliquis forſam aſſereret, ob

hanc

hanc ſingularitatem, hoc non tam privilegium, quàm jus fuiſſe commune, ut conditor Cœnobij illud, cui volet, ſubjiceret; ut aſſerebat Petrus Abbas in Concilio Carthaginenſi anni 525. quod referr Dacher. *in ſpicileg. tom. 6.* & idem Thomaſin. *d. libr. 3. cap. 31. num. 5.* Et hinc factum, ut Abbas Fuldenſis modernis his temporibus cum Epiſcopo Herbipollenſi, ſuper nativa ſuæ Abbatiæ libertate, contenderit accerrimè, ut videre eſt in S. Rotæ deciſionibus. IV. notanda erunt
37 verba ejuſdem Thomaſini *in d. cap. 35. num. 7. in fine*, quibus confirmat concluſionem ſuprapoſitam: *Nihil ergo*, inquit, *præjudicari hinc poteſt ei regulæ, quam nos univerſim præſtruximus, nec Reges, nec Pontifices ulla ſub Imperio Caroli Magni vel contuliſſe, vel confirmaſſe privilegia quibus Epiſcopalis juriſdictio penitùs elideretur.*

38 Jam ergo plenè conſtat, ante Sæculum XI. Prælatos Inferiores exemptos non extitiſſe, ob adhuc non introductum exemptionum uſum. Quo poſito, ad ſecundam firmandam proggredimur Concluſionem, pro reſolutione ſupra poſitæ quæſtionis, quæ talis eſt: *Prælati Inferiores exempti, de quibus in quæſtione, à ſæculo XI. cogniti in Eccleſia fuere.* Hæc concluſio ex illa firmatur ſententia communi, quæ tenet exemptio-
39 nes per hæc tempora uſitari in Eccleſia cæpiſſe; his enim conceſsis, neceſſarium fuit ſuſcitare Prælatos inferiores, qui juriſdictionem privativè ad Epiſcopum exercerent; unde fons & mater horum Prælatorum exemptio dici debet: nam ex eo tempore, quo Sedes Apoſtolica aliquas perſonas ſive loca ab Epiſcoporum canonica ſubjectione, & juriſdictione nativa ſubtrahere cæpit; rectæ politiæ ratio ſuadebat, quin & compellebat, ut hi Inferiores Prælati crearentur, qui locorum ſive perſonarum ſic exemptarum, immediato præponerentur regimini; cùm enim diſſonum eſſet, aliqua ſine capite membra conſtituere,
40 *cap. cùm non liceat 12. de præſcript.* & homines tanquam locuſtas nullius Regis imperio ſubditas, abſurdum ſit effingere, ut ait Oldrad. *conſ. 254. num. 1.* notatque Lother. *de re benefic. lib. 1. quæſt. 24. num. 3.* hinc quidquid à juriſ-
41 dictione Dieœceſani addimit privilegium, illud omne in poteſtatem & juriſdictionem Prælati Inferioris transfert; non enim poſita eſt vis & finis exemptionum in extinguenda ſubiectione &
42 obedientia, ſed in commutanda; unde perquam optimè idem Lother. *dict. quæſt. 24. num. 5.* dixit, quod exemptionis forma ſubſtantifica ſit ſubductio ab uno, & ſubiectio ad alterum.

43 Quod verò exemptiones à ſæculo XI. in uſu eſſe cæperint, ſuadetur, tum ex dictis *in cap. præced.* tum etiam, quia ab hoc tempore, & non anteà occurrit in Synodis, aliiſque illius ætatis genuinis ſcriptis diſtinctio inter Monaſteria exempta & non exempta, & ſimiliter inter ipſos Abbates, Mo-
44 nachoſque. Quin, & illud indicat, quod ab hoc tempore perſonare cæperunt graves & frequentes Epiſcoporum, aliorumque quærimoniæ adverſus Monachorum exemptiones, ut apparet in Concilio Remenſi anni 1119. & in Romano anni 1122. ſub Calliſto II. & in Epiſtolis D. Bernardi ad Henr. Senonenſ. *de morib. & offic. & in Epiſt. 41.* & ad Eugenium III. in libro quem ſcripſit *de conſiderat. cap. 3.* Et in *Epiſt. 68.* Petri Bleſſenſis.

45 Per hæc etenim tempora, ſæculo nimirùm XI. & XII. inter innumera alia recepti tunc juris capita, quæ, utilitate Eccleſiæ ſuadente, fuere mutata, hujuſmodi etiam innovationes circa Epiſcoporum juriſdictionem, tunc uſque integram & illibatam, fuerunt admiſſæ; juſtiſsimis quidem de cauſis, ut in hoc ipſo verificetur, quod ab antiquo dixit Tertulianus *lib. de veland. Virgin. cap. 1. Hac lège Fidei manente,*

cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicèt & proficiente uſque in finem Gratia Dei. Poteſt enim Romanus Pontifex, in
46 quo poteſtas omnis Eccleſiaſtica velut in centro reſidet, Epiſcoporum juriſdictionem reſtringere, juſta ſubſiſtente cauſa, & aliis inferioribus eam committere; nam Romana Eccleſia, quæ dignitates omnes fundavit, *cap. omnes* 22. *diſt.* poteſt eorum Præſulibus aliquid commiſſæ ſollicitudinis detrahere, quod in alios transferat, cùm in ipſa plenitudo, de qua cæteri participant, reſideat, *cap. qui ſe ſcit.* 12. 2. *q.* 6. & patet ex dictis *in cap.* 1.

47 Si cauſas perpendimus, quæ hanc circa juriſdictionem Epiſcopi mutationem ſuaſſere, plures profectò occurrent apud illius ætatis Scriptores; ſed hic generaliores tantùm inſinuavimus. Atque in primis occurrit formatio & inſtitutio Congregationum, ſive plurium Monaſteriorum ſub uno Prælato Generali conſociationum; quibus poſitis, congruentius & accomodatius viſum eſt, à propriis Prælatis Regulis inſtructis regi, quàm ab Epiſcopis Monaſtici inſtituti plerumque ignaris; quam cauſam proponit Petrus Abbas Cluniacenſis *in Epiſt.* 28. *libr.* 3. ibi. *Olim in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis fuere Monachi, ſive Canonici Regulares in communi viventes, atque uno refectorio, unoque Clauſtro contenti: è quibus aſſumpti Epiſcopi monaſtica inſtituta callebant, & ideo viſitandis ſuæ Diœceſis Monaſteriis, Monachorumque exceſſibus ponderandis ac corrigendis, necnon quæ ad ſanctæ converſationis augmentum conducunt ſanciendis, idonei eſſe poterant. Hodie verò cum ſint fere omnes ſæculares à regulari vita prorſus alieni, qua fronte Monaſteria viſitare, ac de rebus, quas neſciunt diffinire debeant non video, ſcilicèt docebunt, quod non didicerint; milites erunt priuſquam tyrones; Magiſtri antequam diſcipuli.* Accedebat
48 vitæ Sanctimonia accurataque Regularum obſervantia, quæ in his vigebat Monaſticis Congregationibus; ut vel ex hac ſola ratione Abbates ampla Prælatione digni redderentur, unde in Concilio Lemovicenſi anni 1031. ita ſtatuitur. *Monaſteria Monachorum Regularia, quia diligentiùs, & nitidiùs omnia ad cultum altaris procurant, in Abbatum ſuorum arbitrio, de his, ſicut de aliis Regulis permittimus. Illi enim noſtris legibus conſtringi non debent, qui ultra nos per arctam & anguſtam portam vitæ ingredi appettunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui Epiſcoporum juſſis ſummopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet ſubjici Conciliorum, niſi forte reprehenſioni, vel contemptui patuerint.* Sic enim orabat in hac Synodo Epiſcopus Lemovicenſis, ut mirandum, conſenſionis & concordiæ cum Monachis, poſteris traderet exemplum.

49 Hinc apud pleroſque eſt in confeſſo, à duabus illis illuſtribus Congregationibus Caſsinenſi, & Cluniacenſi ortum duxiſſe Monaſtici inſtituti privilegia; nam quoad primam clara ac pia S. Benedicti memoria; inconcuſſa Caſsinenſis dignitas Cœnobij, à quo *velut à vivo fonte Monaſticæ Religionis norma manabit.* Leo Oſtienſ. *lib.* 4. *cap.* 62. Officia eggregia, quin & perfugium Romanis Pontificibus à Caſsinenſibus Abbatibus, inter varias clades exhibita, *Concil. Roman. anni* 1122. abundè fuerunt in cauſa, ut ampliſsimis indultis Pontifices ornarent Caſsinenſes, & illorum Abbatem *totius ordinis Monaſtici caput, & Abbatem Abbatum* nominarent. Idem Leo *dict. cap.* 62. Quoad
50 Cluniacenſem autem certum etiam eſt, clariſsimam vitæ ſanctitatem, quę in ea à principio ſplenduit, charos ita & affectos redidiſſe Chriſtianos Principes, ut ad Ordinis Confraternitatem adoptari voluerint Imperatores Reges Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ, ut patet ex Petro

Clu-

Cluniacenſi *lib.* 2. *Epiſt.* 40. Tantus ab
51 hac Cluniacenſi Congregatione Religio nis exundabat fervor, ut per Hiſpanias & Gallias quin per univerſum Occidentem priſtinum Monaſtici inſtituti vigorẽ revocaverint: in eo enim quod ad Hiſpaniam attinet, conſtans eſt, peroptante Rege Alphonſo VI. ut quæ in ſua ditione erant Monaſteria, nova donarentur forma, à S. Hugone Cluniacenſi Abbate obtinuiſſe, ut Bernardum (qui poſtea fuit Archiepiſcopus Toletanus) mitteret, ut à Monaſterio S. Facundi, tamquàm à capite reformationem inciperet, Mariana *de reb. Hiſp. lib.* 9. *cap.* 17. D. Nicol. Ant. *in Bibliot. Hiſpan. vet. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 62. Sandoval, *in Hiſtor. Alphonſ. Reg. VIII. cap.* 16. *pag.* 41. Yepes *Chron. S. Bened. tom.* 6. *cent.* 7. *cap.* 1. *pag.* 377. hinc eis innumera adgregata Monaſteria; hinc Abbatis Cluniacenſis maximè aucta poteſtas & dignitas; & hinc à Regibus, Pontificibus, & Epiſcopis illuſtria meritò conſpiciuntur tributa privilegia.

52 Cùm jam hæc privilegia concedere cæpiſſent Pontifices, mirum non eſt, ſi cæteris Sanctiſsimis Ordinibus, poſteà erectis, pariter tribuenda judicarint: omnes enim pariter à ſuo ortu in Eccleſiæ cœlo velut fulgentiſsima micarunt ſydera, quæ pietatis charitatiſque fervidis inſtitutis & exemplis Mundum refoverunt illuſtraruntque. Per hæc etiam tempora conſpicere licet ampliſsima privilegia tributa Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ. Sed quis hujus Sacri Ordinis & Militiæ illuſtria
53 officia, eggregiaque obſequia in Eccleſiam, Romanumque Pontificem impenſa referet? Quis Hieroſolymitanorum ſtupenda facta in Turcis, Mahumetaniſque fugandis, in infirmis curandis, in peregrinis ſuſcipiendis ac fovendis recenſebit? Mirari ergo quiſque deſinet, ſi pro meritis eos Sedes Apoſtolica tanta ipſis libertatis inſtrumenta dederit, & eorum Bajulivis ac Prioribus haud mediocrem conceſſerit juriſdictionem. Quæ immunitates, ex Romanorum Pontificum liberalitate profectæ, eò collimant, ut & Sacræ hujus Militiæ alumnos æquiſsima remuneratione exornent; & ad Sacri belli pericula fortiter ſubeunda ſpe præmiorum incitent: nec enim parcioribus Religioſus miles favoribus erat proſequendus, quàm prophanus, de quo Iuvenalis Satyr. ult.

..... *Hunc labor æquus*
Provehit & pulchro redit dona labori,
Vt qui fortis erit ſit feliciſsimus idem,
Vt læti phaleris omnes & torquibus omnes.

54 Sed ut iterum ad exemptionum cauſas veſtigandas convertamur, ex parte etiam verum eſt, à quibuſdam Epiſcopis horum privilegiorum cauſam poſſe accerſiri; nam aliqui per hæc tempora fuerunt, qui in Monachis corrigendis, non illa animi moderatione & lenitate, quæ paternam pietatem decet, utebantur, ut teſtantur Chochier. *de juriſd. in exempt. part.* 1. *q.* 1. *num.* 12. D. Gonzal. *in cap. grave de offic. Ordin.* Indeque factum, ut ex hoc Monachi anſam captantes, ad Sedem Apoſtolicam irent, & ſuis quærimoniis pleniſsimam ab Epiſcopis reportarent libertatem, ſive propriùs emancipationem; dùm in hac nec diſpar cauſa ſolebat prętendi, & ſimilis ſuboriebatur effectus, ut conſiderat citat. Chochier *ubi ſupra*, analogia quadam exemptionem inter & emancipationem conſtituta. Quæ profectò analogia valde nota, ſed non
55 ita grata fuit S. Bernardo *in d. Epiſt.* 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ibi: *Spoliant Abbates Eccleſias, ut emancipentur, redimunt ſe ne obediant.* Putabat enim Vir Sanctiſsimus his exemptionibus non tàm honeſtam libertatem quæri, quàm ſubjectionis impatientem animum occultari: nec tanti eſſe ſi Epiſcopus aliquando excederet, ut ſtatim in perpetuam liber-

tatem eſſet proclamandum; atque ita *in Epiſt.* 179. conqueritur de quibuſdam Monachis, *non tàm ut ſimulant appetentibus libertatem, quàm fugitantibus diſciplinam.* Et *in citat. Epiſt.* 42. hæc addit: *Non propter me, inquit facio, ſed quæro Eccleſiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, ſervitute ſervilior! Patienter ab hujuſmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam Paſtoris.* Et ibidem *Quid igitur vos, ò Monachi Sacerdotum gravat auctoritas? Metuitis infeſtationem? Sed ſi quid patimini propter juſtitiam Beati. Sæcularitatem contemnitis? Sed ſæcularior nemo Pilato, cui Dominus aſtitit judicandus.* Nec ſuam de his emancipationibus Eugenio Pontifici celavit cenſuram, quin in eo, quem *de conſideratione* tractatu ad eumdem ſcripſit, libertate verè Eccleſiaſtica *in lib.* 3. ita prorumpit: *Nolo prætendas mihi fructum emancipationis ipſius. Nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolutiores fiunt.*

56 De cauſis exemptionum & de Prælatorum Inferiorum origine dicta ſufficiant, qui plura abundantiùs ſuper hoc ipſo ſcire deſideret, adeat Chopin. *de jur. cœnobit. lib.* 1. *tit.* 2. Joann. Lomede *in tract. de exempt. in ſpecim. jur. Eccleſ. apud Gallos tom.* 2. *cap.* 4. Alteſſerra *in Aſceticon lib.* 7. *cap.* 12. Chochier *in Conſtit. Concil. Lateranenſ. §.* 1. *num.* 33. Joann. Federic. Karg. *Pax Religioſa, ſivè de exemptionib. decade* 1. *cap.* 3. *&* 5. Rouſel. *lib.* 4. *hiſt. Pontif. juriſdict. cap.* 5. *num.* 5.

57 Sicut cæteris tempore & uſu introductis rebus, ſua etiam exemptionibus fuere præludia, quæ ad earum uſum faciliorem ſuavioremque viam ſtraverunt: nec enim repentè, & illicò à communi firmiſsimoque jure recedi poterat. Itaque paulatim ampliſſima & indiſtincta Epiſcoporum in omnes auctoritas decurtari cæpit illis immunitatibus Monachis tributis, de quibus latè *in cap. præced.* Quas cùm primùm Epiſcopi introduxiſſent, & iteratis conceſsionibus jam eſſent uſitatiſsimæ; facile fuit, ut creſcerent amplificarenturque privilegia; quod factum eſt à ſæculo XI. quo, graviſsimis ita exigentibus circunſtantiis, Pontifices privilegia exemptiva à juriſdictione & correctione Epiſcopi concedere cæperunt. Quæ liberationes in dies benignitate Sedis Apoſtolicæ latiſsimè ſunt propagatæ; ita ut privilegia ſingularitèr alicui ordini, vel Monaſterio conceſſa, tractu temporis omnibus Regularibus Ordinibus ſint communicata; atque eò res tandem devenit, ut nulla hodie ſit Religio, quæ exemptione à juriſdictione Epiſcoporum non fruatur, vel ob expreſſa privilegia directè, vel indirectè per communicationem Chochier *de juriſd. in exempt. part.* 1. *quæſt.* 14. ubi omnibus ferè Ordinibus percurſis hoc demonſtrat, addenduſque Fagnan. *in cap. nimis prava num.* 4. *de exceſsib. Prælator. & in cap. tuarum à num.* 19. *de privileg.* & noviſsimè Card. Petra *tom.* 1. *ad conſtit. Apoſtol. in Conſtit.* 1. *Paſchal. II. ſect.* 1. *num.* 8. *&* 11. Cùm jam ad 58 ſummum pervenere exemptiones, tunc vel ob hoc ipſum eas decreſcere conſequens erat; ſed & alia magni momenti acceſſerunt, unde in Concilio Vienenſi anno 1311. Conſtantienſi anno 1414. Lateranenſi V. anno 1515. & omnium maximè in S. Concilio Tridentino plurimùm temperata ac modificata ſunt privilegia; ut illud innoteſcat Eccleſiæ leges alternari & moderari, proùt temporum inclinatio concordiæque ratio ſuaſerit, ut ex profeſſo dicam *infra in cap.* 8.

60 Certum equidem, poſt tributas exemptiones, quamplurima ſuborta diſsidia fuiſſe Epiſcopos inter & exemptos, exindeque ab ipſo exemptionum initio acervas & graves perſonaſſe quærimonias

rimonias inter ipſos; ſed non propterea factionario more aut in exemptos, aut in Epiſcopos erit conclamandum. Quod enim jurgia ſint & diſsidia non exemptionum vitio eſt tribuendum; ſed miſeræ hominum conditioni, quæ non niſi ægrè frenari & moderari patitur. Temperatum in quibuſque rebus, etſi maximè proficuis, uſum eſſe oportere ne noceant, rationis æternus eſt aphoriſmus; ut hinc eluceat mala ſi quæ obveniunt, non è rerum uſu, ſed ex abuſu promanare. Juſtiſsimæ quidem ac proficuæ ſunt exemptiones ſi juxta Iuris & privilegiorum tramites ſerventur. Sancta ac reverentia cenſenda eſt poteſtas & juriſdictio Epiſcopi, ſi ſuis contineatur terminis. Ergo ut turbellæ conquieſcant, ut diſsidia, &
61 quærelas concordia moderetur, exempti, eorumque Prælati juribus ſuæ libertatis contenti Epiſcopalia jura non perturbent; Epiſcopi exemptorum privilegia, quæ Sedis Apoſtolicæ propriùs dici debent, intemerata conſervent. Hoc eſt ſpecimen concordiæ, quod toties inculcavimus, quodque nobis Sacri Canones depingunt; unde in Decretalibus poſt *tit. de exceſsibus Prælator.* proximè locatur alius *tit. de privilegiis, & exceſsibus privilegiatorum.* Sic Alexander III. qui *in cap. cum & plantare 3. de privil.* compeſcuit exceſſus Fratrum Templi, & Hoſpitalis, qui *indulta ſibi ab Apoſtolica Sede privilegia excedentes, contra Epiſcopalem auctoritatem multa præſumunt.* Idem Alexander *in cap. dilecti 4. eod. tit.* Archiepiſcopos & Epiſcopos, Hieroſolymitanorum privilegia infringentes, gravitèr comminatur his verbis: *Pro certo ſciatis, quod nos conceſſa vobis privilegia decurtabimus, cùm Eccleſiæ Romanæ ſcriptis authenticis obviare minimè timeatis.* Atque in propulſandis & eliminandis his exceſsibus tàm Epiſcoporum, quàm exemptorum reſpectivè maximè verſatur Canonum cura. Sic enim in Concilio Vienenſi, ubi plurimùm ſuper hoc eſt adlaboratum, ita fatur Clemens V. relatus in *Clem. un. de exceſsib. Prælator. Verùm quia una eſt Regularium, & ſæcularium Prælatorum, & ſubditorum exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, quorum omnium unus eſt Dominus, una fides, & unum baptiſma: decet ut omnes qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam ſint voluntatis, & ſicut fratres adinvicem vinculo charitatis ſint adſtricti. Decet igitur, ut & Prælati, & alij tàm exempti, quàm non exempti ſuis juribus ſint contenti, & alter in alterius injuriam non proſiliat ſeu jacturam.*

62 Deteximus jam originem, & antiquitatem Prælatorum Inferiorum ex ipſa exemptionum origine & antiquitate; nunc verò recto ordine defluit ſermo, ut eorum juriſdictionem & poteſtatem in genere videamus; quod utiquè, ut quiſque ex jam dictis inferet, aſſequi non poteſt, niſi priùs ipſarum exemptionum comprehenſionem, & extenſionem demonſtremus: non aliud ſiquidem Prælatorum Inferiorum juriſdictio comprehendit, quàm id, quod privilegia exemptiva à juriſdictione Epiſcopi adimunt. Ergo ex ipſis privilegiis dimentienda eſt exemptio, & conſequenter horum Prælatorum poteſtas ac juriſdictio. Aſt cùm in ipſis
63 exemptivis privilegiis, juxta varietatem formularum, magna ſit diverſitas; nam modò magna ac lata, modò minor & ſtrictior exemptio tribuitur; hinc obſcura, explicatuque difficilis fuit hæc materia, quouſque tandem, ex ſolidis Juris principiis, receptaque Tribunalium praxi, tres horum Prælatorum claſes ſunt aſsignatæ; ex totidem exemptionum & privilegiorum gradibus. Atque ita huic diviſioni, ſeu partitioni inhærendo: In prima claſi ſeu gradu exemptionem inferiorem, quæ *ſimplex paſsiva*

paſsiva dicitur locabimus: In ſecunda exemptionem *mediam* ſeu *plenam*, licèt non ſit in uſu, doctrinæ gratia demonſtrabimus: In tertia exemptionem *maximam*, ſive *omnimodam*, quæ *nullius* dicitur conſtituemus.

64 Primi ergo gradus exemptio, quam aliarum reſpectu inferiorem, aut minimam poſſumus appellare, eſt illa, quæ eò principaliter ex mente concedentis tendit, ut liberet à ſubjectione & juriſdictione Epiſcopi, eos qui de jure communi ſubjecti erant. Frequentiſsima eſt hodie hæc exemptio, eaque non modò omnes Religiones fruuntur, ſed & aliqua Eccleſiarum Capitula, & Academiæ. Comprehenſio autem & 65 extenſio hujus infimæ exemptionis ea eſt, ut perſonas & res in privilegio contentas liberet in primis à lege juriſdictionis omninò; à lege verò diœceſana in iis, quæ nec ad ordinem, neque ad jus territoriale, aut reverentiale ſpectant, ut cum Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 35. *num.* 5. aſſerit noviſsimè Cardin. Petra *in d. conſtit. Paſchal. II. ſect.* 1. *num.* 9. Quod valde eſt notandum, & hinc cavendum ab iis, qui indiſtinctè & generalitèr pronunciant, hac exemptione omninò reſolvi jus Epiſcopi quoad utramque legem; ſi enim ita eſſet, quo jure, quæſo, Epiſcopus in locis exemptis functiones Pontificales exerceret? Qua ratione ipſi ab exemptis honor & reverentia deberetur? Et denique quo titulo alia Epiſcopo, adhuc poſt exemptionem, competerent, de quibus paſsim in hoc opere? Ergo illud ratum eſſe debet Epiſcopum poſt hanc exemptionem perſonis vel rebus, in ſua Diœceſi conſiſtentibus, tributam, ne unitas corporis ſcindatur, adhuc retinere conceptum Summi Sacerdotis in ordinibus, conſecrationibus, benedictionibus, & functionibus Pontificalibus de quibus *in cap.* 1. *&* 3. *part.* 2. Conceptum autem Diœceſani ſeu Adminiſtratoris in iis, quæ connectuntur juri territoriali. Conceptum verò Magiſtratus amittit in exercitio ſeu in actu, licèt non in habitu. Quæ omnia pleniùs ex dicendis apparebunt.

66 Dicitur autem hæc exemptio *ſimplex paſsiva*, quia per ſe primariò, & principalitèr eò tendit ac reſpicit, ut liberet à paſsione & ſubiectione; quatenus nimirùm, ea adſtante, exemptus non tenetur in ſe pati juriſdictionem Epiſcopi, nec ejus mandatis ligatur; ſed tamen aliquo in ſenſu *activa* dici etiam 67 poteſt hæc exemptio, quia nimirùm ipſa ſecundariò & per quamdam neceſſariam conſequentiam operatur etiam translationem Juriſdictionis in aliquem Prælatum Inferiorem; quod quidem ex ipſius provenit natura, nam hæc, ut ſupra vidimus, talis eſt ut ſubducat liberetque ab uno, & ſubijciat alteri. Atque ita res in effectu ſe habet, ut 68 exemptio liberet ab Epiſcopo, & ſubjiciat ſpecialitèr Romano Pontifici; at quia hic continuo, immediatoque exemptorum regimini incumbere per ſe nequit, ideo providentiſsimè ipſa privilegia, quæ hanc exemptionem paſsivam tribuunt, activam imbibitam præferunt; quatenùs in ipſas perſonas & loca exempta Prælatum aliquem loco Epiſcopi ſubſtituunt, ſeu creant Fagn. *in cap. quanto num.* 24. *&* 27. *de offic. Ordin.* ubi docet cum antiquis Canoniſtis, Abbatem, vel Priorem in ſuo Monaſterio, Provincialem in omnibus Conventibus ſuæ Provinciæ, & Generalem in toto ſuo Ordine habere juriſdictionem univerſalem, & ordinariam; idemque dicere poſſumus de Rectoribus Univerſitatum exemptarum, & de Præpoſitis ſeu Decanis Capitulorum exemptorum, videndi etiam erunt Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſput.* 1. *q.* 2. *num.* 2. *verſ. ſuppoſito enim.* Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 1. *num.* 6. Rota *deciſ.* 615. *in princ. cor. Seraph. deciſ.* 198. *num.* 4. *verſ.*

ſtante

ſtante apud Poſth. de manut. dec. 493. n. 5. part. 2. recent.

69 Dixi, hanc exemptionem liberare eos & eximere, qui aliàs de jure communi erant Epiſcopo ſubjecti, ut hoc ipſo denotarem aliqua in hac materia principia alia ab aliis dependentia, quorum primum eſt; exemptionem omnem vi ſua neceſſariò ſupponere antecedentem ſubjectionem, ut probat ipſum verbum *eximere*, ducto argumento *ex text. in cap. recepimus de privil. cap.* 1. *& cap. auctoritate eod. tit. in* 6. *& in Clement.* 1. *eod. tit. leg. qui ſaxum ff. de donat.* Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 23. *num.* 2. Rota *deciſ.* 338. *ſub num.* 6. *cor. Priol. & deciſ.* 14. *num.* 1. *cor. Emerix Iunior.* Unde qui ſe dicit exemptum, eò ipſo fatetur ſe antea fuiſſe ſubjectum: non ſecus ac filium familias, aut ſervum extitiſſe ſupponit, qui nunc emancipatum, aut manumiſſum ſe eſſe aſſerit; atque hinc etiam patet exemptionem omnem, ſive ut paſsiva, ſive ut activa conſideretur, qualitatem eſſe ſuperinductam, & accidentalem; cujus ratio eſt, nam origine & Chriſti inſtitutione attenta, omnis indiſtinctè locus perſonaque omnis ab Epiſcopi imperio pendens, ejuſque juriſdictioni obnoxia præſumi debet, ex traditis ſupra *in cap.* 2. *&* 3.

70 Unde jam ſecundò infertur, has nimirùm exemptiones, ſive exceptiones à juriſdictione Epiſcopi non ex jure communi, ſed ex jure ſingulari provenire, nimirùm ex jure privilegiato; quia quæcumque hodie ſunt exemptiones non ex aliqua univerſali Eccleſiæ lege, ſed ex particularibus privilegiis promanarunt, nec ſi quæ exemptiones in corpore Iuris referuntur, de jure communi per hoc erunt, quia & inibi per modum privilegii referuntur, ut diſſertè docet Cardin. Albit. *in Romana juriſd. ſeu Tituli Cardinalitij diſcept.* 2. *num.* 1. *& ſeqq.* quapropter exempti de jure communi ſubjecti ſunt Epiſcopo, de jure privilegiato ſuis Inferioribus Prælatis; ita ut Epiſcopus jure communi ſit eorum Prælatus nativus & originalis; Abbas, verò, Prior, aut Præpoſitus ſit tantùm Prælatus de jure ſingulari & accidentalis, quod confirmat Fr. Emman. Rodrig. *quæſt. Regul. tom.* 2. *q.* 64. *art.* 1. Rota *in pluribus deciſ. relatis in deciſ.* 238. *num.* 2. *part.* 1. *recent. & deciſ.* 47. *num.* 14. poſt Tamburin. *de jur. Abbat.* idem Tamburin. *d. tract. tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *num.* 1. *&* 2.

71 In qua parte manifeſtè fuere lapſi aliqui exiſtimantes, exemptiones Regularium à jure communi provenire, contra quos latè Lother. *d. q.* 24. *num.* 87. Cardin. Albit. *in dict. diſcept. de juriſd. Cardin. in Eccleſ. titulor. quæſt.* 1. *per tot.* Frances *in Paſtoral. Regular. part.* 2. *q.* 2. *à num.* 8. *uſque ad fin.* Potiorique titulo iterum rejicienda venit opinio Mirandæ *in Manual. Prælator. part.* 1. *quæſt.* 23. tenentis, hanc exemptionem eſſe de jure divino, de qua opinione ſermonem fecimus *in cap.* 3. *num.* 13. His conſentaneum eſt, quod infra *in cap. ſeq.* de-

72 monſtrabimus nullam exemptionem, ſive ut paſsivam, ſive ut activam conſideremus, nativam & originalem propriè eſſe poſſe, ſed dativam eſſe debere, interveniente Summi Pontificis privilegio, ex traditis à DD. *in cap. ſi Papa* 10. *de privil.*

73 Tertiò ex eodem principio deſcendit, exemptionis qualitatem, utpotè adventitiam & accidentalem, nativam cauſam ſubjectionis non deſtruere, nec omninò aufferre, ſed tantùm eam tegere, & obumbrare; ac proindè exemptio non efficit, ut Epiſcopi juriſdictio & canonica poteſtas funditùs & radicitùs dicatur extincta, ſed tantùm, ut ſit ſuſpenſa atque obumbrata; non ſecùs ac, adveniente flumine & prædium occupante, dominij cauſa non extinguitur, ſed adhuc in ipſo prædio occu-

occupato conſideratur quoddam dominium ſopitum & latens, vel reſpectu ejus cujus fuerat, ſi forma prædij non mutetur, vel reſpectu vicini poſſeſſoris, ſi forma ſit mutata, *juxta text. in leg. adeò 7. §. 2. & ſeqq. leg. Atius 38. ff. de adq. rer. domin.* juncto pro explicatione ſubtiliſsimo Labeonis Interprete mihi ſemper venerando D. Ortega *ad leg. fin. §. 1. de adq. rer. dom.* In quod etiam aliud proprium valde exemplum ſuppeditat peculium Caſtrenſe : licèt enim Imperiales Conſtitutiones, privilegia plura militibus tribuentes, filiofamilias conceſſerint dominium in rebus caſtrenſibus, quarum reſpectu patrem familias cenſeri voluerunt, *leg. 2. ff. ad Senat. Maced. leg. 2. de Caſtrenſ. Pecul.* tamen certum eſt, dominium patris in peculio, ex cauſa naturali patriæ poteſtatis proveniens, *leg. placet 79. ff. de adq. hæred.* non deſtrui nec extingui, ſed tantùm tegi & obumbrari per Imperiales Conſtitutiones, tributa filio illa qualitate accidentali patris familias, ita ut pater dominus ſit *jure communi* ; filius verò *jure privilegiato* ; ut latè eruditeque demonſtrat Ovetenſis Collegij ornamentum, nunc Granatenſis Præſes D. Henao *in ſuis Otiis Salmantin. lib. 2. otio 1. à num. 12.*

74 Ex quo etiam infertur quartò, quod ſicùt recedente flumine, dominium in prædio, & mortuo filio ab inteſtato, dominium patris in peculio detegitur, ob remotionem illius impedimenti accidentalis, ut patet *in citat. jurib. & in text. in leg. 1. §. ſi is qui bona 22. ff. de collat. bonor.* juncto D. Henao *d. otio. 1. num. 14.* ita plerumquè & frequenter, remoto exemptionis obſtaculo, poteſtas & juriſdictio Epiſcopi detegitur & velùt reviviſcit, ut notat Cardin. de Luca *de Regular. diſc. 64. num. 15.* Quod & ittidem ex eo efficitur, quòd res quælibet de facili priſtinam naturam ſuam reaſſumit, relicta qualitate accidentali & ſuperinducta, qua violenter, ut ita dicam, tenebatur *arg. leg. 2. ff. de Caſtr. Pecul. leg. ſi unus 8. pactus ne peteret de pact.* & etiam ſingularis *text. in leg. 5. §. fin. de capt. & poſtlim. reverſ.* Valenzuel. *conſ. 126. numer. 11.*

75

76 Quintò infertur, quod licèt exemptio impediat & obumbret jus juriſdictionale, & quoad effectum illud aufferat; non tamen auffert, nec impedit jus reverentiale, quod quidem actu manet in ſignum nativæ & originalis Superioritatis, ut cum antiquis Canoniſtis tenet Fagn. *in cap. quia nos num. 16. & ſeq. de auth. & uſu pall. & in cap. conquerente num. 15. de offic. Ordin.* Card. de Luca *de Regular. diſc. 1. num. 22. & de juriſd. d. diſc. 35. num. 5.* Et ratio eſt, quia qualitas hæc exemptionis, ſicut & quælibet alia accidentalis & ſuperinducta, operari non debet, ultra quàm exigit & ſuadet finis, propter quem fuit introducta & adjecta ; finis autem exemptionis elargiendæ, in eo tantùm verſatur, ut exempti quietiùs vivant, & à vexationibus liberentur; qui utique finis non deſtruit ſubjectionem quoad jus reverentiale, quinimò cum illa rectè compatitur, ut in individuo videbimus *infra. in cap. 1. & cap. 20. part. 2.* Deinde nam, ut ſupra inſinuavimus, cùm ita exempti in Diœceſis corpore contineantur, neceſſe eſt, ut eiuſdem Corporis Caput revereantur & obſervent, ne aliàs, aut unitatem ſcindere, aut monſtrum inducere, exemptionem dicamus.

77

78 Jam ex his omnibus ſextò & ultimò quoad propoſitum noſtrum infertur, ſimplicem exemptionem, de qua loquimur, utpotè quæ ex ſuo primario & directo conceptu ſolùm tendit ad liberandas à ſubjectione perſonas, & res in privilegio contentas, non liberare hujuſmodi res & perſonas à ſituatione & denominatione Vitalin. in

Clem.

Clem. 2. de privil. num. 14. & Franch. *in cap. 2. §. ſtatuto verſ. ſed adverte de conſtit. in 6.* Ac proinde hujuſmodi res & perſonæ dicuntut rectè eſſe *in Diœceſi*, & Epiſcopus ipſarum Diœceſanus vocatur in privilegiis exemptivis hujus claſsis. Nec quem turbare debet, quod
79 ſæpè dicitur apud eos, qui de hac materia agunt, perſonas, reſque exemptas non eſſe *de Diœceſi*; nam hoc intelligendum eſt, quoad jus juriſdictionale actuale, non verò quoad habituale, nec quoad jus reverentiale: quamobrem licèt in aliquo ſenſu dicantur non eſſe *de Diœceſi*; numquam tamen dici poterunt *extra Diœceſim*, nec extra territorium, ut videbimus *in cap. 1. part. 2.*
80 Siquidem ſimplex exemptio, ut limitata non inducit ſeparationem territorij neque Diœceſis, ut ex *cap. per exemptionem de privil. in 6.* tenent Chochier *de juriſd. in exempt. part. 4. q. 55.* Fagnan. *in cap. cùm Capella. num. 16. de privileg.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 26.* & noviſsimè Cardin. Petra *tom. 2. in conſtit. 6. Alexandri III. ſect. 1. num. 5.* Rota *in Gerundenſ. Juriſd. 5. Martij 1692. §. cujus naturæ cor. Molines ad ornatum Cardin. de Luca de juriſd.* Quin ſi propriè & ſtrictè
81 loqui volumus, implicat contradictionem, eſſe locum aliquem in ſtatu *nullius*, & eſſe exemptum, ut dixit cum Rota *in deciſ. 207. num. 2. part. 2. diverſ.* Fagn. *in cap. cùm contingat num. 32. de for. comp.* nam hæc vox *exemptio* dicit relationem ad cauſam ſubjectionis naturalis, adhuc in radice exiſtentem, quæ utiquè non verificatur in locis *nullius*, quippè hæc nō modò à ſubjectione, ſed à ſituatione, & denominatione inveniuntur exempta, ut fuſiùs *infra.*

82 Ex dictis circa comprehenſionem exemptionis hujus primi gradus, luculenter apparet, quæ quantaque ſit poteſtas ac juriſdictio Prælatorum primi gradus, in perſonas & res ſic exemptas eiſdem competens. Sunt ergo hi Prælati, qui ſub ſe habent perſonas cum ſuis bonis exemptas non modò exemptione paſsiva, quatenùs eæ ſint liberæ ab Epiſcopis, & immediatè ſubjectæ Sedi Apoſtolicæ; ſed etiam aliqua exemptione activa, quatenùs virtute ejuſdem exemptivi privilegij, illis ſit conſtitutum Caput, cui immediatè, & prout antea Epiſcopo, ſubjiciantur. Tales autem Prælati Inferiores nullum dicuntur habere territorium, cùm eis deficiat omninò juriſdictio activa in populum & Clerum Sæcularem; itaque eorum juriſdictio dicitur eſſe tantùm in perſonas, & reſtricta intra ambitum ſive ſepta Monaſterij, ſeu Eccleſiarum: ita fermè hanc primam & infimam Prælatorum Inferiorum claſſem deſcribunt Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 15. q. 9. à num. 1.* Cardin. de Luca *de juriſd. diſc. 1. num. 8.* Proſperis *de territor. ſepar. q. 2. num. 30.* Cardin. Petra *in d. Conſtit. Alexandri III. ſect. 1. num. 1.* Rota *in Gerunden. Juriſdict. 13. Junij 1692. verſ. nec conceſsionem cor. Molines.*

83 Ut autem exemplo res tota percipiatur ſubjungimus hic privilegium, quo nullum in hac claſsi majus, conceſſum S. Religioni Hieroſolymitanæ, in quo, ut tradit Cardin. de Luca *d. diſc. 1.* ſimplex tantùm exemptio hujus primi gradus tribuitur: verba autem privilegij prout regiſtrantur *in Conſtit. Pij IV.* quæ *in ordine Bullarij eſt la 9. in §. 36.* hæc ſunt: *Hoſpitale ac illius Bajulivas, Prioratus, Caſtellaniam Empoſtæ, domos, Cameras, Hoſpitalia, & loca quæcumque, necnon Magiſtrum, Bajulivos, Caſtellanum Empoſtæ, Priores, Præceptores, Milites & Perſonas, ac eorum Subditos, Vaſſallos, Colonos, & Servitores, tunc & pro tempore exiſtentes, etiam Presbyteros curam animarum exercentes, quandiù illa exercerent, & in illorum obſequiis forent, ac illorum res, animalia, prædia, Domos, Molendina, & bona quæcumque,*

que, quæ obtinebant, & poſsidebant, ac in futurum canonicè obtinerent, & poſsiderent ſub Beati Petri, & dictæ Sedis, atque ſua protectione ſuſceperat; ac ab omni juriſdictione, correctione, onere, ſtatutis, bannis dominio, ſuperioritate, & poteſtate, quorumcumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, necnon quorumcumque temporalium Dominorum quavis poteſtate etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium, ac Vniverſitatum, & illarum Regentium, etiam præterquam dicti Hoſpitalis Ordinariorum tàm ſpiritualium, quàm temporalium :::: liberaverat & exemerat, & dictæ Sedi immediatè ſubjecerat: & inferiùs *in §. 65.* habetur : *Et ipſe Magiſter, ac Conventus, necnon Prior Eccleſiæ, aliique Priores, & Præceptores intra limites ſuarum juriſdictionum, & adminiſtrationum, veri Ordinarij, juxta formam ſtabilimentorum, & privilegiorum prædictorum exiſtant & eſſe cenſeantur.* Habes igitur hic, Lector, ampliſsimum privilegium, quod quidem, ut ſentit Card. de Luca *loco citat.* & poſteà declaravit
84 ſæpiſsimè Sacra Rota ſimplicis paſsivæ exemptionis rationem non excedit; nullam ſiquidem juriſdictionem in populum & Clerum Sæcularem concedit; unde primum tantùm hunc gradum Hieroſolymitani Prælati tenent.

85 Secunda claſsis ſive gradus exemptionum, ex quo ſecunda etiam ſpecies Prælatorum Inferiorum reſultat, eſt illa, quæ ultrà exemptionem paſsivam præſtat alicui Prælato juriſdictionem in populum & Clerum Sæcularem cum cura animarum, compatibilem tamen cum Epiſcopi univerſali juriſdictione. Dicitur hæc exemptio *activa* ad diſtinctionem præcedentis, quia
86 principaliter in id tendit, ut juriſdictionem in populum tribuat; cùm illa primi gradus, ut vidimus, illud primariò ſolùm deſideret, ut certum genus perſonarum ab Epiſcopi liberet juriſdictione, illæſa & integra manente ejuſdem Epiſcopi juriſdictione, quoad cæteras perſonas populi & Cleri Sæcularis. Unde eſt & alia inter eas differen-
87 tia, quod nimirùm exèptio *ſimplex* paſsiva in perſonas eſt abſque territorio, activa verò, de qua hic, localis eſt, & territorium aliquomodò tribuit. Adhuc tamen hæc exemptio, quamvis *activa*
88 dicatur reſpectu præcedentis, non eſt omninò & abſolutè talis, ſed tantùm *partialis*, ſeu *ſecundumquid* ad differentiam illius, quæ ſequitur tertij gradus, quæ *omnimoda activa* dicitur, atque ideo hæc media eſt inter utramque; excedit enim paſsivam ſimplicem, quia non modò liberat à ſubjectione, ſed etiam quodammodo à territorio & ſituatione, & hac ratione *activa* dicitur; ſed quia à ſituatione & territorio omninò non liberat, nec penitùs Epiſcopum excludit, hinc tantùm partialis activa eſt, ad differentiam ſequentis, quæ omninò à territorio liberat & in totum Epiſcopi jus reſolvit.

89 Hæc ita explicare opus fuit, nè miſerè incidamus in frequentiſsimum æquivocum, quo haud pauci de hoc agentes laborarunt, nam vicinitas terminorum, effectuumque non parva ſimilitudo illis impoſuit, ut hanc mediam exemptionem cum exemptione maxima ſive omnimoda confunderent, ut advertit Lother. *d. quæſt. 24. num. 126.* unde emanavit, ut loca ſic exempta *nullius* appellarentur, qua etiam dictione Prælati ejuſmodi locis præpoſiti inſigniri ſolebant; ocaſione ad hoc deſſumpta ex illa impropria ſeu partiali territorij ſeparatione, ſeu ſolutione, quam, per hanc mediam exemptionem, induci diximus, de qua Cardin. de Luca *de juriſd. diſc. 10. num. 8.* Cujus quidem virtus & effectus ille eſt, ut in eo, quod continet privilegium reſolvatur juriſdictio Epiſcopi & jus obedientiale, & quodammodo territorium, quatenus nimirùm Epiſcopus poteſt impediri,

ne

ne in tali loco exerceat nedùm jurisdictionem, sed & curam in populum & Clerum Lother. *d. quæst.* 24. *num.* 112. novissimè Cardin. Petra *in d. sect.* 1. *num.* 3.

90 Distat enim quàm maximè hæc secundi gradus exemptio, ab illa tertij gradus, quia licèt territorium quodammodò solvat, non tamen solvit Diœcesim, uti solvit exemptio tertij gradus: differunt enim valdè in hac parte Diœcesis & territorium, juxta tradita à Lother. *d. libr.* 1. *q.* 23. *ex num.* 8. Atque hinc provenit, quod locus sic exemptus propriè dici non possit *nullius*; quamvis enim non dicatur de Diœcesi, tamen in Diœcesi consistere verè affimatur; quia licèt tribuat jurisdictionem Prælato Inferiori in certum Clerum & populum in aliqua territorij parte, nihilominùs pars hujusmodi in illo universali Diœcesis corpore inclusa manet, ut in terminis tradunt Fagnan. *in cap. nullus num.* 4. *de Paroch.* Gratian. *discept. forens. discept.* 212. *num.* 30. *& seqq.* Prosperis *de territor. separ. d. q.* 2. *num.* 10. Ursaya *tom.* 1. *discept. part.* 1. *discept.* 10. *num.* 16. *& tom.* 2. *part.* 1. *discept.* 1. *num.* 18. Rota *decis.* 42. *num.* 1. *& seqq. & decis.* 117. *num.* 3. *& seqq.* post Tamburin. *de jur. Abbat.* & optimè *decis.* 324. *num.* 7. *part.* 1. *& decis.* 373. *num.* 21. *part.* 11. *recent.* Cujus situationis in Diœcesi is præcipuè effectus

91 resultat, ut quamvis Prælatus Inferior respectu loci sic exempti *Ordinarius* dicatur; tamen ejusdem loci Caput est Episcopus, & illius Diœcesanus; qua ratione præeminentia & reverentia illi adhuc in hujusmodi loco ab omnibus debetur: & ob eamdem rationem, licèt ei interdictum sit ibidem aliquorum actuum jurisdictionalium exercitium; semper tamen poterit exercere ea, quæ uti Diœcesano competunt, & ea quæ ex Sacris Canonibus, Apostolicisvè Constitutionibus Episcopis in locis sic exemptis intra suam Diœcesim reservantur Cardin. Petra *d. Const.* 6. *sect.* 1. *num.* 5.

92 Difficilis tamen captu alicui videbitur concursus in eodem loco jurisdictionis Ordinariæ Prælati Inferioris, cum jurisdictione & potestate Episcopi Diœcesani; nam hoc admisso concursu, admitti videtur & monstrum duorum Capitum, Ordini Hierarchico Ecclesiæ oppositum; quod sicut repugnat respectu universæ Diœcesis, ita implicat in qualibet Diœcesis parte, ut verificari simul queant duo Prælati Ordinarij *ad text. in cap. quoniam in plerisque* 14. *de offic. Ordin.* Sed reverà hæc facillimo negotio componuntur, siquidem

93 hujusmodi repugnantia & monstrositas solùm adest cùm Prælati, de quorum concursu agitur, proponuntur æquales, & utrique simul, respectu ejusdem corporis, Capitis conceptus tribuitur; quod sanè non evenit in præsenti, nam in his terminis concurrunt Prælatus Inferior, tanquam Ordinarius particularis, sive secundumquid, & in materia illi adaptabili sub Episcopo; & Episcopus tanquam Ordinarius universalis cum causa naturali, quod non repugnat, ut *ex cap. si Papa* 10. *vers. his enim de privil. in* 6. *cap. cùm venerabilis* 7. *de Relig. dom. cap. cum olim vers. quia prædictus de præscript.* tenent Fagnan. *in cap. cùm contingat num.* 23. *& 26. de for. comp. & in cap. relatum num.* 7. *& seqq. de cler. non resid. & in cap. cùm olim num.* 23. *de præscript.* Lother. *d. q.* 24. *à num.* 100. *ad* 104. Rota *decis.* 340. *num.* 4. *&* 5. *cor. Priol. decis.* 69. *à num.* 12. *ad* 16. *part.* 19. & in hac causa *in decis. super Tribunali* 17. *Iunij* 1689. *vers. & quamvis cor. Molines.* Compatibilis ergo manet respectu ejusdem

94 loci universalis jurisdictio Episcopi, & activa exemptio seu jurisdictio Prælati Inferioris respectu aliquorum actuum in populum & Clerum Sæcularem; quos quidem actus exercebit Prælatus

Inferior, vel cumulativè cum Epiſcopo, vel privativè ad eum juxta formam privelegij, vel præſcriptionis, ad terminos *cap. auditis, & cap. cùm olim de præſcript.* utroque tamen caſu ſemper reſervabuntur Epiſcopo privativè actus & jura, quæ ex conceptu Diœceſani debentur, & quæ Canones Epiſcopis privativè tribuunt, ut docent *præcitati* DD. & præ aliis Cardin. de Luca *d. diſc.* 1. *de juriſd.*

95 Brevitèr ergo, ex dictis, Prælatos hujus ſecundæ claſsis ſic deſcribere poſſumus, ut dicamus, eos eſſe, qui nedùm habent exemptionem ſimplicem Eccleſiæ ſeu Monaſterij, ſed etiam juriſdictionem ſpiritualem in Clerum & populum Sæcularem alicujus loci cum aliqua impropria territorij diſtinctione; quantùm ſcilicet reſpectivè illius loci fines particulares, ſeu temporales ſe protendunt; ita ut hujuſmodi Prælatorum Inferiorum juriſdictio particularis compatibilis remaneat cum Epiſcopi nativa & univerſali juriſdictione, vel per concurſum cumulativum, vel cum aliquorum actuum diſtinctione.

96 Sed antequam ultrà progrediamur, notare opportet, exemptionem & reſpectivè juriſdictionem hujus ſecundæ claſsis, hodie in praxi parùm, aut nihil differre à ſimplici exemptione paſſiva primi gradus, quamvis re ipſa, & olim in effectu magnoperè diſtaret ab ea: & ratio eſt, quia hæc exemptio, quæ olim plena erat, & reſpectivè omnimoda, hodie, ut eggregiè docet Cardin. de Luca *d. diſc.* 1. *num.* 9. per Sanctum Concilium Tridentinum, aliaſque Apoſtolicas Conſtitutiones ferè ad nihilum redacta eſt; ita ut inannis & aerea remanſerit, ob juriſdictionem locorum Ordinariis tributam in cauſis matrimonialibus, necnon in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, collationem Ordinum, approbationem Confeſſariorum, & Concionatorum, & alia, de quibus idem Purpuratus Scriptor egit in eodem tractatu, & nos in *part.* 2. videbimus.

97 Atque hinc duo proveniunt, I. quod plerique AA. non immeritò exemptionem bimembrem tantùm faciunt, paſsivam, nimirùm, & activam, imbibita hac ſecunda ſive media in illa primi gradus, ideſt ſimplici paſsiva.

98 II. quod Prælati, quibus hæc media exemptio competit, ea non contenti, ad illam aſcendere ennituntur, quæ eſt omnimoda, ſeu maxima, quamque propriè *nullius* vocamus, de qua ſermonem adorimur.

99 Pervenimus tandem ad tertium exemptionis gradum, qui alijs ſuperior longè eſt, cæteroſque abſorbet & complectitur; ſiquidem ultrà exemptionem paſsivam tribuit etiam omnimodam juriſdictionem ſpiritualem in loco vel locis, privilegio contentis, Prælato Inferiori cum omnimoda excluſione Epiſcopi, ſuorumque Iurium; quod fit eximendo illum locum non modò à ſubjectione, ſed etiam à jure reverentiali, ſituatione, & denominatione; adhibita propria veraque territorij illius ſeparatione à Diœceſi, in qua antea conſiſtebat; ita ut ille locus ter-

100 ritoriumque ſeparatum, verè & propriè nullius Diœceſis dicatur, & ſpeciem figuramque faciat diverſæ Diœceſis, independentis ab Epiſcopo, ſolùmque Prælato Inferiori tanquam unico Capiti ſubjectæ, non tantùm quoad juriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam ſupra Clerum & populum; ſed etiam quoad delegatam per S. Concilium, & Apoſtolicas Conſtitutiones. Comprehenſio hujus exemptionis ſatis ex dictis perſpicitur, & ex dicendis *in hoc, & ſeqq. capp.* latiùs apparebit, itaque ad Prælatos hujus claſsis deſcribendos progredimur.

Prælati

101 Prælati ergo tertij gradus, ſive claſsis, ex hac exemptione reſultantes, ſunt illi, quos Papa in certa territorij parte conſtituit velut Caput, tranſlatis in eos omnibus juribus Epiſcopalibus, & excluſſo in totum Ordinario; ita ut in ipſo territorio ſeparato Prælati ſic conſtituti habeant quamcumque juriſdictionem ſpiritualem & in omnibus teneant locum & figuram Epiſcopi, excepta poteſtate Ordinis, neque ſubjaceant poteſtati, quam Sac. Concilium Tridentinum tribuit Epiſcopis contra exemptos in eorum territorio, quia verè non ſolùm non ſunt de Diœceſi, ſed neque in Diœceſi alicujus, ideoque dicuntur *in nullius Diœceſi* exiſtere; quinimò, ſtante vera territorij ſeparatione, & certis limitibus terminata, dicuntur in propria Diœceſi exiſtere; & per omnia hi Prælati Diœceſanorum

102 munera obeunt: Certi tamen caſus excipiuntur, in quibus ex ſpecialibus proviſionibus Provinciæ Metropolitano, aut Epiſcopo viciniori aliqua facultas tribuitur in hujuſmodi territoriis, Lother. *d. q.* 24. *num.* 128. *& ſeq.* Card. de Luca *d. diſc.* 1. *num.* 10. *& in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 1. *num.* 89. *& ſeqq. & diſc.* 2. *num.* 15. Proſper. *de territ. ſepar. q.* 2. *num. fin. & q.* 4. *num.* 4. Cardin. Petra *in d. conſt.* 6. *ſect.* 1. *num.* 4. Rota *deciſ.* 324. *num.* 6. *part.* 1. *deciſ.* 70. *num.* 29. *part.* 13. *deciſ.* 483. *numer.* 12. *&* 13. *part.* 14. Cùm autem præcipuæ inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores controverſiæ ſuper competentia hujus exemptionis *nullius* agitentur; hinc de illa ſeorſim tribus ſequentibus capitibus ex profeſſo erit agendum, ut plenè conſtet unde ea proficiſcatur, & quando competere dici poſsit.

CAP. V.

De Prælatis ab origine *NVLLIVS* ad reſolutionem celebris quæſtionis, quæ de poſsibilitate nativæ exemptionis ſolet ventilari.

SUMMA CAPITIS.

1 *Quandoque Prælati Inferiores loci ſive territorij nativam libertatem oſtendere conantur.*

2 *Proponuntur contrariæ Canoniſtarum ſententiæ circa poſsibilitatem nativæ exemptionis.*

3 *Proponitur quæſtio vifariàm & reſolvitur.*

4 *Exemptio alicujus loci propriè & abſolutè nativa impoſsibilis eſt.*

5 *Sicut implicat nativa manumiſsio & emancipatio, ita nativa exemptio.*

6 *Sicut manumiſsio & emancipatio, ita exemptio ſupponit præcedentem ſubjectionem.*

7 *Sicut manumiſsio & emancipatio ſupponunt auctorem, ita etiam exemptio.*

8 *Ad verificandam hujuſmodi exemptionem nativam, neceſſe erat profiteri locum abſolutè acephalum, qualis non poteſt exiſtere.*

9 *Quicumque in Orbe figuretur locus comprehenſus dici debet ſub juriſdictione & poteſtate Summi Pontificis.*

10 *Impoſsibilis eſt juriſdictio, quam quis ab origine habeat à ſemetipſo.*

11 *Prothoparenti noſtro Adamo ſolùm data eſt patria poteſtas in deſcendentes, & regimen œconomicum.*

12 *In Lege veteri dedit Deus juriſdictionem Moyſi & Aaron deinde Iudicibus & Regibus.*

13 *In Lege Gratiæ tradita eſt à Chriſto Apoſtolis ſpiritualis Eccleſiaſticaque juriſdictio.*

14 *Omnis ſpiritalis Eccleſiaſticaque juriſdictio reſidet in Papa tanquam in centro, ab eoque in alios derivatur.*

15 *Nemo poteſt ſibi arogare juriſdictionem Eccleſiaſticam, abſque antecedenti Papæ conceſsione.*

16 *Poſsibilis eſt exemptio nativa in aliquo ſenſu, nimirùm relativè tantùm ad Epiſcopum.*

17 *Verificari poteſt locus, qui numquam fuerit ſub Epiſcopo, ſed ab origine extiterit ſub Prælato Inferiori.*

18 *Diviſio Diœceſium non ubique eodem tempore fuit facta, ac perinde corruit fundamentum contrariæ ſententiæ.*

19 *AA. qui hujuſmodi loci poſsibilem exiſtentiam admittunt.*

20 *Adducuntur aliqua exempla.*

21 *Vallis de Tretis dicitur acephala, & in nullius Diœceſi ſita in Concilio Avenionenſi.*

22 *Abbatia à S. Sthephano in Hungaria fundata ante omnes Epiſcopatus cum ampliſsimis privilegiis.*

23 *Onus ſuſcipiendi Ordines, Chriſma, & olea ab aliquo Epiſcopo, ſituationem in illius Diœceſi arguit.*

24 *Innocentius III. agnovit regionem per Chriſticolas numquam habitatam, ac proinde in qua numquam fuerat Eccleſia aut Diœceſis.*

25 *Cluniacum nulli ſuberat Epiſcopo cum Monachis tradebatur.*

26 *Deducitur ex dictis propria & plena deſcriptio loci ab origine* nullius.

27 *Cum in aliqua regione ſunt ab antiquo aliqui Epiſcopatus, non eſt locus nativæ libertati alicujus loci, ſed hic ad viciniorem ſpectabit.*

28 *Sicut dominium ita & juriſdictio in proximiora tranſcendit.*

29 *Antiquitùs Epiſcopi non uni Civitati, ſed totæ Nationi ordinabantur.*

30 *Ratio vicinitatis attenditur à SS. Canonibus, ut tribuant juriſdictionem.*

31 *Deſertio, & ſolitudo loci non impedit jus vicinitatis & acceſsionis.*

32 *Locus qui tandiù Paganorum fuit, ut hominum memoria non teneatur aliquando fuiſſe Chriſtianorum, & ſub Epiſcopo, in pari cauſa eſt cum illo, qui certò nunquam fuit ſub Epiſcopo.*

33 *Paganorum debellatores meritò privilegiis, ornantur.*

34 *Hoc jure Complutum Archiepiſcopis Toletanis competit, & Oranum ab Eminentiſ. D. meo Cardinale Ximenio Toletanæ Diœceſi adjicitur.*

35 *Si ex antiquis monumentis conſtat aliquem locum ſub Epiſcopo fuiſſe, loco ab Infidelibus recuperato, priſtinæ dignitati debet reſtitui.*

36 *Hiſpania à Mauris poſſeſſa plures Epiſcopi ad Ovetum confugerunt, & ibi titulos memoriamque ſuarum Sedium retinebant.*

37 *Ovetum his temporibus Metropolis efficitur, ſed, ut Mauri debellabantur, omnia jura ad antiquas Eccleſias poſtliminio reddierunt.*

38 *Ius poſtliminij non tantùm rebus movilibus, ſed immovilibus, & juribus ſolo cohærentibus datum eſt.*

39 *Hoc jure poſtliminij reſtituit Vrbanus II. primatum Eccleſiæ Toletanæ; etiam in Provincias à Mauris occuptas.*

40 *Hoc etiam jure contendebat D. meus Cardinalis Ximenius cum Epiſcopo Acitano, ut Baſletanam Eccleſiam ſuæ applicaret Diœceſi.*

41 *Modernum hujus juris exemplum petitum ex Orani reſtitutione Diœceſi Toletanæ.*

42 *Mens Canonum & Pontificum ea ſemper fuit, ut territoriale cujuſque jus ſervaretur.*

43 *Exponitur latè* text. in cap. veniens de verbor. ſignif. in 6. *& ſimul privilegium Alexandri III. Iacobæis conceſſum.*

Diſ-

44 *Distinguit Alexander pluras casus, & primo agit de adquisitione loci, ubi Episcopus esse debuit.*

45 *Secundo agit de Ecclesiis ad Iacobæos jam spectantes tempore privilegij.*

46 *Deinde agit de Ecclesiis ab ipsis fundatis in locis desertis, aut in terris Sarracenorum.*

47 *Ex ipsa privilegij Alexandrini inspectione patet, in nulla ejus parte tribui territorium separatum, &* nullius.

48 *Suscipit Lucius III. interpretationem præfati privilegij, & declarat. I. quid sit locus desertus. II. quid comprehendat plena libertas tributa Ecclesiis ab Alexandro.*

49 *Duo eliciuntur consectaria ex Lucij declaratione.*

50 *De hoc ipso privilegio quæstio instituitur coram Gregorio IX. inter Archiepiscopum Toletanum, & Milites Iacobæos.*

51 *Archiepiscopus contendit desertum locum quoad propositum in Hispania verificari non posse.*

52 *Vt aliquid in hominum memoria extare dicatur infinitum tempus est inspiciendum.*

53 *Milites opponunt viventium tantùm hominum memoriam esse exquirendam.*

54 *Memoria initij non semper destruit immemorabilem, quod pulchro illustratur exemplo.*

55 *Declarat plenè Pontifex quid sit locus desertus.*

56 *Locus desertus tribus rationibus dici potest, ut quia solitarius, incultus, aut ab hostibus sit occupatus.*

57 *Occupatio hostilis non facit locum desertum nisi adeò sit diuturna, ut omnimodam hominum memoriam excedat.*

58 *Dum interest necessitas hostilitatis, excluditur præscriptio, & post liminij jus quodcumque tempus intermedium supputat.*

59 *Nihil obstat quod immemorabilis possessio quandoque cum notitia initij compatiatur.*

60 *Archiepiscopus restringit plenam libertatem privilegij ad quædam onera legis diœcesanæ: & fundatur.*

61 *Milites libertatem extendunt, ut liberet à lege jurisdictionis: & fundatur hoc in particula adversativa privilegij.*

62 *Gregorius IX. & Innocentius IV. decidunt solum contineri in privilegio immunitatem à lege diœcesana.*

63 *Non obstat particula adversativa posita in privilegio.*

64 *SS. Pontifices in concedendis privilegiis* nullius *circunspectissimè se gesserunt.*

65 *Difficilimum est probare in Hispania locum ab origine* nullius.

66 *Omnis locus præsumitur ab origine aliquo Episcopatu incluſſus.*

67 *Parùm prodest Prælato Inferiori ostendere locum nunquam sub Episcopo fuisse, si non ostendat privilegia sibi in eo jurisdictionem tribuentia.*

1 AFFERT secum antiquitas honoris & auctoritatis plurimùm, ut eò magis res clarescant, quò vetustiores dicuntur: quin nescio quid roboris & præsidij juribus ipsis suppeditat; dùm ea rebus & locis à principio aut natura insita, aut conditio dicta præsumitur, qualem longo interruptoque successu ad nos transmisit vetustas, quam legis vicem habere Consultus dixit *in leg. 1. §. fin. & in leg. 2. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Unde mirandum non est, si in his etiam, de quibus agimus, controversiis, de antiquitate sæpè disceptetur; dùm aliqui Prælati Inferiores omnimodam exemptionem, & respectivè jurisdictionem in aliquo territorio prætendentes, illius loci & territorij originalem sive nativam libertatem ostendere sunt conati, ut eorum jurisdictio & exemptio longi temporis suffragio commendata sit tutior, & minus odiosa.

2 Idèam hanc, ut absurdam fundamentoque carentem, plures improbarunt Canonistæ, quibus hujusmodi loci existentia cum originaria libertate chymærica & impossibilis visa fuit; hæc sententia plausum ingentem-

que ſequacium catervam obtinuit. Contra verò nativam loci alicujus libertatem, ut poſsibilem, quin, ut verè exiſtentem, propugnarunt conſpicui ac eximij duo Canonum Interpretes, ut ſunt Ioannes Andreas inter antiquos, & Proſperus Fagnanus inter modernos; qui rem obſcurè, forſam quia breviter, tractantes, paucos ſuæ ſententiæ ſectatores habuere; licèt eorum ſententia, juxta dicenda, certa eſſe videatur: quamobrem ſubtilem & utilem hunc articulum hic exprofeſſo diſcutere opportet, quod, ni fallor, dilucidè & noviter præſtabimus.

3 Ergo illud præcipuè in præſenti videndum erit; an exemptio *nullius* nativa ſit poſsibilis? Sed quia hæc quæſtio duplici ſenſu agitari poteſt, proprio nimirùm & improprio; ideo duplici concluſione firmata, ad illius reſolutionem procedo; atque ita ſit prima Concluſio. *Exemptio omnimoda*
4 *alicujus loci propriè & abſolutè, & pròut ſonat nativa, impoſsibilis repugnanſque eſt.* Patet hæc aſſertio, quia ut hujuſmodi locus eſſet poſsibilis, neceſſe erat verificare, quod poſſet exiſtere locus ab origine & à natura exemptus, in quo Prælatus Inferior à ſemetipſo juriſdictionem haberet; quod quidem, ut per partes demonſtrabimus, nequit verificari. Et in primis pro eo quod ad
5 exemptionem ſpectat, quis non videt nativè exemptum non magis convenire, quàm nativè manumiſſum aut emancipatum, quæ quidem interſe manifeſtè implicant? Sicut enim manumiſsio &
6 emancipatio relationem faciunt, & denotant ſervitutem & patriam poteſtatem antecedentem, ut conſtat *ex §. un. Inſtit. de libertin. & ex §. præterea quib. mod. jus patr. poteſt. ſolu.* Sic exemptio ex ipſa verbi notione denotat ſubjectionem præcedentem; ita ut quemadmodum manumiſsio propriè non verificatur in eo, qui ſemper fuit ingenuus *§. ult. Inſtit. de ingen. & arg. leg. ſi quis* 21. *§.* 1. *de capt. & poſtl. reverſ.* ita exemptus propriè dici non poteſt, qui numquam ſubjectus extitit. *arg. cap. recepimus ubi DD. de privil.* Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 23. *num.* 2. noſque diximus *ſupra in cap.* 4. *num.* 69. Quin, ut qui manumiſsionem dicit aut eman-
7 cipationem, vi ipſa & neceſſariò fatetur & præſupponit patrem aut dominum, à quibus, ut à cauſis efficientibus, proveniunt *d. §. un. de libertin. d. §. præterea*; ſic exemptio comprehendi nec etiam fingi poteſt, quin auctor profiteatur, & ſupponatur; unde non nativa ſed dativa ſemper erit, à Summo Pontifice proveniens, utpotè, qui ex recepta ac vera ſententia Canoniſtarum *in cap. ſi Papa* 10. *de privil. in* 6. unicus tantùm exemptionum auctor agnoſcitur; & præcipuè hujus exemptionis omnimodę, de qua loquimur, ex doctrina Hoſtien. *in cap. cùm contingat de for. compet.* Rota *deciſ.* 47. *num.* 20. *poſt Tamburin. de jur. Abbat. tom.* 3.

8 Deinde, nam ut propria & abſoluta exemptio, ſive nativa libertas verificaretur, neceſſe erat verificare locum, ab origine nulli Capiti ſubditum, & propriè acephalum; quod quantùm abhorreat à mente Sacrorum Canonum, nemo eſt qui neſciat: & aliunde hujuſmodi locum exiſtere eſt impoſsibile; nam utcumque figuretur, etiam in nulla particulari Diœceſi ſitus, adhuc ad ſummum acephalus impropriè dici poterit, quatenùs huic vel illi Capiti particulari non conſtet immediatè ſubjectus; ſed propriè acephalum
9 nemo rectè dicet, cùm ſaltem collocandus veniat ſub ditione Summi Pontificis, ut optimè docet Cardin. Turrecremata *in can. nulla ratione diſt.* 93. ibi: *Et ſi etiam in nullius Epiſcopi ſpeciali deſſignata Parochia habitant, quales forte aliqui ſunt in Ægypto, dicitur, quod in Parochia D. Papæ habitant, quæ totus mundus*

mundus intelligitur. Huic conſonat Gloſſ. *ibidem verb. Acephalos*. Alteſſerra *in Aſceticon lib. 7. cap. 12. verſ. Idem Goffridus*. Notiſsimum enim eſt quamcumque ſpiritalem & Eccleſiaſticam juriſdictionem in quocumque Orbis loco exercibilem, in Summo Pontifice reſidere, utpotè qui illum repreſentat Dominum, cujus eſt terra & plenitudo ejus: unde Papæ poteſtas & juriſdictio per omnem locum diffunditur, cùm ſit Diœceſanus Diœceſanorum, & exemptorum, ratione nedùm Patriarchatus Occidentalis, ſed etiam amplioris, & incircunſcriptæ Supremæ Dignitatis Pontificiæ, ut *per text. in cap. cuncta per mundum 9. q. 3.* docent & exornant Maranta *controverſ. jur. part. 3. reſponſ. 75. num. 10. & reſponſ. 81. num. 50.* Frances *de Eccl. Cathedr. cap. 3. num. 22.* Lother. *de re benefic. lib. 1. quæſt. 11. num. 5.* Anaſtaſ. Germon. *de Sacror. immun. lib. 3. cap. 15. num. 73.* Caſſan. *in Cathalog. glor. Mund. part. 3. conſiderat. 7. verſ. ſed tamen dic. cum ſeq.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 13. cap. 2. num. 17.* Rota *in Fuldenſ. Iuriſd. 1. Iunij 1708. verſ. quin propterea cor. Anſaldo.*

10 Videamus nunc de juriſdictione, quæ competere debebat Prælato *nullius* in caſu concluſionis; & quidem ſi impoſsibilis eſt exemptio nativa propriè & abſolutè; impoſsibilior judicanda erit nativa juriſdictio, quam aliquis à ſemetipſo poſsit habere & exercere: juriſdictio enim ex natura ſua ſemper largitorem, & datorem expoſcit, & dùm juriſdictionem dicimus, illius inevitabiliter auctorem laudamus. Quod quidem loquendo in genere de omni juriſdictione indubitatum eſt; nam quis unquam hominem à natura & à ſemetipſo juriſdictionem habentem ſomniavit; quandoquidem Apoſtolus generaliter dicit: *Omnis enim poteſtas à Deo eſt. Ad Rom. cap. 13.* Et hoc ipſum particu-
11 lariùs demonſtrari poteſt; nam in ipſo mundi exordio Prothoparenti noſtro Adamo nonniſi ſuper animantibus conceſſa eſt à Deo poteſtas; cùm enim ab initio omnes homines liberi naſcerentur, nec unus imperio alterius ſubeſſet, ut habetur *in §. jus gentium Inſtit. de jur. nat. gent. aut civ. & §. 1. Inſtit. de jur. rperſon.* hinc profluit, ſolùm potuiſſe illum erga ſuos deſcendentes exigere illam paternam reverentiam, quam natura & gratitudo, liberos parentibus impendere, docent, unde non imperium, ut Magiſtratus ſed regimen œconomicum habebat, ut verba diſtinguens docet Conſultus *in leg. poteſtatis 215. de verb. ſignif.* & proſequuntur Paſchal. *de patr. poteſt. part. 1. cap. 1. num. 1.* Boſſ. *eod. tract. cap. 1. §. 2. per tot.* Sanchez *in opuſc. mor. lib. 1. cap. 1. num. 11.* D. Gonzal. *in cap. cum non liceat num. 9. de præſcript.* Fragoſ. *de regim. reip. Chriſt. tom. 3. lib. 2.*

12 Solùm ergo advento tempore Legis Scriptæ placuit Summo Opifici explicatam à ſe juriſdictionem ponere in manu Moyſis & Aaron, & dein Iudicum & Regum: donec expirata quoque Lege Scripta per adventum Sanctiſsimi Domini noſtri Reparatoris, & in illam Gratiæ commutata, ea juriſdictio (quatenùs ad noſtrum propoſitum ſpectat, videlicèt ad ſpiritualem & Eccleſiaſticam juriſdictionem) multiplicitèr delegata fuit per eumdem
13 Chriſtum Dominum, in forma ſervi adhuc exiſtentem, illius Apoſtolis atque diſcipulis; ſed ſubſtantialitèr reaſſumpta, & in perpetuum in præmium ſuæ confeſsionis Beato Petro ejuſque Succeſſoribus conceſſa. Unde certa eſt hodie ſententia, quod omnis ſpiritalis, vel Eccleſiaſtica juriſdictio reſideat dun-
14 taxat in Romano Pontifice tanquam in centro, & quod ab eo legitimè detur & transfundatur in alios ſive Patriarchas, ſive Archiepiſcopos, & Epiſcopos; ita ut quælibet ſpiritualis & Eccleſiaſtica

ſiaſtica juriſdictio à Papa tanquam à fonte vel Mare fluat & refluat, Bellarmin. *de Rom. Pontif. lib.* 4. *cap. fin. verſ. tertio probatur.* Anſald. *de juriſd. Eccleſ. part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 21. *num.* 39. & 40. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Chancell.* §. 1. *proœm. num.* 9. de quo etiam dixi, *ſupra in cap.* 1. *à num.* 28.

15 Cùm ergo hæc ita ſint, clarè conſequitur, nonniſi inſigni dementia captum quemquam, eam animo exculpere poſſe cogitationem, ut abſque Papæ prævia ſeu antecedenti conceſſione, ſibi à natura ſeu intrinſeca libertate inditam juriſdictionem ſpiritualem aſſerat, ut ultrà jam cumulatos in ſubſtantia proſequuntur Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 14. *à num.* 1. Vargas *de juriſdict. Epiſ. & Pontif. Maxim. auctor. axiom.* 2. *cum ſeqq.* Oliva *de for. Eccleſ. part.* 1. *q.* 2. *ſub num.* 18. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *à num.* 20. Rota *deciſ.* 306. *cor. Durano.* Ex quibus prout ſupra concludimus exemptionem & reſpectivè juriſdictionem *nullius* propriè & abſolutè nativam eſſe impoſsibilem; itaque nec fingi poteſt hoc ſenſu locus ab origine *nullius*, in quo Prælato Inferiori talis competat juriſdictio ſine Apoſtolico privilegio; & in hoc ſenſu conveniunt omnium Scribentium ſententiæ: nec contrarium tenuit Ioan. Andreas & ex eo Fagnanus *locis cit.* imò hanc eamdem ſententiam ſuſtinuerunt, ut ſtatim ex ſequentibus apparebit.

16 Jam ergo in promptu eſt ſecunda aſſertio, quæ talis eſt. *Poſsibilis eſt exemptio alicujus loci aliquo ſenſu nativa & ab origine* Nullius, *impropriè tamen & relativè tantùm ad Epiſcopum.* Quæ aſſertio ſequenti oſtenditur ratio-
17 cinio. Poſsibilis eſt in hoc ſenſu nativa & originalis loci exemptio; ſi verificari poteſt locus, qui nunquam fuerit ſub Epiſcopo, ſed ab initio fuerit Prælato Inferiori ſubjectus: atqui talis locus poteſt verificari: Ergo poſsibilis eſt hujuſmodi exemptio. Major patet vel ex ipſis contrariæ ſententiæ aſſertoribus, qui hanc exemptionem nativam ideo chymæricam exiſtimant, quia erectionem Sedium Epiſcopalium, Epiſcopatuumque diviſionem adeò univerſalem & abſolutam ab initio fuiſſe credunt, ut nullum exindè locum niſi ſub Epiſcopo & certo Epiſcopatu incluſſum poſsibilem exiſtiment, ut patet ex Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 1. *num.* 4. Sed quàm egregrie de-
18 cipiantur, ex Minoris probatione patebit, quæ petenda eſt ex dictis ſupra *in cap.* 2. *à num.* 57. ubi latè demonſtravimus Diœceſium diviſionem non ubiquè eodem tempore fuiſſe ſtatutam, ſed longo temp orum intervallo, juxta propagationem Evangelij Epiſcopatus conſtitutos & diviſos fuiſſe; unde optimè potuit Sedes Apoſtolica præventivè ante cõſtitutionem Epiſcopatuum in aliqua regione locum aliquem Prælato Inferiori tradere cum ampliſsima poteſtate. Huic autem doctrinæ jam confirmatæ in *d. cap.* 2. ad plenam præjactæ Minoris probationem, adjungemus in hoc Capite auctoritates & exempla, quibus & loca hujuſmodi verificari poſſe oſtendamus; & hinc pateat abſque ullius Epiſcopi injuria, hanc nativam exemptionem eſſe poſsibilem, quin & de facto alicubi exiſtere.

19 Et quoad auctoritates magni ſemper habenda eſt illa Ioann. Andreæ *ubi ſupra* quem ſequuntur Fagnan. *in d. cap. nullus num.* 16. *de Paroch.* Cluniacenſ. *in Epiſt.* 28. *lib.* 1. *ad D. Bernard. relata per* Alteſſer. *in Aſceticon lib.* 7. *cap.* 12. Choppin. *de jur. Cœnobit. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 23. Paſqualig. *ad Franch. controverſ. inter Epiſc. & Regular. par.* 2. *q.* 1. *num.* 4. P. Piringh. *in Ius Can. lib.* 3. *ſect.* 2. *n.* 93. Card. Petra *ad Conſt. Apoſt. tom.* 2. *f.* 134. *num.* 30. Rota *in d. Fuldenſi verſ. atque ex his, & verſ. evidentiùs.*

Quoad

20 Quoad exempla verò, præter illa quæ refert Ioan. Andreas *loco citat.* aliqua etiam perſpicua occurrunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria, quibus hæc firmatur doctrina; hujuſcemodi enim erat locus, qui proponitur in Concilio Avenio-
21 nenſi *anni* 1209. *in can.* 5. ubi Patres Concilij ſubjecerunt poteſtati, omnimodæ tàm ſpirituali, quàm temporali adverſus hæreticos, Legati Pontificij Vallem de Tretis, quæ dicebatur ad nullam Diœceſim pertinere: *Vallem de Tretis*, inquiunt, *quæ ut acephala, in nullius Diœceſi aſſeritur conſtituta.* Ubi obiter notandum verbum illud *acephala* non abſolutè & ſimplicitèr accipiendum; ſed tantùm ſecundum quid, quatenus nimirùm nulli Epiſcopo ſubeſſe dicebatur, ad ſenſum Cardinalis Turrecrematæ *ubi ſupra.* Talis etiam erat locus, in quo Sanctus Stephanus Rex
22 Hungariæ Monaſterium & Abbatiam Ordinis S. Benedicti fundavit. Ut enim ampliſsima privilegia, eidem Abbatiæ conceſſa ab ipſo ut fundatore, & ut Pontificio in Hungaria Legato, juſta eſſe oſtenderet; nullam eo tempore fuiſſe in eo Regno Diœceſim, Epiſcopatum, aut Abbatiam, dicit apud Rainald. *anno* 1232. *num.* 24. his verbis: *Nec dùm enim Epiſcopatus & Abbatiæ præter ipſum locum in regno Hungariæ fuerant. Quod ſi licuit mihi, quo volui loco Epiſcopatus & Abbatias ſtatuere: an non licuit cuipiam loco, quod volui ut facerem?* Sic ergo in hoc privilegio poteſtas fit Monachis, ut Ordines ſuſcipiant: Abbati ut inauguretur à quo malet Epiſcopo; conſequens enim erat, ut nativa libertas loci in perſonas ſe transfunderet:
23 Vunde ſimul apparet onus illud accipiendi Olea, Chriſma, & Ordines à certo Epiſcopo, præcedentem illi, ut Diœceſano, ſubjectionem arguere, ut fuſiùs alibi. Quod & alio ad rem ipſam illuſtri clareſcit exemplo; Innocentius enim III. facilè acquievit fundationi, quam meditabatur Marchio Brandeburgenſis, Capituli, quod uni ſubeſſet tantùm Romano Pontifici, & cujus Præpoſitus, quem malet Epiſcopum invitaret ad functiones Epiſcopales, ait enim Pontifex *in ſuo Regeſt.* 13. *Epiſt.* 21. *Spiritalia quæ officium Epiſcopale requirunt, Præpoſitus exigat, & obtinat à quocumque maluerit Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis gratiam obtinente.* Hujus privilegij ipſe Pontifex rationem inde petit, quòd facienda erat illa fundatio in regione, quam nuperrimè profligatis Gentilibus ſubegerat Marchio, & proinde ubi nulla unquam Eccleſia, nulla fuerat Diœceſis, ait enim Innocentius idem *pag.* 988. *Si terram illam conſtiterit*
24 *eſſe ſolitariam, & deſertam, maximè quod non ſit in hominum memoria illam fuiſſe per Chriſticolas habitatam, ſed Paganos habitatores inde fuiſſe depulſos in memoria hominum teneatur, recipiatis fundum in jus & poteſtatem Romanæ Eccleſiæ vice noſtra.* Tandem hujus naturæ fuiſſe Cluniacum,
25 ut nec ulli ante Monaſterij fundationem ſubeſſet Epiſcopo, ad Bernardum ſcribens teſtatur Petrus Cluniacenſis *in lib.* 1. *Epiſt.* 28. ut illi nativam ſuam libertatem firmaret: *Hæc ipſi ita condiderunt, non ut hanc de qua loquimur, Cluniacenſem Eccleſiam alteri Epiſcopo prius eam poſſidenti aufferrent, ſed à fundatoribus, qui eam in proprio allodio conſtruxerunt, rogati, in propriam retinuerunt, atque ſoli Romano Pontifici eam in æternum ſubjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt.*

26 Documenta hæc & exempla lucem, maximam in hoc ſubtili articulo præſtant, ut, verum quod ſit, percipiamus: & quidem ipſis adhærendo, locum *nullius* nativum ſive ab origine ita deſcribere poſſumus, ut dicamus illum eſſe, qui in ea Regione conſiſtit, ubi vel nunquam fuit Epiſcopatus aliquis conſtitutus; vel ſi quis fuit, hoſtium Chriſtiani nominis incurſione & vaſtatione

tione fuit ita everſus, ut hominum memoriam effluxerit, illum per Chriſticolas fuiſſe habitatum, aut Sedem Epiſcopalem ibi unquam fuiſſe. In hujuſmodi ergo loco, ſi conſtructo Monaſterio aut Eccleſia, Prælatus Inferior conſtituatur, traditis eidem à Romano Pontifice Iuribus Epiſcopalibus, verificabitur Prælatus *nullius* nativus, ſive ab origine. Singula hæc ſigillatim ad plenam hujus rei illuſtrationem explicare præſtat.

27 In primis, locus erit *nullius* ab origine ille in quo nunquam fuerit conſtitutus Epiſcopatus, ita ut Monaſterium, vel Eccleſia Prælato Inferiori aſsignata vetuſtior ſit, circumpoſitis poſtmodùm in ea Regione Epiſcopatibus; aliàs enim ſi in illa regione aliæ anteriores fuerint Diœceſes, ille locus ad viciniorem ratione vicinitatis & acceſsionis ſpectabit *arg. leg. ergo* 30. §. 2. *de adq. rer. dom.* §. *inſula inſtit. eod. tit.* Sicut enim dominium in proximiora transfunditur

28 & extenditur, ita juriſdictio; atque ideo adjacientia loca de juriſdictione illius Civitatis præſumuntur, cujus territorio magis adjacent, ita cum Baldo Fagnan. *in cap. cùm olim de præſcript. num.* 2. Eſt enim Diœceſis naturalis cauſa, quæ eò uſque protendi amat, quò alterius Epiſcopatus fines pertingat, & quouſque illius regionis & nationis fines ſe protendunt; quod & primævæ Epiſcopatuum erectioni conſentire videtur, quippè inſtante Evangelicæ prædicationis veloci curſu, facile non erat, ut ſtatim ſingulis Civitatibus ſinguli darentur Epiſcopi, ſed plerumque totæ uni Nationi unus tantùm ab initio dabatur, ut ſupra obſervavi *in d. cap.* 2.

29 *num.* 64. Cujus Epiſcopi in ea Natione & gente, prout fidelium augebatur numerus, pariter creſcebat auctoritas, quæ utiquè ſemper ut primo & ut Capiti erat conſervanda, ut arguit Canon *Apoſtol.* 33. nec hinc hæſitari licet, quòd ut in qualibet regione loca ad fidem cõvertebantur, ita Epiſcopo accreſceret juriſdictio. Quę doctrina mirè confirmatur *ex cap. felix* 150. *& ex cap. præcipimus* 153. 16. *quæſt.* 1. juncta Gloſſa *in hoc ipſo cap. præcipimus, & in canon. nulli* 2. *diſt.* 99. Unde etiam illud forſam pro-

30 manat, in moderno jure vicinitatis rationem conſiderari, ad tribuendam Epiſcopo juriſdictionem in proximiora loca, quæ ſui diſtrictus non ſunt; ut videre eſt in Concilio Tridentino *in cap.* 9. *ſeſſ.* 24. ubi viſitare loca quæ extra fines Diœceſis ſunt, perſonas ordinare, eiſque dimiſſorias concedere, Epiſcopo viciniori tribuitur; ea ratione, quòd nimirùm illa loca diſmembrata præſumuntur ab illa Diœceſi & territorio, cui magis adhærent, ut *arg. d.* §. *inſula.* tenet Fagn. *ubi ſupra, & in cap. nullus num.* 23. *& ſeq. de Paroch.*

31 Nec impedietur hoc jus vicinatis & acceſsionis, eò quod locus, de quo controvertatur, inhoſpitus ſit aut deſertus; territoriale ſiquidem Diœceſanumque jus æquè per agros, ac per Urbes & Oppida extenditur ac viget, omniaque afficit, quæ intra ſuos limites offendit. Sic igitur in prælibato Innocentij III. teſtimonio, ut fundum à Marchione Brandeburgenſi occupatum in jus ac poteſtatem Romanæ Sedis reciperet, & ab omni Epiſcopo liberum pronuntiaret Pontifex, non modò expreſsit deſertam ac ſolitariam terram illam fuiſſe, ſed adjecit, ultrà hominum memoriam fuiſſe ſub ditione Paganorum detentam. Argumentum aliud validiſsimum præſtat in hoc ipſum Synodus Romana anni 1015. Voluit in ea Benedictus VIII. firmare privilegium cujuſdam Abbatiæ percipiendi decimas; & licèt locus, de quo agebatur, deſertus & incultus proponeretur; tamen Epiſcopi vicinioris jus adeò inoffenſum ſervare ſtuduit, ut ad confirmationem privilegij, illius conſenſum adhiberet: *Romanæ Sedis ſublimitas*, inquit Pontifex, aſſen-

assensum facilimè præbuit, quia præfatum Monasterium in deserto loco, unde nullus unquam Episcopus alicujus, vel decimæ reditum noscitur habuisse, fundavit, & Apostolica, Regalia, necnon Imperatoria testamenta adquisivit, & præterea Episcopus in cujus limite locus situs esse videtur, propria manu firmavit, pluresque firmare rogavit Episcopos testamentum.

32 Deinde & locus judicabitur ab origine liber & *nullius*, qui cùm à Paganis, aut Sarracenis occupatus sciatur, à fidelibus habitatus & sub Episcopo constitutus, hominum memoria non tenetur : paria siquidem in jure quoad affectum habentur non esse, & non apparere; ac ideò par est, ut locus qui à fidelibus habitatus & sub Episcopo constitutus nusquam apparet, eo numero habeatur, quo ille, qui nunquam sub Episcopo fuisse certò scitur. Ac proinde ejusmodi locus in ea causa est, ut pulsis Paganis hostibus, Christicolisque ibidem introductis, possit in eo Prælatus Inferior præponi cum omnimoda jurisdictione absque Episcopi ullius injuria; nam hac in hypothesi facilè Sedes Apostolica piis fundatorum desideriis, in elargiendis exemptionibus & privilegiis, indulsit : & quidem meritò, cum & ipsi qui fundabant, ple-
33 rumque ipsum locum ab infidelium ditione liberassent, ut in præjactis Sancti Stephani & Marchionis Brandeburgensis exemplis apparet. Notissimus est enim Religionis favor & æquissima juris gentium ratio, quæ Paganorum debellatoribus & Christiani cultus propagatoribus favet, & rerum in bello captarum dominium, seu ditionem tribuit : cujus rei passim in Hispaniæ nostræ Historiis prostant exempla: è quibus opportunè memorandum venit, Complutum (ubi hæc scribimus) à Bernardo Toletano Primate anno 1115. peculiaribus copiis fuisse à potestate Maurorum ereptam, ac perindè ex eo tempore in Præsulum Toletanorum jure cùm sacro tum prophano semper extitit, ut testatur Mariana *de reb. Hisp. lib.* 10. *cap.* 14. Et hinc etiam justissimè factum apparet, quod cum Dominus meus D.
34 Franciscus Ximenez de Cisneros suam in Africæ ora expeditionem adornaret, de Oranica Civitate Diœcesi Toletanæ adjicienda uniendaque cum Rege Ferdinando convenit; quæ conventio eò faciliùs & æquiùs effectum habuit, quò posteà fuit detectum, nullam ibi antiquitùs Sedem Episcopalem fuisse, ut latè tradit Alvar. Gomez *de rebus gestis Ximenij libr.* 3. *fol.* 127. ubi enarrat controversiam agitatam cum quodam Episcopo Titulari Aurienſi, qui Oranum vix recuperatam, jure sui tituli ad se pertinere frustra tentavit; cujus etiam litis meminit Thomasin. *de vet. & nov. Eccles. discipl.* 1. *part. libr.* 1. *cap.* 37. *num.* 9.

35 Requirimus autem ad statuendam nativam & originalem libertatem loci, ab hostibus recuperati, quod ultrà hominum memoriam in eorumdem hostium ditione fuerit : aliàs enim, etsi longissimo tempore ab eis sit detentus, si ex antiquis monumentis & memoriis resciri potest, locum illum à Christicolis fuisse possessum certòque Episcopatu inclusum, in pristinum statum priorem-que causam redibit; Episcopoque, si qui fuerit, titulum illius Diœcesis retinenti, cum toto territorio & ille locus restituetur : quemadmodum factum apparet in nostra Hispania ; plerique
36 enim Episcopi, quos Maurorum irruptio è suis Sedibus pellebat, in Civitatem Diœcesimque Ovetensem se recepere, ubi titulum cum minuto territorio retinuerunt ita Roderic. Archiepisc. Toletanus *de reb. Hispaniæ lib.* 4. *cap.* 18. *Et eorum Episcopi ad Asturias fugientes, tàm in Civitate, quàm in Diœcesi Ovetensi, partitis territoriis, ut poterant victitabant: Vnde in aliquibus libris antiquis Ovetum*

dicitur

dicitur Civitas Epiſcoporum. Et hac ratione fiebat, ut captivarum Eccleſiarum jura retinerentur, quæ poſtmodùm, ut ſperabatur, recuperatis Sedibus, erant redintegrandæ, ut innuit Mariana *in hiſtor. Hiſpan. anno* 876. *lib.* 7. *cap.* 18. *Et erat*, inquit, *moribus ea tempeſtate receptum, ut utrarumque Vrbium Epiſcopi eſſent: ac earum præſertim, quæ vel ereptæ à Mauris, paulò poſt ad eorum ditionem redierant; vel ſperabatur brevi eripiendas fore Chriſtianique juris futuras; in eamque ſpem mortuis ſufficiebantur vivi.* Sanè his obſcuris temporibus maximus ſplen-
37 duit fulgor dignitatis in Eccleſia Ovetenſi, quæ ad faſtigium Metropolis velut ex aliarum ruderibus excitata, ut tradit idem Roderic. Archiep. *lib.* 4. *cap.* 9. 17. & 18. & Mariana *ubi ſupra*, omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ videbatur mater, penes quam jugi memoria jura omnium ſervarentur cuſtodirenturque illæſſa; ut ſanè factum eſt, nam ſerenis redditis temporibus, omnia reſtituit, nec diutini adeò temporis præſidio uti voluit, ut ſubjectionem aliquam in cæteras Eccleſias ſibi vindicaret, ſed, & Metropolis titulo dimiſſo, omnia pleniſſimo poſtliminio in priſtinum ſtatum ſunt redacta.

38 Hæc ita oſtendere libuit, ut ſimul patefiat quàm arduum ſeu impoſſibile foret in facto, velle in noſtra Hiſpania ſtatuere locum aliquem ab origine *nullius* & liberum à Diœceſi; etſi enim aliqua loca longiſſimo tempore ſub Sarracenorum tyranide fuerint; hominum tamen memoria & fidedignis ſcripturis retinebatur adhuc ea ſub Chriſtianorum ditione fuiſſe & Epiſcopatibus ſuis tributa; quorum ordinem & partitionem deſtruere non potuit hoſtium occupatio, utcumque diuturna, ſtante juris gentium æquiſsima Conſtitutione poſtliminij, quæ contra vim hoſtilem, jura ſuſpendendo, ſuccurrit; nec enim rebus mobilibus tantùm, ſed & immobilibus jus poſtliminij datum eſt, ut probat Pomponius *in leg. ſi captivus §. verum de capt. & poſtl. reverſ.* ibi: *Verùm eſt expulſis hoſtibus ex agris quos ceperint dominia eorum ad priores dominos redire.* Quod verò de agris Pomponius hic aſſerit, ad omne jus quod ſolo cohæret trahendum eſt, nam & ipſe *in leg. loca* 36. *de relig. & ſumpt.* dixit quod ſi religioſa, aut ſacra loca ab hoſtibus fuerint capta, poſtmodumque ab hoſtibus liberata extent, priſtino ſtatui reſtituuntur jure poſtliminij. Quod poſtliminij jus admiſſerunt Sacri Canones, ut patet ex Concilio Hiſpallenſi relato *in cap. prima actione* 13. 16. *q.* 3. ibi: *Pro qua re placuit, ut omnis Parochia, quam antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam quiſque comprobaret, ejus privilegio reſtitueretur. Sicut enim per legem mundialem iis, quos barbarica feritas captiva neceſsitate tranſvexit, poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſsio; non aliter & Eccleſia receptura eſt Parochiam, quàm ante tenuit cum rebus ſuis, ſive ab aliis Eccleſiis poſsideatur, ſive in cujuſlibet poſſeſsionem tranſfuſa ſit. Non enim erit objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſsitas intereſt hoſtilitatis;* cui conſonat *text. in cap. cùm per bellicam* 1. 34. *q.* 1. *cap. paſtolalis* 42. 7. *q.* 1. Et hoc quidem jure Urbanus II.
39 anno 1088. recuperata Civitate Toletana, poſtquam in Maurorum poteſtatem ea extitit annis 368. Jura Primatus, ante captivitatem Præſuli competentia, eidem poſtliminio reddita & renovata declaravit *in ſua Conſtit.* quæ extat *in tom.* 10. *Concilior. pag.* 458. ubi loquens cum Bernardo Archiepiſcopo, ita ait: *Te ſecundùm quod ejuſdem Vrbis conſtat extitiſſe Pontifices in totis Hiſpaniarum regnis Primatem privilegij ſanctione ſtatuimus, & Primatem te univerſi Præſules reſpicient &c.* Et conſequenter, cùm recepta à noſtris Toletana Urbe, & priſtina reſtitua Sede Archiepiſcopo

Toletano

Toletano ejuſdem poſtliminij beneficio jura omnia eſſent reſtituenda : hinc juxta juris rationem Honorius III. Primatum Toletanum in Provinciam Hiſpalenſem exporrigi declaravit, ut habetur *in tom.* 11. *Concil. part.* 1. *pag.* 245. refertque Mariana *de reb. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 4. Nec impedimento eſſe potuit, quod tunc Hiſpalis ſub Maurorum ditione eſſet ; notiſsimum eſt enim Conſtitutione poſtliminij, quæ ſuſpenſiva eſt, in re ab hoſtibus detenta jus nobis conſervari, quin & perſæpè exerceri, ut in *text. in leg.* 22. *§. fin. junct. l. ſeq. ff. fam. hærciſ. leg.* 11. *§. eamdem de except. rei judic. leg. fin. de act. empti. leg.* 9. *de leg.* 1. quos explicat judicio & ſubtilitate familiari D. Ortega *lib.* 8. *Pithan. Labeon. in leg. fin. de captiv. num.* 31. Et hinc etiam in lite quam D. meus Cardinalis Ximenius cum Epiſcopo Acitano inſtituit ſuper
40 Diœceſano jure, ſibi in Eccleſiam Baſtetanam competente, à Judice Pontificio faventem obtinuit ſententiam : protulit enim non modò antiqua Cœleſtini II. & Urbani III. documenta ; ſed & oſtendit, Gonſalvium Mendozium Archiepiſcopum ſtatim, ut à Regibus Catholicis Baſti & Eſcua reparatæ ſunt, earum curam ſuſcepiſſe, & Meſquitas ritu Chriſtiano luſtraſſe, Eccleſias & Sacerdotes inſtituiſſe, templa dedicaſſe, atque omnia alia pontificia munera cum ſuis Vicariis exercuiſſe, refer Alvar. Gomez *de reb. geſt. Ximen. lib.* 5. *pag. mihi* 133. ubi etiam tradit, quod lite Baſtetana ſub Joanne Martino Siliceo renovata, Acitano Epiſcopo Diœceſanum jus fuit tributum, jure Metropolitani apud Toletanum ſervato. Quod mirari deſinet quiſquis litium ambigua fata perpenderit.

41 Sed & aliud ejuſdem juris poſt hæc ſcripta occurrit plauſibile exemplum, quod nefas eſſet ſilentio præterire ; Orani nimirùm reditum in Diœceſim Toletanam. Cùm enim Urbs hæc Eminentiſsimi Domini mei Cardinalis Ximenij de Ciſneros incomparabili virtute, propriiſque ſumptibus debellata, Toletanæque Diœceſi, ut jam diximus, adjecta, poſt duo decurſa ſæcula, in Maurorum triſtiſsimam recidiſſet dominationem ; à potentiſsimo Rege noſtro Philippo V. Deo fautore & auctore, ingenti adornata claſſi, è perfida Barbarorum tyranide fuit erepta ; atque exin legitimo poſtliminij jure Eminentiſsimo Domino D. Cardinali de Aſtorga, mihi ſemper cùm ſumma & obſequentiſsima grati animi reverentia nominando, utpotè legitimo Diœceſano eſt reſtituta ; qui innata, qua ſplendet, pietate ac Religione ſtatim perquàm ſollicitè curavit, ut Sacra omnia nedùm priſtino, ſed præſtantiori reſtituerentur nitori. O utinam in æternum intemerata perſiſtant!

42 Haud meritò nos fruſtra diſtractos in his coacervandis referendiſque exemplis quiſquam putabit, quæ dùm Eccleſiæ Toletanæ majeſtatem oſtentant, ſimul iis, quæ dicebamus maximum afferunt præſidium : in eis enim apparet, quàm inconcuſſum firmumque jus Eccleſiarum, in ſuis antiquis finibus retinendis, Sacri Canones & Pontifices, eſſe voluerint. In eiſdem etiam deprehenditur nec deſertionem, nec captivitatem quamvis diuturnam, à jure ſubjectioneque territoriali, qua anteà loca tenebantur, liberare : Quod, ſi confuſsio aliqua ex ipſo temporis tranſcurſu oriri contingat, & ſuper loci pertinentia diſceptari ; in id maximè intentos Canones & Pontifices eſſe, ut productis antiquis documentis, fines & territoria uniuſcujuſque ſerventur, & nulli fiat injuria, ex quo alteri benefieri intendatur.

43 Jam ergo paulatim eò pervenimus, ut poſsimus intelligere verum ſenſum cujuſdam privilegij Ordini ac Militiæ

D. Jacobi de Spatha ab Alexandro III. conceſsi, de quo egit Innocentius IV. *in cap. veniens de verb. ſignif. in 6.* Videns enim Alexander hanc unam præcipuè hujus Ordinis Religioſis Militibus intentionem, & ſingularem curam eſſe, ut pro defenſione Chriſtiani nominis continuò & indefeſsè decertarent, & nefariam Maurorum gentem à locis Hiſpaniæ uſurpatis pellerent; beneficiis cumulandos putavit in ipſa Bulla confirmationis anno 1175. Beneficiis quidem ampliſsimis; ſed quæ dùm ipſis proficerent, ad militariaque ſtudia incitarent deſervirentque, nullomodò Epiſcoporum jura, ſtatutaque ab antiquo territoria turbarent; nec aliud piiſsimi Pontificis intentioni congruebat; nam, ut ajebat Cicero 1. *de Offic. Nec verò rei amplificatio nemini nocens vituperanda eſt, ſed fugienda ſemper injuria.* Hac igitur intentione & fine

44 plures diſtinxit caſus Alexander, in quibus quid Jacobæis tributum vellet explicavit: idcircoque primò loquitur de adquiſitione loci, ſeu territorij, in quo Epiſcopus eſſe debeat, quia fortè, licèt tunc non adeſſet, ex antiquis teſtimoniis ad certam pertinere Diœceſim conſtaret; & in hoc caſu integrum illibatumque jus territoriale Epiſcopi voluit Pontifex permanere *in §. 19.* per hæc verba: *Ad hæc adjiciendum decernimus, ut ſi locus aliquis, in quo Epiſcopus eſſe debeat, in veſtram venerit poteſtatem, ſit ibi Epiſcopus, qui cum Eccleſiis & Clero ſuo deſignatos ſibi redditus & poſſeſsiones, & Epiſcopalia jura percipiat.* Et hic obiter notandum eſt, hæc unica eſſe Alexandri verba, quæ in *citat. Bulla* ad caſum univerſalis territorij trahi poſſunt.

45 Proſequitur Alexander, & quid de particularibus Eccleſiis, quæ in manus horum Militum pervenerunt, tenendum ſit ſtatuit, duobus caſibus propoſitis: primo enim loquitur de Eccleſiis, quæ jam tempore confirmationis ad ipſos pertinebant, ob Regum fortè, Epiſcoporumve beneficientiam, prout illorum temporum mores ferebant, & in hoc caſu nihil juri poteſtatique Epiſcoporum detractum iri velle, Alexander teſtatur his verbis: *Profectò in Parochialibus Eccleſiis, quas habetis, nolumus Epiſcopos ſuo jure fraudari.* Se-

46 cundo agit conſequutivè Pontifex de Eccleſiis, ab ipſis Militibus conſtructis in locis deſertis, aut in terris de manu Sarracenorum ab ipſis liberatis; & in hoc caſu, qui certè principalis eſt in hac Bulla, ita temperavit conceſsionem Alexander, ut Militum zelum ſervitiaque remuneraret, & exin Epiſcoporum territoriali juri non offenderet. Ait enim: *Si autem in locis deſertis, aut in terris Sarracenorum de novo Eccleſias conſtruxeritis, Eccleſiæ illæ plena gaudeant libertate, nec aliqua per Epiſcopos decimarum aut alterius rei exactione graventur, liceatque vobis per Clericos veſtros idoneos eaſdem Eccleſias cum ſuis plebibus gubernare, neque interdicto per Epiſcopos, vel excommunicationi ſubdantur, ſed fas ſit vobis tàm in majori Eccleſia, quæ caput fuerit Ordinis, quàm in illis, excommunicatis, & interdictis excluſis, divina ſemper officia celebrare.*

47 Vel ex hoc ſimplici Alexandrinæ Bullæ ſcholio, junctis iis, quæ ſupra dicta manent, ſatis enitescit, Alexandrum in hac Bulla non cogitaſſe de tribuendo Sacro Ordini D. Jacobi territorium ſeparatum, & *nullius.* Nullibi ſiquidem præterquàm in primo caſu egit Pontifex de jure univerſali territorij & Diœceſis; & ex verbis, ſupra relatis, abundè patet, alieniſsimum fuiſſe Pontificem eo in caſu ab hac conceſsione; quin redintegrandæ Epiſcopalis Sedis ſolidæ poteſtati præcipuè ſtuduiſſe: in aliis verò duobus caſibus, nonniſi violentèr & unicè pro libitu, dici poteſt, Alexandrum territorium

ſepa-

ſeparatum & *nullius* conceſsiſſe; cùm ibidem ex dictis conſtet, nec verbum feciſſe Pontificem de jure univerſalis territorij, ſed tantùm de particulari jure ſingularum Eccleſiarum, quas in Epiſcopi Diœceſi ſive territorio exiſtentes ſupponit Pontifex; quaſque hoc ipſo in ultimo caſu, qui uberius continet privilegium, ab oneribus legis diœceſanæ tantùm immunes eſſe voluit.

48 Hoc ipſum, quod ſatis luculentèr conſtabat ex ipſo Alexandri privilegio, luculentiùs factum eſt poſterioribus aliorum Pontificum declarationibus. Perlatum quidem eſt ad aures Lucij III. quamplures Hiſpaniæ noſtræ Epiſcopos, prædicto Alexandri privilegio obviantes, Eccleſias à Jacobæis in deſertis locis conſtructas paribus onerare exactionibus, ac reliquas Eccleſias Sæculares ſuarum Diœceſium: *Accepimus*, inquit, *quod quidam veſtrum ab Eccleſiis, quas in deſertis locis labore ſuo ac ſtudio conſtruxerunt, exigunt impudenter, quæ ab aliis Eccleſiis Parochialibus de jure Canonico ſunt præſtanda.* Hinc ſuſcepta eſt ocaſio duo inquirendi; quid appellatione loci deſerti veniret in privilegio Alexandri: & quouſque exporrigenda eſſet illa plena libertas ab eodem Alexandro indulta Eccleſiis in hujuſmodi locis conſtructis. Et quoad primum cùm juxta juris rationem ſola loci deſertio non conſtituat locum liberum ab Epiſcopo, nec impediat, ut jus territoriale Diœceſani illum comprehendat ex dictis *ſupra num.* 30. hinc Lucius, ad verificandum privilegium Alexandri, requirit ultrà deſertionem, quod locus ultrà hominum memoriam ſub Paganorum ditione fuerit conſtitutus; ait enim, *Deſertum Nos accipimus, & ſtatuimus debere intelligi, quod ultrà memoriam hominum ſub Sarracenorum detentum eſt poteſtate.* Quoad ſecundum verò libertatem illam ad onera tantùm legis diœceſanæ Pontifex refert; atque ita monet Epiſcopos, eiſque prohibet, *ne quid ab hujuſmodi Eccleſiis, videlicèt conſtructis, vel conſtruendis à Fratribus in deſerto, diœceſanæ legis nomine requiratur, vel permittatis à Miniſtris veſtris requiri*, extat hæc Bulla *in Bullar. Ordin. fol.* 25. *ſcriptura* 4.

49 Ex hac Lucij declaratione omne jus circa Eccleſias horum Militum duabus his regulis comprehendebatur; prima ut Eccleſiæ ab eis conſtructæ, aut conſtruendæ in locis deſertis immunes eſſent à lege diœceſana Epiſcoporum, non verò à lege juriſdictionis; ut notat Gloſſa *in d. cap. veniens verb. legis diœceſanæ.* Secunda, ut Eccleſiæ, quas hi Milites haberent, vel ex donatione, vel quia ipſi eas conſtruxerint in locis jam cultis, & habitatis, plenè ſubeſſent Epiſcopo; quod colligitur facto argumento à contrario ſenſu regulæ præcedentis; tum etiam ex ipſo privilegio Alexandri, ubi generalitèr ſtatuit per hæc verba: *Profectò in Parochialibus Eccleſiis, quas habetis nolumus Epiſcopos ſuo jure fraudari.*

50 Sed nec hac Lucij declaratione ſedatæ ſunt controverſiæ inter Epiſcopos & Milites ſuper ſenſu & comprehenſione Alexandrini privilegij, præcipuè ſuper illis duobus articulis, qualis nimirùm intelligeretur locus deſertus; & quid importaret illa plena libertas. Nam quoad primum, cùm Pontifex Lucius declaraſſet deſertum locum illum eſſe, qui ultrà hominum memoriam ſub ditione Sarracenorum extitit; hinc etiam ſuper ipſa Lucij declaratione aliud recidebat dubium; quomodò intelligenda eſſet illa hominum memoria, ut rectè poſſet affirmari ad verificationem loci deſerti tantùm temporis ſpatium eſſe delapſum, quod hominum memoriam excederet. Archiepiſcopus enim Toletanus Rodericus Ximenius de Rada, (& pacis & belli artibus clarus,

cujus ſemper in Hiſpania viget auctoritas, memoria vigebit) deſertum locum qualem Lucius declaravit, nedùm in
51 ſua Diœceſi, ſed & in univerſo Hiſpaniarum diſtrictu, verificari poſſe negabat; illa ratione adducta, quòd hominum memoriæ illud tenacitèr eſſet infixum ſolidam Hiſpaniam Chriſtianorum ſub ditione fuiſſe; & inde ante Maurorum vaſtationem Sedes Epiſcopales in ea fuiſſe, quæ omnia ipſius loca & regiones complecterentur. Hæc non privato aut ſingulari rumore conſtare, ſed fideli traditione alios ab aliis accepiſſe, ut publica omnium eſſet ſententia, quæ legitimis firmaretur monumentis. Hinc concludebat Archiepiſcopus privilegio Alexandri locum eſſe non poſſe; atque hac de cauſa Gregorium IX. adiens, ſuper hoc dubio conſuluit, hac ipſa ratione propoſita, ut conſtat ex Bulla Gregorij anno X. ſui Pontificatus expedita, quæ incipit *Veniens ad Apoſtolicam Sedem*, & habetur *in Bullar. Ordin. D. Iacobi fol.* 109. *ſcript.* 2. dicitur enim *in §.* 9. *Dicebas ettenim, quod cùm bonæ memoriæ Lucius Papa interpretatus fuerit deſertum eſſe cenſendum, quod ultrà memoriam hominum ſub Sarracenorum eſt poteſtate, talis locus citra mare in Hiſpania non extitit, cùm in celebri memoria hominum per famam publicam, & documenta legitima, quod Hiſpania citra mare Chriſtianorum fuit, habeatur; ideo conceſſum prædictis Fratribus privilegium ad conſtruendas Eccleſias non eſt aliquatenùs extendendum: & ex illa oratione*: de novo *quæ ibidem ſubjungitur, id de locis ubi nullo tempore fuerunt Eccleſiæ intelligendum eſſe docetur.* Illuſtratur etiam hoc Archiepiſcopi fundamentum ex Juris ratione, ſi-
52 quidem, ut aliquid in hominum memoria extare, aut non extare dicatur, non limitati temporis notitia eſt exquirenda, ſed ſurſum versùm in infinitum diſcutiendum eſt, ut probat Conſultus in eleganti *deciſ. text. in leg. ſi arbiter* 28. *de probat.* ibi: *Sed cùm omnium hæc eſt opinio, nec vidiſſe, nec audiviſſe; cùm id opus fieret: neque ex eis audiſſe, qui vidiſſent, aut audiſſent. Et hoc infinite ſimiliter ſurſum versùm accidet. Cùm memoria operis facti non extaret.* Juncto ſubtiliſſimo D. Ortega in explicatione *hujus textus num.* 42. *& ſeq. lib.* 7. *Pithanon Labeon.* Unde in foro illud receptum eſt axioma, immemorabilem tempus infinitum includere, Oldrad. *conſil.* 254. *num.* 18. *& ſeqq.* Molina *de primog. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 46. *&* 47. Fontanell. *de pact. nupt. clauſ.* 4. *gloſſ.* 19. *part.* 1. *num.* 65. Cardin. Petra *ad Conſt. Apoſt. tom.* 4. *in Conſt.* 8. *Martini V. num.* 11. Rota *deciſ.* 141. *num.* 3. *cor. Peña deciſ.* 110. *num.* 9. *cor. Celſo. deciſ.* 1367. *cor. Seraphin. deciſ.* 651. *numer.* 3. *part.* 4. *recent.*

53 Ex adverſo autem Iacobæi Equites eidem Gregorio repræſentabant, & Archiepiſcopo reſpondebant *in §.* 12. *ejuſdem Bullæ* per hæc verba: *Quod etſi de locis illis quod quandoque Chriſtianorum fuerint aliqua ſcriptura innuit, tamen id jam in memoria hominum non exiſtit; alioquin eodem errore poterit argui, in hominum memoria mundi exordium contineri.* Illud ſiquidem extra hominum memoriam poſitum videtur, quod hominum viventium memoriam excedit, præcipuè cùm circa factum memoria, ut in præſenti, verſatur; facti enim memoriam nequit habere niſi qui vidit; nam qui de auditu deponit, is non facti, ſed dicti memoriam retinet, ut *in d. leg.* 28. arguit D. Ortega *num.* 3.

54 Nec utcumque initij memoria immemoriale tempus ſemper deſtruit; fieri enim rectè poteſt, ut inſtrumentis conſtet initium, & contrarius ſtatus; & tamen aliquid dicatur extra hominum poſitum memoriam, qua in re ſingularis eſt doctrina Cardinalis de Luca *diſc.* 3. *num.* 21. *de alienat.* ubi adducit exemplum Romani Imperij, quod

notorium eſt, poſſediſſe penè univerſum Orbem præſertim noſtras Occidentales Provincias Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ & Germaniæ; & tamen Hiſpaniæ, Galliæ & Germaniæ Reges, alioſque Italiæ Principes & Civitates, libertatem & exemptionem ſibi quæſitam aſſerunt ſuffragio immemorabilis; ut ex profeſſo de Hiſpaniæ Rege aſſerit Camill. Borrell. *de præſtantia Reg. Cathol. cap.* 4. & 47.

55 Hoc ergo dubio ſtante, ſupervenit Gregorij declaratio in *cit. Bulla* per hæc verba: *Illum locum deſertum in præmiſſis intelligimus, qui non habitatus penitùs, neque cultus fuerit, vel ultrà memoriam hominum (ſecundùm indulgentiam Lucij) eſt ſub Sarracenorum poteſtate detentus.* Voluit ergo Pontifex, ad dubia reſe-
56 canda, luculentèr oſtendere, qualis in univerſum deſertus locus eſſet intelligendus; atque in hunc finem majorem, quàm uſque tunc, caſuum ſeparationem proponit; atque cùm loci deſertio tribus modis contingere poſsit, per Incolarum deſertionem, per culturæ derelictionem, aut per hoſtilem occupationem; ſingulos hos caſus conſideravit Pontifex, & quoad primum & ſecundum expreſsè aſſerit locum deſertum eſſe accipiendum, qui ſemper inhoſpitus & incultus fuerit; qua ſententia removet dubium circa illa loca, quæ cùm quondam habitata aut culta fuerunt, poſteà vel vi hoſtium, vel temporis injuria, deſolata aut derelicta extitere: & hac declaratione comprobat Archiepiſcopi conſultationem in ultimis verbis, ubi orationem *de novo*, quæ eſt in Alexandri privilegio, intelligit *de illis locis ubi nullo tempore fuerunt Eccleſiæ.* Quoad tertiũ verò caſum loci nimirùm deſerti per hoſtium occupationem, putabit forſam aliquis, lubrici dubij expreſſam reſolutionem induſtriè à Pontifice omiſſam, & nihil additum Lucij declarationi, quàm hic repetit & inculcat; ſed profectò in re adeò ſeriò controverſa haud fas eſt ita judicare. Itaque dicendum eſt ipſo contextu & caſuum
57 conjunctione abundè ſignificaſſe Pontificem deſertionem loci per occupationem hoſtilem tunc contingere, juxta mentem Lucij, cùm occupatio eſt adeò diuturna, ut hominum excedat memoriam; non quidem hominum viventium, & certò tempore circunſcriptam; ſed omnimodam & abſolutam in infinitum ſurſum versùm. Hoc enim ſuadet caſuum conjunctio, & illud adverbium *penitùs*, quod omnes regit & comprehendit ex traditis à Gloſſa *in d. capit. veniens verb. penitùs*, quodque ex uſu Latinorum idem ſignificat ac *omninò*, ſeù *prorſus*. Ut ſenſus ſit, illum locum ultrà hominum memoriam à Sarracenis occupatum intelligi, de quo penitùs ideſt nullo modo, nec per ſcripturas contrarium conſtat, ac prorſus ignoratur Chriſtianos ibi aliquando fuiſſe. Ita ut hominum memoria teneatur hoc ſolùm, Paganos inde fuiſſe expulſos, quaſi ſemper locum habuerint. In ſumma: is locus in privilegio Alexandri in hoc caſu deſertus intelligitur, qui ut nunc primùm captus, non ut recuperatus ab hoſtibus habetur. Quæ interpretatio ſuadetur ex verbis Innocentij III. in ſimili caſu relatis *num.* 24.

58 Nec quod immemorabilis poſſeſsio verificari poſsit cum memoria initij & contrarij ſtatus, ut in prælibato exemplo Romani Imperij, quidquam officit. Hic enim non agimus de poſſeſſione contra Epiſcopum, quæ certè non datur, nec præſcriptio in hujuſmodi hypotheſi admittitur, ut conſtat *ex d. cap. prima actione.* ibi: *Non erit objicienda præſcriptio temporis ubi neceſsitas intereſt hoſtilitatis.* Virtute ſiquidem conſtitutionis poſtliminij, maxima etſi intercedant temporum ſpacia, Jura Sedium & Epiſcoporum in ſuſpenſo ſunt, unde recuperationis advento caſu, tempore

intermedio, utcumque longiſsimo, ſupputato, illud jus Epiſcopi reviviſcit & reſtituitur in loco, qui ejuſdem Conſtitutionis ope & fictionis ſupputativæ remedio, conjunctis extremis, retro creditur in poteſtate Chriſtianorum fuiſſe *ex text. in leg. retro* 16. *de capt.* junctis iis quæ tradit ſubtiliſsimus D. Ortega *ad leg. fin. & 28. de captiv. ſect. 2. per tot.* Ac tandem, ne quem turbet doctrina Cardin. de Luca, dicimus: rectè ſtare
59 ut poſſeſsio dicatur ultrà hominum memoriam, ubi memoria initij & contrarij ſtatus ipſam poſſeſsionem non inficit, ut in exemplis ab eo adductis; at fieri nec percipi poteſt, ut ubi diſquiritur præcisè de memoria initij ſeu contrarij ſtatus, cujus quidem memoriæ defectus in ipſo privilegio, velut conditio quædam, verificandus relinquitur, ut in præſenti, ad complendam mentem concedentis, non noceat initij & contrarij ſtatus memoria; quia hic non de poſſeſsionis, ſed de initij & contrarij ſtatus memoria controvertitur.

60 Reliquum adhuc erat, ut declararet Gregorius ſuper ſecundo articulo controverſo, quouſque nimirùm extendenda eſſet illa plena libertas tributa ab Alexandro Eccleſiis, quæ in locis deſertis verificarentur conſtructæ. Proponebat enim Archiepiſcopus non eam mentem Alexandro fuiſſe, ut hujuſmodi Eccleſias liberaret à juriſdictione Epiſcoporum, ſed ut tantùm eas immunes faceret à gravaminibus & exactionibus legis diœceſanæ; dicitur enim *in d. §. 9. citat. Bullæ Gregorij: Prædictas enim Eccleſias, per hoc non eſſe aſſerebas exemptas, quod ibidem dicitur* plena gaudeant libertate, *cùm quod de libertate dictarum Eccleſiarum dicitur, ut non à lege juriſdictionis, ſed Diœceſis credantur liberæ ab eodem Lucio declaretur.* Intentionem Archiepiſcopi confirmabat tum ipſe contextus Alexandrini privilegij, tum declaratio Lucij ſubſequuta, in quibus illa libertas ad onera & exactiones legis diœceſanæ præcisè ac nominatim refertur: notiſsima eſt enim inter has leges differentia, *& in cap. 3. & 4.* abundè vidimus immunitatem à lege diœceſana non inferre libertatem à lege juriſdictionis. Nec adeò brevis eſt gyrus legis diœceſanæ, ut ſi illo concludatur immunitas, *plena libertas* non ſit dicenda, præcipuè addito illo privilegio, ut à Diœceſano excommunicari aut interdici nequeant; hoc enim ſi reflectimus ad antiqua tempora magna quidem & pleniſsima libertas debet judicari, ut *ſupra in cap. 3. num. 76.* annotavimus ex Concilio Carthaginenſi ſub Bonifacio.

61 Ex adverſo autem Jacobæi inſtabant plenam libertatem ſuis Eccleſiis conceſſam, eò uſque exporrigendam, ut Diœceſani Epiſcopi juriſdictionem reſolveret: quod etiam ex mente Alexandri conjici poſſe videbatur ex ipſa ſeparatione, quàm in privilegio facit inter Eccleſias, quas Milites haberent tempore ipſius privilegij, & illas quas in deſertis locis fundaſſent; cùm enim in prioribus illibatum ac integrum jus Epiſcoporum permanere voluerit, ut patet ex verbis jam relatis; dùm gradum facit ad poſteriores, utitur particula adverſativa: *Si autem*, & eas plena libertate donat. Nunc verò ſi particulæ adverſativæ ea vis eſt, ut in iis, quæ ſequuntur contrariam diſpoſitionem inducat; dicendum utique videtur, quod ſi in prioribus Eccleſiis integrum & illæſum jus Epiſcopale conſervari Alexander voluit, ibi: *Nolumus Epiſcopos ſuo jure fraudari.* In poſterioribus illi detrahere, Eccleſiaſque plenè ab Epiſcopi juriſdictione voluiſſe eximere credendum eſt.

62 Cùm hæc hinc inde adſtaret dubitandi ratio, Gregorius ita reſolvendam altercationem putavit, ut ex mente Alexandri & Lucij, illa plena libertas ad certa legis diœceſanæ capita, quæ

quæ ibidem expreſsit, eſſet reſtringenda: ita habetur in §. 13. *citat. Bullæ* cujus verba integrè tranſcripſit Juris Conſultiſsimus Innocentius IV. *in cap. veniens de verb. ſignif. in 6.* ubi ita ait: *Cenſentes Eccleſias in talibus deſertis locis à Fratribus ipſis conſtructas, ſeu etiam conſtruendas in eo plena libertate gaudere; ut ſecundùm indulgentiam Lucij, nihil ab ipſis legis diœceſanæ nomine valeat per Epiſcopos exigi, quæ (ſecundùm privilegium Alexandri) non poſſunt interdicto, ſeu excommunicationi ſupponi.* Quæ quidem declaratio ex dictis *num.* 59. ſatis exornari poteſt.

63 Nec tunc obſtat illa conſideratio in contrarium deducta ex ipſo Alexandri privilegio, & virtute dictionis adverſativæ *Si autem*: nam in primis fruſtra, quin & perperam, conjecturis & cavillis utimur, cùm de aperta voluntate conſtat, *leg. ille aut ille 79. de leg. 3.* ut certè in præſenti conſtat de voluntate Alexandri ex ipſo privilegio, & ex declarationibus Lucij, Gregorij, & Innocentij; quibus ſtantibus, ceſſat profectò, ſi quæ eſſet, vis adverſativæ in contrarium. Deinde nam, ut abundè compleatur ſenſus dictionis adverſativę, ſufficit, quod cùm in primo caſu, Eccleſias per omnia juri Epiſcoporum ſubjectas declaraverit; in ſecundo à lege diœceſana, quæ pars eſt juris Epiſcopalis, eas liberaverit.

64 Jam ergo contextus & expoſitio hujus privilegij illud nobis manifeſtiùs ſuadet, quod ſupra etiam inſinuavimus, Sanctiſsimos nimirùm Pontifices in privilegiis elargiendis, benignitatem ſuam mirè exercuiſſe; at ita temperatè, ut nec meritis compenſatio deeſſet, nec Epiſcoporum juri detraheretur quidquam: Sic ergo magnis licèt favoribus digni habeantur, qui in locis incultis & deſertis, aut à Paganis occupatis Eccleſias ædificant, & veri Dei cultum promovent *arg. text. in cap. 1. de præſcript. & in ſimili text. in leg. locorum, & leg. qui agros C. de omni agro deſerto libr. 11.* non uſque eò tamen indulgentiæ & privilegia extendi debent, ut quod alicui tribuitur beneficium, in alterius vergat injuriam; ut jam hinc pateat cur Sedes Apoſtolica omninò exempta ab Epiſcopis declarare conſueverit loca illa, in quibus Epiſcopatus aut nuſquam extitit, aut ſi extitit, in hominum memoria non habetur ejus exiſtentia, ut in exemplis *à num.* 20. congeſtis patet; contra verò hinc etiam depromitur, cur eadem Sedes Apoſtolica privilegiis ſuis non offenderit, quin ſalvam ſervaverit juriſdictionem Epiſcoporum in locis illis, quæ, ut maximè inculta, deſerta, aut ab Infidelibus occupata proponantur, quandoque ad Epiſcopum ſpectaſſe memoria hominum, antiquiſque documentis oſtendi poteſt, ut in expenſo Alexandri III. privilegio: ex quo, & ex conſideratione Archiepiſcopi Toletani Gregorio IX. propoſita, illud etiam in particulari deducimus; difficilè nimirùm, ſive potiùs impoſsibile eſſe
65 verificare in noſtra Hiſpania locum ab origine *nullius*, cùm per famam claraque monumenta conſtet, univerſam Hiſpaniam, ante Sarracenorum irruptionem, Chriſtianis paruiſſe, conſtitutis per eam Sedibus Epiſcopalibus; ad cujus rei illuſtrationem jungenda hic ſunt, quæ ſupra *in capit.* 2. circa Diœceſium partitionem dicta manent.

66 Hic etiam conſequenter, antequam huic Capiti finis imponatur, notare duo opportet. Primum, quod licèt poſsibilis in ſenſu tradito ſit exemptio nativa & locus ab origine *nullius*; adhuc tamen præſumptio in dubio militat favore Epiſcoporum, ut quicumque propterea locus in Diœceſi exiſtere præſumatur; unde ſi adſit controverſia ſuper hoc cum Prælato Inferiori, hic, ut obtineat contrarium probare tenebitur, cùm

Epiſ-

Epiſcopus habeat intentionem fundatam ex juris præſumptione, ut etiam dixit Fagnan. *in d. cap. nullus num. 16. verſ. quamvis regularitèr*, & poſt Laudum inquit Cardin. *in Clement. 2. §. ſimili num. 4. de privileg.* quod omnia loca originalitèr & ex natura ſua ſint alicujus Diœceſis terminis incluſſa; nam rectè ſtat, quod non repugnet exiſtentia ab origine *nullius*, & quod ſi probetur nativa exemptio, admittatur; & nihilominùs, quod interim dùm probatur, Epiſcopus habeat juris præſumptionem, quæ oritur ex illa diviſione Diœceſium, quæ regularitèr facta creditur ac ſupponitur, ut jam firmavimus *in d. cap. 2. num. 84.*

67 Secundo expedit notare, ne quis in æquivocum incidat, quod licèt pluries in hoc Capite dixerim, locum ab origine *nullius* eſſe, qui nunquam ſub Epiſcopo fuiſſe apparet, ſed ab initio ſub Prælato Inferiori; tamen, ut Prælatus Inferior ibidem habeat omnimodam juriſdictionem, & ſit ille locus omnimò exemptus, neceſſe eſt, quod probetur, per Sedem Apoſtolicam fuiſſe hujuſmodi Prælato juriſdictionem quaſi Epiſcopalem conceſſam; aliàs enim nihil aut parùm proficiet, quod oſtendatur illum locum primordialiter, & ante conſtitutionem Sedium Epiſcopalium in ea Regione, fuiſſe Prælato Inferiori traditum; quod quidem agnovit ipſe Ioann. Andreas *ubi ſupra*, nam ſuppoſita ut poſsibili hujuſmodi loci exiſtentia, illud advertit inſuper: *Et ſciendum eſt hunc ſtatum ſine privilegiis nihil prodeſſe.* Cujus rei illa ſolet aſsignari ratio, quod eo ipſo quod conſtitutus eſt Epiſcopatus cenſetur Epiſcopo conceſſa omnis ſpiritalis poteſtas in Diœceſi univerſa; ſecus verò in Prælatis Inferioribus, quia debent ſpeciali indulto Iura Epiſcopalia illis communicari, Hoſtienſ. *in cap. cùm contingat, num. 1. de for. compet. & ibidem* Butr. *num. 11.* Bellamer. *num. 15. verſ. tamen.* Paſqualig. ad Franch. *contr. inter Epiſcop. & Regul. part. 2. q. 1. num. 1. 2. & 4.* Rota *deciſ. 324. num. 2. part. 1. recent.* Qualia autem privilegia eſſe debeant, in ſequenti Capite declarabimus.

CAP. VI.

De exemptione Dativa NVLLIVS, quando intelligatur conceſſa, & quid hæc debeat comprehendere, unde plures privilegiorum clauſulæ explicantur.

SUMMA CAPITIS.

1 *Epiſcopi non poſſunt hanc exemptionem concedere.*

2 *Solus Papa hujus exemptionis auctor eſſe poteſt.*

3 *Papa poteſt, ſi opus fuerit, novos Epiſcopos & quaſi Epiſcopos conſtituere.*

4 *Pontifices rarò & difficulter ad hujuſmodi privilegiorum conceſsionem deveniunt.*

Hujuſ-

5 *Hujuſmodi privilegia ſunt difficilis conceſſionis propter exceſſus & ſcandala, quæ ab eis ſolent oriri.*

6 *Aliqui ſapientes Viri judicarunt expediens eſſe territoria ſeparata ſupprimere.*

7 *Adducitur de hoc ipſo Cardinalis de Luca judicium.*

8 *Exemptiones ut odioſæ interpretandæ ſunt, quò minus jus Epiſcoporum lædatur.*

9 *Privilegia ſtrictiſsimi juris ſunt, & præcipuè in materia attributiva juriſdictionis.*

10 *Quidquid in privilegio expreſsè non datur Prælato Inferiori, Epiſcopo intelligitur præſervatum.*

11 *Conceſsio territorij ſeparati conſtare debet in privilegio verbis ita claris, ut in alium ſenſum retorqueri nequeant.*

12 *Territorium ſeparatum non probatur per inductiones, & argumenta æquivoca.*

13 *Nec admittitur argumentum ab identitate, aut majoritate rationis.*

14 *Tenor privilegij ante omnia eſt inſpiciendus.*

15 *Protectio Sedis Apoſtolicæ, ejuſdemque* in proprios filios *indulta ſuſceptio non tribuit exemptionem* nullius.

16 *Clauſula eximens* à juriſdictione cujuſcumque etiam Epiſcoporum, *& alia.* A quacumque Diœceſana & ordinaria poteſtate & juriſdictione, *non tribuit exemptionem* nullius.

17 *Nec ſimiliter clauſula* : Nulli omninò hominum tàm jure Parochiali, quàm jure dominij, niſi vobis & Monaſterio veſtro reſpondeant.

18 *Exemptio à decimis & ab acceſſu ad Synodum, & facultas petendi ab alio Epiſcopo Olea Chriſma & ordines, non tribuit omnimodam exemptionem.*

19 *Exemptio quoad certos actus compatibilis eſt cum juriſdictione ordinaria in reliquis.*

20 *Clauſulæ, quod* : Nullus poſsit Monaſterium interdicere, nec Abbatem, aut Monachos excommunicare, nec moleſtias ipſis inferre *ſolum continent exemptionem paſsivam.*

21 *Clauſula eximens* Eccleſiam cum ſuis pertinentiis, *non concludit ſeparationem territorij.*

22 *Quid veniat nomine* pertinentiarum.

23 *In his conceſsionibus non comprehenduntur non expreſſa, etiam ſi ſint annexa, aut connexa.*

24 *Clauſula* : Ut locus ſimul cum rebus & hominibus ſubſit Prælato Inferiori, *videtur tribuere territorium ſeparatum.*

25 *Contrarium ſtatuitur & explicatur vis illius verbi* hominibus.

26 *Clauſulæ* : Ne aliquid juris Diœceſano ſit reſervatum, *& alia.* Quod pleno jure Eccleſiæ ab Abbate poſsideantur, *non tribuunt territorium ſeparatum.*

27 *Eccleſia poteſt concedi pleno jure cum populo, aut ſine eo & primo caſu inducitur conceſsio territorij, ſecundo non item.*

28 *Clauſula, ut* Iura Epiſcopalia obtineantur ab Abbate *tribuit juriſdictionem in Monaſterium, non verò in populum.*

29 *Niſi in privilegio contineatur expreſsè territorij ſeparatio, quæcumque clauſulæ etſi ampliſsimæ ſimplicem tantùm paſsivam exemptionem important.*

30 *Generalia exemptiva privilegia ad ſummùm tribuunt impropriam territorij ſeparationem.*

31 *Nullus Ordo ſeu Congregatio poteſt ſibi aſſerere territorium ſeparatum in vim generalium privilegiorum, quod patet exemplo Religionis Hieroſolymitanæ.*

32 *Iudicium Cardinalis de Luca circa privilegia Hieroſolymitanorum.*

33 *Proponitur formula quædam & exemplar privilegij territorij ſeparati.*

34 *Prælati Inferiores prætendentes territorium ſeparatum ſimile huic privilegium debent oſtendere.*

35 *An qualitas* nullius *verificari poſsit in aliqua Eccleſia, quæ verè & materialitèr exiſtat in alicujus Epiſcopi Diœceſi?*

36 *Argumenta pro ſententia negativa. I. quod non adeſt ſeparatio territorij.*

37 *II. quod non excluditur omninò Epiſcopus.*

38 *III. quod non datur ſubjectum omnimodæ juriſdictionis.*

39 *IV. quod ſequeretur monſtrum duorum Capitum in uno corpore.*

40 *Nefas eſſet dubitare de poteſtate Summi Pontificis in inducenda ſpecie* nullius, *de qua* numer. 35.

41 *Adducuntur aliqua exempla.*

42 *Solvuntur argumenta.*

43 *In caſu quæſtionis licèt non detur ſeparatio territorij materialis, poteſt adeſſe formalis, ſi Papa velit.*

44 *Admiſſa territorij formali ſeparatione, ceſſat monſtrum ponderatum in 4. argumento.*

45 *Pontifices velle hanc* nullius *ſpeciem concedere non facile credendum eſt.*

46 *Hæc ſpecies* nullius, *ſi veritas attenditur, repugnat, unde admittenda non eſt, niſi verba privilegij ſint expreſsiſsima.*

47 *An inducatur præfata ſpecies* nullius *ex ſola ſubjectione Eccleſiæ Prælato aliàs* nullius?

48 *Arguitur pro parte affirmativa, quod ex perſonis dantium & accipientium metiendum eſt, quod datur.*

49 *Non implicat, ut corpus formale componatur ex partibus materialitèr ſeparatis & diſſitis.*

50 *Proponitur exemplum in Abbatia Caſinenſi, cujus plenaria exemptio extenditur ad Eccleſias in alienis Diœceſibus.*

51 *Amplexatur ſententia negativa, ut ſola ſubjectio non ſufficiat, ſed requiratur expreſſa voluntas Papæ.*

52 *Id quod datur, metitur ex perſonis dantium & recipientium, quoties natura actus non repugnat.*

53 *Menti Summorum Pontificum non congruit, ut de facili velint ſtatutas Diœceſes ſcindere.*

54 *Adducitur in confirmationem* text. in cap. quia Monaſterium 2. de relig. domib.

55 *Declaratur doctrina Lapi, & Innocentij, ut procedat cùm donatio fit alteri Epiſcopo, non verò Prælato Inferiori.*

56 *Ratio differentiæ utriuſque caſus ex Ioanne Andrea.*

57 *Ad tranſlationem juriſdictionis non capacitas recipientis, ſed verba privilegij attenduntur ab eiſdem AA.*

58 *Lapi ſententia rejecta fuit in celebri cauſa Florentina, & amplexata contraria Calderini.*

59 *Afferuntur exempla & deciſiones pro noſtra ſententia.*

60 *Reſpondetur exemplo Abbatiæ Caſinenſis, de quo* num. 50.

1 ALTERA ſpecies activæ exemptionis cum vera qualitate *nullius*, quam Prælati Inferiores ſibi competere frequentiſsimè contendunt, dicitur *Dativa* eò quòd largitate & beneficientia Sedis Apoſtolicæ datur, & conceditur. Ad ſolum enim Romanum Pontificem ſpectat omnimodæ juriſdictionis cum territorio privilegia concedere: nec Epiſcopis ad hujuſmodi ampliſsimam conceſsionem poteſtas ineſt; tum quia juriſdictio, utpotè cohærens territorio, totumque jus Epiſcopale, pertinet ad Eccleſiam, non autem ad perſonam Epiſcopi: unde & ipſi hujuſmodi juris & juriſdictionis prohibita eſt alienatio, Ioan. Andr. *in cap. cùm venerabilis ſub num. 6. & 7. verſ. item abſurdum de cenſib.* Deinde quia cùm juriſdictio non privati, ſed publici juris ſit, ut notat Bald. *in cap. 1. §. ex eadem lege de legib.* non alij, quàm Romano Pontifici, qui publicum, & univerſalem Eccleſiæ ſtatum moderatur, concedendi hujuſmodi exemptionem poteſtas eſt attribuenda, ut ad rem optimè advertit Lotherius *de re benefic. lib. 1. q. 23. num. 36. & q. 24. num. 156.* quem alij Canoniſtæ ſequuntur. Ergo illud in primis tenendum eſt *Dativæ*

2 hujus exemptionis cauſam efficientem Romanum Pontificem eſſe, qui ſua illimitata juriſdictione & auctoritate poteſt Diœceſes dividere, erigere, augere, minuere, ſublimare, aut deprimere, proùt neceſsitas, vel utilitas Eccleſiæ efflagitaverit; quod jus expreſsè confirmat

firmat D. Bernardus *in Epiſt.* 14. *ad Mediolanenſes*, dùm ait : *Poteſt Romana Eccleſia novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt, poteſt eos qui ſunt deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita ut de Epiſcopis Archiepiſcopos creare liceat, & è converſo ſi neceſſum fuerit.* Subſcribunt Cardin. Belarmin. *lib.* 4. *de Romano Pontifice cap.* 24. P. Suarez *de Pœnitent. tom.* 4. *part.* 2. *diſput.* 25. *ſect.* 1. *num.* 10. Atque inde com-
3 munis eſt apud Canoniſtas Concluſio, Romano Pontifici, utpotè Epiſcopo Eccleſiæ univerſalis, & in quo reſidet centrum omnis ſpiritalis poteſtatis, eam facultatem competere, ut poſsit creare novos Epiſcopos, & quaſi Epiſcopos, ſeu quod idem eſt, Prælatos Inferiores, tributa illis juriſdictionis Eccleſiaſticæ parte, quàm bono Eccleſiæ expedire judicaverit, Gloſſa *in cap.* 1. *verb. exemptiones de privil. in* 6. Hoſtien. *in cap. cùm contingat num.* 1. & ibi Boer. *num.* 11. Abb. *num.* 18. Gratian. *diſcept.* 212. *num.* 17. Tamburin. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſput.* 15. *num.* 13. Lother. *d. libr.* 1. *q.* 24. *num.* 271. Barboſ. *de offic. & pot. Epiſc. part.* 3. *allegat.* 127. *num.* 1. D. Salgado *de ſuppl. ad ſanct. part.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. *& ſeq.* Cardin. de Luca *de alienat. diſc.* 1. *num.* 44. Rota *deciſ.* 578. *num.* 2. *cor.* Burat. *deciſ.* 10. *num.* 10. *cor.* Zarate *deciſ.* 21. *num.* 11. *part.* 14. *recent.*

4 Suppoſita ergo hac in Romano Pontifice facultate tribuendi exemptionem activam cùm ſeparatione territorij & vera qualitate *nullius*; res tota eò vertitur, ut diſquiratur, an illius adſit voluntas. Quod autem aliquando Pontifices voluerint, & reverà hujuſmodi privilegia tribuerint, nemo inficiari poteſt. Sed aliundè pariter fatendum eſt nonniſi rarò magniſque de cauſis ad ſimilia indulta elargienda properaſſe; cùm enim Romani Pontifices illud ſemper in votis habeant, ut Eccleſiæ ordo à Chriſto diſpoſitus, & Prælatorum concordiæ maximè conſentaneus, ſemper vigeat, ut *in Proœm.* inſinuavimus, hinc Epiſcopalem poteſtatem diminui, haud facilè permittunt, ut eſt celebris D. Gregorij ſententia *in cap. pervenit* 39. 11. *q.* 1. ibi : *Nam ſi ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo confundatur.* Unde nihil mirùm ſi adeò parcè & moderatè hæc privilegia ſunt tributa, ut in univerſo Orbe Chriſtiano vigenti quatuor tantùm connumeret Proſper. Fagn. *in cap. cùm contingat de for. compet.* Et Sacra Rota *in una Firmana* 13. *Martij* 1702. §. *planum cor. Molines*, horum privilegiorum ſingularitatem inſinuat his verbis : *Quæ ſanè privilegia, vel nunquam, vel rarò Pontifices conceſſerunt Clauſtralibus, quamtiſlibet eos prærogativis cumulaverint.*

Difficultatem concedendi ſimilia
5 privilegia augent mala & abuſus, quæ ex eis oriri ſolent, quæ quò amplior eſt exemptio, eò & ipſa ſunt majora; unde ſi propter exceſſus & abuſus, qui ex ſimplici tantùm paſsiva exemptione reſultabant, adverſus eam in Concilio Tridentino conclamarunt Patres, præcipuè Germani Epiſcopi, qui privilegiorum revocationem ad Jus commune petebant; teſte Alteſſerra *in Aſceticon lib.* 7. *cap.* 12. *in fin.* Van-Eſpen *in Jus Eccleſ. univ. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 6. *& in repagul. Canon. in ejus Epilogo* §. *denique, & §. ſimiliter.* Mirandum non erit, ſi
6 aliqui peritiſsimi Viri ad meliorem revocandam diſciplinam, controverſiaſque extirpandas, conveniens judicaverint, hæc territoria ſeparata vel in totum abolire, & Epiſcopis ſubjicere, vel ſaltem declarare, quod Concilij Tridentini ſenſus fuerit, de iſtis etiam locis diſponere circa delegatam juriſdictionem, ut ſenſit Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 12. *in addit.* & recenſendo abuſus idem conſuluit *in Miſcell. Eccleſ. diſ.* 1. *num.* 90.

ac

ac tandem idem replicat *in diſc.* 97. *ſub num.* 8. *& in diſc.* 16. *num.* 4. *de juriſd.* per hæc verba, quæ digna judicavi, ut hic tranſcribantur : Et fortiùs, inquit, ex congruentiæ ratione, quàm expe-
7 rientia induxit multorum inconvenientium, ex omnimoda Epiſcopali reſultantium in locis ſub hujuſmodi Abbatibus, & Inferioribus Prælatis exiſtentibus, in quibus nimiùm licentiosè vivi ſolet, atque Eccleſiaſtica diſciplina parùm ſervari. Unde pro mea ſententia, ſancta, & laudabilis res eſſet, ut hujuſmodi juriſdictionis ſpecies in univerſum ſupprimeretur, omniaque loca ad antiquam Dionyſij diviſionem ſub Diœceſibus redigerentur. Ab initio enim, quo Romanam Curiam practicare cæpi, jam anteà conſcius ſcandalorum, & inconvenientium, quæ in hujuſmodi locis *nullius* frequenter practicantur, videns tantas cæremonias, quæ in Epiſcoporum creatione adhibentur, in eo ſcilicet prævia diligenti informatione, eligendo, deinde examini coram ipſo Papa, & Cardinalibus, & pluribus ex doctioribus Curiæ viris exponendo; necnon prævio proceſſu ſuper natalibus, vita, & moribus, in uno Conſiſtorio præconizandi, in altero verò proponendi; ac demùm in actu conſecrationis, tot rigoroſa juramenta ſuper Eccleſiæ defenſione, & ovium ſibi commiſſarum recto gubernio exigendi; idcirco omninò in congruum cenſui, dictas cæremonias & diligentias adhibendas eſſe, pro exercendo illo munere, quod adamuſsim, & in omnibus exercent hujuſmodi Inferiores Prælati, in quibus nulla diligentia adhibetur, & quorum auctoritas pendet, vel ex ſola ſæculari poteſtate, vel ex aliquorum Regularium electione, ut contingit in Abbatibus Regularibus, quorum mores & ſufficientiam eligentes, vel deputantes ſpectare ſolent principaliter pro regendo ipſorum Regularium Conventu, non autem pro exercenda juriſdictione Epiſcopali in Clerum, & populum, & ſic eſt verè inconveniens, quo nullum majus. Hucuſque de Luca, cujus opinioni noviſsimè adhæret Proſperis *de territor. ſepar. q.* 3. *num.* 28.

8 Quæ hucuſque dicta manent clarè nos monent, maxima in hoc puncto cautione opus eſſe; nec ſtatim, ac temerè pro hac ampliſsima dativa exemptione eſſe pronuntiandum; quandoquidem in hac materia illam receptiſsimam ac communem habemus regulam, quæ dictat, exemptiones tanquam odioſas ſtrictè eſſe interpretandas, ut minus quoad fieri poſsit Ius Epiſcopi, fundatum in jure communi, lædatur ita Chokier *de juriſd. in exempt. part.* 1. *q.* 2. *num.* 7. *& q.* 4. *per tot.* Lother. *d. lib.* 1. *q.* 23. *num.* 24. Fagnan. *in cap. cùm Cape'la num.* 16. *de privil. num.* 12. quod ipſa natura ſuadet privilegiorum, quæ ſtrictiſsimi juris ſunt, ut *ex cap. privilegia diſt.* 3. *cap. Abbate. §. contra quod de verb. ſignif. leg. quia perſonale ff. ſolut. matrim.* tenet Surd. *deciſ.* 130. *num.* 4. Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 30. *num.*
9 171. *&* 185. Atque ideo apud omnes eſt receptum privilegia in hac præſertim materia delegativa, & attributivæ juriſdictionis ſteriliſsimæ eſſe naturæ, & tantùm operari quantùm ſonant; immò quod non apparet conceſſum, præſumi denegatum, etiam in caſu, quo præexiſtat præambulum ſupplicationis, ut circa primam propoſitionem plena ſunt volumina, & ſignanter habetur penes Innocent. *in cap. dilecto de offic. Archidiac.* Felin. *in cap. auditis num.* 10. *de præſcript. & conſil.* 1. *num.* 162. *cum ſeqq.* Marant. *controver. jur. part.* 3. *reſpon.* 81. *num.* 60. Cardin. de Luca, *de juriſ. diſc.* 35. *num.* 10. Rota *deciſ.* 1252. *num.* 7. *cor. Coccin. deciſ.* 8. *num.* 7. *part.* 8. *& deciſ.* 191. *num.* 8. *part.* 19. *recent.* Et quoad ſecundam comprobant jura *in cap. nonnè de præſumpt. leg. inter*

ſtipu-

ſtipulantem §. ſi ſtipulantem de verb. oblig. Soccin. Sen. *conſil.* 131. *num.* 9. *verſ. immò videtur.* Pariſ. *conſil.* 20. *num.* 15. *lib.* 1. Mantica *de tacit. lib.* 4. *tit.* 10. *num.* 16. Rota *deciſ.* 467. *num.* 6. *cor. Seraph. deciſ.* 2251. *num.* 17. *cor. Coccin. & deciſ.* 140. *numer.* 14. *part.* 15. *recent.*

10 Unde in hac materia cum duplici fundamentali regula procedendum eſt: Prima, ut quidquid expreſsè, & litteralitèr in privilegio non adimitur, & Prælato Inferiori datur, cenſetur Epiſcopo præſervatum, ut præter adductos, probat etiam in terminis Fagnan. *in cap. ſignificaſti de offic. Ordin. num.* 18. *&* 19. Rota *deciſ.* 324. *num.* 5. *part.* 1. *recent.* & in hac cauſa *deciſ.* 70. *n.* 32. *part.* 13.

11 Secunda, quod conceſsio activæ juriſdictionis, & vera territorij ſeparatio debet in privilegio apparere & conſtare verbis ita claris & expreſsis, ut in alium ſenſum detorqueri nequeant *cap. ex parte* 18. *de privil. cap. cùm perſonæ cap. ſi Papa eod. tit. in* 6. ubi Canoniſtæ, & docent Chokier *d. part.* 1. *q.* 9. *num.* 3. Lother. *d. lib.* 1. *q.* 24. *num.* 91. *& ſeq.* Rota *deciſ.* 338. *num.* 11. *cor. Priol. & in Brixienſ. Iuriſdictionis* 5. *Iulij §. quibus potius cor. Caprara, & in Leodien.* 11. *Aprilis* 1698. *§. neutra cor. Molines.* Et in puncto obſervo cum Cardinal. de Luca *de*

12 *juriſd. diſc.* 19. *num.* 3. quod in terminis prætenſionis territorij ſeparati cum vera qualitate *nullius*, quidquid antiquis temporibus diſputaverint Canoniſtæ, hodie uno ore aſſerunt Doctores, & concordant etiam Magna, & Collegialia Tribunalia: *Quod territorium ſeparatum* (ſunt verba Rotæ *in Melitenſ. Iuriſd.* 27. *Ianuarij* 1716. *§. & quamvis cor. Falconerio*) *non probatur per inductiones, & æquivoca argumenta, ſed requiritur privilegium Apoſtolicum, in quo expreſsè fiat ſeparatio territorij.* Ideoque in hac materia non admittitur extenſio,

13 ducto argumento ab identitate, vel majoritate rationis, ut *ex leg. jus ſingulare ff. de legib. & ex cap. ſanè de privileg.* dixit Rota *in Barchinonenſ. Canonicatus* 9. *Iunij* 1645. *§. nec demùm viſa fuit cor. Veroſpio impreſſa poſt Dianam reſol. moral. part.* 8. *deciſ.* 9. *& in recent. deciſ.* 276. *num.* 12. *part.* 11. *& deciſ.* 134. *num.* 3. *part.* 18.

14 Ob hanc ſtrictam, ac odioſam naturam privilegiorum factum eſt multoties, ut quamplura magnificata privilegia propter eorum amplitudinem, quibus Prælati Inferiores confiſi hanc *nullius* exemptionem prætendebant; dùm ad trutinam fuere redacta, quia clarè & expreſsè ſeparationem territorij non continebant, ſimplicem tantùm exemptionem tribuere, fuit declaratum in Sacris Tribunalibus: quod ut pateat utile erit, aliqua conſueta verba, & clauſulas in privilegiis apponi ſolitas examinare, & perpendere, ſtante in hac materia regula, quæ præſcribit, tenorem privilegij ante omnia eſſe attendendum, *cap.* 3. 7. 12. *&* 14. *de privil. cap.* 7. *&* 10. *eod. in* 6. Lother. *d. q.* 24. *num.* 89. & interpretationem privilegiorum pendere à varietate formularum Soccin. *in cap. recepimus num.* 8. *& latius ex num.* 32. *de privil.* Rota *cor. Seraphin. deciſ.* 1025. *num.* 3. *&* 5.

15 Et in primis occurrunt illæ formulæ: *Suſcipimus ſub protectione Sedis Apoſtolicæ*, & illa: *In proprios & ſpeciales Eccleſiæ Romanæ filios recipimus.* Sed quantum hæc verba diſtent à conceſsione territorij ſeparati, judicari poteſt ex traditis *ſupra in cap.* 3. *num.* 72. ubi per ea nec exemptionem à Juriſdictione Epiſcopi, ſed immunitatem tantùm ab oneribus legis diœceſanæ, competere oſtendimus.

16 Conſueta etiam ſunt in privilegiis hæc verba: *Eximimus à juriſdictione cujuſcumque etiam Epiſcoporum.* Sed in his æquè clarum eſt nonniſi paſſivam tantùm exemptionem concedi,

Fagnan. *in cap. cùm Capella num.* 11. *de privil.* Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 30. *num.* 174. Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 26. Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 10. *num.* 9. *& deciſ.* 12. *num.* 16. Ejuſdem roboris, ac poteſtatis conſiderari debent verba, quibus tribuitur immunitas *à quacumque diœceſana, & ordinaria poteſtate & juriſdictione*, quoniam hujuſmodi verba important exemptionem paſsivam Monaſteriorum, & Eccleſiarum, Monachorumque, & Clericorum in illorum ambitu exiſtentium, & inſervientium; non verò exemptionem populi, & Cleri Sæcularis, & Parochorum curam animarum regentium, ut *ex cap. per exemptionem de privil. in* 6. tradunt communiter Canoniſtæ, Fagnan. *in d. cap. cùm Capella num.* 16. Card. de Luca *ubi ſupra, & eod. tit. diſc.* 15. *num.* 4. Rota *in Firmana ſuper reſervatis* 17. *Martij* 1702. *verſ. minuſque cor. Molines.*

17 Nec ſimiliter hanc activam exorbitantemque exemptionem concludunt verba hæc: *Nulli omnino hominum tàm jure Parochiali, quàm jure dominij, niſi vobis, & Monaſterio veſtro reſpondeant.* Hæc ſiquidem verba in illis Monaſteriis, penes quæ eſt cura Parochialis, & dominium temporale expeditum ſenſum habent, ut referantur ad curam Parochialem, quæ continet poteſtatem fori pœnitentialis, hoc eſt ligandi, & ſolvendi in foro interiori Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *num.* 35. Barboſa *de offic. Paroch. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 27. Rota *deciſ.* 52. *à num.* 2. *part.* 2. *diverſ.* Sed exinde non infertur ad forum juriſdictionalem, & externum, in quo ſubduntur Epiſcopo, uti Paſtori totius Diœceſis, Card. Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom.* 2. *in conſtit.* 6. *Alexandri III. num.* 5. Rota *in d. Firmana §. minus refragatur.* Nec etiam ex dominio temporali inferri poteſt ad juriſdictionem ſpiritualem, & territorium ſeparatum, ut agnovit Rota in hac cauſa Toletana cum Magno Priore *in deciſ.* 70. *num.* 52. *part.* 13. *rec.* & abundè manet probatum *ſup. in cap.* 2.

18 Adferri etiam ſolent ampliſsimæ privilegiorum clauſulæ, quibus conceditur exemptio à Decimis, & jus eas percipiendi, facultas petendi ab alio quocumque Epiſcopo Oleum, Chriſma conſecrationes Eccleſiarum & Monachorum ordinationes, juncta libertate ad Synodum non accedendi. Sed nec ex hujuſmodi conceſsionibus poteſt inferri territorium ſeparatum; ſed tantùm ſimplex & pura paſsiva exemptio, ut in terminis probat Rota *in Gerunden ſuper bono jure §. prout exemptio cor. Molines.* Exemptio enim quoad certos, & deter-
19 minatos actus compatipilis eſt in reliquis cum Ordinaria univerſali juriſdictione Epiſcopi, prout ſæpè fundavimus *ex cap. ſi Papa* 10. *verſ. his enim de privil. in* 6. ubi communiter Canoniſtæ. Quin immò conceſsiones hujuſmodi potiùs arguunt ſubjectionem legi territorialis; exemptio enim quæ eſt privatio, habitum præſupponit, & fruſtra exemptus locus eſſet in territorio ſeparato; quod maximè procedit, ſi dictis conceſsionibus addatur: *Epiſcopo impedito, vel renuente* Card. Petra *in d. conſt.* 6. *num.* 52. quia cùm per hæc verba Epiſcopo præſerventur Iura Epiſcopalia; certo certius efficitur, per oppoſitam licentiam non fuiſſe Epiſcopo ademptam omnimodam juriſdictionem in Clerum, & populum.

20 Pari interpretatione donari debent aliæ etiam conſuetæ clauſulæ, quibus conceditur: *Vt nullus Monaſterium poſsit interdicere, nec Abbatem, aut Præpoſitum, aut Monachos excommunicare, niſi de mandato Papæ, vel Legati à Latere*: his enim verbis tantùm includitur exemptio paſsiva *cap.* 1. *§. in eos, & cap. ne aliquis* 5. *de privil. in* 6. Lother. *d. q.* 24. *num.* 98. Chokier *de juriſd. in exempt. part.* 4. *quæſt.*

quæſt. 14. *num.* 8. Et in fortioribus terminis prohibitionis, quod *nemo præſumat aliquid facere, vel moleſtias inferre in Monaſterium, & ejus Monachos, & bona*: quod nempè indè non inferatur conceſſio territorij ſeparati, ſed tantùm nuda & ſimplex exemptio, tenet Petra *d. conſt.* 6. *num.* 53. Rota *in Leodien. Iuriſdictionis* 23. *Ianuarij* 1679. §. *nihil relevante cor. Emerix, & in cit. Genunden. ſuper bono jure* 13. *Iunij* 1692.

21 Amplior ſanè videtur expreſsio illa, qua ſolet eximi *Eccleſia unà cum ſuis pertinentiis*; ſed nec in ea includi territorium ſeparatum, ſimiliter certum eſt: quia iſta expreſsio efficit quidem, ut hujuſmodi Eccleſiæ cum adiacentibus ſint penes Rectorem, cui elargitur privilegium, & ut intra earum ambitum, velut in proprio territorio, quadam adhibita territorij impropria ſeparatione, in perſonas ibidem contentas juriſdictionem exerceat, admodum quo conſiderat Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 10. *num* 9. *& diſc.* 12. *num.* 16. non autem ut Prælato Inferiori competat hæc activa ampliſsima juriſdictio in populum & animas fidelium indiſtinctè ibi exiſtentes, expreſſus *text. in cap.* 2. *de Relig. domib.* & tenet Calderin. *conſil.* 6. *de donat.* Turricell. *de benefic. union. cap.* 2. *num.* 20. Murga *quæſt. Paſtor. part.* 4. *q.* 1. *ſect.* 3. *concluſ.* 2. *num.* 7. Rota *deciſ.* 14. *num.* 12. *cor. Duran. deciſ.* 181. *num* 10. *& ſeq. cor. Carrillo, & deciſ.* 233. *ſub num.* 30. *part.* 10. *recent.* Quamvis ettenim major

22 pertinentia dari nequeat, pro fundanda ſubſtantia Eccleſiæ Parochialis, quàm illa Parochianorum reſpectu illius Eccleſiæ; tamen certum eſt, populum & Parochianos non venire appellatione pertinentiarum; cùm earum nomine tantùm comprehendantur ſepta, & muri, ſive materialitas confinium, aliaque acceſſoria ad Eccleſiam; vel Iura competentia Rectori ratione Rectoriæ, ut nedùm in terminis Inferioris, ſed etiam Epiſcopi, ſtabilivit, & declaravit particularis Congregatio quinque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad explanationem Brevis Gregorij in celebri cauſa Florentina Juriſdictionis inter Archiepiſcopum Florentinum, & Epiſcopum Feſulanum, cujus meminit S. Rota *in Firmana Iuriſdictionis* 15. *Aprilis* 1701. *verſ. non efficiente cor. Molines*, & noviſsimè *in Fulden. Iuriſdictionis* 1. *Iunij* 1708. *verſ. idque cor. Anſaldo.* Eaque prædictorum ratio eſt,

23 quia, ut ſæpè dicendum eſt in hoc tractatu, quãdo agitur de tribuenda exemptione, vel etiam juriſdictione, maximè Prælato Inferiori, adeò eſt odioſa materia, utpotè habens contra ſe juris reſiſtentiam, ut nuſquam interpretatione poſsint induci ea, quæ non fuerunt ſpecificè expreſſa, etiamſi eſſent annexa, & connexa; aliàs admitteretur extenſio in re, in qua Jura illam manifeſtè abhorrent *d. leg. jus ſingulare de legib.* Felin. *in cap. auditis num.* 9. *verſ. cæterum de præſcript.* Fermoſin. *in cap. cùm contingat q.* 2. *num.* 14. *de for. comp.* Lap. *alleg.* 70. *ſub num.* 9.

24 Sed quid dicemus ſi clauſula exemptionis ita concipiatur, *ut locus ſimul cum rebus, & hominibus ſubſit Prælato Inferiori*? Sanè hoc verbo *hominibus* adjecto, nihil deficere videtur ad inducendam pleniſsimam conceſsionem juriſdictionis in locum & in perſonas, & ut exindè non verificetur reſtrictio, quæ ponitur *in celebri cap. per exemptionem de privileg. in* 6. ut nimirùm per exemptionem locorum perſonæ non credantur exemptæ; unde in hoc caſu omnimoda juriſdictio in clerum & populum & territorium ſeparatum tributum videtur ex doctrina Pignatell. *tom.* 5. *conſult.* 85. *num.* 7. Lother. *d. q.* 24. *num.* 112. *cum ſeqq.* Sed tamen cùm hujuſmodi ampla conceſsio & privile-

25 gium tributum à Pontifice Stephano III.

Abbati Fuldenſi in Sacra Rota proponeretur ; in hoc Sacro Tribunali fuit judicatum, adhuc ſimile indultum non eſſe trahendum ad aliquem intellectum, qui poſſet excedere interpretationem, quibuſlibet privilegiis exemptivis attributam à prædicta ſanctione *textus in cap. per exemptionem* ; coercendo generalitatem, ut par erat ejuſdem verbi *hominibus* ad Monachos, Clericos, & Converſos, & Oblatos ejuſdem loci, ſcilicèt Monaſterij, & ſimilium accreſcendorum pro tempore Monaſteriorum, Eccleſiarum, aut Grangiarum Abbatiæ : dùm, ut diximus, exorbitantia materiæ non patitur, ut fiat benigna interpretatio, ſed quantùm fieri poſsit coarctetur, & reſtringatur : & de facto Pignatell. *d. conſult. 85. num. 7. tom. 5.* ſupponit, & vult, quod ultrà Monaſterium, & perſonas, clarè in privilegio nominentur, & eximantur loca omnia, & perſonæ ſubditæ, & populus univerſus ; aliàs aderit quidem exemptio, & juriſdictio in perſonas alioquin ſubditas & mancipatas, ſed non in loca, nec in Clerum & populum, ut cum Franc. *in cap. per exemptionem num. 3. verſ. 5. nota*, ibique Anchar. *num. 3. verſ. 4. nota de privil. in 6.* Guillelm. de Monte Lauduno *in Clement. Paſtoralis num. 24. lib. 1.* firmat Rota *deciſ. 324. num. 6. part. 1. recent.* quæ loquitur de celebri Principatu, & Abbatia inſigni Sancti Galli Ordinis Sancti Benedicti apud Heluetios in contentione cum Epiſcopo Conſtantienſi, & poſteà proſequitur Gratian. *diſcept. for. cap. 918. num. 12. & 33.* eadem S. Rota *deciſ. 28. per tot. & ſignanter num. 16. part. 9. recent.*

26 Pariformiter, judicatum eſt de illis clauſulis, nempè *ne aliquid juris Diœceſano ſit reſervatum*, & altera: *Quod pleno jure Eccleſiæ ab Abbate, vel Priore poſsideantur.* Quod enim neque Juſtitia, neque aliquid juris Diœceſanis reſervetur Epiſcopis, oſtendit Monaſteria fuiſſe ſoluta à gravaminibus legis diœceſanæ, juxta id quod latè demonſtravimus *in cap. 3.* ubi etiam habetur hujuſmodi privilegia nec ſimplicem exemptionem à juriſdictione Epiſcopi importare. Quod verò Eccleſiæ *pleno jure* poſsideantur à Prælato Inferiori, hoc ſimiliter territorium ſeparatum non inducit, nec tribuit juriſdictionem in populum, niſi ſimul concedatur populus juxta receptam doctrinam, & diſtinctionem Canoniſtarum, de qua Barboſa *in cap. quoniam 21. num. 2. de privileg.* Dupliciter enim poteſt concedi Eccleſia pleno
27 jure : primò quidem ſimpliciter & abſolutè, cùm non ſolùm Eccleſia conceditur, ſed etiam populus cum juriſdictione pro utroque foro animæ, & contentioſo. Secundò cùm populus non conceditur ; & tunc non dicitur conceſsio, & unio facta pleno jure ſimpliciter, & abſolutè cum juriſdictione contentioſa, ſed ſolùm in foro Sacramentali, & quoad ea, quæ ad dictam curam pertinent. Docent hanc diſtinctionem Zavarella *in Clem. 1. de exceſſib. Prælator. oppoſ. 6.* Lother. *d. q. 24. à num. 113.* Fagnan. *in cap. cùm & plantare de privil. num. 5.* Murga *in quæſt. Paſtor. q. 2. diſquiſ. 1. num. 46. & ſeq.* Unde patet, in ſuperiori clauſula tantùm tribui libertatem ab oneribus legis diœceſanæ, & ſimplicem exemptionem à juriſdictione Epiſcopi ; quæ utiquè compatibilis eſt cum ordinaria Epiſcopi juriſdictione reſpectu Cleri, & populi Sæcularis, ut tenent AA. ſupra citati & Luca *de juriſd. diſc. 1. num. 19.* P. Piringh. *in libr. 3. Decretal. ſect. 6. num. 215.* Stephan. Albin *de poteſt. Epiſc. cap. 14. num. 3.* Petra *citat. conſtit. 6. num. 49.* & Rota *deciſ. 93. part. 16. num. 12. & in Leodien. Iuriſdictionis 4. Februarij 1699. §. nec ad probandum cor. Priolo.*

28 Tandem ad ſimplicem tantùm exemptionem paſsivam refferri debet

alia

alia clauſula in privilegiis apponi conſueta, quod nimirùm *Iura Epiſcopalia obtineantur ab Abbate, vel Præpoſito.* Nam ſi mentio non fit in privilegio Cleri, & populi, intelligenda eſt hæc clauſula de juriſdictione Epiſcopali Ordinaria, quam Epiſcopi de jure commnni exercebant in ambitu Monaſteriorum; non verò de juriſdictione Epiſcopali in populum, & Clerum, ut in ſpecie ſimilis privilegij judicavit S. Rota *in citat. Gerundenſ. 19. §. nec ceſſionem poſt Cardin. de Luca de juriſdict.* Sufficit enim juriſdictio, quàm Prælati Regulares intra ambitum Monaſteriorum exercent, ut prædicta clauſula verificetur; nam vigore privilegiorum exercent in ſuos Monachos intra ſepta Monaſterij illam eamdem ſpiritualem juriſdictionem, quam antea exercebant Epiſcopi; adeò ut quoad Monachos Prælati Regulares vocentur Ordinarij, & quoad certos effectus locus exemptus impropriè & per modum æquiparationis conſtituat territorium per ſe, Rota *d. deciſ. 324. num. 7. part. 1. recent. & deciſ. 373. part. 11. recent.*

29 His frequentioribus privilegiorum clauſulis percurſis apparet, quod ſi in privilegio Apoſtolico expreſsè non invenitur facta Prælato Inferiori abſoluta territorij conceſsio, cum aſsignatione confinium, & omnimoda Epiſcopi excluſione, fruſtra contendet, hanc activam exemptionem, & reſpectivè pleniſsimam juriſdictionem cum qualitate *nullius* ſibi vindicare, etiamſi aliundè ampliſsimis clauſulis ſit conceptum indultum; nam hæ clauſulæ, ommiſſa territorij conceſsione, ſolùm important ſimplicem exemptionem paſſivam, à qua non rectè infertur ad exemptionem activam & juriſdictionem in Clerum & populum, ut generaliter aſſerunt Canoniſtæ *ex d. cap. per exemptionem*, & expreſsè tenet Fagnan. *in cap. cùm contingat num. 39. de for. comp. & in cap. cùm Capella num. 16. de privil.* Lother. *d. q. 24. num. 128.* Chokier. *d. part. 1. q. 13. num. 4.* Donat. *rer. Regul. tom. 2. part. 3. tract. 10. q. 4.* Cardin. Petra *in d. conſtit. 6. num. 42.* Urſaya *diſcept. Eccleſ. tom. 2. diſcept. 19. num. 44.* & inconcuſſe tenet Sacra Rota, *ut in deciſ. 338. cor. Priolo. deciſ. 181. num. 11. cor. Carrillo deciſ. 840. num. 4. cor. Emerix Iun. deciſ. 324. part. 1. recent. deciſ. 324. num. 20. part. 13. & Gerunden. Iuriſdictionis ſuper hoc ſore 26. Novembris 1694. §. nec ad deſtruendum cor. Caprara, & in Leodien. Iuriſdictionis 7. Aprilis 1704. §. rurſus ettenim. cor. Anſaldo.* Et ad tollenda æquivoca, è quibus acres in hac materia controver-
30 ſiæ frequenter excitantur, concludendum eſt cum doctrina Cardin. de Luca *diſc. 1. de juriſd. num. 20. & diſc. 10. num. 9. & diſc. 12. num. 16.* hujuſmodi generalia exemptiva privilegia ad ſummum concludere poſſe ſuis ampliſsimis clauſulis impropriam, & intellectualem tantùm territorij ſeparationem, quatenùs ipſius exempti & privilegiati Monaſterij ſeu loci territorium ſe extendit, quod reſtringitur intra ambitum ipſius materialis Monaſterij juxta terminos *ſæpiùs citatæ deciſ. 373. part. 11. recent.* Non tamen inferri poteſt, inquit de Luca *citat. diſc. 10. num. 9.* ex hujuſmodi privilegiis ad conceſsionem territorij, in quo vivit Clerus, & populus Sæcularis cum activa juriſdictione in iſtum, adquirendo qualitatem paſtoris cùm ovibus in ſuo territorio depaſcentibus, in qua circunſtantia totus eſt hujuſmodi controverſiarum punctus, cujus ratione hæc privilegia exemptiva ipſorum Monaſteriorum, vel Eccleſiarum, quantumvis ampla, & prægnantia, in propoſito nullius remanent operationis; quia punctus non eſt in exemptione paſsiva, ſed juriſdictione activa in territorio non ſuo, & in populum non ſuum.

31 Ex hac receptiſsima doctrina, aliam deducimus non minùs veram, & utilem in hac materia; quæ hodie, propter aſsiduas deciſiones & declarationes S. Congregationis & Romanæ Rotæ, eſt extra dubium, quidquid AA. aliqui præſertim Morales, & antiqui, æquivocis laborantes, & ſuperiori doctrina non benè inſtructi, judicaverint; nimirùm quod cùm privilegia exemptiva, quibus hodiè in universùm omnes Religiones fruuntur, ſimplicem tantùm exemptionem tribuant, ut ex dictis *in præcedentibus Capp.* conſtat; hinc evidens eſſe, nulli Religioni in ſuis privilegiis tribui territorium ſeparatum; ut mirùm non ſit propterea à cauſa cecidiſſe Prælatos illos, qui tetritorium ſeparatum ex ſolis privilegiis exemptivis ſibi vindicare voluerunt: cujus rei innumera proſtant exempla in voluminibus Rotalium Deciſionum, & inter alia expreſsè habetur *in Firmana* 17. *Martij* 1702. *& in deciſ.* 640. *part.* 19. *recent. & in deciſ.* 427. *part.* 16. *rec. & in deciſ.* 181. *cor. Carrillo, & in deciſ.* 324. *part.* 1. *rec. & in deciſ.* 233. *part.* 10. in quibus, propoſitis ampliſsimis privilegiis diverſorum ordinum, ſemper contra Prælatos Inferiores fuit declaratum. At nullum ſplendidiùs concludentiùſve hujus rei exemplum proferri poteſt quàm id de quo agimus: manifeſtiſsimum ſiquidem eſt S. Hieroſolymitanam Religionem amplitudine privilegiorum cæteras ſuperare, & tamen Cardin. de Luca, cùm pro ea munus Advocati obiret in hac controverſia, ſincere profitebatur, ut conſtat *ex d. diſc.* 1. *de juriſd. num.* 6. illius Prælatos virtute ſuorum privilegiorum territorium ſeparatum prætendere non poſſe, cujus judicium ejuſdem controvenſiæ exitus in Romana Curia comprobavit; & poſtmodùm in hujus claſis controverſijs validum à majoritate rationis ſuppeditat argumentum.

32 Sed præſtat hic ipſius Eminentiſsimi Scriptoris verba tranſcribere ait enim *in d. num.* 6. Inter cæteras autem „Religiones, quoad hujuſmodi conceſ„ſiones & privilegia, præcipuum, ac „fortè primum locum occupat inſignis „Religio S. Joannis Hieroſolymitani, „cui Summi Pontifices plura conceſſe„runt privilegia enunciata, & confir„mata per Pium IV. in ejus Conſtitu„tione 9. illud præſertim omnimodæ „exemptionis Prioratuum Bajulivatuum, Hoſpitalium, & Commenda„rum, eorumque Capellanorum, & „ſervientium, miniſtrorum, colonorum, „& aliorum quamvis Sæcularium, con„cedendo ipſis Prioribus, Bajulivis, & „Commendatariis juriſdictionem acti„vam in dictas perſonas, ac ſi eſſent veri „Ordinarij. Poſt hæc *d. numer.* 19. ſic diſcurrit: Privilegia verò quantum„vis ampla Religionis, in hoc (in con„ceſsione nimirùm territorij ſeparati „ſuper qua erat controverſia) ſine du„bio non ſuffragantur, ut de facto docet „Catholici Orbis praxis, quoniam in „omnibus fere magnis Civitatibus, ſeu „locis qualificatis, iſta Religio habet „Prioratus, Bajulivatus, & Commen„das; & tamen Priores, Bajulivi, vel „Commendatarij ſe non ingerunt niſi „cum ipſis Religioſis profeſsis, vel cum „ipſorum Prioratuum, & Commenda„rum Capellanis, inſervientibus, & „miniſtris Sæcularibus habentibus re„quiſita ſæpiùs enunciatæ Conſtitutio„nis 67. Gregorij XIII. Ex jam dicta „clara ratione adaptabili etiam omni„bus aliis Prælatis Inferioribus Regula„ribus, vel Sæcularibus, juxta primam „ſpeciem, ut ſupra exemplificatis, quod „ſcilicèt eorum territorium non protra„hitur ultrà Clauſtra, ſeu ambitum ip„ſius Monaſterij, vel Commendæ ubi „ob privilegiorum amplitudinem, da„tur quandoque quædam impropria „territorij ſeparatio & qualitas *nullius* ſe-

„ſecundumquid; non obſtante, quod „locus eſſet undique circundatus à ter„ritorio Epiſcopi, ex firmatis in Montis „Caſsinen. juriſdictionis *cor. Bichio deciſ.* „373. *part.* 11. *recent.* ac habetur in „Lauretana *diſc.* 33. & in aliis *hoc eod.* „*tit.* Sed punctus eſt in reliquo territo„rio, in quo vivit Clerus, & populus „Sæcularis, quoniam iſtud non eſt hu„juſmodi Prælati habentis fines, ut ſu„pra reſtrictos intra Clauſtra, ſed eſt „Epiſcopi; qui proindè eſt legitimus „paſtor ovium in ſuo territorio exiſten„tium. Cùm autem huic doctrinæ, & „ſententiæ nollent acquieſcere Hiero„ſolymitani, & Agentes Magni Prioris, „qui generalibus privilegiis Religionis „territorium ſeparatum tribui conten„debant; factum eſt, ut re latiſsimè diſ„cuſſa contra eos fuerit pronuntiatum. Hucuſque Cardinalis de Luca *d. num.* 6. qui etiam *eod. diſc. num.* 2. *verſ. in pluribus* ita ait: *Hinc ſequutum eſt, quod multum volentes, totum amiſimus.*

33 Ex dictis ſatis apparet, quàm difficulter verificetur in privilegiis conceſsio hujus dativæ exemptionis cum vera qualitate *nullius*, & ſeparatione territorij; & quàm multa continere debeat ad hunc effectum privilegium Apoſtolicum: quod ut pleniùs percipiatur, libet hic inſerere privilegium ab Urbano VIII. conceſſum Abbati de Olivares, in ea parte quod ad noſtrum propoſitum conceſsionis omnimodæ juriſdictionis, & territorij, pertinet, prout refertur *in deciſ.* 213. *num.* 2. *part.* 17. *recent. Summus Pontifex univerſum etiam ſtatum & Commitatum de Olivares cum omnibus in eo contentis etiam Parochialibus Eccleſiis ab Archiepiſcopo, & Diœceſi Hiſpalenſi, ac quorumcumque aliorum Ordinariorum territoriis perpetuo diſmembravit, & Abbatiæ prædictæ ac futuris Abbatibus pro ſeparato, & particulari territorio aſsignavit, cum omnimoda exemptione à Reverendiſsimi Archiepiſcopi, & Capituli Hiſpalenſis juriſdictione, ordinaria poteſtate, & ſubjectione, ita quod ille, aut Capitulum Sede vacante, eorumque Officiales, juriſdictionem habere non poſsint, nec-non à quacumque præſtatione, contributione, taxarum, impoſitionum, aliorumque jurium ratione ſubventionis, & legis Diœceſanæ Ordinariis Officialibus, Vicariis, ſeu miniſtris debitorum, vel aliàs præſtari ſolitorum, & prout pleniùs continetur in Bulla erectionis impreſſa à numer.* 23. Si quis igitur Prælatus Inferior hanc pleniſsimam da-
34 tivam exemptionem ſibi vindicare deſiderat, ut ſimile relato privilegium exhibeat, eſt neceſſe; in quo expreſsè fiat loci ſive territorij vera ſeparatio, & diſmembratio ab antiqua nativa Diœceſi, & ſimul eidem Prælato pro ſuo territorio & quadam velut Diœceſi aſsignetur, ut latiùs de his agendo privilegiis proſequuntur Ioann. Andr. *in cap. nimis de jur.* Ancharan. *in cap. poſtulatis num.* 4. *de for. compet.* Geminian. *in cap.* 2. *verſ. quæro de conſtit. in* 6. Fagnan. *in cap. ſignificaſti de offic. Archidiac. num.* 17. *& ſeqq. in cap. nullus ae Paroch. num.* 40. *&* 41. *& in cap. cùm dilectus de Relig. domib.* Pignatell. *conſult. Canon. tom.* 8. *conſult.* 59. *num.* 20. Chokier *de juriſ. in exempt. part.* 1. *q.* 9. *num.* 2. *& ſeq.* Lother. *de re benefic. lib.* 1. *d. q.* 24. *à num.* 112. *ad ſeq.* Cardin. de Luca *ubi ſupra, & diſc.* 34. *de juriſd. num.* 9. *verſ. altera.* Roſa *de reſident. Epiſcop. cap.* 4. *ſect.* 6. *ſub num.* 404.

35 Sed nè aliquid ad hanc materiam ſpectans ommittamus, iliud in præſenti venit inquirendum; an nimirùm qualitas *nullius* verificari poſsit in aliqua Eccleſia, quæ verè & materialitèr exiſtat in aliena Diœceſi, etſi nullum habeat populum, neque Clerum? Quod eſt idem ac quærere, àn poſsit dari Prælatus Inferior, qui omnimodam juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem & verè *nullius* exerceat in aliqua Eccleſia, quæ ſit in aliena Diœceſi & Civitate; ac per con-

conſequens Clerus & populus ſubjectus ſit illius Diœceſis, & Civitatis Epiſcopo? Et quidem hæc ſpecies *nullius* impoſsibilis videtur ex ſequentibus argumentis. I. Nam nihil frequentiùs hu-
36 cuſque dictum eſt, quàm ad verificationem qualitatis *nullius* requiri veram territorij ſeparationem, & quod Prælato Inferiori Clerus, & populus in eo diſtrictu degens ſubjiciatur: Ergo ſi vera ſunt hucuſque dicta rejicienda venit ſpecies *nullius*, quæ in caſu quæſtionis proponitur abſque hac territorij ſeparatione. II. Quia ut hæc ſpecies
37 *nullius* verificetur, neceſſe eſt, juxta dicta in hoc capite, quod Epiſcopus in totum excludatur; ſed in caſu quæſtionis Epiſcopus non modò non excluditur, ſed illi remanet integra juriſdictio in territorium & in Clerum, & populum: conſequenter ergo admittenda non eſt talis ſpecies *nullius*. III. Quia
38 nulli tradita dici poteſt omnimoda & abſoluta juriſdictio, ſi & ipſi omnimodo & privativè ſubjectum juriſdictionis non conceditur; atqui in hoc caſu nequit dici ita conceſſum Prælato Inferiori ſubjectum juriſdictionis. Ergo in caſu quæſtionis verificari nequit Prælatus Inferior cum vera & propria qualitate *nullius*. Major patet nam quæcumque abſque ſubjecto fingatur juriſdictio erit imperfecta aut chymærica ex iis, quæ diximus ſupra *in cap. 2. num. 2.* Minor probatur. Subjectum juriſdictionis juxta doctrinam Jaſon. *in leg. 1. num. 15. verſ. hoc magis placet de juriſd. omn. jud.* conſiſtit in territorio, & in perſonis: ſed nec territorium, nec perſonæ conceſſæ dici poſſunt, plenè & privativè in terminis quæſtionis Prælato Inferiori: Ergo nec ſubjectum juriſdictionis. IV.
39 Conſideratio, quæ ex præcedentibus derivatur procedit ab abſurdo ſeu inconvenienti; nam admiſſa hujuſmodi ſpecie *nullius*, abſque prævia territorij ſeparatione, ſequeretur, quod in uno eodemque territorio daretur duplex caput, Epiſcopus nimirùm, & Prælatus Inferior; quod quidem monſtroſitatem præſefert, & difformem valdè repugnantiam in Eccleſiæ diſciplina *ad cap. quanto de offic. Ordin.* Canoniſtæ & Gratian. *diſcept. 212. num. 16. & ſeq.* Quare hujuſmodi ſpeciem *nullius* acriter improbavit Cardin. de Luca. *de juriſd. diſc. 18. & diſc. 35. num. 10. de juriſd.* & favere huic ſententiæ videntur innumeri, qui ad veram qualitatem *nullius* ſtatuendam veram ac materialem territorij ſeparationem deſiderant, quos jam ſupra retulimus.

Sed cùm hæc materia, in qua agitur de attribuenda Eccleſiaſtica juriſdictione, tota pendeat à poteſtate & voluntate Papæ, ut initio hujus Capitis manet præſuppoſitum; hinc non anteà ad reſolutionem hujus quæſtionis proſiliendum, quàm duo prævie diſpiciantur. I. circa Pontificis poteſtatem. II. circa ejuſdem voluntatem. Et quidem quoad primam inſpectionem, nefas
40 eſſet dubitare de poteſtate Summi Pontificis, qui Summus eſt Hierarcha, & totius Eccleſiæ univerſalis Epiſcopus, in quo reſidet velut in centro plenitudo ſpiritualis juriſdictionis, ut ad propoſitum conſiderat Lother. *d. q. 24. num. 207. & ſeq.* Rota *deciſ. 975. num. 5. cor. Emerix Iun.* ubi quod non obſtet præjudicium tertij, nempè Epiſcopi, quoties adeſt voluntas de actu neceſſariò id importante Rota *in Capuana Parochialium 15. Februarij 1666. §. nec pro ſubjectione cor. Bevilaqua.* Quamobrem dicendum eſt, rectè poſſe privilegio Summi Pontificis talem ſpeciem *nullius*, in quæſtione propoſitam ſtatui & introduci. Et de facto illam habemus decla-
41 ratam in caſu Almæ Domus Lauretanæ de quo Card. de Luca *diſc. 33. de juriſ.* & in caſu Capellæ Sanctiſsimi Præſepis in Baſilica Libertina, de quo idem Card. *diſc. 35. eod. tit.* Et in caſu Eccleſiæ,

ſeu

seu Monasterij Monialium in Diœcesi Marsicana subjecti Abbati Montis Cassini, de quo Rota *in decis.* 459. *cor. Bich.* repetita *in decis.* 373. *part.* 11. *recent.*

42 Nec obstant rationes, quas supra diximus in ratione dubitandi, nam in primis non evincunt defectum potestatis circa hoc in Romano Pontifice; deindè cessat quæcumque in eis ponderata repugnantia, si consideramus; quod licèt frequenter, & communi usu loquendi attento, qualitas *nullius* non verificetur, nisi ubi intervenit naturalis & materialis separatio territorij cum personis Cleri & populi Sæcularis; quæ quidem separatio in casu quæstionis non intervenit: tamen inficiari nequit, quod in eodem casu, intercedente Papæ
43 voluntate, adest quædam separatio formalis, seu intellectualis consistens in omnimoda & absoluta Ecclesiæ subjectione, cujus virtute ad effectus formales, exercitium nempè quasi Episcopalis jurisdictionis, Prælato Inferiori attributæ, ipsa Ecclesia obtinet vicem territorij; & tàm ipsa Ecclesia, quàm personæ in ea deservientes ipsius jurisdictionis sunt subjectum, à quo omnimodò excluditur Episcopi jurisdictio. Qua doctrina facillè dissolvitur prima, secunda, & tertia ratio contrariæ sententiæ. Nec paritèr obstat ratio petita ab inconvenienti duorum Capitum in uno
44 corpore; siquidem stante illa formali Ecclesiæ separatione cessat monstrum illud & inconveniens; itaque Episcopus erit Caput Diœcesis; Prælatus verò Inferior Caput Ecclesiæ, non quidem ut inclussæ in Diœcesi, attenta naturali ac materiali situatione, nam hoc sensu daretur illud monstrum; sed ut per se stantis & præcisæ ab illo corpore Diœcesis, ob illam quàm diximus formalem separationem; qua via & ratione cessat penitùs quæcumque repugnantia & incompatibilitas. Nec novum est in jure, ut ad aliquos effectus formales inducatur hæc separationis species in parte corpori reverà connexa, seu unita, ut *ad leg. in rem actio* 23. *§. pen.* notant Civilistæ, & *ad §. cum in suo* 29. *de rer. divis.* notat Arnold. Vin. *in comment. num.* 1.

45 Ergo principalis difficultas versatur circa secundam inspectionem, ut nimirùm supposita in Papa potestate, de illius voluntate dispiciamus. Et sanè si ad concessiones territorij separati modo communi & naturali nonnisi rarò & difficultèr devenere Summi Pontifices, cùm eorum voluntas jure & ratione reguletur; ad præsentes concessiones rariùs & difficiliùs eos devenire credendum est; nam utcumque illa separatione formali illud inconveniens duorum Capitum in uno corpore cesset; tamen præterquamquod Canonum sinceritas & simplicitas non facilè has præcisiones & formalitates admittit: si res ipsa & veritas attenditur, certum etiam est,
46 quod illa Ecclesia tanquam membrum manet inclussa in Diœcesi; unde reverà hæc species *nullius* importat hoc sensu satis difformem speciem duorum Capitum in vno Corpore. Itaque hujusmodi concessio non est statim confingenda, nec interpretationibus inducenda; adeò ut, etiam si amplissima sint privilegij verba, non sit attribuenda, nisi verbis claris & expressissimis constet de voluntate Summi Pontificis, novissimè Cardin. Petra *ad d. constit.* 6. *Alexandri III. num.* 8. quia verba etsi ampla privilegiorum operari quidem possunt majorem, vel minorem exemptionem, non autem valent importare hanc *nullius* amplissimam concessionem, ubi territorium materialiter non est separatum, Cardin. de Luca *d. disc.* 35. *num.* 9. & 10. Lother. *d. q.* 24. *num.* 94. & frequentèr Rota.

47 Hic etiam opportunè disceptari potest, an in casu, in quo Papa subjiciat Eccle-

Eccleſiam, Cura & Populo carentem,& in Diœceſi alicujus Epiſcopi ſitam, Prælato qui habet aliàs territorium ſeparatum, cenſeatur etiam talis Eccleſia in ſtatu *nullius*, ex ipſa ſubjectione abſque expreſſa voluntate Papæ? Breviùs quidem : An capacitas, ſeu qualitas *nullius* in accipiente, ſuppleat defectum claræ voluntatis in propoſito? Et ſanè
48 pro ſententia affirmativa facit illa ſatis firma Juris regula, quod ex perſonis dantium & accipientium metiri debemus, quid dari intelligatur *leg. ſi filiæ de leg. 3. cap. etſi quæſtiones §. 1. verſ. cum in accipiendis de ſimon.* & probat *text. in cap. paſtoralis de donat.* & ibi Innocent. *num.* 1. Panormit. *in fin.* Barbatia *num.* 5. Hoſtienſ. *num.* 6. Ancharan. *eod. numer.* Zabarell. *num.* 17. Imola *num.* 24. Butr. *num.* 7. Cùm autem in caſu quæſtionis Papa valeat juxta ſuperiùs dicta omnimodam juriſdictionem *nullius* concedere; & hujuſmodi Prælatus Inferior in eo ſtatu ſit, ut capax ſit illam accipiendi; nihil impedire videtur, ut Eccleſia in caſu quæſtionis in ſtatu *nullius* cenſeatur, ut in ſatis ſimili caſu judicavit inſignis Canoniſta Lapus *in allegat.* 139. *in cauſa Feſulana.* Et ratio eſt, nam Papa dùm concedit Eccleſias, quæ materialiter ſunt in aliena Diœceſi Prælato
49 Inferiori, habenti territorium ſeparatum, videtur velle conſtituere eaſdem Eccleſias, tanquam membra illius territorij ſeparati, quæ hoc ipſo participent eaſdem qualitates capitis, cui adhærent; cùm non implicet, ut corpus quodam formale componatur ex partibus longè diſsitis, atque illæ partes habeantur ut membra formaliter corpus integrantia, & capiti annexa; licèt reverà & naturaliter ſint disjuncta,& alibi locata,cujus rei & in Sacris & in prophanis abundant exempla : Atque in terminis occurrit
50 illud Abbatis Montis Caſsini, qui hac ipſa ratione obtinuit, ut Eccleſia ſeu Monaſterium Monialium, ſibi ſubjectum, declararetur *nullius* eſſe Diœceſis, quamvis in Diœceſi Marſicana eſſet ſituatum Rota *deciſ.* 459. *cor. Bichio*, atque pariformiter fuit declaratum quoad alias Eccleſias exiſtentes in Diœceſi Capuana, eadem S. Rota. *in Capuana ſeu Montis Caſsinenſ. Parochialium* 10. *Martij* 1679. *cor. Bourlemont.* revocando deciſionem ad favorem Archiepiſcopi editam 15. *Februarij* 1666. *cor. Bevilaqua* confirmata dicta deciſione ad favorem Abbatis 17. *Junij* 1686. *cor. Mathejo*, & in caſu alterius conſimilis cauſæ relatæ *in diſc.* 25. *de juriſd.* Cardin. de Luca.

51 His tamen non obſtantibus, tenendum eſt ad inducendam hanc qualitatem *nullius* non ſufficere capacitatem recipientis, ſed neceſſariam eſſe claram & expreſſam voluntatem Papæ concedentis; licèt enim in aliis actibus, puta
52 in ambigua teſtatoris aut contrahentium voluntate, dùm non adſit repugnantia ex perſonis dantium, & accipientium donatio aut relictum metiatur, juxta vulgarem regulam; tamen hoc nequit procedere, quoties in actu eſt repugnantia, ut in præſenti, quia tunc mens concedentis non alia credi debet, niſi quæ recepto juri maximè conformetur: diſſonans ettenim erat, ut in hac materia, quæ juri communi adeò adverſatur, & in qua nonniſi attentiſsimè Summi Pontifices procedunt, per ſubauditos intellectus eorum mens detorqueatur ad ea, quæ nonniſi rariſsimè conceduntur, & quæ cum ipſa rei natura pugnare videntur; ut ſanè eſt, quod Eccleſia, quæ verè ac naturaliter ſita eſt in certa Diœceſi, & quæ populum nec territorium habet, dicatur *nullius* Diœceſis, & territorium ſeparatum alterius Prælati; hoc enim, ut demus, prout damus, Papæ voluntate effici poſſe, expreſsiſsimam eſſe debere quiſque dicet; præcipuè ſi advertat, quæ ſupra ſæpè inculcavimus de clara & expreſſa voluntate

tate neceſſaria ad conceſsionem territorij ſeparati, etiam in terminis in quibus ejuſmodi non adſit repugnantia. Quin ſuadetur; nam ſi ſola capacitas ejus in quem transfertur juriſdictio,
53 concluderet qualitatem juriſdictionis conceſſam, eveniret, ut ſimilibus conceſſionibus paſsim ſcinderentur Diœceſes, quod menti Summorum Pontificum non congruit, *ex cap. pervenit* 39. 11. *q.* 1. *cap. inter dilectos de donat.* Nec enim præſumendum eſt, Papam velle ſuo privilegio juri alterius derogare, *cap. cùm olim de conſuet. cap. ex tuarum de auct. & uſ. pall. cap. licèt de offic. Ordin. l.* 2. *§. ſi quis à Principe, & §. meritò ff. nè quid in loco publ.* Atque in propoſito ſpecioſa eſt Gregorij IX. deciſsio *in cap.*
54 *quia Monaſterium* 2. *de relig. domib.* ubi proponitur hunc Pontificem quodam Monaſterium ſitum in Diœceſi Nucerina uniiſſe alteri Monaſterio Diœceſis Surrentinæ; cumque fortè Agapitus poſterioris Monaſterij Abbas unionis virtute vellet illud per omnia, ut membrum ſui Monaſterij conſiderare, ut ita, vera ſituatione non obſtante, Diœceſano Nucerino non ſubeſſet; Gregorius non eam ſibi fuiſſe mentem declarat, ut per unionem vellet præfatum Monaſterium à Diœceſi Nucerina ubi erat ſitum extrahere; hac addita ratione: *Nam ſic hujus loci ordinationem diſponimus, ut tamen jura ſua ſingulis Epiſcopis inviolata ſervemus.*

55 Nec obſtat auctoritas Lapi magni alioqui Canoniſtæ, nam ipſe innititur rationi & auctoritati Innocentij; qui certè ex capacitate recipientis omnimodam Epiſcopi juriſdictionem tranſlatam dicit in eo præciſè caſu, cùm Eccleſia conceditur alteri Epiſcopo, non verò cùm conceditur Prælato Inferiori, ita Innocent. *in cap. in Lateranenſi ſub num.* 4. *de præbend.* & ratio eſt, quia Epiſcopus donatarius capax eſt recipiendi totum jus Epiſcopale, illudque exercendi, ſicut exercebatur per Epiſcopum donantem; quæ ratio non procedit quando exemptio vel donatio fit favore Inferioris Prælati, cùm hic ſit incapax tale jus exercendi, aliaque conferendi, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis: Quia hoc caſu quamvis donans
56 Epiſcopus illud trasferre voluerit, adhuc tamen minimè potuit in Prælatum minorem Epiſcopo: & cum nulla Eccleſia reperiatur, in qua non opporteat jura Epiſcopalia exerceri, juſtiùs, & æquiùs eſt, ut talia jura remaneant potiùs penes Epiſcopum donantem, quàm ad alium extraneum pro iſtis Epiſcopalibus recurratur, ut docet & declarat Joan. Andr. *in cap. de Monachis num.* 10. *de Præbend.* ubi ait: *Si quæris rationem quare prædicta remaneant penes Epiſcopum cum pleno jure tranſtullerit Eccleſiam in Abbatem etiam exemptum, reſpondeo quia nulla Eccleſia eſt, in qua non opporteat fieri ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, nec iſta potuit Epiſcopus à ſe abdicare, argum. de offic. Prætor. leg. legatus: Etſi dicas, quod potuit abdicare, ad minus nequivit ea in Abbatem transferre, nec in Minorem Epiſcopo, ut patet in eo quod ſequitur, & notatur infra de conſecrat. cap. aqua. Iuſtiùs ergo eſt & æquiùs quod potius ad proprium, quàm ad extraneum Epiſcopum recurſus in talibus habeatur, arg. infra de Sacram. cap. cùm in officiis Charitatis. Quid ergo ſi Epiſcopus concedat Eccleſiam alteri Epiſcopo pleno jure? Reſpondeo hic poteſt dici quod omnia ſunt translata.* Deinde ſi benè perpenditur doctrina Innocentij *in d. cap. in Lateranenſi*; liquidò appa-
57 rebit, ipſum ſuppoſuiſſe, ad fundandam ſuam ſententiam, privilegium fuiſſe plenarium, in quibus etiam terminis loquitur Joann. Andr. *in verbis tranſcriptis in fin.* unde nec Innocentius, nec Joan. Andreas fundamentum conſtituunt in præciſa capacitate recipientis, ſed in verbis privilegij, ut explicat & notat Imola *in cap. de Monachis num.* 7.

de

de Præbend. ibi : *Tu adverte nè erres, quia hoc dictum procedit, quando conceditur Eccleſia pleno jure, ſi autem ſimpliciter concederetur, tunc idem eſſet dicendum, ſive concedatur religioſis, vel alteri Epiſcopo.*

58 Inſuper nec aliunde obſtat auctoritas Lapi, quia cùm olim in celebri controverſia Florentinum inter, & Feſulanum Antiſtitem Lapus & Calderinus dimicarent, (qua ocaſione idem Lapus *dict. allegat.* 139. conſcripſit) Calderinus tandem victoriam obtinuit, quia congregatio particularis, cujus ſupra meminimus, S. R. Eccleſiæ Cardinalium nempè Othoboni poſtea Pontificis Alexandri VIII. Caſanatæ, de Angelis, Carpinei, & Mareſcoti, pronuntiavit Epiſcopum Feſulanum, pro quo ſcripſit Lapus, non potuiſſe Eccleſiam S. Mariæ in Campo, exiſtentem in Diœceſi & Civitate Florentina, denominare de Diœceſi Feſulana, nec exercere juriſdictionem aliquam in Parochianos, & Populum, à quibus in poſterum abſtinere deberet, ut refert *cit. deciſio Firmana* §. 18. & in ſimili plures occurrunt deciſiones, & exempla,

59 ut eſt illud Eccleſiæ Parochialis in Diœceſi Amalphitana unitæ Archiepiſcopo Salernitano, de quo Cardinal. de Luca *diſc.* 21. *de juriſd.* & de aliis Rota *deciſ.* 14. *num.* 8. *& ſeqq. & deciſ.* 92. *cor. Durano deciſ.* 41. *num.* 7. *&* 9. *part.* 5. *recent. & deciſ.* 274. *num.* 11. *part.* 17. & de privilegio Papæ dicitur *in deciſ.* 975. *cor. Emerix*, & latè firmavit Rota *in cit. Firmana juriſdictionis ſuper reſervatis* 15. *Aprilis* 1701 §. 15. *& ſeqq. cor. Molines.* Hicque fuit etiam ſenſus S. Congregationis Concilij in cauſa inter Archiepiſcopos Tranenſem & Sypontinum ſuper Eccleſia S. Jacobi in Tranenſi Diœceſi ſita, & unita ac ſubjecta Eccleſiæ Sypontynæ, declarando *de Menſe Octobris* 1581. *& de Menſe Februarij* 1582. *Archiepiſcopum Tranenſem eſſe Ordinarium dictæ Eccleſiæ* refert Card. Bellarmin. *in obſervat. ad Concil. Trident. Seſſ.* 7. *cap.* 8. *de reform. lit. B.* Nec incongruum aut inuſitatum videri debet, quod Epiſcopus in aliena Diœceſi Eccleſiam habeat; nam frequentiſsimum eſt in feudis, quæ poſidentur ab aliquo ſupremo Principe in Regno alterius, qui dicitur feudatarius reſpectu talis Regni; & in Epiſcopo, qui poteſt eſſe Canonicus in alia Eccleſia, ut benè iuxta morem conſiderat Cardin. de Luca *dict. diſc.* 21. *de juriſd.*

60 Nec pariter obſtant *cit. deciſ. in Capuana ſeu Montis Caſsinen.* quia ut reſpondet Cardin. Petra *in cit. conſt.* 6. *Alexand. III. n.* 12. repropoſita eadem cauſa 15. *Februarij* 1694. fuit à S. Rota reſcriptum : *Iterum proponatur, & coadjuventur probationes, & videant omnes:* & poſtea ſequutam fuiſſe concordiam idem Cardinalis teſtatur audiiſſe. Deinde in illo caſu aderant privilegia effrænata, non ſolùm reſpicientia Abbatiam Montis Caſsini reſpectu quarumcumque Eccleſiarum in Orbe exiſtentium ſibi ſubjectarum, ſed etiam reſpectu Eccleſiarum illius membrorum: ac tandem concurrebat obſervantia major ducentenaria quoad concurſum, ocaſione proviſionis Parochialium indictum in dictis Eccleſiis ab Abbate Montis Caſsini; ad quem effectum fuit ſuſcepta diſputatio, an conſtaret de territorio ſeparato; quod eſt unum ex requiſitis pro concurſu in Parochialibus Eccleſiarum ſubjectarum, & in ejuſmodi obſervantia ſe fundant deciſsiones præſertim *ult. cor. Vrſino* §. *demùm.* Atque tandem dici poteſt ſpeciale eſſe in ampliſsimis privilegiis Monaſterio Caſsinenſi tributis, ut ſuæ Eccleſiæ ubicumque exiſtentes conſtituant quamdam ſpeciem ſeu figuram territorij ſeparati, impropriam tamen, & quæ non excedit terminos exemptionis mediæ, quàm ſupra *in cap.* 4. *num.* 89. explicavimus.

CAP.

CAP. VII.

De exemptione NULLIUS præſcriptiva: An territorium ſeparatum valeat induci præſcriptione? & an præcisè requiratur immemorabilis vel ſufficiat quadragenaria?

SUMMA CAPITIS.

1 *Prælati Inferiores, ubi nativam aut dativam exemptionem probare non poſſunt, recurrere ſolent ad præſcriptionem.*

2 *Magna eſt diſſenſio inter AA. circa inducendam præſcriptivam exemptionem.*

3 *An exemptio præſcriptiva ſit admittenda?*

4 *Proponitur ſententia Hoſtienſis, rejicientis in propoſito omnem præſcriptionem etiam immemorabilem.*

5 *Proponitur contraria ſententia Archidiaconi admittentis immemorabilem, ad inducendum territorium ſeparatum.*

6 *Diſtinguuntur duo caſus, ad conciliandas has ſententias.*

7 *Cùm fines & limites Diœceſis clarè conſtant præſcribi nequit abſolutè territorium ſeparatum in loco eiſdem limitibus incluſſo.*

8 *Terminos transferre & mutare jure Divino prohibetur.*

9 *Græcis & Romanis ſancti & inviolabiles habebantur termini.*

10 *Iure etiam Canonico terminos intemeratos eſſe debere, diſponitur.*

11 *Ius Civile prorſus improbavit termini ac limitis quamcumque præſcriptionem.*

12 *Pariter Ius Canonicum præſcriptionem etſi longiſsimi temporis omnino improbavit in limitibus, ubi de diviſione conſtat.*

13 *Relata Iura fundant ſententiam Hoſtienſis in fortioribus terminis.*

14 *Præſcriptio omnis introducta eſt ad imponendum finem litibus.*

15 *Confuſsio limitum implacabiles diſcordias ſuſcitat.*

16 *Epiſcopatus eſt unum Corpus ſub uno tantùm Capite.*

17 *Subditi proprio Epiſcopo obedientiam præſcribere non poſſunt.*

18 *Conſuetudo, qua certi Diœceſiũ limites præſcribi intendũtur peſsima eſt & irrationabilis.*

19 *Opponitur, quod quidquid adquiri poteſt privilegio, poteſt adquiri conſuetudine.*

20 *Reſpondetur illud axioma procedere quoties ſubjecta materia non repugnat propter juris diſpoſitionem.*

21 *Poteſtas Ordinis eſt impræſcriptibilis.*

22 *Quando de Diœceſis limitibus non conſtat, nec de ſituatione certa loci controverſi, tunc immemorabilis admittitur ad probandum territorium ſeparatum.*

23 *Immemorabilis non admittitur in hoc caſu, ut præſcriptio, ſed ut præſumptum privilegium Pontificium.*

24 *Immemorabilis præſcriptio, ut Epiſcopum excludat, canonizari prius debet per tres ſententias conformes.*

25 *Quod confirmatur uniformi ſenſu S. Congregationis & Rotæ.*

26 *Difficilimum eſt in hac materia verificare immemorabilem præſcriptionem.*

27 *Obiter de centenaria præſcriptione, quæ in propoſito parificatur cum immemorabili.*
28 *An juriſdictio Epiſcopalis univerſaliter ſumpta, cum territorio materiali ſeparato, obtineri poſsit per quadrageniarum.*
29 *Fundatur ſententia affirmativa, & extollitur vis quadragenariæ variis juribus.*
30 *Quadragenaria cum titulo colorato parificatur cum Centenaria & immemorabili.*
31 *Admittitur & fundatur ſententia negativa, excludens in propoſito quadragenariam, etiam cum titulo colorato.*
32 *Quadragenaria non præſtat facultatem allegandi meliorem titulum de mundo, ſicut immemorabilis.*
33 *Præſcriptio abſque poſſeſsione non procedit.*
34 *Iura Vniverſalia poſsideri non poſſunt.*
35 *Impoſsibile eſt in facto, ut Prælatus Inferior probet ſe exercuiſſe univerſos actus ad jus Epiſcopi ſpectantes.*
36 *Expenditur pro hac ſententia* text. in cap. ſicut 16. quæſt. 2.
37 *Solvuntur argumenta, & exponuntur* cap. ad aures, & cap. de quarta de præſcript.
38 *Exponitur* text. in cap. auditis eod. tit.
39 *Territorium Prælati Inferioris vocari poteſt* Diœceſis.
40 *Explicatur doctrina Calderini.*
41 *Exponitur* text. in cap. 1. de præſcript. in 6.
42 *Exponitur* text. in cap. cùm Perſonæ de privil. in 6.
43 *AA. parificantes quadragenariam cum immemorabili quomodò ſint accipiendi.*
44 *Referuntur actoritates quæ firmant ſententiam* num. 32.
45 *Iuriſdictio Epiſcopalis diſtributivè ſumpta præſcribi poteſt per quadragenariam.*
46 *Excipiuntur aliqui caſus, in quibus jus eam expreſsè rejicit.*
47 *Vbi admittitur quadragenaria dubium exoritur circa qualitatem acquiſitæ juriſdictionis.*
48 *Aliqui putant hanc juriſdictionem eſſe vicariam & ſub Epiſcopo.*
49 *Quid operetur actualis juriſdictio Epiſcopo reſervata.*
50 *Alij exiſtimant per quadragenariam acquiri Prælato Inferiori juriſdictionem in titulum proprium.*
51 *Temperatur hæc ſententia, ut ſemper inferioris juriſdictio ſit ſubordinata juriſdictioni Epiſcopi.*
52 *Vt quadragenaria admittatur in præſenti, titulo debet eſſe munita.*
53 *Titulus talis requiritur, ut præſtet poſsidenti cauſam præſcribendi.*
54 *Titulus in præſenti debet eſſe clarus & expreſſus ita ut contineat quod præſcribi deſideratur.*
55 *Explicatur quanam ratione dicatur hic titulus putativus & coloratus.*
56 *Afferuntur hujuſmodi tituli aliqua exēpla.*
57 *Vt actus exerciti proficiant Prælato Inferiori neceſſarium eſt probare ſcientiam & acquieſcientiam Epiſcopi.*
58 *Prælatus Inferior tantùm præſcribet actus, quos poſſediſſe probaverit.*
59 *Epiſcopi univerſalis juriſdictio conſervatur per unicum actum.*
60 *Declaratur doctrina* num. precēd. *ut procedat reſpectu generis individui, aut actuum ejuſdem ſpeciei.*

[1 POST nativam & dativam exemptionem omnimodam *nullius* aggredimur in hoc Capite explicandam præſcriptivam. In quo & ipſarum controverſiarum conſuetam ſeriem obſervamus; ſiquidem Prælati Inferiores ubi nativam aut dativam exemptionem probare non potuerunt; quia clarè de ſituatione in Diœceſi conſtat, nec aliundè eis ſuffragatur expreſſum privilegium; ad auxilium præſcriptionis ſolent confugere, ut per eam hanc pleniſsimam exemptionem & reſpectivè juriſdictionem ſibi
2 vindicent. Quo caſu plures ſolent excitari controverſiæ & quæſtiones tum ſuper admittenda in genere præſcriptione; tum circa ſpeciem præſcriptionis:

ac

ac denique circa ipſius præſcriptionis requiſita & probationem: Præbentibus diſſentiendi occaſionem nedum A A. ſed & Tribunalium in hoc diſcrepantibus ſententiis; quamobrem acuratè res tota erit diſquirenda.

3 Et quidem in primis illud videndum eſt, an exemptio *nullius* præſcriptiva ſit admittenda? Quod eſt idem ac inquirere, an ſicut privilegio Apoſtolico, mutatis ſeu reſtrictis terminis & limitibus Diœceſium, concedi poteſt Prælato Inferiori omnimoda juriſdictio in aliquo loco cum territorio ſeparato; ita præſcriptio ejus ſit virtutis & efficaciæ, ut privilegium Apoſtolicum imitando, poſsit Diœceſium terminis reſciſsis, locum à nativa Diœceſi extrahere, & tribuere in eo loco Prælato Inferiori omnimodam juriſdictionem & territorium ſeparatum?

4 In hac quæſtione duæ ſunt præcipuæ oppoſitæ ſententiæ inter Canoniſtas. Prima tenet territorij ſeparati obtinendi unam tantùm viam eſſe privilegium Apoſtolicum expreſſum, ad terminos *cap. præcedent.* & hinc excludendam eſſe omnem conſuetudinem & præſcriptionem etſi immemorabilem, utpotè inefficacem, ad inducendam territorij diſmembrationem, ſeu ſeparationem à Diœceſi. Hujus ſententiæ Anteſignanus agnoſcitur Hoſtienſis *in cap. cùm contingat num. 1. de for. compet. & in cap. quanto num. 13. & cap. quoniam num. 2. de offic. Ordin.* Quem ſequuntur ex antiquis Canoniſtis plures magni nominis, ut Butrius *in d. cap. quoniam num. 11. verſ. de conſuetudine.* Et *ibidem* Abbas *num. 18. & 19.* Bellamer. *num. 15.* Gabriel *de præſcript. concluſ. 1. num. 8. & 26.* Et huic opinioni aliquando adhæſit Rota, ut *in deciſ. 744. tom. 1. diverſ. num. 6. & 7. deciſ. 218. num. 27. apud Roxas deciſ. 47. num. 20. poſt Tamburin. tom. 3. deciſ. 394. num. 4. part. 1.* & Magiſtraliter *in deciſ. 324. part. 2. & deciſ. 21. part. 14. recent.*

5 Secunda ſententia aſſerit exemptionem pleniſsimam *nullius*, & territorium ſeparatum induci ac probari poſſe non ſolùm per expreſſum privilegium Apoſtolicum, ſed etiam per præſcriptionem immemorabilem. Hujus autem ſententiæ Capita fuerunt Archidiaconus & Joannes de Imola, & poſt utrumque eam defendit Joan. Andreas *in cap. cùm Epiſcopus de offic. Ordin. in 6.* Abbas ſibi contrarius *in d. cap. cum contingat num. 11. in fin. & num. 18. de for. competent.* Calderin. *conſ. 2. de præſcript.* Balb. *eod. tract. q. 11. num. 7.* Lother. *de re benef. lib. 1. q. 24. num. 106. & ſeqq.* Tamburin. *de jur. Abbat. diſp. 15. q. 9. ad 16.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 212.* Bellet. *diſquiſ. Clericor. part. 1. tit. juriſdictio §. unic.* Fagnan. *in cap. nullus num. 22. verſ. & quamvis de Paroch.* Cardin. de Luca *de juriſd. diſc. 1. num. 11. & paſsim tot. tract. de juriſd.* Pignatell. *conſult. canon. tom. 10. conſult. 116. num. 2.* Cardin. Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom. 2. in conſt. 6. Alexandri III. ſect. 1. num. 63.* Proſperis *de territ. ſepar. quæſt. 3. num. 18.* Quam opinionem ſequuntur frequentiſsimè Magna Tribunalia & ſæpiſsimè S. Rota, ut videre eſt *in deciſ. 40. poſt Tamburin. de jur. Abbat. deciſ. 304. num. 7. part. 11. recent.* & latè in *Iuvenacenſi Iuriſdictionis 22. Aprilis 1678. cor. Bourlemont, & in Burgenſi Iuris inſtituendi 23. Iunij 1690. §. minus cor. Molines, & in Marſicenſi nullius 7. Iunij 1700. §. quia imò cor. Muto*, & in celebri controverſia *Fuldenſi Iuriſdictionis 27. Aprilis §. ſtantibus cor. Molines, & in ultima ejuſdem cauſæ 1. Iunij 1708. §. 15. cor. Anſaldo*, & in noſtra Toletana *in deciſ. quæ eſt in ordine la 70. part. 13. recent.*

6 In hoc ergo opinionum & ſententiarum conflictu, cùm pro utraque parte intercedant inſignes Canoniſtæ, & hinc inde extent haud exigua fundamenta, præſtantiùs viſum eſt aliquam

quam qua concilientur rationem veſtigare, quàm ullam ex his opinionibus impugnare. Pro quo duos puto caſus eſſe diſtinguendos; ita ut plurimùm referat, quod controverſia ſit, ſuper obtinendo territorrio ſeparato in illo loco, qui apertè conſtat ſitum eſſe in aliqua Diœceſi, hujuſque veris terminis & limitibus eſſe concluſſum: aut agatur de loco qui nulla via & ratione conſtat eſſe in Diœceſi incluſſus, nec illius limitibus comprehenſus. Primo enim caſu prima ſententia verior apparet: In ſecundo autem ſecunda.

7 Ut autem diſtinctio hæc, quæ ex verò Canonum ſenſu depromitur, plenè appareat, juxta primum caſum proximè poſitum, per modum concluſionis ſic ſtatuo. Prælatus Inferior nequit præſcribere exemptionem verè *nullius*, & univerſalem juriſdictionem cum territorio ſeparato, quando conſtat de territorij ſituatione in Diœceſi. Ad firmandam hanc aſſertionem ſufficit illa abſoluta prohibitio, omni jure firmata, qua limites & termini poſſeſsionum & territoriorum transferri & mutari non
8 permittuntur. Sic enim in Jure Divino poſtquam *in cap.* 14. *Deuteron.* dicitur: non aſſumes & transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in poſſeſſionem ſuam. Solemni maledictione devovetur terminorum tranſgreſſor *in cap.* 27. *ejuſd. lib.* ibi: *Maledictus, qui tranſfert terminos proximi ſui.* Sacrum, quid & Religioſum terminis ineſſe apud
9 cultiores gentes ſemper judicatum eſt, unde Græcis ea lex erat, quam refert Plato *lib.* 8. *Nemo fines atque terminos agri moveat, nec cives vicini, nec finitimi peregrini, ſi agri extrema poſſideat: ſed putet id verum eſſe, quod dici ſolet: hic immobilia movet, malitque unuſquiſque ſaxum ingens movere, quam parvum lapidem, jurejurando à Diis firmatum, quo amicitiæ & inimicitiæ terminentur.* Romanis ea fuit in terminis conſervandis antiqua Religio & obſervantia, ut à tempore Numæ Regis *liceret omnibus tanquam ſacrilegum eum occidere, qui violare jus termini auſus eſſet*, ut aſſerit P. Crinitus *lib.* 8. *honeſt. diſcipl. cap.* 10. de quo plura Gothofred. *ad leg.* 2. *ff. de term. moto.* P. Pitheus *tit.* 13. *collat. leg. Moſaic.* Turneb. *lib.* 21. *adverſ. cap.* 1. Ex quibus plura congeſsit D. Gonzalez
10 *in cap.* 3. *de probat. num.* 5. *&* 14. Quapropter ſcitiſsimè Gelaſius Papa Juſto Epiſcopo reſcribens *in cap. dilectio* 7. 16. *q.* 3. præfixos fines & terminos intemeratos ſervari opportere decrevit his verbis: *Dilectio tua ſtudeat, quæſita omnium fidelitèr rerum veritate, ut ſi de ſpatiis de quibus memoratur orta contentio, definitio dudum certa proceſſerit intemerata ſervetur.*

11 *Sed quia temeritas pervadentium,* (ut dicitur *in cap.* 5. 16. *q.* 3.) *legem ſibi poſſe putat generari, ſi ſceleri ſuo pertinaciam retentionis adjungat.* Et præſcriptionis auxiliū plures in hoc ſoleant allegare: hinc illa generalis prohibitio, de terminis non transferendis nec mutandis, ad præſcriptionem ſpecialiter & nominatim tracta eſt. Jure quidem civili *ex lege XII. Tabularum*, ut eruditè obſervat Magnus Cujac. *lib.* 10. *obſerv. cap.* 2. *& ad tit. C. fin. regund.* Ant. Auguſtin. *de ll. XII. Tabular. num.* 20. Calbanus *de uſufr. cap.* 12. Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 19. aliique quos refert D. Gonzal. *in d. cap.* 3. *num.* 6. *de probat.* Cui juri perquam maximè ſe conformavit Jus Canonicum, rejiciens omnem omninò
12 præſcriptionem etſi longiſsimi temporis, ut perſpicuè patet *in d. cap.* 5. 16. *quæſt.* 3. ibi: *Nulla igitur præſumptione ſtatum Parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari: quia nec negligentia Pontificis, nec temporalis objectio (quæ per incuriam forte generatur) neque ignavia faciente conſenſus adhibitus, nec ſub repente ſuplicatione præceptio divellere poteſt ſemel Diœceſim conſtitutam.*

Sic

Sic ergo in Concilio Hiſpalenſi II. *can.* 2. relato *in cap. inter memoratos* 5. *ead. c. & q.* ſuborta controverſia inter Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Corduben-ſem Epiſcopos ſuper quadam Parochia ita pronuntiatum eſt: *Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectores viros mittendos, ita ut Diœceſis poſsidentis (ſi tamen baſilicam veris ſignis limes præfixus monſtraverit) Eccleſiæ cujus eſt jus retentionis ſit æternum dominium.* Ac tandem cùm prohibitionem hanc aliqui forſam ad terminos Provinciarum traherent, & non ad limites Diœceſium, ex antiquo Hiſpaniæ jure, quod refertur *in cap.* 4. 16. *q.* 3. ex Concilio Toletano IV. *can.* 33. Urbanus III. illam regulam prohibitivam univerſalem declaravit, *in cap.* 4. *de Paroch.* ibi: *Super eo verò quod apud vos intelleximus dubitatum, an quod de finibus, & his quæ finibus cohærent non præſcribendis, ſtatutum per Canones eſſe dignoſcitur, ſit in Parochiarum limitibus, ſicut in provincialibus admittendum. Reſpondemus, quod benè videtur in utroque ſervandum, ſi fines legitima probatione, vel aliàs indubitata fide conſtitit Eccleſiaſtica ordinatione ſtatutos.*

13 En Juris appertas deciſiones in confirmationem noſtræ aſſertionis, quibus cùm moveretur Hoſtienſis ad ſuæ ſententiæ defenſionem & excludendam in propoſito omnem præſcriptionem, non poteſt non videri permirum, quod plures AA. in eum velut errantem acritèr invehantur: præcipuè ſi notamus antiquos relatos Canones, omnem præſcriptionem & conſuetudinem rejicientes, procedere etiam in caſu quo controverſia ſuper territorio vertitur inter duos Epiſcopos; in quibus ſanè terminis minor eſt juris reſiſtentia, quàm ubi res agitur inter Epiſcopum & Prælatum Inferiorem, ex traditis à Cardin. de Luca *de juriſdict. diſc.* 1. *numer.* 14.

14 Sed & ſunt urgentiſsimæ rationes quæ hoc ipſum convincunt. Prima; nam præſcriptio omnis bono publico in id introducta eſt, ut rerum dominia certa eſſent, & hinc finis imponeretur litibus *leg.* 1. *ff. de uſucap. leg. ult. ff. pro ſuo.* In præſenti autem ſi præſcriptio admit-
15 teretur, ipſa contra ſuum finem operaretur; quippè, mutatis per præſcriptionem terminis ac limitibus, territoria confunderentur, & hinc implacabiles excitarentur diſcordiæ, ut conſiderat Trobat. *de effectib. immemor. tit.* 1. *q.* 7.
16 Secunda; nam Epiſcopatus eſt unum corpus, quod unum tantùm Caput debet habere, ne aliàs monſtrum inducatur *cap. quoniam de offic. Ordin.* Si autem ubi conſtat de ſituatione loci in Diœceſi, & de ejus limitibus præſcriptio admitteretur, hoc ſanè monſtrum & inconveniens contingeret, & magna exindè confuſio & turbatio Eccleſiaſticæ diſci-
17 plinæ; nam tunc verificaretur, quod ſubditi proprio & indubitato Epiſcopo obedientiam præſcriberent, quod manifeſtè rationi opponitur, *cùm non liceat à capite membra recedere, cap. cùm non liceat de præſcript.*

18 Hæc efficiunt, ut quæcumque in hoc allegetur conſuetudo etiam immemorabilis *nullius* ſit momenti, nec attendatur, utpotè irrationabilis & omni jure improbata; quæ proinde non tàm conſuetudo, quàm corruptela debet appellari *ex cap. mala. 8. diſt. cap. fin.* & ibi communitèr Canoniſtæ *de conſuetud.* Et in noſtris terminis expreſsè hanc conſuetudinem *peſsimam* dicit *text. in d. cap. licèt in regulis* 16. *q.* 3. ibi: *Licèt in regulis contineatur antiquis, Parochias, unicuique Eccleſiæ priſtina diſpoſitione deputatas nulla poſſe ratione convelli, ne per conſuetudinem peſsimam, exempli mali temeritate creſcente univerſalis confuſio naſceretur; tamen etiam decretis noſtris ante non multum temporis deſtinatis,*

omnia juſtmus, quæ taliter fuerant invaſa, reſtitui. Et firmant hoc ipſum Fermoſin. *in cap. ſi diligenti de for. comp. q. 6. num. 7. & in cap. cùm non liceat de præſcript. q. 9. num. 55.* Cardin. Alvitius *de juriſdict. diſcept. 2. quæſt. 6. num. 2.* Chokier *de juriſdict. in exempt. part. 5. quæſt. 47. num. 1.*

19 Verùm ſupradictis quis opponet illud generale axioma, quo frequenter virtus præſcriptionis ſolet extolli; quod nimirùm omne id præſcriptione poteſt acquiri, quod privilegio poteſt concedi *text. in cap. duo ſimul de offic. Ordin. cap. ſuper quibuſdam §. præterea de verb. ſignif.* quod pro regula tradunt Felin. *in cap. ſi diligenti de præſcript.* Gabriel *commun. concluſ. tit. de præſcript. concluſ. 1.* Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap. 30. numer. 212.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg. 72. num. 186.* Roſa *de reſident. Epiſcop. cap. 4. ſect. 6. numer. 416.* Cùm autem ſit innegabile territorium ſeparatum, mutatis limitibus nativæ Diœceſis, poſſe privilegio Apoſtolico concedi, juxta dicta *in cap. anteced.* hinc & præſcriptione, præcipuè immemorabili induci poſſe videtur.

20 Sed reſpondendum eſt prædictum axioma non abſolutè, & prout ſonat eſſe accipiendum, ſed cum limitatione, ut nimirùm tunc procedat, cùm ſubjecta materia patitur præſcriptionem; aliàs enim ſi jus præſcriptionem, ut in præſenti, excludit, licèt longiſsimi temporis ſpatia intercedant, jus illæſum præſervatur, ut *in dicto cap. 5. 16. quæſt. 3.* ac proinde præfatum axioma quamplures patitur exceptiones, ut oſtendunt Canoniſtæ *ad cap. quanto de conſuet.* & ibi Abbas *num. 2.* ubi excipit poteſtatem ordinis his verbis: *Nota unam regulam mente tenendam,*

21 *quod ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis non poſſunt acquiri per inferiorem ex conſuetudine quantumcumque vetuſtiſsima: Nam poſſeſsio temporis, cuius initij non ſtat memoria, habet vim tituli quando datur capacitas in exercente, aliàs non.*

22 Nunc verò tranſitum facimus ad ſecundum caſum ſupra poſitum; cùm nimirùm non conſtat locum controverſum ſituatum eſſe in Diœceſi, nec illius finibus incluſſum, & tunc verius iudico immemorabilem locum habere; quia tunc ceſſant rationes & inconvenientia proximè ponderata. Sed

23 adhuc in hoc caſu dicendum eſt immemorabilem per ſe non inducere terrritorij ſeparationem nec diſmembrationem, quę privativè ſpectat ad Summum Pontificem, ut tenet Lother. *de re benef. lib. 1. quæſt. 23. num. 36. & quæſt. 24. num. 156. cum ſeqq. & n. 175.* Trobat. *de effectib. immem. tit. 1. q. 7. n. 11.* quo in ſenſu dixit Cardinalis de Luca *in cit. diſc. 97. num. 9. de juriſdict.* quod nullus Canon, nullumque conciliare decretum diſponit, quod immemorabilis apta ſit inducere territorium ſeparatum: itaque immemorabilis in præſenti non admittitur ut præſcriptio, ſed ut probatio, ſive ut privilegium præſumptum; quatenus nimirùm ipſa præſtat facultatem allegandi titulum diſmembrationis & conceſsionis Pontificiæ, & quemcumque alium meliorem de mundo, ut ad propoſitum docent Pignatell. *Tomo 2. conſ. 26.* Carol. Anton. de Luca *ad* Gratian. *dict. cap. 212. num. 3.* Roſa *de reſident. Epiſcop. licèt cap. 4. ſect. 6. ex n. 495. & ſignanter num. 497.* Cardin. de Luca *de juriſdict. diſc. 9. num. 5. & in Miſcell. Eccleſ. diſc. 1. num. 92.* Rota *deciſ. 304. num. 7. part. 11. deciſ. 334. num. 16. & ſeqq. part. 13. recent. & in Gerundenſ. Iuriſdictionis ſuper bono Iure 5. Martij 1692. §. abſque eo cor. Molin.* Sicque immemorabilis involvit, ac vi ipſa præſupponit privilegium Apoſtolicum, ut fatetur Cardinal. de Luca *dict. diſc. 97. num. 9. & 10.* ut hinc pateat,

pateat, præſcriptionem ut talem in præſenti non admitti & totam hanc materiam territorij ſeparati ex privilegio Apoſtolico pendere; & exinde ſi ſtrictè loquendum eſſet, exemptio omnimoda & juriſdictio verè *nullius* præſcriptiva nulla eſſet, ſed tantùm dativa.

24 Hic tamen notandum eſt, quod licèt immemorabilis admittatur, ut privilegium præſumptum, ſeu interpretativum; tamen cùm fictio longè diſtet à veritate, hinc nec ipſa eſt verum privilegium, ut notat Socin. *conſ.* 260. *num.* 22. *lib.* 2. nec ejuſdem eſt efficaciæ, unde non ſtatim, ut privilegium, Epiſcopum excludit. Cùm enim omnis locus, ut ſæpè diximus, in aliqua Diœceſi conſtitutus, illiuſque finibus incluſſus præſumatur, hinc Epiſcopi intentionem habent fundatam & juris aſsiſtentia munitam: & cùm Prælatus Inferior controvertit cum Epiſcopo, non aliter hanc juris aſsiſtentiam & præſumptionem removere poteſt, quàm ſi plenè & clarè probet qualitatem territorij ſeparati, quæ nunquam præſumitur. Hujuſmodi autem clara & plena probatio tunc adeſt vel cùm clarum & expreſſum privilegium exhibetur ad terminos *cap. præced.* vel cùm immemorabilis canonizatur per tres conſonas ſententias, quæ id efficiunt, ut privilegium interpretativum ex immemorabili deductum conſcendat ad virtutem veri privilegij; ſed interim dùm immemorabilis ita canonizatur, fundata adhuc remanet intentio & jus Epiſcopi concertantis, ut eſt textus expreſſus *in cap. cùm perſonæ de privil. in* 6. ibi: *Cùm de jure communi Ordinariorum intentio ſit fundata ſua juriſdictione uti poſsint liberè in eoſdem donec de præſcriptione Canonica, ut præmiſſum eſt fecerint plenam fidem.* Et conſonat *text. in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. juncta ibi Gloſſa. Plena autem fides haberi nequit, niſi adhibita legitimi Judicis declaratione, & prolatis illis ſententiis, quas ad cujuſque rei plenam probationem jus exigit; & hæ ſunt tres ſententiæ conformes, de quibus in *Clem.* 1. *de ſent. & re jud.*

25 Quod quidem ſæpiſsimè declaravit Sacra Congregatio Concilij, ut videri poteſt apud D. Salgado *de ſupplicat. ad ſantiſ. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 28. & 45. Fagnan. *in cap. cùm olim de præſcr. à num.* 37. Pignatell. *d. conſ.* 26. *num.* 18. & ſenſum S. Congregationis ſequendo frequentiſsimè declaravit Sacra Rota, ut *in deciſ.* 304. *num.* 15. *part.* 11. & *deciſ.* 21. *num.* 11. *part.* 10. & *in deciſ.* 335. *num.* 22. *part.* 13. *recent.* nec in aliis referendis immorabimur, cùm hanc eſſe S. Congregationis, & Rotæ indubitatam ſententiam teſtetur de Luca *de juriſd. diſc.* 20. & *diſc.* 1. *de præem. num.* 13. & *diſc.* 19. *num.* 5. & *in anotat. ad Concil. diſc.* 33. *num.* 40. ac tandem pro hoc ipſo videri poſſunt Carol. Ant. de Luca *ad Gratian. cap.* 441. *num.* 13. Antonell. *de tempor. leg. lib.* 2. *cap.* 105. *num.* 16. & 19. Van-Eſpen *in jus Eccleſ. univ. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 5. *num.* 23. Jul. Capon. *tom.* 1. *diſcept.* 46. *num.* 6. Roſa *de reſid. Epiſcop. cap.* 4. *ſect.* 6. *à num.* 530.

26 Inficiari verò non poteſt, difficillimam eſſe in hac materia verificationem immemorabilis cum omnibus ſuis requiſitis, quæ ſanè multa ſunt, & exquiſita; unde frequenter evenit Prælatos Inferiores, qui eam allegarunt, ut præſumpto immemorabilis titulo defectum expreſsi privilegij territorij ſeparati ſupplerent, cauſam ex defectu probationis amiſsiſſe. Hoc pluribus poterat demonſtrari exemplis, ſed ſufficit illud Toletanæ cauſæ, de qua agimus; in eo enim habemus, prout conſtat *ex diſc.* 1. *de juriſd.* Cardin. de Luca, & *ex citat. deciſ.* 70. quod cùm D. Mag. Prior, & ejus Agentes privilegio expreſſo territorij ſeparati eſſent deſtituti, immemorabilem præſcriptionem allegarunt in

cujus

cujus probatione valde adlaborarunt, quouſque tandem, negotij ſuſcepti difficultate oppreſsi, faciliorem quadragenariæ præſcriptionis viam ſuſceperunt.

27 His traditis circa vim & efficaciam præſcriptionis immemorabilis, ſuperfluum eſſet ſeparatim & ex profeſſo agere de preſcriptione centenaria, circa quam quæ dicta manent poſſunt aplicari, cùm & ipſa jus tribuat allegandi quemcumque meliorem titulum de mundo, abſque neceſsitate illum juſtificandi *ex deductis* per Gabr. *de præſcript. dicta concluſ. 1. num. 7.* Menoch. *conſ. 1023. num. 3. & 4.* & latè Anteceſſor noſter D. Joannes del Caſtillo, *lib. 5. controv. cap. 93. §. 8. num. 27. ad fin. cum ſeqq.* Cardin. de Luca *diſc. 2. num. 8. & diſc. 3. num. 14. de alienationib.* Itaque in hac materia, centenaria ſicut immemorabilis effectum, de quo quærimus ſortietur, licèt non in vim præſcriptionis, tamen in vim privilegij preſumpti ſeu interpretativi; niſi fortè conſtet certitudinaliter de contrario initio vitioſo, ad quod præcisè imprudens Poſſeſſor ſe reſtrinxerit, tanquam ad titulum meliorem, ut advertit cit. de Luca *dict. diſc. 3. numer. 8.* & ſpecialitèr de hac materia dilucidè & copiosè pertractans videri poteſt *in diſc. 97. de juriſdict.*

28 Succedit nunc ut videamus, de præſcriptione quadragenaria, quæ ut brevior frequentiſsimè ſolet adduci in his controverſiis, vel ad vindicandam univerſalem juriſdictionem cum territorio ſeparato; vel ad probandam præcriptionem aliquorum actuum, ut ſanè accidit in noſtra Toletana controverſia, juxta ea, que dicentur *infra in cap. 9.* Quapropter juſto ordine, prius examinandum eſt, an tota juriſdictio Epiſcopalis non diſtributivè, ſed indefinitè, & univerſalitèr ſumpta, cum vero & materiali ſeparato territorio, poſsit à Prælato Inferiori acquiri per præſcriptionem quadragenariam? Difficilis ſanè eſt hæc quæſtio, nec ſatis adhuc in Tribunalibus firma circa eam reſolutio, quare eam ex profeſſo examinabimus. Et quidem ſufficere quadragenariam

29 præſcriptionem præcipuè cum titulo colorato ad hunc effectum, evinci videtur ex pluribus Juribus & rationibus: nam quoad jura, quadragenariæ efficaciam oſtendit *text. in cap. ad aures 6. de præſcript.* ubi dicitur in definitè per eam tolli *omnem actionem*, & ſi agatur in materia ſpirituali decimarum inter Parochum & Parochum. *In capit. de quarta eodem titul.* aſſerit Pontifex hac eadem præſcriptione acquiri à ſimplici Parocho contra proprium Epiſcopum quartam decimarum, & oblationum defunctorum. Innocentius III. *in cap. cùm olim 18. eod. tit.* expræſsè fatetur, per Abbatem Regularem præſcribi jus Epiſcopale in plebe ſubdita Abbati, & adiacentibus illius Capellis in graviſsimis materiis, concernentibus inſtitutiones, & deſtitutiones Plebanorum ſeu Parochorum, & Clericorum, in baptiſmis, pœnitentiis, ſepultura. Cui jungenda eſt famigerata ſanctio Alexandri III. *in ſæpius cit. cap. auditis eod. titul.* cum doctrina Canoniſtarum ibidem tradita.

30 Deinde hoc utuntur argumento; quod quadragenaria, cui aſsiſtit titulus, & bona fides, æquiparatur immemorabili, & ejuſdem virtutis ac efficaciæ cum ea conſideratur. Igitur cùm in præcedentibus immemorabilem ſufficere dixerimus, ad præſcribendum totam juriſdictionem Epiſcopi cum territorio ſeparato, ac qualitate *nullius*; pariter hanc virtutem, & efficaciam quadragenariæ, denegare non debemus. Aſſumptum argumenti firmat Bonifacius VIII. *in cap. 1. de præſcript. in 6.* ubi comparans præſcriptionem quadragenariam cum immemorabili,

ſic

ſic poſitivè concludit : *Vbi tamen eſt jus commune contrarium vel habetur præſumptio contra ipſum, bona fides non ſufficit, ſed neceſſarius eſt titulus, qui poſſeſſori cauſam tribuat præſcribendi, niſi tanti temporis allegetur præſcriptio, cujus contrarij memoria non exiſtat.* Ibique Gloſſa; cujus doctrinam in terminis & caſibus difficilimis amplexantur plures, & poſito exemplo in dominio Maris variarum Nationum Solorz. *de jur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 72. Petr. Barboſa *in leg. competit num.* 59. *& ſeqq. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* Decian. *lib.* 1. *conſil.* 24. *num* 119. Addentes ad Gomez *variar. reſolut. cap.* 15. *ſub num.* 25. *§. de præſcript. juriſdict.* Maſcard. *de probat. concl.* 214. *num.* 6. *&* 7. Larrea *alleg. Fiſcal.* 68. *numer.* 1. Fragoſ. *de regim. Eccleſ. Chriſtian. part.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 70. *num.* 60. *circ. fin.* Gamma *deciſ. Luſit.* 82. *num.* 9. *&* 10. poſt eos D. Gonzal. *in cap. de quarta num.* 6. *verſ. cæterum de præſcript.* Rota *deciſ.* 91. *num.* 1. *in fin. part.* 1. *deciſ.* 1. *num.* 17. *part.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 108. *num.* 9. *part.* 17. *recent.* Et in durioribus, loquentes nempè de præſcriptione juris cognoſcendi cauſas criminales, Spada *conſil.* 193. *num.* 3. *& ſeqq. lib.* 2. adducens privilegia exemptiva pro titulo colorato efformando Rota *deciſ.* 21. *num.* 1. *&* 2. *part.* 14. *recent.* & clarè Card. de Luca *de juriſd. diſcurſ.* 21. *num.* 42. ubi adjecta dictione *penè* parificat præſcriptionem 40. *annorum* cum titulo colorato præſcriptioni centenariæ, & immemorabili; & ad hanc rem mirabilis videtur. *text. in cap. cùm perſonæ de privil. in* 6. ibi : *Etſi privilegium exhibitum non ad plenum per ſe ſufficiat ad exemptionem, ſeu libertatem hujuſmodi comprobandam, ſed tale eſt, quod ſaltem cauſam præbeat præſcribendi, coram perſonis prædictis annorum XL. præſcriptionem teneantur probare, &c.* qua deciſione mota Rota *deciſ.* 243. *num.* 13. *part.* 2. *recent.* quam refert Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 127. *num.* 3. *in fin.* eamdem æquiparationem quadragenariæ cum immemorabili, & centenaria admiſit ad effectum, præſcribendæ juriſdictionis criminalis. Et tandem, quod ad præſcribendum ſtatum *nullius* cum omnimoda juriſdictione ſufficiat quadragenaria cum titulo, ſentire videntur Tondut. *quæſt. benefic. cap.* 60. *num.* 10. *part.* 1. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 9. *num.* 9. Roſa *de reſident. Epiſcop. cap.* 4. *ſect.* 6. *num.* 453. *& ſeqq.* Rota *deciſ.* 335. *num.* 24. *part.* 13. *rec. & in Marſicenſ. ſeu nullius Iuriſdictionis ſuper bono Iure* 7. *Iunij* 1700. *§. quia imò cor. Muto.*

31 His tamen licèt validis fundamentis non refragantibus, contraria mihi ſententia videtur de jure verior; quod nimirùm quadragenaria præſcriptio etiam cum titulo colorato non ſufficiat ad acquirendum totum materiale territorium cum Clero & populo, & cum totali juriſdictione univerſalitèr, & indefinitè ſumpta, excluſſo in totum Epiſcopo, his rationibus. Prima; nam ideo ad præſcriptionem territorij ſepa-
32 rati, & veri ſtatus *nullius* immemorabilis ſufficit, quia in hac materia, quæ dependet præcisè a voluntate & privilegio Papæ, ipſa dicitur privilegium putativum; quatenus, ut vidimus, præſtat facultatem illud allegandi, & generaliter meliorem titulum de mundo : ſed quadragenaria cum titulo colorato non præſtat hanc facultatem allegandi Pontificium privilegium, nec generaliter meliorem de mundo. Conſequenter igitur ad propoſitum non ſufficiet. Hujus argumenti aſſumptum confirmant, qui hanc inter immemorabilem, & aliam quamcumque præſcriptionem inferiorem, tradunt differentiam, ut ſunt D. Caſtillo *lib.* 5. *controv. cap.* 93. *§.* 8. *ſub num.* 31. *& lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 69. *in fin.* Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 3. *cap.* 42. *num.* 21. *& ſeqq.* Rocc. *diſput.*

Iur.

Iur. ſelect. lib. 1. *cap.* 7. *num.* 15. *& ſeq.* Avendan. *de cenſib. cap.* 8. *numer.* 18. Trobat. *de effect. immemorab. quæſt.* 13. *num.* 56. Pech. *de aquæduct. tom.* 1. *cap.* 2. *q.* 3. *num.* 42. Adden. ad Molin. *de Primogen. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 10. Lother. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 7. *num.* 59. Cardin. de Luca *de alienat. diſc.* 3. *numer.* 12. Fontanella *deciſ.* 586. *num.* 18. Rota *deciſ.* 10. *num.* 16. *cor. Zarat.* & in præciſis terminis Fajard. *alleg. Fiſcal. par.* 2. *alleg.* 33. *num.* 1768.

33 Secunda ratio, qua movemur ea eſt; nam pro inducenda præſcriptione illud debemus inquirere, uti fundamentum, an nimirùm adſit poſſeſsio, ſeu quaſi illius rei, vel juris, de cujus acquiſitione agitur per *text. in cap. ſine poſſeſsione* 3. *de reg. jur. in* 6. *& text. in leg. ſine poſſeſsione* 25. *de uſucap.* unde dicitur veluti per adagium *tantùm præſcriptum quantùm poſſeſſum*; cùm autem jus univerſale differenter ab illis octo, vel novem actibus, disjunctivè, & par-
34 ticulariter recenſitis *in d. cap. auditis*, & penes *AA.* non poſsit poſsideri, ſeu quaſi per tempus præciſum etiam centenarium; profectò nequit idem jus univerſale, tanquam quid potiùs conceptibile, quam poſſedibile cadere ſub præſcriptione, ad hoc vel illud tempus limitata, *arg.* ſingularis ad rem *text. in leg. rerum mixtura* 30. *§. ult. de uſucap.* ibi: *Non idem tamen univerſi gregis ulla eſt uſucapio, ſed ſingulorum animalium ſicuti poſſeſsio, & ita uſucapio*; juncto pro ejus intellectu D. Barthol. de Henao *in ſuis Otiis Salmanticenſ. ot.* 4. *num.* 5. & generaliter doctrina Bald. *in rubr. de præſcript. in* 6. *col. fin. verſ. item ſcias.* Quare licèt, ut vidimus, omnis juriſdictio Epiſcopalis diſtributivè ſumpta poſsit quadragenaria præſcribi, univerſaliter tamen & indefinitè concepta quadragenariam effugit, & immemorabilem in vim tituli requirit.

35 Hinc etiam alia promovetur urgens conſideratio; quòd ut maximè in his controverſiis ex parte Prælatorum Inferiorum copioſa ſeries actuum ab ipſis geſtorum oſtendatur, difficile, aut potiùs impoſsibile eſt, ut demonſtretur, quod ipſi Prælati exercuerint omnes & quoſcumque actus, qui venire poſſunt, & comprehenduntur ſub plenaria & omnimoda juriſdictione Epiſcopali, & de quibus Sacri Canones, œcumenica Concilia, & Doctores circa officium, & poteſtatem Epiſcopi per voluminoſos uſque diſquirunt tractatus, ac propterea quælibet ſemper præſcriptio, aliàs neceſſaria ad formam *d. text. in cap. auditis*, ac aliorum abſque adjutorio immemorabilis, vel privilegij expreſsi non poteſt, niſi, ut ita dicamus, particularizare; ac per conſequens ſi aliquid remanet non quaſi poſſeſſum, vel non exercitum, perſeverat ſub illa linea univerſalitatis; non cadente in his terminis extenſiva propagatione de actu ad actum, de ſpecie ad ſpeciem; unde etiam ſi Epiſcopus ex parte ſua nihil probet, adhuc ſi conſtat de ſituatione loci controverſi in ſua Diœceſi, quia ratione ſituationis habet juris aſsiſtentiam ſuper eadem univerſalitate pro ſe, debet interim manuteneri, ex repetitis S. Congreg. Concilij declarationibus, de quibus Cardin. de Luca *de juriſd. d. diſc.* 1. *num.* 15. *& diſc.* 9. *num.* 3. Poſt. *de manut. obſerv.* 85. *num.* 30. Carol. Anton. de Luca *in meliorat. ad Marin. variar. reſolut. tom.* 1. *reſolut.* 1. *ſub num.* 10. *verſ. aut Abbas in fin.* Rota *deciſ.* 860. *utrobique num.* 5. *cor. Coccin. deciſ.* 566. *num.* 6. *cor. Dunozzet. Iun. deciſ.* 304. *num.* 17. *part.* 11. *deciſ.* 334. *num.* 22. *part.* 13. *recent. in Tarraconenſ. Iuriſd.* 10. *Maij* 1700. *§. concurrente cor. Olmo, & in Firmana Iuriſd. ſuper reſervatis* 15. *Aprilis* 1701. *§. & licèt cor. Molines.*

Deinde

36 Deindè ad comprobandam hanc ſententiam profero ſingularem & ad rem ignotum textum *in cap. ſicut Diœceſim* 16. *q.* 2. ubi ex *canon.* 34. Concilij Toletani IV. ita habetur: *Sicut Diœceſim tricennalis poſſeſsio tollit; ita territorij conventum non adimit; ideoque Baſilicæ, quæ de novo conditæ fuerint, ad eum Epiſcopum pertinebunt, cujus conventus eſſe conſtiterit.* Cùm enim Diœceſis in hoc Canone accipiatur pro Eccleſia ſeu Parœcia, de qua etiam ſignificatione diximus ſupra *in cap.* 2. *num.* 4. & territorij conventus idem ſignificet ac poteſtas & juriſdictio univerſalis, quam in univerſum Epiſcopatum obtinet Epiſcopus, ut notat Florens *ad d. q.* 5. *cap.* 16. *de ſtat. Monach.* hinc ſententia hujus capitis ea eſt, ut quamvis vicinus Epiſcopus in vicini alterius Epiſcopatus Villa & poſſeſsione aliquam Eccleſiam vel Parœciam tricennali præſcriptione (in cujus locum ſubrogata poſteà fuit quadragenaria, idem Florens *in cap. auditis de præſcript. cap.* 3.) ſibi acquiſierit legitimè; juriſdictionem Diœceſani in ea non præſcribet: ideſt præſcribet quoad proprietatem, non quoad jus territorij, ut cùm Cujac. *in lib.* 2. *obſerv. cap.* 10. notat idem Florens *in d. cap.* 3.

37 Nec jam obſtant, quæ pro contraria ſententia adduximus, ſiquidem quoad Decretales ſupra expenſas in *d. cap. ad aures, & cap. de quarta de præſcript.* facilis eſt reſponſio, dùm quiſque clarè percipit, in eis propoſitam non exagitari quæſtionem, ſed ſolùm agi de juribus particularibus ad Parochum, vel Epiſcopum pertinentibus, quod omninò differt à terminis noſtræ quæſtionis. Nec magis obſtat

38 *d. cap. auditis eod. tit.* qui textus etſi amplior ſit, & capitalis contrariæ ſententiæ, octo ſolùm enumerat actus particulares Juriſdictionis Epiſcopalis, qui quadragenaria poſsint præſcribi, & Doctores magis ampliantes ſe extendunt ad novem, ut conſtat apud ferè omnes Canoniſtas *in cap. cùm olim eod. tit. de præſcript.* ubi ſignanter Hoſtienſ. *ſub num.* 2. Joan. Andr. *ſub num.* 4. Butr. *num.* 10. Abb. *num.* 5. Proſper. Fagn. *num.* 11. Balb. *eod. tract.* 5. *part. principalis q.* 11. *num.* 9. Nec obſtat quod Abbas in eo textu *num.* 7. caſum ita depingat, ut dicat in eo agi de præſcribenda à Prælato Inferiori parte Diœceſis excluſſo in totum Epiſcopo; nam hoc debet intelligi, ut prætenderetur præſcripta non certa pars Diœceſis abſtractivè & ſtrictè ſumpta illa voce *Diœceſis*, ſed latè accepta pro parte territorij, ad Prælatum Inferiorem ſpectantis: quod ſanè ita eſſe depromitur ex ipſo textu, dùm ibi proponitur, quod Abbas in Valle de Heveſcam, quæ, ut conjicitur ex textu, ex Regum donationibus in temporalibus ad Abbatem pertinebat, prætendebat exemptas ab eo Epiſcopo Eccleſias ex privilegio Cæleſtini, & ſub alternatione ex præſcriptione: itaque Abbas non prætendebat exemptum totum territorium præfatæ Vallis, quod ipſe in temporalibus tenebat, ſed partem ſui territorij, ut erant Eccleſiæ. Et juxta hæc rectè ſummavit *in cit. cap.* Gloſſa Magna ita: *Prælatus Inferior poteſt præſcribere in certis Eccleſiis ſuæ Diœceſis totum jus Epiſcopale.* Et hoc modo loquendi utuntur ibidem omnes antiqui Repetentes.

39 Nec mirandum, quod tàm Gloſſa Magna, quàm Abbas & reliqui Canoniſtæ uſurpent vocabulum Diœceſis vice Ditionis, aut Territorij relativè ad Prælatum Inferiorem; quia iſtud vocabulum in genere indifferēs eſt ad ſignificandum territorium ſeu locum, ubi quis aliqua etiam ſubalternante Eccleſiaſtica juriſdictione fruatur, ut tradunt Abbas *in cap. veniens num.* 2. *de præſcript.* Felin. *in cap. Rodulphus num.* 19. *eod. tit.* Alberic. *in diction. Iur. Civil.*

&

& Canon. verb. Diœceſis. Lavor. *Lucubrat. var. tit.* 1. *cap.* 8. *num.* 11. Rota *in d. Fuldenſi* 1. *Iunij* 1708. §. *neque mirandum.* Et ipſa Parochia, quæ citra juriſdictionem Epiſcopalem ſtat ſub ſimplici Rectore, ſeu Sacerdote, ideo nuncupatur Parochia, quia impropriè dicitur ejuſdem Sacerdotis parva Diœceſis ex connotatis per Vivian. *de jure patron. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. *& ſeqq.* Rota *deciſ.* 78. *num.* 26. *cor. Anſaldo, & in Pampilonenſi juris ſedendi* 28. *Ianuarij* 1707. §. *nuſquam tamen cor. eod.*

40 Juxta hanc doctrinam procedit & intelligitur alia Calderini inſignis Canoniſtæ in celebri *Conſilio* 2. *poſt tit. de præſcript.* ubi complexivè ad omnia ſupradicta ponit quæſtionem ſic incipiendo : *An Archipresbyter cum Capitulo Eccleſiæ Cathedralis poſsit præſcribere cum aliquo colorato titulo omnia jura Epiſcopalia, & Iuriſdictionem Epiſcopalem in aliquibus ſuis Eccleſiis, Monaſteriis, & Prælatis, Rectoribus, Clericis, & quibuſcumque perſonis : Dico quod ſic exceptis quibuſdam &c.* & ut elici valet ex verbis mox tranſcriptis, & *ex toto conſilio* excipit quidem plures caſus ; unde illam generalem propoſitionem, quam ipſe affirmavit in verbo *omnia*, illam aut *diſtributivè* (ita ferente ipſius verbi natura) accepit ; aut *totalitèr* in aliquibus tantummodò locis, & certis Villis & Eccleſiis, ad normam ſupradictæ Gloſſæ Magnæ *in d. cap. auditis*, & conſonant Abbas, & Hoſtienſis *in d. cap. cùm olim de præſcript.* cum aliis.

41 Nec pariter ſententiæ noſtræ officit illud argumentum pro æquali virtute & efficacia quadragenariæ & immemorabilis ; nam *text. in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. pro hoc expenſus propoſito noſtro adaptari nequit, dùm loquitur extra caſum, quo requiratur, prout hic, privilegium Apoſtolicum diſmembrativum, & conceſsivum juriſdictionis ; tractaturque in eo de eo, qui conquerebatur, alium Epiſcopum prætendiſſe decimas in alieno territorio præſcripſiſſe ; & quia hoc erat contra jus, requiſivit inibi Bonifacius VIII. quod vel adeſſet de medio immemorabilis, vel titulus cum minori præſcriptione. Nec magis urget *text. in cap. cùm*
42 *perſonæ de privil. in* 6. nam præterquam quod illius deciſio limites non excedit meræ exemptionis, abſque ullo tranſgreſſu ad activam juriſdictionem in populum, & Clerum : ulteriùs ſupponit ſemper ſuperioritatem præexiſtentis Ordinarij, & denique loquitur de caſibus particularibus correctionum, & declinationis à foro ; unde mirum non eſt, ſi in his terminis & ad hunc effectum admittit ſuffragari poſſeſsionem quadragenariam cum titulo taliter colorato, ut inducere potuerit juſtam cauſam præſcribendi.

43 Quoad Auctores verò inficiari non poteſt, illos quandoque quadragenariam cum immemorabili quoad aliquos effectus exequari, ſed quod abſtractivè & quoad omnes effectus quadragenaria cum titulo immemorabili in rei veritate æquipolleat, non ita apud eos invenitur ſcriptum, nam Cardin. de Luca *de Iudic. diſc.* 21. *ſub num.* 42. modificativam illam dictionem prudenter adhibet, ſcilicèt *penè*, & non in omnibus hujuſmodi æquiparationem procedere animadvertit Trobat. *de effect. immemor. q.* 14. *art.* 2. *num.* 17. *verſ. non in omnibus.* Alij verò Doctores, ſi attentè inſpiciantur, deteguntur, vel prolapſi in errorem, dùm hanc parificationem ſtatuere conantur in terminis cauſarum matrimoliarium, & criminalium contra ſententiam Sacræ Congreg. Concilij *in una Theatina Iuriſdictionis de Athiſſa*, & Sac. Rotæ in eadem cauſa *deciſ.* 860. *& deciſ.* 872. *cor. Coccin.* quo in numero ponendi ſunt Spada & Tondutus ; vel invenietur, eos generaliter

loqui

loqui de regula, quod acquiri valeat mediante præſcriptione, quidquid acquiri poteſt mediante privilegio, & tunc perneceſſe intelligi debent de præſcriptione immemorabili; quia illa ſola, & vix centenaria in vim ſolius præſumptionis perhibet facultatem allegandi privilegium, & quemlibet alium titulum; tandemque, ut concludamus, hanc inter immemorabilem, & quadragenariam diſparitatem agnovit Rota
44 in fortioribus *in d. deciſ.* 872. ibi: *Licèt alleget Præpoſitus dicendo, quod centenaria cum titulo habeat vim immemorabilis, tamen ommiſſo, quod Rota non ſequitur iſtam opinionem, ſed vult, quod de memoria, & initio in contrarium non conſtet, juxta Gloſſ. in cap. 1. in verb. memoria de præſcript. in 6. &c.* Et eamdem ſententiam tenet Carol. Ant. de Luca *ad Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 212. *num.* 13. Pignatell. *d. conſ.* 26. *num.* 18. Cardin. de Luca *in annot. ad Concil. Trident. diſc.* 33. *num.* 40. Rota *in noſtra cauſa in deciſ.* 335. *num.* 18. *part.* 13. *& deciſ.* 10. *num.* 11. *& deciſ.* 21. *num.* 8. *cor. Zarate deciſ.* 395. *num.* 1. *cor. Emerix Iun. deciſ.* 153. *num.* 6. *part.* 11. *deciſ.* 511. *num.* 5. *part.* 19. *recent. & in Leodienſ. Iuriſd.* 11. *Aprilis* 1698. §. *hinc non obſtat cor. Molines, &* 15. *Martij* 1700. *cor. Scoto.*

45 Ex dictis ſatis patet, quod cùm agitur de præſcribenda juriſdictione Epiſcopali diſtributivè ſumpta in ſuis actibus particularibus, rectè procedet præſcriptio quadragenaria, ut ex expreſsis deciſionibus *in d. cap. auditis, & cap. cùm olim de præſcript. cum concordantibus* tenent Innocent. *in d. cap. cùm olim num.* 2. Hoſtienſ. *in cap. dilecto num.* 24. *de offic. Archid.* Abbas *in d. cap. auditis num.* 6. *verſ. fin.* D. Gonzal. *ibidem num.* 6. *& in cap. de quarta num.* 3. *eod. titul.* D. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 10. Flores de Mena *pract. lib.* 3. *q.* 24. Boer. *deciſ.* 133. Legofre *in ſynopſi Decretal. fol.* 176 Barboſa *de poteſtat. Epiſcopi alleg.* 127. Fagnan. *in cap. cùm olim num.* 10. *de præſcript. & in cap. cum Eccleſia num.* 32. *& ſeq. de cauſ. poſſeſſ.* Cardin. de Luca *in diſc.* 1. *num.* 24. & paſsim *in toto tract. de juriſd.* noviſsimè Card. Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom.* 2. *in d. conſtit.* 6. *Alexandri III. ſect.* 1. *num.* 59. Rota *deciſ.* 324. *num.* 12. *deciſ.* 394. *num.* 2. *part.* 1. *recent. deciſ.* 243. *num.* 9. *part.* 2. *cor. Dunoz. Iun. deciſ.* 988. *numer.* 2. *& deciſ.* 21. *num.* 13. *part.* 14. Exceptis tamen aliquibus caſibus, in quibus jus
46 expreſsè præſcriptionem rejicit; ut in caſu cauſarum matrimonialium & criminalium Epiſcopis reſervatarum per Concilium Tridentinum *in cap.* 20. *ſeſſ.* 24. *de reform.* & facultatis approbandi Confeſſarios *in cap.* 15. *ſeſſ.* 23. *de refor.* Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *inſpect.* 10. *q.* 8. *num.* 746. Rota *deciſ.* 655. *num.* 3. *part.* 3. *rec. & dec.* 197. *poſt Poſth. de manut.*

47 Sed in caſibus, in quibus admittitur quadragenaria præſcriptio, magna olim extitit diſſenſio inter antiquos Canoniſtas in ordine ad qualitatem ſeu titulum, quo talis præſcripta juriſdictio exercenda eſſet à Prælato Inferiori. Hoſtienſis enim & Anton. de
48 Butrio, qui, ut patet ex antedictis, ſolliciti fuerunt in hac materia, ne quid admitterent, quod unitatem Diœceſis ſcinderet, aut quod duorum Capitum monſtrum induceret, *in cap. cùm contingat num.* 17. *de for. compet.* judicarunt Prælatum Inferiorem præſcribere poſſe omnia jura Epiſcopalia diſtributivè ſumpta, mediante quodam jure Vicario, ſeu ut dicitur *ſub Epiſcopo.* Ita ut penes Epiſcopum illæſſus remaneat conceptus Diœceſani & Paſtoralis univerſalis. Quam ſententiam approbavit Abbas Panormitanus *in eod. cap. cùm contingat num.* 18. *in fin.* ibi: *Si autem vult quærere quaſi ſub Epiſcopo, ut Epiſcopus habeat univerſalem juriſdictionem ſaltem habitu, & ipſe Prælatus Inferior*

habeat quaſi ſub eo, licèt exercitio excludatur Epiſcopus, & hoc mihi placet. Itaque hoc caſu Prelatus Inferior, perſeverando in Diœceſi, præſcribet quidem juriſdictionem compatibilitèr ad Epiſcopum; vel quia præſcripta jura exerceat cumulativè cum eo, vel privativè, ſed remanente apud Epiſcopum habituali juriſdictione reſpectu eorumdem actuum. Quod ſi aliquis quærat, quem effectum
49 poſsit operari hic habitus juriſdictionis, Epiſcopo reſervatus? Reſpondeo plura quidem & magni momenti. I. quod Epiſcopus retineat conceptum univerſalem Diœceſani, & ita unum tantùm in Diœceſis corpore caput agnoſcatur. II. quod data negligentia Prælati Inferioris in ejus munere, Epiſcopus, ratione juriſdictionis univerſaliter retentę, poſsit negligentiam ſupplendo, ſuam juriſdictionem in illo loco explicare & ad actum reducere. III. quod, mortuo Prælato Inferiori, pariter poſsit Epiſcopus nativam ſuam juriſdictionem exercere. IV. quod poſsit appellari ab ipſo Prælato Inferiori ad Epiſcopum, ut magiſtraliter docet Abbas *in d. cap. cùm contingat n.* 19. & ſequitur Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 24. *num.* 107. Et de hac eadem conſideratione Vicariæ juriſdictionis mentionem faciùnt D. Gonzal. *in d. cap. auditis num.* 9. *verſ. fin. de præſcript.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 315. *num.* 18. *& ſeq.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *num.* 186. *in fin.* Ricc. *in prax. rer. quotid. for. Eccleſ. part.* 4. *reſol.* 272. *ſub num.* 4. Rota *deciſ.* 324. *ſub num.* 12. *part.* 1. *& deciſ.* 21. *num.* 14. *part.* 14. *recent.*

50 Ex adverſo autem, quod etiam in titulum proprium, & non quaſi ſub Epiſcopo, valeat Prælatus Inferior intra Diœceſim acquirere omnia jura Epiſcopalia (ſemper tamen ut ſupra diſtributivè ſumpta) per præſcriptionem quadragenariam, præcipuè cum titulo colorato, abſolutè firmat idem Abbas, ſibi diverſus, non tantùm *in cap. cùm olim num.* 4. *de præſcript.* ſed *in d. cap. auditis num.* 7. & hanc opinionem refert Rota *in d. Fuldenſi Iuriſdictionis* 1. *Iunij* 1708. *§. verùm à contrario.* In hac opinionum diverſitate, juris rationi magis conſona illa Hoſtienſis videtur, præcipuè in Prælatis Inferioribus non exemptis; ſed licèt Abbatis opinio in Prælatis Inferioribus exemptis admittatur, quia hi faciliùs juriſdictionem activam poſſunt præſcribere, ex traditis à Rota *in ead. deciſ. §. non obſtante*; tamen illa toties repetita ratio vitandi monſ-
51 trum duorum capitum in uno corpore exigit, ut juriſdictio Prælati Inferioris ſubordinata & Inferior reſpectu juriſdictionis Epiſcopi ſemper conſideretur, ut ita compatibilitèr poſsit exerceri: unde adhuc hoc caſu reſervandus videtur Epiſcopo conceptus univerſalis Diœceſani; & hinc admittenda erit ejus poteſtas & juriſdictio in iis omnibus, quæ Sacris Canonibus, Concilio Tridentino & aliis poſterioribus Apoſtolicis Conſtitutionibus Diœceſanis reſervantur, juxta doctrinam Cardin. de Luca *d. diſcurſ.* 1. *de juriſd. n.* 8 *& ſeq.* & ſecundùm ea, quæ diximus *ſupra in cap.* 4. *num.* 91.

52 Eſt autem quod hic opportunè notemus, ad acquirendam hanc ſpecialem juriſdictionem inferiorem intra Diœceſim, ſive actus particulares juris Epiſcopalis ad terminos *d. cap. auditis, & cap. cùm olim de præſcript.* titulum juſtum requiri, qui poſsidenti juſtam præſcribendi cauſam præſtet: licèt enim Canones præſcriptionem cum ſola bona fide admittant, quoties jus commune non reſiſtit; ubi tamen ejus adeſt reſiſtentia, ut in præſenti, propter juris aſsiſtentiam faventem Epiſcopo, de qua *in cap.* 2. *num.* 84. tituli interventus neceſſariò expoſcitur, ut expreſsè aſſeritur *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. *cap. cùm perſonæ de priv. eod. lib. cap. ſi diligenti* 17.

de

de præſcript. Et hinc licèt Prælatus Inferior oſtendat per quadraginta annos actus aliquos juriſdictionis exercuiſſe; ſi tamen ſuam poſſeſsionem titulo munitam non oſtendit, manutenendus non erit contra Epiſcopum, ut in terminis tenent Lother. *d. quæſt.* 24. *num.* 209. Poſth. alios citans *de manut. obſerv.* 44. *num.* 29. Fagnan. *in cap. cum Eccleſia de reſtit. ſpoliat. num.* 31. & generalitèr Complutenſis Anteceſſor D. Caſtillo *de tertiis lib.* 6. *cap.* 34. *per tot.* Matheu *de regim. Regni Valent. cap.* 11. §. 5. *num.* 168. Gutierr. *pract. quæſt. lib.* 3. *q.* 19. *num.* 11. Gratian. *diſcept.* 441. *à num.* 1. Petr. Barboſa *de præſcript. in leg. competit C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *an. à num.* 46. Capic. Latro *deciſ.* 77. *à num.* 1. Carol. Anton. de Luca *ad Gratian. cap.* 441. *num.* 1. *& cap.* 870. *per tot.* Capic. Galeota *controverſ. lib.* 2. *controverſ.* 53. *à num.* 1. D. Salgado *de reg. protect. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 142.

53 Qualis autem in propoſito debeat eſſe titulus ſatis inſinuatur *in d. cap. cùm perſonæ de privil. in* 6. *& in d. cap.* 1. *de præſcript. in* 6. in quibus ille titulus requiritur, qui poſsidenti juſtam cauſam præſcribendi præſtet. Quod dùm explicant DD. illud in primis requirunt, ut proficiſcatur ab habente poteſtatem, & in ſubjecta materia juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam ſive generalem, ſive ſpecialem ſolùm Papa concedere poteſt, ut interveniat Pontificium privilegium, ita Imola *in cap. præpoſſuit num.* 5. *de conceſſ. præbend.* Roſa *de reſident. Epiſcop. cap.* 4. *ſect.* 6. *num.* 431. *&* 432. Paſſerin. *in cap. Epiſcopor. num.* 12. *cum ſeqq. & num.* 64. *cum ſeqq. de præſcript.* Dec. *conſ.* 119. *num.* 2. *verſ. ex his confirmatur.* Lother. *de re beneficiar. lib.* 1. *quæſt.* 24. *num.* 166. *& num.* 216. *& ſeqq.* Cardin. de Luca *de Iuriſdict. d. diſc.* 1. *num.* 11. & generalitèr Caſtren. *conſil.* 253. *num.* 4. *lib.* 1. Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. tract. magn. tom.* 15. *part.* 2. *fol. mihi* 542. *à tergo.* Larrea *allegat. Fiſcal.* 68. *num.* 3. *verſ. & ille titulus.* Peregrin. *de fideicommiſſ. art.* 48. *num.* 31. *& art.* 52. *num.* 143. Oſaſch. *deciſ.* 116. *num.* 6. Rota *deciſ.* 94. *num.* 1. *lib.* 1. *coram Puteo.*

54 Ulteriùs etiam deſideratur, quod hujuſmodi titulus ſit clarus & expreſſus, ita ut in eo contineatur, aut ex eo apertè & ſine ulla cavillatione colligi poſsit, id quod præſcribi prætenditur; aliàs enim in eo, quod non continet, præſcriptio non procedet; quin ex ipſo, ut limitato per conſequens vitioſa erit poſſeſsio, quæ ultra extendatur, & ita impedimento erit cuilibet præſcriptioni, etiam immemorabili, ut in terminis Fajard. *in alleg. Fiſcal. alleg.* 53. *num.* 1741. Pareja *de fide inſtrum. tit.* 10. *reſol.* 2. *num.* 25. D. Larrea *d. alleg.* 68. *num.* 9. ubi plures refert. Qui illam rationem aſsignant, quod privilegium & conceſsio Principis non poteſt augeri præſcriptione arg. *leg. ſi is cui* 11. *in fin. ff. quemadm. ſervit. amitt.* ibi: *Non autem conceditur pluſquam pactum eſt in ſervitute habere.*

55 Sed duo ſunt, quæ hic difficultatem movere poſſunt: primum; quod ſi titulus deberet eſſe ut præmiſsimus juſtus, clarus, & expreſſus, ipſe ſolus ad obtinendum ſufficeret, atque exinde neceſſaria non eſſet præſcriptio. Secundum; quod titulus, qui exigitur ad quadragenariam, frequenter appellatur *putativus* & *coloratus*; quæ ſanè appellationes contrariæ videntur præcedentibus, *juſti clari* & *expreſsi.* Verùm reſpondetur quoad primum, quod dùm dicimus titulum eſſe debere juſtum clarum & expreſſum, non exigimus, quod titulus, ex quo inducitur præſcriptio, ſit omninò validus & perfectus; ſed quod in figura extrinſeca ſit validus, etiamſi intrinſicè non valeat, ut Magiſtralitèr de hoc agens D. Larrea *d. alleg.* 68. *num.* 3. & Anteceſſor D. Caſtillo

de Tertiis d. libr. 6. cap. 34. num. 6. Quoad ſecundum verò reſpondetur, quod hic titulus putativus ſæpè appelletur, non ita accipiendum, ut ſufficiat ad illum inducendum privata cujuſque credulitas aut error, quod non ita eſt, ut tradunt præcitati AA. & Lother. *d. quæſt. 24. num. 167.* Sed *putativus* in præſenti idem importat ac titulus, qui communiter verus reputatur, juxta Fagnan. *in cap. niſi cùm pridem de renunt. num. 33.* ſeu qui juſtam cauſam præbet, ut poſſeſſor putet ſe juſto privilegio eſſe munitum. Similitèr *coloratus* dicitur non in vulgari, ſed in legali ſenſu, quia nempè ex ejus extrinſeco colore, ſeu ex eo quod ex lectione apparet, ſufficiens ac prudens exiſtimatio oriatur circa conceſsionem, & hinc juſta præſcribendi cauſa, ut explicant præcitati DD.

56 Exempla autem plura afferri ſolent, quæ propoſito noſtro facilè quiſquam applicavit, ut quando adeſt conceſsio Principis, quæ fuerit nulla ex defectu alicujus ſolemnitatis; quia tunc lex ipſa propter curſum quadraginta annorum ſupplet defectum illum, ac ſi à principio conceſsio ſolemnitèr emanaſſet, D. Caſtillo *d. cap. 34. num. 8.* qui aliud ſimile exemplum ex Molina *ibid.* ponit. Aliud exemplum ſatis opportunum præbet D. Larrea *d. alleg. 68. num. 4.* deductum ex *leg. fin. §. fin. C. de fund. patrim. lib. 11.* in cujus caſu, cùm non ſufficiat Principis conceſsio ad præſtandam liberationem à ſolutione publicæ functionis ratione fundi patrimonialis, ſtante prohibitione aliorum jurium, neceſſaria eſt quoque poſſeſsio quadraginta annorum, quæ ſuppleat clauſulam derogatoriam. Et *ſub numer. 12.* aliud exemplum proponit, ut ſi proferatur privilegium, in quo etſi non ſit clara & expreſſa conceſsio ejus, quod intenditur acquiſitum & poſſeſſum; tamen talia ſint verba, quæ denotent voluiſſe Principem illud concedere juxta eorum promptum & verum ſenſum, ſine cavillatione, aut violentia, ut in verbis privilegij, de quo *in leg. 1. tit. 10. libr. 5. Recopilat.* quæ generalia ſunt, & comprehenſiva cujuſcumque juris, quod habeat Rex in Villa, aut Oppido, de quo alicui conceſsionem fecit; quod propriè & naturalitèr & nullo alio ſenſu admiſſo, virtutem habet, ut juriſdictionem civilem & criminalem poſsit comprehendere.

57 Tandem circa actus, qui ad præſcriptionem ſolent allegari, notandum eſt, quod cùm ex juris præſcripto poſſeſsio non debeat eſſe violenta nec clandeſtina, ut firmatur *in d. cap. cùm perſonæ*; hinc, ut proficiant actus à Prælato Inferiori exerciti, probare debet eos peregiſſe cum ſcientia & acquieſcientia Epiſcopi, ad *text. in leg. 2. C. de ſervit, & leg. quamvis ſaltus 46. ff. de adquir. poſſeſſ.* Lother. *de re benefic. d. q. 24. num. 213.* Fagnan. *in cap. cùm ab Eccleſiarum num. 32. & ſeq. de offic. Ord.* Rota *in una Gerundenſi 5. Martij 1692. §. neque eſt neceſſe cor. Molines, & in Leodienſi Iuriſdictionis 11. Aprilis 1698.* Et ratio eſt, quia incorporalia non acquiruntur niſi præſtatione & patientia, ex doctrina Bald. *in cap. quærelam num. 7. de elect.* In quo diſsimilis eſt cauſa Epiſcoporum, qui ſi actus produxerint poſſeſſorios, non indigent juſtificare illos exercuiſſe cum ſcientia Prælati Inferioris, ex illa differentiæ ratione, quod Epiſcopo jus aſsiſtit; Prælato verò Inferiori reſiſtit, ut docent præcitati AA.

58 Ulteriùs notandum eſt præſcriptionem Prælati Inferioris reſtringendam eſſe præcisè ad illos actus, quos poſſediſſe & exercuiſſe probaverit; ita ut præſcriptio unius actus juris Epiſcopalis non inferat præſcriptionem alteriùs ſub eodem genere, ut conſtat expreſsè *in d. cap. auditis, & in d. cap. cùm olim*

juncta

juncta ibi Gloſſa de præſcript. & Fagnan. *ibidem num.* 39. Nec refragatur, quod ex juris providentia ex aprehenſione partis ſæpè poſſeſsio extendatur ad totum, ut *in leg.* 3. §. 2. *ff. de adquir. poſſeſſ. & ex text. in cap.* 1. *de relig. domib.* Hoc enim rectè procedet, ubi quis habet cauſam univerſalem & juris aſsiſtentiam generalem, ut notat idem Fagnan. *in d. cap. cùm olim num.* 32. *& ſeq.* non verò ubi, ut in præſenti, intervenit tantùm cauſa limitata, & adeſt juris reſiſtentia, dùm agitur contra habentem cauſam univerſalem, qualis eſt Epiſcopus; nam in hac materia potiùs debet inſpici cauſa actus, quàm exercitium, juxta receptam theoricam Innocent. *in cap. dilectus num.* 3. *de Capell. Monach. in* 6. Bald. *in d. cap. quærelam num.* 23. *in fin.* Poſth. *de manut. obſerv.* 73. *numer.* 130. *cum ſeqq.* Rota *apud* Tondut. *de penſion. deciſ.* 11. *num.* 12. *& deciſ.* 775. *num* 6. *part.* 18. *recent.* & facit ab arg. ſpecioſus *text. in leg.* 1. §. *Iulianus, ait ff. de itin. actuq. priv.* & ibi Barthol. Anton. Gomez *in leg.* 45. *Tauri num.* 37.

59 Ex his principiis aliqui etiam deducunt, quod ſi contendat Epiſcopus cum Prælato Inferiori, & ex utraque parte producantur actus poſſeſſorij, qui fuerint ab Epiſcopo adducti, propter illam juris aſsiſtentiam, ſint præferendi; ita ut ad præſervandam integralitatem, ſeu univerſalitatem juriſdictionis, & ad interrumpendam præſcriptionem Inferioris, ſufficiat unicus Epiſcopi actus, ex congeſtis per Mareſcoti *var. reſol. libr.* 1. *cap.* 11. *num.* 1. *cum plurib.* Lother. *lib.* 2. *q.* 10. *num.* 21. Roſa *de reſident. Epiſc. d. ſect.* 6. *num.* 442. *& ſeqq.* Cardin. de Luca *de juriſd. d. diſc.* 1. *num.* 23. Sperell. *deciſ.* 69. *num.* 28. Cardin. Petra *in d. conſtit.* 6. *num.* 71. & latiſsimè in ſimili D. Salgado *de reg. protect. cap.* 10. *à num.* 98. *uſque ad* 136. Rota *deciſ.* 24. *par.* 10. *n.* 34. *recent. deciſ.* 21. *numer.* 12. *cor. Zarate deciſ.* 87. *num.* 1. *part.* 10. *& deciſ.* 391. *num.* 24. *part.* 13. *recent.* Atque ita ſi Epiſcopus exercuerit juriſdictionem in una parte Diœceſis, effectus illius poſſeſsionis ſe extendit ad omnes alias partes propter contiguitatem, & continuationem, ut præter adductos tradit Lother. *ſæpè cit. q.* 24. *num.* 210. Unde vel minimum actum Epiſcopi in his terminis id importare, ut Inferioris præſcriptionem interrumpat in univerſum, & ipſe univerſalis juriſdictionis poſſeſſionem retineat, tenent iidem AA. ex doctrina Hoſtienſis.

60 Verùm in hoc conſideratè procedendum eſt, & ſuperior doctrina moderanda, ne in appertas juris deciſiones impingamus, quibus expreſsè permittitur Prelato Inferiori intra Diœceſim aliquos actus juriſdictionis Epiſcopalis præſcriptione acquirere, ut *in d. cap. auditis, & d. cap. cum perſonæ,* quæ ſanè deciſiones, ſi vera eſſet abſolutè & indiſtictè præcedens doctrina, locum non haberent; cùm vix ac ne vix quidem fieri poſsit, ut Epiſcopus in ſua Diœceſi aliquem actum juriſdictionis non exerceat. Itaque diſtinguendum eſt inter jus ipſum ſupremum univerſale & individuum *Diœceſani*, quod ſe habet ad inſtar cauſæ univerſalis ad poſſeſsionem jurium particularium ſub eo contentorum; & inter jura particularia ſub illo univerſali contenta, quæ ſe habent velut effectus ſeu generis ſpecies. Si enim de primo agitur, certum eſt, quod Epiſcopus quocumque actu retinet illud jus univerſale Diœceſani, & ipſo actu impedit ne alius ipſum jus obtineat, aut quaſi poſsideat; nam impoſsibilis eſt concurſus duorum in ſolidum circa jus indiviſibile; nec fieri poteſt, ut ſint duo Diœceſani ejuſdem Epiſcopatus, ſicut nec unius corporis duo Capita, quæ invicem ſibi obſtant; & hoc ſenſu intelligenda eſt præcedens doctrina; quod

nimirùm per exercitium unius actus conſervetur Epiſcopo in univerſum juriſdictio, & in univerſum alteriùs præſcriptio interrumpatur; ideſt reſpectu cauſæ univerſalis, quæ ratione individuitatis, aut tota amittitur, aut tota retinetur *leg. una eſt via* 18. *ff. de ſervit. præd. ruſt. leg. ſi ſtillicidij §. fin. cum leg. ſeq. ff. quemad. ſervit. amitt.* & facit optimè *ab arg. text. in leg. ſi quis mihi bona §. ſed quid ſi mandavit ff. de adq. hær. text. in leg. reſtituta* ubi Civiliſtæ *ff. ad Trebell.*

Si verò agitur de poſſeſsione & præſcriptione ſingulorum actuum, tunc dicendum eſt, quod Epiſcopus per exercitium alicujus actus tantùm retinebit poſſeſsionem, reſpectu actuum ejuſdem lineæ & ſpeciei, qui connexi ſunt aut annexi; ut cum Bartholo, & aliis antiquis tenet Gomez *in d. leg.* 45. *num.* 42. *verſ. tertia concluſio*, & copiosè D. Caſtillo *de tertiis lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 22. ubi explicat doctrinam D. Salgado *ubi ſupra*: & horum actuum reſpectu per unius exercitium alteriùs poſſeſsionem interrumpet; cæterùm non ita retinebit poſſeſsionem reliquorum diverſæ ſpeciei, quorum intuitu rectè procedet præſcriptio Prælati Inferioris, ut litteraliter habetur *in d. cap. auditis* in verbis finalibus: *Vos ſuper his jus Epiſcopale adjudicetis eidem*, & illis: *In cæteris ei ſilentium imponentes*: juncto ibidem Abbate *num.* 15. *& 33. & in cap. cùm olim eod. tit. num.* 6. Felin. *num.* 18. *&* 19. Fagnan. *num.* 29. Et ratio eſt, quia tunc ceſſat incompatibilitas propter diverſitatem ipſorum actuum, qui ſe habent velut diſtinctæ ſpecies ſub genere univerſali, atque ita in præſenti ſibi adinvicem compatiuntur Epiſcopus & Prælatus Inferior, ſolùmque ſibi obſtarent, ſi vel reſpectu ipſius generis univerſalis in ratione individua, ut eſt jus Diœceſani, aut reſpectu ejuſdem particularis ſpeciei ambo ſimul vellent privativè & cum alteriùs excluſione poſsidere & præſcribere, quod non permittit juris ratio ex vulgari regula *text. in leg. ſi ut certò* 5. *§. duobus vehiculum ff. comodati.* dilucidè & ſubtilitèr Cardin. de Luca *diſc.* 1. *de juriſd. à num.* 26. omninò videndus, & juxta hanc doctrinam & diſtinctionem accipienda ſunt ea, quæ diximus *in capit.* 2. *à numer.* 87.

CAP. VIII.

Si quandoque Prælatorum Inferiorum juriſdictio, moderatis privilegiis, reſtringitur, id ob unam præcipuè cuſtodiendam Concordiam factum, & hinc de privilegiorum revocatione & confirmatione.

SUMMA CAPITIS.

1 *Nihil in rebus humanis ſtabile.*

2 *Leges ſive Sacræ, ſive prophanæ frequenter contingit mutari.*

3 *Mutationes hæ damnandæ non ſunt; ſed potius laudandæ, ubi neceſsitas exigit & utilitas ſuadet.*

Ius

4 *Ius idem ſemper manet, licèt adjuncta varientur.*

5 *Quantùm variatum alternatumque ſit circa juriſdictionem Epiſcoporum & Prælatorum Inferiorum.*

6 *Mutationes has, utpotè Dei conſilio inductas, & ad Concordiam Prælatorum directas, venerari expedit.*

7 *Plerique AA. de hac materia ſcribentes, factionario more inter ſe decertant.*

8 *Reprobatur hoc ſcribendi genus, commendaturque animi moderatio, qua juxta Eccleſiæ ſanctiones concordiæque ſcopum omnia hæc ſunt ponderanda.*

9 *Summi Romani Præſules pacis concordiæque ſtudio num privilegia conceſſerunt, num revocarunt.*

10 *Quemadmodum aliquorum Epiſcoporum exceſſus privilegiis concedendis cauſam dederunt, ita exemptorum exceſſus privilegiis revocandis fuerunt in cauſa.*

11 *Diverſis temporibus diverſa ſtatuta congruunt.*

12 *Irrationabiliter arguet quis privilegia ea ab initio fuiſſe injuſta, quia poſtmodum moderari aut revocari contingat.*

13 *Iuſtiſſima fuerunt privilegia Monaſteriis conceſſa eo tempore, quo Epiſcopi ſimoniæ labe erant contaminati, & in bona Monaſteriorum injuſtè graſſabantur.*

14 *Malis his ceſſantibus, haud neceſſarium privilegiorum remedium erat, ſicque æquum etiam erat, ut privilegia moderarentur, & Epiſcopalis convaleſceret poteſtas.*

15 *Canonica Epiſcoporum poteſtas minuenda non eſt, niſi cum neceſsitas expoſcit, vel ſuadet Eccleſiæ utilitas.*

16 *Diſſonum videtur, ut iiſdem repagulis contineantur Epiſcopi probi, quibus recluduntur flagitioſi.*

17 *Privilegia juſtis de cauſis tributa calamitoſis Schiſmatis temporibus, melioribus ſuccedentibus, juſtè moderantur.*

18 *Martinus V. abrogavit in Concilio Conſtantienſi omnia penè privilegia indulta tempore Schiſmatis, ſuborti ab obitu Gregorio XI.*

19 *Præcipua cauſa moderandi privilegia deſumitur ex abuſibus & exceſsibus privilegiatorum, quod oſtenditur ex SS. Conciliis.*

20 *In Concilio Tridentino exceſſus exemptorum ſunt repræſentati.*

21 *Epiſcopi Germaniæ in Synodo Tridentina vehementer inſtarunt, ut, privilegiis funditùs ſublatis, redditus fieret ad jus commune.*

22 *Contra exempti, privilegia omnia intemerata conſervari, flagitarunt.*

23 *Patres Tridentini mediam ſequuntur viam temporibus peraccomodam, qua revocanda aliqua, moderanda alia, conducibius judicarunt.*

24 *Vt de valore cujuſque privilegi jrectè judicetur, & diſcordiis Prælatorum occurratur, utendum eſt regulis Concilij Tridentini.*

25 *Probatur, nulla firma adeò privilegia eſſe, ut à Summis Pontificibus, & SS. Conciliis non valeant revocari.*

26 *Nefas eſt de poteſtate Principis contendere, aut dubitare.*

27 *Ejus eſt tollere, cujus eſt condere.*

28 *Cùm privilegium revocatur, jus Apoſtolicæ Sedis potiùs quàm privilegiati dimittitur.*

29 *Privilegium nedùm favorem ejus, cui conceditur, ſed Principis concedentis reſpicit.*

30 *Privilegiatus nequit alteriùs inferioris juriſdictioni acquieſcere abſque conſenſu Principis, qui illum exemit.*

31 *Si privilegia revocari, aut moderari contingat, non eſt cur privilegiati conquerantur.*

32 *Leges perpetuæ ſunt ex voto Legiſlatoris.*

33 *Lex quæ tractu temporis nociva redditur, ſervanda non eſt.*

34 *Privilegium, ſi poſteà vergat in præjudicium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non ſubſiſtit.*

35 *Privilegium meretur amittere, qui illo abutitur.*

36 *Quoties juriſdictio privilegiis tributa auffertur à ſuperiore, nullius injuria, aut præjudicium intervenit.*

37 *Revocatio, aut moderatio privilegiorum per Tridentinum facta comprehendit etiam illa, quorum ſpecialis mentio facta non eſt, & quæ inſerta ſunt in Corpore Iuris.*

38 *Quod extenditur, etiamſi in privilegiis adſit clauſula, quod non intelligantur revocata per quamcumque Conſtitutionem poſteriorem.*

39 *Papa Prædeceſſor nequit ligare manus Succeſſoris.*

40 *An privilegia remuneratoria poſsint revocari?*

41 *Fundatur ſententia negans; quia remunerationes tranſeunt in contractum.*

42 *Quod datur ex remuneratione, non procedit ex mera liberalitate.*

43 *Donatio remuneratoria magis eſt debiti ſolutio, quàm donatio.*

44 *Amplectitur ſententia affirmativa, ut communis & recepta.*

45 *Diſtinctio ſit inter ſervitia ab aliquo præſtita ultrò, & abſque ulla antecedenti obligatione, & ea quæ præſtantur ratione officij vel ſtatus.*

46 *Servitia facta abſque ulla antecedenti obligatione propriè ſunt merita, & privilegia propter ea conceſſa tranſeunt in contractus, ſuntque irrevocabilia.*

47 *Expenditur* lex Aquilius Regulus 27. de donat.

48 *Quod genus contractus* in d. leg. Aquilius *geſtum dicatur, remiſsivè.*

49 *Privilegia tributa ob ſervitia præſtita ratione officij & ſtatus non ſunt remuneratoria propriè, ac proindè revocari poſſunt.*

50 *Adducuntur exempla filij, uxoris, famuli, militis, obtemperantium Patri, marito, domino, & Duci; & Clericorum Religioſorumque, qui in Eccleſiæ ſervitio operam navant.*

51 *Qui ex debito officij operatur, propriè non meretur.*

52 *Servitia exhibita ratione officij nullam in accipiente obligationem producunt, unde quod ex cauſa datur, donatio potiùs, quàm remuneratio eſt.*

53 *Etiamſi hujuſmodi ſervitia producant obligationem antidoralem in accipiente, adhuc privilegia ſunt revocabilia.*

54 *Obligatio antidoralis non producit debitum legale, ſed tantùm morale ratione honeſtatis, quod in judicio exerceri nequit.*

55 *Quod præſtatur propter obligationem antidoralem non eſt merè gratuitum.*

56 *Privilegia hac de cauſa conceſſa, licèt revocari poſsint, tamen in generali revocatione non comprehenduntur.*

57 *Privilegia ſtrictè remuneratoria revocari poſſunt, juſta exiſtente cauſa, ſi ſubdito ſint conceſſa.*

58 *Iuſta cauſa præſumitur in revocatione, præcipuè dùm hæc fit per legem generalem.*

59 *Revocabilitas privilegiorum arguitur ex repetitis revocationibus in Conciliis factis.*

60 *Privilegia Hieroſolymitanorum magnis adeò laboribus ſunt acquiſita, ut precium ſanguinis meritò dicantur.*

61 *Privilegia Hieroſolymitanorum ſubſiſtunt, quæ Canonibus Concilij Tridentini non adverſantur.*

62 *Concluditur generali doctrina Anacleti Reinfeſtuell.*

63 *Poſt Concilium Tridentinum plures privilegiorum confirmationes ſunt tentatæ.*

64 *Summus Pontifex confirmare poteſt privilegia Tridentino contraria.*

65 *Difficultas non eſt circa poteſtatem, ſed circa voluntatem, quæ maximè debet attendi.*

66 *Refertur opinio, quæ tenet opus non eſſe derogatione ſpeciali, ut derogetur Tridentino.*

67 *Rarò, aut nunquam Pontifices, ut confirmarent privilegia, derogarunt decretis Tridentini.*

68 *Vt privilegia omnia à decretis Tridentini non deviarent, maximè curarunt Pontifices, præcipuè S. Pius V. & Gregorius XIII.*

69 *Vnde poſteà uſus induxit in confirmationibus privilegiorum illam clauſulam*: Dummodò decretis Tridentini non ſint contraria, *quæ etſi omittatur pro adjecta habetur.*

70 *Per clauſulas generales derogatorias non intelligitur derogatum Conſtitutionibus Conciliorum Generalium, & neceſſaria eſt ſpecialis mentio.*

71 *Limitatur cum in ſecunda diſpoſitione continetur expreſsè contrarium ejus quod in Concilio diſponitur.*

Con-

72 *Confirmatio in forma communi illa tantùm confirmat privilegia, quæ valida ſunt.*

73 *Confirmatio in forma communi parùm aut nihil prodeſt.*

74 *Confirmatio ex ſui natura refertur ad actum validum.*

75 *Confirmatio retrotrahitur.*

76 *Confirmatio in forma communi prodeſt I. ne privilegium vetuſtate pereat. II. ut major ei ſit auctoritas. III. ut titulum præſtet præſcribendi.*

77 *Qualis ſit confirmatio in forma ſpecifica & ex certa ſcientia.*

78 *Per hanc confirmationem non modò confirmatur privilegium validum, ſed & invalidum.*

79 *Hujuſmodi confirmatio probat abſque eo, quod doceatur de confirmato.*

80 *Hujuſmodi confirmatio propriùs eſt diſpenſatio, ampliatio, ſeu novum privilegium.*

81 *Confirmationes plerumque non in forma ſpecifica, ſed in forma communi intelliguntur conceſſæ.*

[1 CUM in hunc articulum incidimus, & adeò varias cùm Canonum tum Pontificum ſæculorum decurſu editas ſanctiones perpendimus, illud ſtatim in mentem venit, quod olim Imperator Juſtinianus *in Authent. de non alien. cap. 2. in princ.* profitetur: *Quid enim ſtabile, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem, cum omnis noſter ſtatus ſub perpetuo motu conſiſtat.* Omnia ergo mutationi ſubſunt, volubili ſic rerum humanarum conditione ferente, quæ ipſis alternationibus, & crebris viciſsitudinibus velut reparatur
2 & gaudet. Sive Sæculi, ſive Eccleſiæ politiam attendas, paſsim obviæ hæ mutationes ſe dabunt, canit enim Claudianus:

..... Priſcamque reſumunt
Canitiem leges, emendaturque vetuſtæ
Acceduntque novæ.

Id unum proprium divini juris eſt, ut æternum ſit & immutabile, ut docuit Tertulianus *de veland. Virgin. in princ.* ibi: *Regula Fidei, una omninò eſt, ſola immobilis & irreformabilis.* Reliqua verò, quæ humanæ inſtitutionis eſſe noſcuntur, caducam præſeferunt conditionem, ut idem ibidem teſtatur: *Lege Fidei manente, cætera jam diſciplinæ, & converſationis admittunt novitatem; operante & uſque in finem gratia Dei proficiente.* Plures enim inſtare ſolent cauſæ, quæ antiqua placita novare & retractare cogunt, quas bellè demonſtrat Auguſtin. *libr. 2. de bapt. cap. 3.* ibi: *Quoties ex ipſis rerum experimentis demonſtratur quod priùs erat obſcurum, quoties depromitur quod latebat, quoties aperitur quod conducibilius eſt Eccleſiæ; tunc cum ſancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate abſque ullo ſuperbiæ typho, abſque ulla inflata cervice arrogantiæ, abſque ulla contentione lividæ invidiæ commutatur in melius.*

3 Ac propterea nec quiſquam alternationes has damnare debet; ſed illarum rationes inquirere, & ubi eas non invenerit, venerare opus erit; cùm & ipſe Deus quandoque harum mutationum præbeat exemplum, ut arguit Innocentius III. *in cap. non debet de conſang. & affin. Non debet*, inquit, *reprehenſibile judicari ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta varientur humana, præſertim cum urgens neceſsitas, vel evidens utilitas idem expoſcunt: quoniam ipſe Deus ex iis, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo.* Nec etiam in illorum eſt eundum ſententiam, qui Jus ut amiſſum dolent ac lugent, ubi illud mutatum ſentiunt, nam ut dixit Vultej. *ad princ. inſtit. de juſt. & jure. num. 7.* Jus
4 apud omnes, & tempore omni, idem manet, adjuncta tamen diverſa; ſive ut Matheac. *de via Iur. cap. 21. num. 34.* Legis ratio, quæ illius anima eſt, perpetua & principia Juris immutabilia, ſed concluſiones variatis rebus variantur.

Sic

Sic igitur in Eccleſiæ legibus & diſciplina, quamvis variationes & converſiones appareant; licèt ſtatuta in dies mutentur, & aliis ſeneſcentibus, nova ſuboriantur; ſemper ubique idem viget ſpiritus, idem ſcopus, qui per has mutationes, & converſiones ad unam legis æternæ & immutabilis obſervantiam nos perducit.

5 Id cernere vel maximè eſt in Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercitio & competentia, ubi vices hæ fuere frequentiſsimæ; nam, ſi præteritorum memoriam volumus refricare, apparebit, Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus, inter ipſa initia ſolidam in ſuis Diœceſibus poteſtatem ac juriſdictionem fuiſſe concreditam, juxta dicta *in cap.* 1. Ne quid eis de eadem poteſtate diminueretur, diù à Conciliis & Patribus curatum eſt, ut *cap.* 2. & 3. demonſtravimus. Admiſsi poſteà ſunt ſingulari jure aliqui Prælati Inferiores tam Regulares, quàm Sæculares, modò ad majorem, modò ad minorem hujus juriſdictionis partem, juxta varietatem exemptionum, ut docuimus *capit.* 4. & *ſeqq.* Supervenit tandem, tributæ his Prælatis Inferioribus juriſdictionis, moderatio & reſtrictio, ut in præſenti videbimus. Nunc verò, quænam ſit ex hoc tam vario ſpiritualis politiæ genere, vel magis conſentanea, aut conducibilior ratio, noſtri nec expendere, nec deliberare eſt; majoribus enim auſpiciis res hæc, ut dirimatur, eget. Illud extra
6 hæſitationem eſt, mutationes has & novitates Dei conſilio, Eccleſiæque auctoritate eſſe inductas: quid ergo reſtat, niſi, ut quæ & Deo & Eccleſiæ placent, & nobis placeant, ejuſque ſapientiſsimis & ſaluberrimis conſiliis lubentes aſſentiamur. Pervigil enim & omnipotens illa Numinis providentia has legum & diſciplinæ converſiones regit, ut per illas lex immutabilis & æterna meliùs obſervetur. Nobis ergo optandum erit, ut quicumque fuerint hi Prælati, per quos Eccleſiaſtica exercetur juriſdictio, uni ſtudeant ædificationi Eccleſiarum, & ut poteſtate ſua ſpiritu veritatis, & charitatis utantur; ut ita confletur germana illa *Concordia Paſtoralis*, quæ à Sacris Canonibus & Summis Pontificibus in his mutationibus, & alternationibus juriſdictionum præcipuè intenditur, quaſque, in eumdem finem collimantes, nos hic perpendere molimur.

7 Qui Scribentes de hac materia evoluerit, pleroſque inveniet extremè oppoſitos & diſcordantes; pauciſsimi enim ſunt, qui medium tenent, ſed partium ſtudio abrepti, omnes propemodùm extrema ſequuntur, eaque penitùs oppoſita. Volunt alij, juriſdictionem Epiſcoporum indiſcriminatim per omnia vigere, & non niſi ægrè ferunt ei adverſantia privilegia, quæ penitùs revocare conducibilius fore ſuadent: Commendant alij privilegiorum uſum, ut omninò neceſſarium, eaque inconcuſſa adeò eſſe volunt & firma, ut revocari poſſe inficientur. Illi rem omnem vetuſtis regulis, jureque communi dirimi opportere judicant, inſuperhabitis privilegiis: hi, omnia privilegiis eſſe dimentienda, putant, exploſſo jure communi. Illi eum in modum privilegia reſtringunt, ut inania reddant: hi ita privilegiorum fimbras dilatant, ut nihil non afficiat privilegium. Ita factionario more plures interſe divelluntur Auctores, unde tot inter ipſos diſcordantes opiniones, quæ augendis inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores diſcordiis, occaſionem præſtant, unoquoque illi Auctori adhæreſcente, qui partes
8 ſuas magis tuetur. Neutrum ex his ſcribendi modis ſequendum mihi ſtatui, proficua ſemper eſt animi moderatio, qua ab utroque inſinuato extremo deviare maximè expedit, atque cum Martiali *lib.* 1. *epigram.* oſtendere, & tenere:

Illud

Illud quod medium eſt, atque inter utrumque probatur.

Sunt ſanè caſus, quibus Epiſcoporum juriſdictio locum ſibi vindicat : ſunt & alij, quibus Prælatorum Inferiorum juriſdictio debet admitti. Quandoque Juri communi unicè ſtandum : quandoque privilegiis inhærere præſtat. Laudabilis ſæpè eſt privilegiorum introductio & uſus : ſed non minus laudari debet, ſi quandoque juſtis de cauſis moderata, aut revocata fuerint, jure communi reſtituto. Quæ omnia non ex affectu cujuſque libranda, ſed ita moderanda, ut ſuadet Eccleſiæ utilitas & concordia, ad quam, ut dixi, Legum ſive inſtitutio,
9 ſive abrogatio debet accomodari. Sic ergo Summi Præſules, dùm diverſa in hoc ſtatuunt, num concedendo, num conceſſa revocando, non ex animi levitate, ſed pacis & concordiæ ſtudio id facere, dicere poſſunt cum Aſſuero Rege in Epiſtola, quæ refertur *in cap. 16. Eſther.* Poſtquam enim recenſuit Rex Præſidum Provinciarum exceſſus, & beneficia ipſis collata, utrumque moderare volens, ita inquit. *Vnde providendum eſt paci omnium Provinciarum : nec putare debetis ſi diverſa jubeamus, ex animi noſtri venire levitate, ſed pro qualitate, & neceſsitate temporum, ut Reipublicæ poſcit utilitas ferre ſententiam.*

10 Jam ergo, quæ dicta ſunt luculentiùs demonſtremus. Oſtenſum ſupra manet, quemadmodùm ad limitandam Epiſcopalem juriſdictionem per exemptiones, Sacris Canonibus fuerit in conſideratione, abuſus & exceſſus aliquorum Epiſcoporum, prout temporis conditio ferebat, compeſcere; quieti exemptorum provider; & eos inter & Epiſcopos concordiam ſarcire. Hoc ipſum in derogatione & moderatione privilegiorum proſpectum eſſe, certum eſt. Exceſſus enim Prælatorum Inferiorum, nimia privilegiorum extenſio, & hinc ortæ diſcordiæ, ut privilegia moderarentur fuerunt in cauſa, attentis ſemper temporum circunſtantiis ; nec enim omni tempore eadem
11 poſſunt aptari ſtatuta, ut pulchrè Sextus Cæcilius apud Aul. Gel. *noct. Atic. lib. 20. cap. 1. Non enim profectò ignoras legum opportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt fervoribus mutari, atque flecti, neque uno ſtatu conſiſtere, quin, ut facies Cœli & Maris, ita rerum, atque fortunæ tempeſtatibus varientur. Quid ſalubriùs viſum eſt rogatione illa ſolemni de jugerum numero præfinito? Quid utiliùs plebiſcito Voconio de coercendis mulierum hæreditatibus? Quid tàm neceſſarium exiſtimatum eſt propulſandæ Civium luxuriæ, quàm Lex Licinia Faunia, aliæque item Leges ſumptuariæ? Omnia tamen hæc obliterata & operta ſunt Civitatis opulentia quaſi quibuſdam fluctibus exeſtuantis.*

12 Hinc nec quiſquam, qui rectè ſentiat, privilegia, ſicuti nec quælibet alia ſtatuta, injuſta, aut iniqua fuiſſe ab initio dicet, quia revocari poſteà contingat ; nam utcumque juſtiſsimis de cauſis privilegia concedantur, aliave ſtatuantur ; poſteà, vel quia cauſæ ceſſant, vel quia poſteriore uſu privilegia & ſtatuta vitiantur, cura Supremi Principis Legiſlatoris in id erit, ut temporibus obſecundans, illa revocet & moderetur, quæ quandoque expedire viſa ſunt ; ſic Stephanus Papa *in cap. quia ſancta. §. verùm 63. diſt.* ait: *Vt ſi nonnulli ex Prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliqua, & cùm magna auctoritate à poſteris deſtruantur.* Juſtiſsima, quin & ad concordiam
13 alendam accomodatiſsima, vidimus alibi, fuiſſe privilegia conceſſa ea tempeſtate, qua Epiſcopi, à primitivo fervore, & ſanctitate declinantes, & ſimoniæ labe,

quæ

que tunc maximè ſerpebat, contaminati, poteſtate ſua abuti cæperunt, & in bona Monaſteriorum graſſari; æquum tunc fuit Monaſteria ab Epiſcopis liberare, & eorum poteſtatem reſtringere; ex adverſoque in tuitionem, poteſtate ab eis adempta, Prælatos Monaſteriorũ donare.

14 At cùm Conciliorum, & Pontificum jugi ſollicitudine, meliora Eccleſiæ tempora reddita conſpiciantur, & ab Ordine Epiſcopali labes ſimoniæ abſterſa fuerit; hinc malis ceſſantibus & medicamentis, parciùs utendum videbatur; atque ideo, eodem charitatis ac concordiæ ſpiritu privilegia hæc temperare, & poteſtatem Epiſcoporum cum moribus convaleſcere, opportunum judicavit eruditus Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 37. *num.* 3. his verbis: *Pervagatiſſima tunc erat inter Epiſcopos, Clericoſque ſimonia. Et hinc augurari licet hinc exorta Cluniacenſis Ordinis privilegia, quibus adverſus hanc tunc maximè graſſantem ſimoniæ peſtem munirentur. Vbi ergo oppreſſæ jam ſunt, extinctæque illæ peſtes, tum verò æquum forſam fuerit, non ſtatim revocari privilegia omnia, quæ adverſus illas præſidio fuerant: ejuſmodi enim mutationes tumultuoſæ plerùmque ſunt & periculi pleniſſimæ: ſed eorum uſum inflecti nonihil &, ad voluntatem Epiſcoporum accomodari, ut à compluribus ex Regularium & exemptorum viris ſanctiſſimis approbatum factitatumque fuiſſe, infra pluribus demonſtrabimus.* Quæ doctrina vel ex eo maximè

15 clareſcit, quia cùm in minuenda Epiſcoporum Canonica poteſtate, utilitatis & neceſsitatis ratio ſit habenda; nec enim in deſtructionem, ſed in ædificationem privilegia ſunt concedenda, ut quondam D. Bernardus ad Eugenium III. *lib.* 3. *de conſider. cap.* 4. hinc neceſſitate ceſſante, Canonum priſtinus candor, quoad poſsit fieri, reſtitui oppor-

16 tet; iniquum enim alias videtur, Prælatos Inferiores iiſdem privilegiis, quibus Epiſcopos ſibi infenſiores propugnabant, cum Epiſcopis longè diſsimillimis pariformitèr decertare; ut objurgans Abbatem & Monachos Sandionyſianos, quia ab alio, quàm ab Epiſcopo Pariſienſi Ordines & Chriſma acciperent, ratiocinatur Paſchalis II. apud Ducheſne *tom.* 4. *pag.* 679. his verbis: *Quæ profecto Sacris Canonibus valde contraria ſunt. Et quidem privilegia pro pravis & malis collata ſunt, & ad ædificationem, non ad Canonum deſtructionem alicui conferuntur. Cùm itaque Epiſcopus veſter Gratia Dei bonus, & Chatholicus habeatur & prædicta Sacramenta gratis ac ſine pravitate indulgeat: & vos præter ipſius licentiam pro eiſdem Sacramentis ſuſcipiendis alios adire Antiſtites prohibemus, & Archiepiſcopis vel Epiſcopis, ne ea vobis exhibeant, interdicimus.*

17 Hac ipſa conſideratione procedendum erit circa privilegia conceſſa à Romanis Pontificibus illis obſcuris, aſperrimiſque temporibus, quibus Eccleſia atrocibus laborabat Schiſmatibus; tunc enim, ut ait Van-Eſpen *jur. Eccleſ. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 4. *num.* 48. Romani Pontifices, aut pro talibus ſe gerentes, ut Ordines, Capitula, vel potentiores perſonas ſibi faventes haberent, facilè novis privilegiis & indultis cumulabant; quemadmodùm in luctuoſo illo ſchiſmate, quod ab obitu Gregorij XI. incepit, & vix finem accepit in electione Martini V. deplorat ipſe Martinus *in Bulla de exemptionibus ſeſſ.* 43. *Concilij Conſtantienſis.* Nunc verò cùm ſtatuta turbidis ac bellicis temporibus conſcripta, ſerenis, ac pacificis diſſonent, & non niſi ægrè accomodentur; par erat, temporibus congruam mutationem inducere, *ut ſic, quod bellica neceſsitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur*, ut ait Leo *in Epiſtol.* 77. *cap.* 1. & conſonat ſententia Juſtiniani *in leg. un. C. de cad. toll.* ut *quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiret.* Nam ut venuſtè L. Valerius

apud

apud Liv. *decad.* 34. *Quas tempora aliqua deſiderant leges mortales, & temporibus ipſis mutatas video, quæ in pace latæ ſunt plerùmque bellum abrogat, quæ in bello pax.* Unde mirum non erit, ſi hac de cauſa in
18 d. Concilio Conſtantienſi, privilegia omnia ab obitu Gregorij XI. conceſſa, exceptis tantùm illis, quæ vel in ipſa fundatione erant tributa; vel quæ fuiſſent elargita cum aſſenſu eorum, quorum intererat, obducta & revocata ſunt, addita etiam illa clauſula: *Non intendimus exemptiones de cætero facere, niſi cauſa cognita, & vocatis quorum intereſt*: quod videri eſt in d. Bulla Martini V. quæ regiſtratur *tom.* 12. *Concilior. col.* 254.

19 Præcipua verò ratio, quin proximior, ad reſtringendam juriſdictionem Prælatorum Inferiorum, & privilegia revocanda, deſſumitur ex abuſibus, & exceſsibus, temporum decurſu expertis, & ex nimia privilegiorum & immunitatum extenſione. Mira vitæ ſanctitas, & eximia antiquorum Monachorum intra ſuum inſtitutum continentia id profectò effecit, ut non modò digni haberentur, qui privilegiis & libertatibus à Pontificibus ornarentur; ſed, ut nec ſuſpicio forſam in mentem concedentium veniret, eos, qui tunc, ab alienis juribus uſurpandis, alieniſſimi erant, poſſe unquàm indultorum metam excedere: at non ita evenit, nam, ut ſunt res hominum, qui facilè, relicto medio, in extrema declinant, abuſus & exceſſus haud ſerò irrepſere, & hinc implacatæ quandoque diſcordiæ; quæ ut vitarentur, Sacris Canonibus in cura fuit, Prælatorum Inferiorum poteſtatem & privilegia moderare: cujus rei paſsim proſtant uberrima teſtimonia. Concilium Lateranenſe anni 1179. ſub Alexandro III. ut privilegia Templariis, & Hoſpitalariis conceſſa moderaretur, hos cauſatur exceſſus, *in cap. cùm, & plantare* 3. *de privileg.* ibi: *Indulta ſibi ab Apoſtolicæ Sedis privilegia excedentes contra Epiſcopalem auctoritatem multa præſumunt quæ & ſcandalum faciunt, & grave pariunt præjudicium animarum.* Concilium Lateranenſe IV. anni 1269. ſub Innocentio III. ut quorumdam Abbatum poteſtatem compeſceret, eorum præmittit exceſſus *in can.* 60. relato *in cap. intelleximus* 12. *de privil.* ibi: *Intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis Dignitatis extendunt.* Similiter Leo X. in Concilio Lateranenſi V. anni 1515. in exordio ſuæ Conſtitutionis ita præfatur: *Necnon indulta pariter & privilegia eiſdem ſubditis in ipſorum Prælatorum diſpendium, tàm per prædeceſſores noſtros, quàm Sedem Apoſtolicam conceſſa libenter moderavimus, ne exindè ſcandala procedant & perſonæ Eccleſiaſticæ à bono obedientiæ, necnon divini perſeverantia ſervitij ullatenus retrahantur.* In hunc etiam finem adduci poſſent teſtimonia alia ex Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. ex Vienenſi ſub Clemente V. & ex aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus; ſed plura ommittimus, ut tandem perveniamus ad S. Concilium Tridentinum, cujus regulis noviſsimiſque ſanctionibus firmiter ſtandum eſt.

20 In hoc ergo Sacro & œcumenico Eccleſiæ cætu, dùm de univerſali reformatione agebatur, iidem etiam exceſſus & mala inde promanantia repræſentata ſunt, ut patet ex oratione Brachij Martelli Epiſcopi Feſulani in Congregatione Generali ſub die 10. Maij 1546. cujus verba refert Van-Eſpen *d. tit.* 12. *cap.* 6. *num.* 2. Atque hinc in eodem S. Concilio, dùm de privilegiis temperandis agitur, iidem exceſſus & abuſus ponderantur, ut *in ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 21. ibi: *Quoniam privilegia, & exemptiones, quæ variis titulis, pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, &*

exemptis occaſionem laxioris vitæ præſtare dignoſcitur.

Ut ergo his malis obviam iretur, accuratè in hoc Sacro Concilio regulæ ſtatutæ ſunt, quibus privilegia aliqua revocantur & alia temperantur: in quo ſanè, notare libet, magnopere à Patribus proſpectum fuiſſe, ut illæſſa ſervaretur juriſdictio Epiſcoporum, & ſimul, quoad fieri poſſet, integra permanerent privilegia; ſiquidem, ut plurimi narrant, acriter & diù de re hac altercatum eſt, oppoſitis omninò ſententiis: Epiſcopi
21 enim præcipuè Germaniæ enixè poſtulabant, ut omnibus ex integro ſublatis privilegiis ad jus commune omnia reducerentur, repetita antiqua & priſtina Epiſcoporum juriſdictione omnimoda. Ex adverſò privilegiati, nec juſtum aut
22 conveniens aſſerebant, tot privilegiis, ſibi ob merita inſigneſque labores tributis, aliquid detractum iri; unde indultorum firmitatem totis viribus vindicabant. Inter hæc adeò oppoſita extrema, mediam tenere viam Patribus opportunum viſum fuit, ſic enim & temporum conditio ferebat, ut operoſa & ardua res non niſi levi & juſto abſolveretur temperamento. Ut enim privilegia funditùs revocarentur, plura obſiſtebant; ſiquidem occurrebant in primis privilegiatorum eximia merita, quæ remunerari æquum erat; deindè recepta jam ex ipſis antiquis privilegiis diſciplinæ ratio & norma, quæ ſi penitùs mutaretur, neceſsè erat experiri diſcordias, quas ſecum novitates afferunt *cap. cùm conſuetudinis* 5. & ibi D. Gonzal. *num.* 3. *de conſuet.* Ut verò illæſſa omnia ſervarentur privilegia, optima rerum Magiſtra experientia vetabat; niſi abuſus & experti exceſſus eſſent diſſimullandi, in gravem Eccleſiaſticæ diſciplinæ perniciem, quod nullus dicet; ſed potiùs cum Ivone Carnotenſi *Epiſt.* 236. quod *aliquando cogunt nos invenire nova genera medicamentorum, nova incrementa morborum.* Ergo medium tenere æquiùs,
23 & ad concordiam accomodatiùs viſum fuit illis Patribus, atque ita, prout temporum commiſſuræ patiebantur, aliqua privilegia fuere revocata, temperata alia, eo modo, qui tunc eradicandis ſeu compeſcendis exceſsibus conducibilior apparuit; ut in præſenti verificetur quod in ſimili dixit Gregorius VII. *lib.* 6. *Epiſt.* 2. *Poſſunt quædam in privilegiis pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro iiſdem, ſi neceſsitas, vel utilitas major exegerit, licenter valeant commutari*; & infra: *Privilegia ſiquidem non debent Sanctorum Patrum auctoritatem infringere, ſed utilitati Sanctæ Eccleſiæ proſpicere.* Qui ſingula capita reformationis in hoc genere à Tridentino adhibitæ collecta videre cupiat, adeat Fagnan. *in cap. gravè de offic. Ord.* Thomaſin. *d. lib.* 3. *cap.* 40. Van-Eſpen *d. tit.* 12. *cap.* 6. *per tot.*

24 Maneat jam ergo illud firmum & ſtatum, quod ſi in hac materia rectè ſit judicandum, & Prælatorum concordiæ proſpiciendum, ſubſiſtentiam & valorem cujuſcumque privilegij ex regulis in ipſo S. Concilio traditis eſſe deſumendum: atque ita omnia ipſo anteriora in eo comprehenſa dici debent, & quæcumque ipſi contraria nullum robur habere, ut Concordiæ Prælatorum proſpiciens declaravit Gregorius XIII. *in ſua Conſtit.* 9. quæ incipit. *In tanta*, incujus §. 4. hæc habentur verba: *Demum animadverſo, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtructa, multas, magnàſque diſſenſiones altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipſorum Ordines non ſine gravi divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitaverant, contra ac ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem, ut qui interdum conquereretur multa alioque ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quam litteris expreſſa eſſent.* Refert ſe in his ultimis verbis

vèrbis Pontifex ad privilegia conceſſa à S. Pio V.

25 Nemo, ut opinor, erit qui privilegia aliqua ejus naturæ & roboris eſſe velit, ut in hoc S. Concilio, & generalitèr à Summis Pontificibus, non valeant derogari, nam, præterquam nefas eſt de Principis poteſtate contendere aut dubitare *ad text. in leg. 2. C. de crim. ſacrileg.* Larrea *deciſ. 8. num. 1.* Fraſſ. *de Patron. Regio. cap. 3. num. 44.* Salzedo *de leg. polit. lib. 2. cap. 13. à num. 26.* Indubitatum juris axioma eſt, ejus in qualibet materia eſſe tollere, cujus eſt condere *leg. 1. pen. & ult. C. de Il.* & in propoſito noſtro, quod hoc ſit in Pontificis arbitrio, qui ſicut poteſt concedere exemptionem, ita illam tollere poteſt, tenet Choch. *de juriſdict. in exempt. part. 3. quæſt. 1. num. 1. & ſeqq.* Card. Albic. *in diſcept. de juriſd. Card. in Eccleſ. titul. diſcept. 2. quæſt. 2. num. 21.* Quin & hoc caſu, non tam jus aut privilegia exemptorum tollere, quam jus ipſi Sedi Apoſtolicæ competens renunciari aut dimiti, judicandum eſt, quod privilegiati impedire nequeunt, *ad text. in leg. ſi quis in conſcribendo C. de pact. cap. ad Apoſtolicam de reſcript. cap. ſi terra de privil.* Galerat. *de renuntia. cap. 1. num. 4. & ſeqq.* Bonden. *volum. 2. colluct. 1. num. 76. & colluct. 8. num. 24.* Quod autem jus Sedis Apoſtolicæ præcipuè intelligatur in præſenti dimiſſum, patet quia exemptionis privilegium, ſi benè perpenditur, non modò in privilegiati, ſed & in Principis indulgentis favorem tributum cenſetur, Choch. *de juriſd. in exempt. part. 1. lib. 1. quæſt. 1. num. 17.* Tamburin. *de jur. Abbat. lib. 3. diſp. 5. quæſt. 6. num. 4.* Pignatell. *tom. 7. conſ. 15. num. 17.* Unde provenit & illud, quod privilegiatus, ſine aſſenſu Principis, cui immediatè manſit ſubjectus, alterius Inferioris juriſdictioni ſubjici non poteſt, *ex text. in cap. cum tempore de arbitr.* Suar. *de Legib. lib. 8. cap. 33. numer. 2.* Pignatell. *tom. 1. conſ. 114. numer. 16. & tom. 2. conſ. 27. num. 7.* Rota *apud Tamburin. deciſ. 81. num. 12.*

31 Nec in his ſive revocationibus ſeu moderationibus aliquid eſt cur quęrãtur privilegiati, & mutationes has moleſtè ferant; nam in primis majori robore & firmitate gaudere non debẽt privilegia, quæ, ut nomen indicat, privatum aliquorum jus reſpiciunt, quàm leges, quæ, ex ſua natura in commune bonum rogatæ, perpetuitatem ſaltem ex voto Legiſlatoris præſeferunt, ut exornat Philip. *diſſert. Fiſcal. 22. num. 39. & ſeq.* Cùm verò lex obſervanda non ſit, ſi tractu temporis nociva & præjudicialis efficiatur, Fermoſin. *in cap. fin. q. 1. num. 1. 2. & 3. de conſuet.* Creſpi *obſerv. 1. n. 170.* Valaſc. *de jud. perfect. rubr. 9. annot. 6. num. 9.* Bobadill. *in polit. lib. 2. cap. 10. num. 33.* Potiori ratione inſubſiſtens debet declarari privilegium, quoties ad eos terminos deductum eſt, ut vergat in damnum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut conſideratur in Conciliis ſupra relatis, *ex cap. ſuggeſtum de decim. cap. quanto de conſuet. leg. quod ſervius ff. de condict. ob cauſ.* Anteceſſor D. Caſtillo *de Tertiis cap. 9. numer. 23.* D. Larrea *alleg. 87. num. 11.* Antunez *de donat. lib. 2. cap. 24. ſub num. 15.* & optimè ad propoſitum Capic. Galeota *reſponſ. fiſcal. 23. num. 71. & ſeq.* Quin in his terminis privilegiati in ſe ipſos cauſam revocationis & quærelas debent refundere; ex quo enim indulta immunitate abutuntur, amittendi privilegij ſibi ipſis ſunt auctores, *ex d. cap. cùm & plantare de privil.* ibi : *Privilegium omninò meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur facultate*, quæ ſententia repetitur *in cap. ut privilegia eod. tit.* & facit D. Auguſtin. *ſerm. 247. de tempor.* ibi : *Iudicio legum jure ab obtenta dignitate dejici, qui privilegio ſibi conceſſo abutitur*: illuſtrat Bellug. *in ſpecul. Princip. rubr. 35. numer. 12.*

Mager. *in advocat. armata cap.* 16. *à num.* 637. D. Gonzal. *in d. cap. ut privilegia num.* 2.

36 Deindè locus conquæſtioni præcluditur, quia, cùm hoc genus privilegia eo fine ſint conceſſa, ut meliùs & accomodatiùs ſubditi dirigantur & gubernentur, tributa à Papa juriſdictione huic, vel illi, prout ipſi conſultiùs videtur, nullius injuria aut præjudicium allegari valet, ſi, quando ipſi expediens videbitur, contrarium per revocationem ſtatuerit; cùm ipſe ſit centrum, à quo juriſdictio omnis fluit, & ad quod refluit, pro quo comprobando optimum erit hic tranſcribere doctrinam Navarri, qui cum D. Thoma hoc ipſum confirmat *in cap. placuit de pœnit. diſt.* 6. *num.* 61. *& ſeq.* ibi: *Præjudicium non fit alicui, niſi ſubtrahatur alicui, quod eſt in favorem illius indultum; juriſdictionis autem poteſtas non eſt conceſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & ad honorem Dei; & ideo, ſi Superioribus expedire videatur ad ſalutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ ſunt juriſdictionis, committant, nullum ſit præjudicium Inferioribus Prælatis niſi illis, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu-Chriſti, & qui gregi præſunt, non ut paſcant, ſed ut paſcantur.*

37 Putaret aliquis, nec forſan abſque auctoritate, revocationes aut moderationes à S. Concilio factas non adeò eſſe univerſales, ut extendantur ad privilegia inſerta in corpore Juris, quorum magna debet eſſe auctoritas; nec ad privilegia, quorum in revocatione ſpecialis mentio non fit, quia de illis cogitatum non apparet: ſed ſanè contrarium eſt tenendum, præcipuè in noſtris terminis, nam revocatio univerſaliter operatur, quoties inducitur per legem generalem, & tunc ſufficit, quod de omnibus privilegiis in genere Princeps cogitaverit P. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 39. *numer.* 2. Caſtr. Pal. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 21. §. 4. *num.* 10. Pirrhing. *in Ius Canon. lib.* 5. *titul.* 33. *num.* 191. Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 39. *num.* 8. *& præſumpt.* 49. *num.* 16. D. Larrea *alleg.* 77. *num.* 16. Antunez *de donat. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 59. *& cap.* 24. *num.* 16. Gonzal. *ad regul.* 8. *Chanc. Gloſſ.* 36. *num.* 32. Matheuc. *offic. Cur. cap.* 35. *ſub num.* 6.

38 Similiter nec vires revocationis effugient privilegia illa, quæ munita ſunt illa clauſula, quod non intelligantur revocata per quamcumque poſteriorem conſtitutionem, niſi de eis ſpecialis mentio fiat: Quia notiſsimum

39 eſt, quod ſicut Papa ſeu Princeps ſibi manus ligare non poteſt in exercitio ſuæ poteſtaris, ita nec Papa Prædeceſſor poteſt ligare manus Succeſſorum *cap. fin. junct. gloſſ. de reſcript. in* 6. Navarr. *conſ.* 2. *num.* 9. *qui filij ſint legit. part.* 2. *ubi latè.* Choch. *de juriſdict. in exempt. d. part.* 3. *q.* 2. *num.* 2. expreſsè Tamburin. *de jur. Abbat. lib.* 1. *diſp.* 18. *q.* 3. *num.* 37. ubi firmata hac doctrina, ex eadem ratione ita concludit: *Ideo Regularium aliorumque exemptorum privilegia immutabilia non ſunt, niſi in quantùm à Succeſſoribus Summis Pontificibus minimè revocantur; etiam ſi de talibus privilegiis ſit manifeſta clauſula quod non &c.*

40 Major ſanè ratio dubitandi eſſe poteſt circa privilegia illa, quæ dicuntur remuneratoria, qualia ſunt, quæ Sedes Apoſtolica ſæpè conceſsit Regularibus ob illorum eximia merita, illuſtriaque ſervitia erga Sedem Apoſtolicam, & Catholicam Religionem. Fuere quidem

41 Auctores aliqui, qui ea revocari non poſſe judicarunt, quia ſimilia privilegia tranſire dicuntur in contractum; & jus plenum & abſolutum, quod reformari & ſuſpendi nequit, in conceſſionarium, transferunt *ex leg. Aquilius de donat.* Valenzuel. *conſ.* 155. *num.* 7.

ita

42 ita ut quod datur remunerationis causa non procedat à mera, & simplici liberalitate, sed ab ea obligatione, qua tenetur quis benefacienti benefacere *leg. sed etsi lege* 25. *§. consuluit de petit. hæred.* unde donationem remuneratoriam, non esse propriam donationem,
43 *ex leg. si quis pro uxore §. fin. in fin. ff. de donat. int. vir. & d. leg. Aquilius*, sed potiùs naturalis debiti exsolutionem, & officij accepti mercedem, dixerunt aliqui. Quibus præsertim fundamentis, privilegia remuneratoria meritorum revocari non posse, tenuit Oldrad. *cons.* 266. *in Christi nomine num.* 7. *vers. præterea.* Antecessor D. Castillo *tom.* 7. *de tertiis cap.* 18. *num.* 148. *& seq.* Ferdin. de Escaño *in propugn. S. Relig. Hierosolym. discept.* 15. *cap.* 2. *à n.* 9. *usque ad* 15. ubi alios citat.

44 Sed tamen communissima est inter Canonistas contraria sententia, atque hodie indubitata. Distinguendum enim est inter merita & servitia, ab ali-
45 quo præstita ultrò omninò, & absque ulla antecedenti obligatione, hoc tantùm fine, ut mereat; & inter servitia facta ab eo, qui non omninò ultrò, sed ex status vel officij sui debito in præstatione servitij operatur. Priora enim
46 propriè & strictè sunt merita, ac proinde concessiones, indulta, gratiæ, seu privilegia, pro eorum remuneratione tributa, transeunt in contractus onerosos & correspectivos, non revocabiles, ob jus concessionario acquisitum *cap.* 1. *de donat.* & ibi communiter Canonistæ. Et in his privilegiis rectè procedit doctrina, quæ irrovocabilia esse dicit privilegia remuneratoria; nam tunc oritur obligatio civilis & efficax inter concedentem, & concessionarium, quamvis unus esset Princeps, & alter privatus; tunc siquidem jure privatorum censentur, ut notat Fagnan. *in d. cap.* 1. *de probat. num.* 7. Et harum concessionum exemplum desumi potest *ex d. leg. Aquilius de donat.* ibi enim servitium
47 Nicostrati Rethoris, in erudiendo, instruendoque Aquilio Regulo, omninò liberale & voluntarium fuit, ac proindè propriè meritorium; nulla siquidem ratione ad id exhibendum Nicostratus tenebatur, quare donationem habitationis ab Aquilio factam, propriè remuneratoriam esse, Papinianus demonstrat illis verbis: *Sed officium Magistri quadam mercede remuneratum esse Regulum.* Quam donationem in contractum correspectivum transiisse, idem Papinianus indicat, cum ejus subsistentiam contra heredes defendit. Quis verò censendus esset initus contractus, non defi-
48 nio: donationem ob causam esse, sensit Conan. *lib.* 5. *com. cap.* 9. *num.* 6. Cujac. *lib.* 21. *observ.* 37. Pac. *cent.* 6. *q.* 81. Quasi contractum quemdam commutativum, in quo habitatio datur pro opera Magistri, dixit Scholiast. *lib.* 47. *basilicor. tit.* 1. *ad hanc leg.* 27. Compensationem dati cum accepto vocavit Pinell. *in leg.* 1. *C. de bon. matern.* 3. *part. ex numer.* 60. D. Covarr. *in cap. cum in officiis de testam.* Cabed. *part.* 2. *decis.* 36. *ex num.* 4. videndus Retes *de donat. cap.* 3. *per tot.*

49 Redeundo autem ad ea merita, & servitia quæ ex status vel officij debito proveniunt, dicimus, privilegia illorum intuitu concessa, non esse propriè & strictè remuneratoria, atque revocari à Principe concedente posse. Exempla horum servitiorum ha-
50 bemus in milite benè serviente Duci, vel Principi, & in subdito, seu vassallo, ac respectivè famulo benè serviente Domino, aut in filio obsequente patri, vel in muliere obsequente viro; ac tandem in proposito nostro in clericis & viris Religiosis Catholicæ Ecclesiæ servitio
51 operam navantibus; tales enim personæ, cùm ex sui status vel officij debito operentur, ut pluribus auctoritatibus demonstrari poterat, mereri propriè

dici non poſſunt, nam juxta Div. Thomæ ſententiam 1. 2. *quæſt.* 7. *artic.* 5. ceſſat meritum, ubi quis ex debito operatur; ac pronde in his perſonis nulla poſſunt conſiderari merita, quæ ſint remuneratione digna: ut in ſervitiis filij & uxoris erga patrem & virum poſt Lap. Tiraquell. & alios probat Franch. *deciſ.* 428. *num.* 5. Adeò ut propterea hujuſmodi ſervitia & merita nullam in recipiente producere obligationem, nec adhuc antidoralem, qua ad remunerationem & retributionem teneatur, exiſtimaverit cum aliis Capic. Gal. *reſp. fiſcal.* 23. *num.* 26. *& ſeqq.* ac proinde, conceſſionem ex hac cauſa factam, gratuitam potiùs quàm remuneratoriam eſſe, concludit his verbis: *Ad hoc enim ut conceſsio dicatur facta in remunerationem ſervitiorū ex cauſa præcedentis obligationis, neceſſe eſt, quod ſervitia illa, quæ remunerantur, non ſint præſtita à ſubdito, qui ratione ſtipendij, vel ex debito officij ad ea tenebatur, quia tunc non ſunt in conſideratione ad producendam aliquam obligationem, nec etiam antidoralem, adeò quod Fiſcus tali caſu ad emendam nequaquam teneatur.*

53 Sed licèt admittamus quod probabilius eſt, hujuſmodi ſervitia & merita obligationem antidoralem in accipiente producere, qua ad retributionem teneatur; adhuc tamen certum eſt, conceſsionem, hac de cauſa factam, gratuitam eſſe, nec in contractum tranſire; & ratio eſt, quia obligatio antidoralis non inducit debitum legale in judicio exercibile, ſed tantùm debitum 54 morale, ratione honeſtatis ex cauſa gratitudinis, ideo debitum ex pacto, aut ex promiſſo, ex juſtitia dicitur obligare; debitum verò ex gratitudine, dicitur obligare ex honeſtate. Quæ doctrina eſt Angelici Præceptoris 2. 2. *q.* 106. *art.* 5. *& artic.* 6. *ad* 2. Gravat ergo ſimilis obligatio pudorem, ſed non conſcientiam, ut docuit idem Angel. Præcept. *q.* 107. *ſeqq. art.* 1. *& art.* 6. *ad* 2. Conſentit in idem Card. de Luca *in conſlict. legal. obſ.* 274. ubi ait obligationem hanc in judicio non eſſe exercibilem contra invitum ex rigore juſtitiæ commutativæ, ſed cadere potius ſub juſtitia diſtributiva: 55 Benè tamen verùm eſt, ut proſequitur *ibidem* idem Purpuratus, obligationem hanc differre facere conceſsionem hac de cauſa factam ab alia merè gratuita, mereque lucrativa, ut tanquam de condigno remuneratoria ſpeciem habeat contractus correſpectivi adeò, ut ſub generalibus gratiarum & privilegiorum 56 derogationibus non cadat, atque in eorum revocatione difficilior concedens eſſe debeat, non tamen ut revocandi de negetur poteſtas; quare, hæc privilegia revocationi ſubjacere, certa eſt ſententia, quam tenent, pluribus ommiſsis, Pinell. *in leg.* 1. *C. de bon. mat. part.* 3. *ſub num.* 59. Cabed. *part.* 2. *deciſ.* 75. *num.* 10. 11. *&* 12. Afflict. *deciſ.* 307. *num.* 13. Gam. *deciſ.* 29. *ſub num.* 1. Rovit. *in conſult. pro Reg. Curia poſt ejus conſil. lib.* 1. *num.* 9. *& ſeq.* Galeot. *ubi ſupra* Cardin. de Luca *ubi ſupra*, qui hunc articulum ita concludit: *Ideoque cum Clericalis Ordo utriuſque Sæcularis, & Regularis Hierarchiæ, Chriſti & Catholicæ Eccleſiæ profiteatur militiam, & per conſequens ex debito officij benè inſervire, ac ſpiritualiter militare teneatur: hinc ſequitur, quod ex hoc ſervitio benè præſtito reſultat de hac poſteriori ſpecie cēſendum eſſe privilegium, & per conſequens irrationabilitates habentes quoque admixtam temeritatem, iſtud aſſumptum redolet.*

57 Penitùſque in propoſito omnis difficultas ceſſat ex alia recepta theorica, qua traditur privilegium etſi remuneratorium derogari poſſe, juſta interveniente cauſa; præcipuè ubi privilegium ſubdito conceſſo proponitur, *ex text. in leg. quod ſemel ff. de decret. ab ord. faciend.* Tamburin. *de jur. Abbat. lib.* 1. *diſp.* 16. *q.* 12. *num.* 18. Actolin. *reſol.* 1. *num.* 73. Pellizar. *man. Regular. tract.* 8. *cap.*

cap. 1. sect. 1. num. 101. & 102. Pinell. *in d. leg. 1. part. 3. sub num. 62. vers. ego.* Barbosa *ad text. in cap. 1. num. 11. de probat.* Pereyr. *de man. Reg. part. 1. cap. 6. num. 7. & 8.* Galeota *d. respons. 23. num. 24. & 25.* ubi illam tradit rationem, quod nempè si Princeps potest uti bonis subditorum in bonum Reipublicæ, à fortiori poterit limitare & casare contractum cum subdito, & revocare concessa. Justitia autem causæ,
58 præterquam reverenter præsumi & supponi debet, quoties in Sacris Ecclesiæ Canonibus revocatio inducitur; frequenter etiam exprimitur, illam dessumendo ex abusibus & excessibus, ut supra ipsa locorum ostensione demonstravimus; & denique dùm revocatio per legem generalem fit, justa causa intercedente, præsumitur facta P. Suarez *de legib. libr. 8. cap. 39. numer. 2.* Palaus *tract. 3. disp. 4. punct. 21.* Pirrhing. *in Ius Canon. lib. 5. tit. 33. num. 191.*

59 Nec sanè percipi facile potest illa privilegia esse irrevocabilia, quæ toties in Conciliis, ut supra vidimus, de Lateranensibus, Vienensi, Lugdunensi, Tridentino, fuere revocata. Cui considerationi accedit subsequens privilegiorum status, & recepta observantia, quæ multùm debet attendi *ex text. in leg. 4. & ibi Gloss. C. si verb. export. ven. leg. illud C. de coll. leg. si mater. C. ne de stat. defunct. cap. consolationibus de jur. patron.* Parlador. *lib. 2. cap. 5. num. 19.* Maresсot. *lib. 1. var. cap. 55. num. 1.* Posth. *de manut. observ. 70. num. 52. & obs. 73. num. 4.* Barbosa *de jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 188.* Qua in parte
60 si aliqua privilegia essent excipienda, maximè concessa S. Religioni Hierosolymitanæ, cujus insignia & uberrima privilegia tot laboribus, servitiis, & meritis fuere acquisita, ut *pretium sanguinis* ea appellaverit post alios Dominic. Ursay. *discept. Eccles. tom. 3. part. 2.*
61 *discept. 14. num. 23.* & tamen certum est, illa pluribus in locis revocasse Tridentinum; & in confesso est illa non subsistere, nisi quatenùs eidem Concilio non adversantur, ut in hoc opere passim apparebit. Fortiori ergo ratione dicendum erit de aliis quibuscumque privilegiis à Concilio revocatis expresè, vel eidem contrariis: Qua in re clarissima est doctrina Anacleti Reinfestuel, qui novissimè *in Ius Canon. lib. 5. tit. 33. num. 147.* ita scripsit: *Quæritur 5. An Regulares saltem in foro conscientiæ possint suis privilegiis uti, à Concilio Tridentino expresè revocatis, vel eidem contrariis? Resp. primo. Quamvis non desint docentes, Regulares uti posse privilegiis etiam expresè revocatis à Concilio Tridentino; tamen negativa hodiè est certa quoad illa privilegia, quæ post Concilium de novo non sunt concessa, eo quod sententia contraria hodie sit damnata ab Alexandro. VII. in aliis terminis*::: Regulares possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata à Concilio Tridentino. *Expresè autem revocata sunt à Concilio omnia, & sola illa, quæ sunt contraria alicui ex decretis sess. 25. de Regular. vel etiam alicui priorum sessionum decreto, cum expressa clausula privilegiorum sufficienter derogatoria posito.*
62

63 Stantibus ergo revocationibus & moderationibus privilegiorum à S. Concilio Tridentino adhibitis, plures postmodùm procuratæ tributæque sunt confirmationes, & hinc non minores dubitationes oriri solent de viribus & efficacia ejusmodi confirmationum; unde aliqua super hoc, licèt breviter, tradere ad plenam materiæ cognitionem opus est. Et quidem priùs notare supponereque opportet, quod sicut
64 Summus Pontifex potest privilegia quæcumque de novo concedere etiam quæ Concilio Tridentino sint contraria, ita potest, si voluerit, plenè confirmare privilegia, quæ à Concilio Tridentino

sunt

ſunt derogata, aut moderata: hæc doctrina extra aleam dubitationis eſt; quod ſi aliqua hæſitatio & difficultas occurrit,
65 non circa poteſtatem, ſed circa mentem & voluntatem verſatur, quæ præcipuè debet attendi, ex traditis à Gratiano *diſcept. forenſ. cap.* 182. *num.* 13. & ibi Carol. Anton. de Luca *num.* 4. Anſald. *de comerc. diſc.* 43. *num.* 17. & 23. Paul. Rub. *ad deciſ.* 90. *part.* 9. *tom.* 1. *recent. num.* 312. Et ſanè ſi Pontifex in confirmatione privilegiorum expreſsè & clarè derogaverit diſpoſitioni Concilij, tunc etiam nulla erit dubitatio, ut ſi utatur illa clauſula: *Non obſtante Concilio Tridentino.* In hoc enim caſu, omni remoto dubio & quæſtione, pro privilegij validitate & robore erit pronuntian-
66 dum. Sed cùm agitur de poſterioribus diſpoſitionibus contrariis Tridentino, nec etiam eſſe neceſſariam ſpecialem & expreſſam derogationem, generalemque ſufficere, ad diſtinctionem aliorum Generalium Conciliorum, tenent Fagn. *in cap. ex parte num.* 26. *de privil.* Card. de Luca *in adnot. ad Sacr. Concil. Trident. diſc.* 1. *num.* 15. Cardin. Petra *tom.* 2. *ad conſtit.* 9. *Innocentij III. ſect. un. num.* 52. ea tradita ratione, quia in Concilio Tridentino auctoritas Sedis Apoſtolicæ non ſolùm tacitè, ut in omnibus œcumenicis Conciliis, ſed expreſsè fuit præſervata, ut conſtat ex tenore ipſius confirmationis factæ à Pio IV. quæ legitur *in cap. ult. ſeſſ.* 25. *de reform.*

67 Sed ſi verum amamus, inficiari nequit Pontificum longè aliam frequenter mentem eſſe, quam ut derogent ſanctiſsimis, ac ſaluberrimis decretis Concilij Tridentini; nam, ut docet Salmanticenſ. *tract.* 18. *de privileg. cap.* 1. *num.* 135. nullum uſquemodò ſcimus emanaſſe privilegium confirmativum abſolutè privilegiorum cum illa clauſula: *Non obſtante Concilio Tridentino.*
68 Quin ſæpè occurrit Romanos Præſules illud enixiſsimè peroptaſſe, ut ſecundùm Tridentini Concilij regulas privilegia omnia obſervarentur. Sic enim cum S. Pius V. in Bulla *Etſi Mendicantium* plura confirmaſſet privilegia, etiam contraria Tridentino, poſteà idem S. Pontifex, paci & Concordiæ Ordinariorum, & Regularium proſpiciens, privilegia hæc ad terminos ejuſdem Concilij reduxit *in ſua Conſtit. expoſcit* 136. *in ordin. apud Cherubin. tom.* 2. *pag. mihi* 344. & poſteà Gregorius XIII. generalitèr & abſolutè ejuſmodi privilegia, quatenùs decretis Concilij opponerentur, aut oppoſita exiſtimari poſſent, revocavit *in ſua conſtit. in tanta in ordin.* 9. *apud Cherubin. tom.* 3. *pag.* 370. & in alia *conſtit. quæ incipit circunſpecta.* 67. *in ordin. apud Cherubin.* expedita anno 1580. Et hinc factum eſt, ut teſtatur idem Salmanticenſ. *d. cap.* 1. *num.*
69 135. quod poſteà, tàm ipſe Gregorius, quàm ejus Succeſſores, etiam in ampliſſimis conceſsionibus & confirmationibus privilegiorum illam clauſulam adiderunt frequentiſsimè:: *Dummodò Decretis Tridentini non ſint contraria.* Et quamvis aliqua Bulla abſolutè conceſſa reperiatur abſque illa clauſula; praxi tamen & uſu omnium Tribunalium jam invaluit, ut hujuſmodi clauſula ſubintelligatur & æquiſsima ſuppleatur interpretatione. Quia per hoc, quod Pontifices ommitant illam, ſi non ponunt expreſsè contrariam, non ob id cenſentur contra Tridentinum concedere, quia in generali conceſsione non veniunt ea, quæ rarò, & difficilimè ſolent concedere, ita Salmanticenſ. *loco citat.* ubi plures celebrioreſque AA. Morales in hoc ipſum adducit; & de hac praxi & ſtylo teſtantur etiam Donat. *de Regular. part.* 2. *tom.* 1. *tract.* 1. *num.* 11. ibi: *Nec hodie confirmantur Religioſorum privilegia niſi cum illa clauſula: dummodo Decretis Concil. Trident. non adverſentur*: idemque teſtatur Barboſa *clauſul.* 124. *num.* 6. Anaclet. *in Ius Canon. lib.* 1. *tit.* 2.

num.

num. 530. ibi : *Et hinc communis eſt ille ſtylus Curiæ Romanæ apponendi in conceſſionibus privilegiorum vel horum confirmationibus clauſulam illam : quatenùs Decretis Concil. Trident. non adverſentur.* Sic etiam Innocentius X. in ſua Bulla, quæ incipit *Vniverſalis Eccleſiæ*, expedita anno 1648. confirmare intendens ampliſsima privilegia Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ conceſſa, illam adjecit clauſulam : *Exceptis tamen Decretis ejuſdem Concilij Tridentini, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon aliis, in quibus ſpecifice eadem Religio exprimitur & comprehendi diſponitur.*

70 Finis autem & ratio præfatas clauſulas adjiciendi (aliis omiſsis effectibus) ille eſt, ne ſub generali illa clauſula : *Non obſtantibus : &c.* quæ uſitatiſsima eſt in fine litterarum Apoſtolicarum, derogatum intelligatur Decretis ejuſdem Concilij Tridentini ; hoc enim debetur præſtantiæ & dignitati Conſtitutionum Conciliarium, ut de mente Pontificum nunquam eſſe credatur, ut eis derogent per clauſulas generales, ut probatur *ex cap. ex parte de Capell. Monach.* ibi : *Cùm autem id obviet Lateranenſi Concilio, de quo nulla mentio eſt in litteris antedictis : Fraternitati tuæ breviter reſpondemus, quod hujuſmodi litteras ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe.* Et in propoſito tenet Archidiacon. *in cap. 1. de conſtit. in 6.* & cum aliis antiquis Canoniſtis Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 18. num. 103.* Fagnan. *in d. cap. ex parte à num. 14. & in cap. nonnulli à num. 21. de reſcript.* Cardin. de Luca *de benef. diſc. 46. num.* 120. Anaclet. *in Ius Canon. d. lib. 1. tit. 2. num. 527.* Piton. *diſcept. 35. num. 6.* Urſaya *tom. 2. part. 1. diſcept. 1. num. 66. & ſeqq.* Rota *part. 4. recent. tom. 3. deciſ. 614. num. 5. & deciſ. 648. num. 7. & part. 15. deciſ. 350. num. 9. & part. 9. deciſ. 107. num. 3.* Atque eo tantùm

71 caſu admittitur, derogatum intelligi Concilio Tridentino, expreſſa mentione & derogatione non facta, (ut eſt opinio relata *num. 66.*) cùm in ſecunda diſpoſitione conceditur & ſtatuitur expreſsè contrarium ejus, quod in eodem Concilio diſponitur, ut tenet Pignatell. *tom. 6. conſ. 8. num. 20.* Piton. *d. diſcept. 35. num. 19.* Et ratio eſt, quia tunc dubitari nequit de mente & voluntate Pontificis circa derogationem.

Ut autem magis ſecurè mens & voluntas Pontificum in derogando ſive confirmando detegatur, illud maximè conſiderandum eſt, an nimirùm Pontifex operetur per viam puræ & ſimplicis confirmationis, vel potiùs per viam ampliationis, ſeu novæ conceſſionis ; quod DD. explicant diſtinctione facta inter confirmationem in forma communi, & confirmationem in forma ſpecifica tributam. Si enim Papa in forma tantùm communi confirmaverit,

72 quod tunc utique evenit, cùm, nulla præcedente cauſæ cognitione, aliquid confirmat adjecta conditione, ut puta: *Dummodò Sacris Canonibus, Tridentini Concilij decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non adverſetur* ; tunc illa tantùm privilegia confirmantur, quæ valida, non quæ derogata fuerint ; quia ſimilis confirmatio nihil novi juris concedit, nec, ultrà conceſſa, aliquid tribuit aut ampliat, niſi quatenùs privilegio valido aliquid adjicit, majoris auctoritatis & virtutis ; quæ adjectio in privilegio invalido, viribuſque deſtituto verificari nequit ; ut *per text. in cap. præceptis 12. diſt. cap. inter dilectos de fide inſtrum. cap. quia diverſitatem de conceſsione præben. cap. cùm dilecta, & cap. penult. de confirm. utili. cap. ex parte 13. cap. quia 29. de privil.* tenet Abbas *in cap. ſi quis rei litigioſæ num. 6. de confirm. utili, & ibidem Bald. num. 2.* Geminian. *conſ. 128.* Cabed. *part. 1. deciſ. 1. à num. 6.* P. Suarez *de legib. lib. 8. cap. 18. à num. 2.* D. Solorz. *de jur. Indiar. lib. 2. cap. 26. numer. 60.*

Altograd. *lib.* 1. *conſ.* 79. *num.* 3. Capic. Latro *conſ.* 41. *n.* 22. *& ſeqq.* D. Caſtillo *libr.* 5. *controv. cap.* 89. *numer.* 201. *&* 202. Anguian. *lib.* 3. *controverſ. cap.* 6. Vultej. *conſ.* 54. *ex num.* 193. *vol.* 3. Conciol. *allegat.* 28. *num.* 12. D. Salgad. *de reg. protect. part.* 4. *cap.* 11. *num.* 37. Tamburin. *de jur. Abbat. lib.* 1. *diſp.* 18. *q.* 5. *n.* 6. Murga *ad conſtit.* 2. *Cæleſtini III. num.* 38. Fagnan. *in cap. ſi quis rei num.* 11. *&* 18. *de confirm. utili.* Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 205. *num.* 29. & noviſsimè Cardin. Petra *tom.* 2. *ad conſt.* 9. *Innocent. III. ſect. un. num.* 53. Rota *part.* 9. *rec. tom.* 1. *deciſ.* 179. *à num.* 36. Unde hanc confirma-

73 tionem parùm, aut nihil valere aſſerunt plurimi ex antiquis *in d. cap. ſi quis rei litigioſæ*, & Rota *deciſ.* 84. *num.* 8. *part.* 7. *recent.* Ratio autem ea eſt, quia confirmatio in forma communi non egreditur vires puræ & ſimplicis confirmationis, & hæc ex natura ſua petit actum confirmandum eſſe validum *cap. poſtquam* 3.

74 *cap. noſtri* 9. *de elect.* cùm qui petit confirmationem aut renovationem, non ſupponat invaliditatem privilegij, ſed potiùs ſupponat vi ipſa valorem, & illius exiſtentiam; atque ita confirma-

75 tio ejus naturæ eſt, ut retrotrahatur *leg.* 25. *C. de donat. inter vir.* Nec propterea quis inferat omninò fruſtraneam hanc confirmationem eſſe; ſuos enim

76 habet effectus, ut eſt, in primis, præcavere, ne privilegium vetuſtate pereat; plurimùm ſæpè intereſt renovatio, ad priſtini ſtatus vigorem retinendum, quia ſæpè fit longinquitate temporis, ut non pateat conditio originis, ut dicitur *in cap. longinquitate* 64. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *junct. Gloſſ. final. de præcar.* P. Pirrihng. *in Ius Canon. lib.* 5. *tit.* 33. *num.* 121. Deinde & major reverentia & auctoritas ipſa confirmatione conciliatur privilegio, ad ejus obſervantiam *arg. cap. quamquam* 23. *diſt.* Tandem in id præcipuè prodeſt hæc confirmatio in forma communi, ut privilegiatus ab ea deſſumat cauſam & titulum præſcribendi, ut ex doctrina veterum Canoniſtarum tenet Fagnan. *in d. cap. ſi quis rei litigioſæ num.* 23. *de confirm. utili.*

77 Si verò Pontifex confirmaverit in forma ſpecifica ſeu *ex certa ſcientia*, quod tunc evenire cenſetur, quando plenè ei factum referatur, & adhibetur plena cognitio ſuper negotio confirmando; vel cùm in ipſo confirmationis inſtrumento tenor rei confirmatæ inſeritur, nullaque conditio adjicitur, ut tenent communiter DD. *ad text. in cap. venerabilis de confirm. utili, & in capit. dilectos de fide inſtrum.* Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 70. *num.* 9. Gutierrez *conſ.* 11. *à num.* 5. Valenzuel. *conſ.* 79. *num.* 4. Fagnan. *ubi ſupra num.* 11. tunc quidem non modo confirmatur actus aut privi-

78 legium validum, ſed etiam nullum & invalidum *cap.* 1. *de tranſact.* Gloſſa *in verb. Eccleſia in cap. Eccleſia; & verb. confirmata in cap. cum acceſſiſſent de conſt.* Decian. *conſil.* 18. *num.* 27. *lib.* 1. D. Caſtillo *libr.* 5. *controv. cap.* 89. *num.* 206. & reddit actum validum per ſe, non ut acceſſoria actus D. Gonzal. *in cap.* 2. *num.* 5. *de confirm. utili*: Unde hujuſmodi

79 confirmatio probat abſque eo quod doceatur de confirmato, ut decidit Rota *deciſ.* 36. *num.* 1. *& ſeq. part.* 2. *diverſ. & deciſ.* 226. *num.* 22. *part.* 7. *recent.* Ratio autem horum eſt, quia hujuſmodi

80 confirmatio non eſt propriè confirmatio, ſed potius diſpenſatio, ampliatio, ſeu novum privilegium, ut ex præcitatis juribus tenent etiam recenſiti DD. & D. Gonzal. *in d. cap.* 2. *num.* 5. *&* 3. ubi de hac confirmatione accipit *tex. in leg. adoptio* 38. *cum ſeq. ff. de adopt. leg.* 1. 2. *&* 3. *C. de confirm. tut. cap. quia* 5. *de elect.* ubi docetur poſſe confirmari actus, qui ab initio nulli, invalidique fuerunt.

81 Cùm autem confirmatio fuerit præſtita in hac forma ſpecifica & ex certa ſcientia dubitandum jam non erit

de

de mente Pontificis circa confirmationem privilegij utcumque invalidi, & derogati etiam per Concilium Tridentinum; ſed tamen adhuc verum eſt, quod cùm hujuſmodi confirmatio ſit exhorbitans, & difficilis præſtationis, quia in effectu diſpenſatio eſt, & novum privilegium; ideo confirmationes plerumque non in forma ſpecifica, ſed in forma communi, intelliguntur conceſſæ, *ad text. in cap. dilecta de confirm. utili. cap. ex parte. cap. intentionis de privil.* Garc. *de benef. part. 3. cap. 2. num. 225. & ſeqq.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 45. §. 1. num. 36.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 253. num. 49.* Poſth. *reſol. 130. numer. 27.* D. Caſtro *alleg. 11. num. 101.* Cardin. de Luca *de judic. diſc. 35. num. 63.* Bordon. *conſ. 37. numer. 25.* ubi hanc rationem tradit, quia conſtat de privilegio revocato & dubitatur an ei ſit applicata medicina reſtitutionis in priſtinum, dùm ignoratur an confirmatio ſit ſpecifica; ergo ne erremus debemus ſtare pro revocatione certa ac proinde confirmationem eſſe in forma communi, quæ ſolùm valida confirmat; non verò inutilia.

CAP. IX.

Refertur controverſia inter Archiepiſcopos Toletanos & Magnos Priores Hieroſolymitanos ſuper juriſdictione in Oppidis Prioratum Caſtellæ & Legionis.

SUMMA CAPITIS.

1 *Ratio methodi & Continuationis exponitur.*

2 *Proteſtatio Scribentis.*

3 *Sacra Hieroſolymitana Religio Hieroſolymis ortum habuit.*

4 *Peregrini Hieroſolymam confluentes obtinuerunt à Sarracenis, ut ſibi liceret extruere Eccleſiam in honorem Beatæ Mariæ.*

5 *Poſtmodum exædificatur Monaſterium Monialium in honorem S. Mariæ Magdalenæ.*

6 *Deinde extructum fuit Hoſpitale B. Ioanni Baptiſtæ, dicatum, ubi B. Gerardus prima jecit hujus Religionis fundamenta.*

7 *Recepta à Chriſtianis Hieroſolyma anno 1109. plures inſtitutæ fuerunt Congregationes & Militiæ in peregrinorum auxilium.*

8 *Gerardus Socios aſcivit qui hoſpitalitatis operâ exercerent, quibus poſtmodum militiæ profeſſio acceſſit; & inde tres Religioſorum claſſes prodierunt.*

9 *Nova Conſociatio Religioſæ profeſſionis & Militiæ aliquibus difficilis, curſim probatur & extollitur.*

10 *Exordienti huic S. Religioni Pontifices nedum confirmationem, ſed eximia privilegia conceſſere.*

11 *Varia nomina, quibus hi Milites inſigniuntur.*

12 *Hiſpaniæ Reges impenſiſsimè huic Sacræ Militiæ faverunt, & præcipuè Berengarius Barcinonenſis Comes & Alphonſus I. Aragoniæ Rex.*

13 *Alphonſus VIII. Caſtellæ Rex Hieroſolymitanis donat Caſtrum de Conſuegra anno 1183.*

14 *Iulius II. confirmat donationem Alphonſi Regis.*

15 *Magnus Prioratus Caſtellæ & Legionis curita vocetur, & quæ Oppida complectatur.*

16 *Obiter de Conventu S. Mariæ del Monte.*

17 *OEconomia juriſdictionis tum ſpiritualis, tum temporalis Archiepiſcopi Toletani & Magni Prioris in diſtrictu Prioratus.*

18 *Qualis eſſet ratio concordiæ ſervandæ inter Archiepiſcopum & Magnum Priorem.*

19 *Hieroſolymitani in Magno Prioratu juriſdictionis Eccleſiaſticæ actus aliquos exercere incipiunt.*

20 *Adverſantur Archiepiſcopi, & hinc primæ excitæ controverſiæ.*

21 *Concordiæ anni 1228. & 1229.*

22 *Renovantur controverſiæ anno 1491.*

23 *Aliæ duæ Concordiæ anni 1510. & 1516.*

24 *Hujuſmodi concordiæ, ut perſonales, lites potiùs ſuſpendebant, quàm finiebant.*

25 *Refferveſcunt controverſiæ occaſione Bullæ Clementis VII.*

26 *Proviſio Caroli V. Imperatoris favore Archiepiſcopi.*

27 *Ejuſdem ſecunda proviſio confirmatoria anni 1526.*

28 *Archiepiſcopus & Magnus Prior ſuos excitant Conſervatores.*

29 *Deffertur cauſa ad Iudicem Apoſtolicum per appellationem.*

30 *Sententia Iudicis Apoſtolici anno 1529. favore Archiepiſcopi.*

31 *Inſtauratur controverſia anno 1542.*

32 *Sententia Iudicis Apoſtolici favorabilis Magno Priori.*

33 *Ab hac ſententia appellavit Archiepiſcopus.*

34 *Renovatur in Senatu Regio controverſia ſuper proviſionibus Caroli V. & obtinet Archiepiſcopus litteras Executoriales anno 1555.*

35 *Subſequitur alia Concordia anno 1563.*

36 *Rediit controverſia de anno 1574. ſuper exercitio Pontificalium, & Ordinum collatione in Magno Prioratu abſque licentia Archiepiſcopi.*

37 *Mandatum Nuncij Apoſtolici anni 1596. ſuper hac re favore Archiepiſcopi.*

38 *Breve Clementis VIII. ſuper hoc ipſo.*

39 *Tertius in Senatu Regio tentatur recurſus, ſed decernitur Archiepiſcopi manutentio & aliæ expediuntur Executoriales de anno 1610.*

40 *Hieroſolymitani adeunt Romanam Curiam, in eaque de univerſa juriſdictione diœceſana controvertitur.*

41 *Magnus Prior jactationum judicio agit anno 1610.*

42 *Expediuntur litteræ citatoriæ & inhibitoriæ.*

43 *Opponit ſe Archiepiſcopus, & moderari quoad ſe inhibitionem petit.*

44 *Moderatur inhibitio quoad Archiepiſcopum duabus S. Rotæ deciſionibus.*

45 *Diſputatur ſuper bono jure ad effectum manutentionis anno 1657.*

46 *Summatim proponuntur utriuſque partis fundamenta.*

47 *Prodit deciſio ad favorem Archiepiſcopi, & inſinuantur fundamenta deciſionis.*

48 *Agentes Priorales, nova obtenta audientia, quadragenariam probare tentant, ſed Rota ſtetit in deciſis.*

49 *Prima ſententia* anni 1660.

50 *Appellante Magno Priore, duæ prodierunt deciſiones ſententiam confirmantes de anno 1661.*

51 *Reproponitur cauſa de anno 1662. & prodierunt duæ deciſionem ſententiam declarantes.*

52 *Secunda ſententia anni 1662.*

53 *Appellante Magno Priore, & Magno Magiſtro ad cauſam admiſſo, res iterum diſquiritur, ſed Rota ſtetit in deciſis.*

54 *Tertia ſententia anni 1669.*

55 *Expediuntur litteræ Executoriales favore Archiepiſcopi.*

56 *Differtur aliquo tempore Litterarum executio.*

57 *Intimantur litteræ Magno Priori, hic executionem contradicit, & Executor acta ad Rotam tranſmiſit.*

Promul-

58 *Promulgatur in Rota ſententia declaratoria cenſurarum contra Magnum Priorem.*

59 *Intimata ſententia Magno Priori, promiſsit obedientiam.*

60 *Subrogatur alius Iudex Executor, deputatur Vicarius, & Regius Senatus auxilium conceſsit.*

61 *Magni motus in Prioratu ſuſcitantur occaſione executionis, quos Regius Senatus ſedare curat.*

62 *Duo recurſus per viam violentiæ terminantur in Senatu favore Dignitatis Archiepiſcopalis.*

63 *Aprehenditur poſſeſsio juriſdictionis Diœceſanæ ab Archiepiſcopo, & inde juriſdictionales actus exercentur.*

64 *Excitatur pro parte S. Religionis controverſia ſuper* attentatis *in executione comiſsis.*

65 *Proponuntur ſex Capita* attentatorum.

66 *Tres deciſiones ſuper* attentatis *favore Archiepiſcopi, & res judicata de hoc ipſo anno* 1686.

67 *Movet Religio litem aliam ſuper* Exceſſibus.

68 *Obtinuit S. Religio declarari tres* Exceſſus *Iudicis Executoris tribus deciſionibus, & relaxantur Executoriales ejuſdem favore de anno* 1687.

69 *Proponitur in Rota particulare dubium ſuper* Regularitate Eccleſiarum, *& obtinuit Magnus Prior duas deciſiones & ſententiam favorabilem; ab ea tamen appellat Archiepiſcopus.*

70 *Proponitur dubium ſuper* Tribunali Vicarij Prioralis, *& duæ prodeunt deciſiones favorabiles Magno Priori.*

71 *Diſquiritur ſuper* decimis, *& prodiit deciſio declaratoria.*

72 *Prætendit S. Religio, ut Priori Conventus S. Mariæ del Monte concedatur uſus Pontificalium inſignium & functionum, ſed Papa denegat prætenſum indultum.*

73 *Prætendunt etiam Hieroſolymitani, ut juriſdictio delegata exerceatur in Prioratu per Epiſcopum Conchenſem, ut viciniorem; ſed ſucubuit, & contrariam deciſionem Rota dedit.*

74 *Dubitatur de perſonis ſubditis utrique Dignitati reſpectivè, & illas declarat S. Rota duabus deciſionibus de anno* 1689.

75 *Deciſis partes acquieſcunt, ſed majorem declarationem efflagitant, quam dedit Rota alia deciſione de anno* 1690.

76 *Finis controverſiæ concordia imponitur.*

1 COnſideravimus hucuſque jus ac juriſdictionem cùm Epiſcoporum tum Prælatorum Inferiorum: adlaboravimus, ut pateret, quid illis jus commune, quid his privilegia tribuerent; eo certè ſtudio, ut unicuique jure ſuo ſervato, & privilegia cum communi jure amico fœdere conſonarent; & controverſiæ, ſi quæ forent, certis regulis definerentur ſedarenturque. Nunc verò juxta methodi rationem *in Proœmio* propoſitam, ut quæ generaliter, ſeu dicam in abſtracto, conſiderata manent, luculentiùs manifeſtiùſque appareant, manibuſque velut atrectentur; præſtat hic famigeratæ Toletanæ controverſiæ exemplum, (quo id genus nullum illuſtrius) diffuſè proponere. In hujus ſiquidem litis narratione quiſque velut in archetipo obſervabit harum controverſiarum ordinem ac progreſſum, & receptam praxim; ac tandem quæ dicta manent, applicatione facta, nitidiùs percipiet. Illud ante præmoneri expedit, quæ à me impræſentiarum referentur ex Summariis hujus cauſæ in Romana Curia editis, ex authenticis documentis, & ex ipſis deciſionibus, atque ex narratione Cardinalis de Luca deſſumpſiſſe. Deinde obteſtor, me pro
2 virili adlaboraſſe ne in hoc ſpinoſo paſſu vel verbum unum excideret, quod aliquem poſſet commovere. Animi enim moderationem, ſemper & ubiquè commendabilem, vel nunc maximè ex titulo argumenti tenendam mecum duxi: cùm & aliunde Juſtitiæ veritatiſ-

que legibus intemeratis, nihil mihi ſit optatiùs, quàm demiſsiſsimam animi obſervantiam in utramque præexcelſam Dignitatem exhibere. Hoc conſilio non niſi, quæ doctrinæ & inſtituto neceſſaria judicavi, refero, & à prolixa minutaque factorum narratione conſultò abſtinui. Placuit ſanè in hoc Bonfini hiſtorici ſententia, qui *Decade 3. lib. 5. Rer. Vngaricar.* ita ait: *Abſurdum eſt cùm de pace agitur, de belli cauſis accuratiſsimè diſputare: refricantur per injuriarum memoriam ſæpè vulnera, & remoliti dudùm animi recrudeſcunt.* Narrationem commodioris lectionis cauſa ſeparatis Sectionibus diſponam: & quia hæ concertationes adeò antiquæ ſunt, ut Sacræ Hieroſolymitanæ Religionis in Caſtellam ingreſſum penè attingant, ab ipſo Hieroſolymitani Ordinis initio rem exordiar.

SECTIO I.

De inſtitutione Sacræ Hieroſolymitanæ Religionis, & de ingreſſu Hieroſolymitanorum in Oppida Prioratus.

3 SACRA Hieroſolymitana Religio Chriſtiani populi fortiſsimum antemurale inexpugnabile propugnaculum. Ordo quidem ſanctiſsimus, totoque laudandus in ævo innumeris ſanè titulis: Hieroſolymis ſæculo XII. anno Domini 1118. juxta receptiorem opinionem ortum habuit. Cùm enim Palætina tota triſti ac duro Sarracenorum jugo adhuc premeretur, quamplures ex Occiduis regionibus aut Religioſæ devotionis ſpiritu accenſi, aut quæſtum ex negotiatione reportandi ergo incitati, Terram Sanctam confluebant. 4 Hi autem, certo præſtito tributo, à Barbaris obtinuerunt, ſibi ut liceret propè Dominici Sepulchri Eccleſiam, in honorem Beatæ Virginis Mariæ alteram conſtruere, quæ ubi ad finem eſt perducta, Abbati (ſeu ut alij volunt) Priori & Monachis Latinis fuit contributa, & *S. Mariæ de Latina* nomen Eccleſiæ impoſitum, cùm à Latinis eam poſsidentibus; tum à divinis officiis, Latinorum ritu in ea peragendis; tum denique, quia Latinis peregrinis excipiendis fuerat inſtituta. Brevi poſt tempore, 5 aucta pietate & Religione, quò peregrinantibus fœminis, prout honeſtas ſuadebat, diſcretum à viris eſſet receptaculum; aliud in honorem S. Mariæ Magdalenæ ſuperextructum fuit Monaſterium, ubi Sanctimoniales hoſpitalitatis pia exercerent opera. Ut 6 autem, peregrinorum illac adventantium aucto numero, hujuſmodi poſtmodùm non ſuppeterent receptacula; ipſi Abbas & Monachi *de Latina*, egenis infirmiſque ſuſcipiendis & curandis, novum extruxere hoſpitale in honorem B. Joannis Baptiſtæ. Hic ergo quidam Gerardus, nobilitate & vitæ ſanctimonia clarus, ex Provincia oriundus, fervido pietatis æſtu, pauperibus & infirmis ſub Abbate de Latina miniſtrabat.

Interea circiter annum ſalutis 1099. illuxit illa valde glorioſa dies, qua Duce, victoreque Gotfredo de Bullon admotis Chriſtianorum copiis, Hieroſolyma à Sarracenis liberata extitit. Vel ipſa victoriæ fama ubique ſparſa, ſtimulos chriſtianis addidit, ut ex omnibus Orbis partibus copioſiùs iter facerent, Sacra inviſuri loca, recenter à Chriſtianis acquiſita. Hinc 7 majorem peregrinorum curam res ipſa efflagitabat, unde inter ipſa Sanctæ Civitatis receptæ initia, plures inſtitutæ fuerunt Congregationes ſeu Militiæ, quarum profeſſores & Sacra Loca defenderent, & peregrinis modis omnibus auxilio eſſent. Hinc prodierunt Ordines S. Sepulchri, S. Lazari, Templi, & Hoſpitalis; è quibus duo poſteriores

riores celebriores tunc fuere, ſed temporum ſucceſſu celebrior, glorioſiorque illa Hoſpitalis remanſit; cùm alia Templi triſti fato ſtupendum excidium habuerit ſub Clemente V. in Concilio Vienenſi.

8 Ergo Gerardus, cujus paulo ante meminimus, Hoſpitali præfectus ſub titulo *Rectoris*, Socios aſcivit, qui veſte alba cruceque ſuperimpoſita induti & inſigniti, ſecum hoſpitalitatis opera exercerent. Poſtmodùm Militiæ munus huic Sacro Ordini adjunctum, ad inſtar Templariorum nuper inſtitutorum; atque exinde in ſtatutis hujus S. Ordinis, juxta munerum diverſitatem, tres perſonarum claſſes apparent: Prima Equitum, qui armis incumbebant in fidei peregrinorumq́ defenſionem. Secunda Fratrum Capellanorum, qui curarent Sacra, eaque Hoſpitalis alumnis miniſtrarent. Tertia Fratrum ſervientium, qui peregrinorum, & infirmorum perpetuam curam explerent.

9 Novæ huic mirabilique Religioſæ vitæ inſtitutioni recipiendæ, haud forſam tunc defuere, qui obices opponerent, ut qui cædes, graſſationes, cruorem, & ſcelera, quæ ſemper bella committantur, nec Religioſo congruere ſtatui judicarent, nec illi humanitati, quæ pios ac Religioſos Dei cultores decet. Sed melior ſanè ſententia prævaluit, quæ Machabæorum exemplo confirmabatur. Quam Bernardus (& ipſe Sacri belli factus Imperator) commendavit *in Epiſtol.* 322. Cui Scholæ Theologicæ lumen D. Thomas Aquinas patrocinatur 2. 2. *q.* 188. *art.* 3. Cui plura adſtipulantur Concilia. E quorum omnium ſolida auctoritate efficitur, pium religioſiſsimumque opus eſſe, Religionis contumelias & damna ulciſci, indeque in Paganos arma movere & induere. Ut jam inde quiſque fateatur *nomina mille, mille juvandi artes eſſe charitati; atque in dies ſingulos depromi ſapientiæ machinas, quibus Numinis providentia ſuam fovet amplificat & tutatur Eccleſiam*, ut de hoc agens, concludit Thomaſin. *de benef. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 75. *num.* 5.

10 Nihil erat, quod huic exordienti Militiæ omnium laudem & amorem non pareret; illorum præcipuè, quibus rei Chriſtianæ amplificandæ princeps cura incumbit. Indeque, ut omnium maximè Pontifices Summos hoc decet ſtudium; hinc haud mirum, ſi Religionis hujuſce approbationem petentibus, primùm Gerardo Hoſpitalis Rectore, deinde Raymundo de Podio primo Militiæ Magiſtro, nedum confirmationem lubentiſsimè præſtarent, Paſchalis II. anno 1118. Caliſtus II. anno 1123. ſed ſingularia privilegia concederent. Itaque primus Anaſtaſius IV. anno 1154. amplum eis conceſsit exemptionis monumentum, cui, ut hujus Sacræ Militiæ merita in dies augebantur, uberrima privilegia & indulta acceſſere, quæ omnia roboravit, auxit, & compilavit Pius IV. in ſua *Conſtit.* quæ incipit *Circunſpecta, & eſt ia* 9. & 95. *apud Cherubin.*

11 Præſtat etiam hic notare varia eſſe nomina, quibus hujus Sac. Militiæ alumni tum in Juris corpore, tum in privilegiis inſigniuntur, ut ſunt Joannitæ, Hoſpitalarij, Hieroſolymitani, Equites de Acre, Rhodienſes & Melitenſes, quorum quidem nominum ratio, aliorum, ex jam dictis, quiſque depromet; aliorum autem ex Sedium mutationibus eſt petenda; quippè Turcarum feroci colluvie, ob Chriſtianorum ſcelera ingruente, & Palæſtinam totam occupante, opus fuit, ut transferretur hæc Sacra Religio ab Hieroſolyma in Urbem de Acre, ab Acre in Rhodum, à Rhodo tandem (concedente Carolo V. Imperatore, quà Hiſpaniarum Rege, anno 1530.) in Inſulam Melitenſem, ubi

tandem Magnus Magiſter, cum maximo ſplendore & Chriſtianæ Reipublicæ commodo, Sedem ſuam fixit. Latiſsimè illuſtrant hujus Militiæ originem ac proggreſſum innumeri tàm hiſtorici, quàm Juridici Scriptores, quos lata manu congerunt Eſcaño *in propugn. Relig. Hieroſolym. diſcept. 1. cap. 1. à num. 9.* & noviſsimè inſigni eruditione & doctrina Eminentiſsimus Cardinalis Vincent. Petra *tom. 2. ad conſtit. Anaſtaſij IV. ſect. 1.*

12 Chriſtianos omnes Principes certatim Hieroſolymitanis faviſſe, hiſtoriæ perhibent; at primas in hoc nulli Hiſpaniæ conceſſere Reges; nam præter Melitæ donationem à Carolo Rege factam, ſplendent ab ipſo penè Ordinis exordio munificentiſsima Hiſpanienſium Regum dona ipſi collata. Sic enim & Catholicos decebat Principes, & rei Chriſtianæ promovendæ utilitas ſuadebat. Perfidæ namque Maurorum genti debellandæ omnes Hiſpaniæ Principes totis tunc viribus incumbebant: charius ergo nihil Religioſa hac Militia tunc eſſe debuit. Unde ipſorum Principum beneficentia brevi & ampliſsimis poſſeſſionibus, & ditionibus aucta, ad conſpicuum potentiæ gradum conſcendit; favente primùm Raymundo Verengario Barcinonenſi Comite, teſte Boſsio *tom. 1. lib. 4. fol. 118.* Deinde Alphonſo I. Aragonum Rege, qui Hoſpitalarios unà cum Templariis in Regno inſtituit hæredes, Mariana *de reb. Hiſpan. lib. 10. cap. 18.* Zurita *in Annal. Aragon. tom. 1. lib. 1. cap. 54 col. 4.*

13 Haud minus gratum in Caſtellæ ditione receptaculum hæc Sacra Militia invenit, quæ jam apud Cathalaunos & Aragonios maximo in honore erat. Alphonſus ſiquidem VIII. Caſtellæ, & Legionis Rex piiſsimus, quo cum Mauris aſsidua bella fuere, novo hujuſce Religionis præſidio uti, ut vicinia defenderet, opportunum duxit. Ergo Caſtrum de Conſuegra, unà cum ejus territorio, in Diœceſi Toletana ſitum, Hieroſolymitanis in perpetuum donavit anno 1183. ut ipſum defenderent, ac ex eo ut ex limitaneo præſidio confines Mauros vexarent. Donationi confirmandæ, pro illorum temporum more, adfuere Regni Epiſcopi & Proceres, inter eoſque primus Raymundus Toleti Archipræſul. En jam inſtrumentum ipſum.

DONATIO CASTRI CONSOCRÆ à Rege Alphonſo VIII. facta anno 1183.

TAM præſentibus, quàm futuris notum ſit, & manifeſtum, quod ego Hildephonſus Dei gratia Rex Caſtellæ & Toleti una cum uxore mea Eleonora Regina facio cartam donationis, & confirmationis Deo & Beati Joannis Hoſpitali Hieroſolymitano, & vobis Domino Petro de Aries ejuſdem Hoſpitalis in Hiſpaniis Priori, & ſucceſſoribus veſtris, & univerſis ejuſdem fratribus præſentibus & futuris in perpetuum valituram. Dono itaque & concedo vobis Caſtillum, quod dicitur Conſuegra in fronteria Maurorum propè Toletum ſitum totum integrum cum ingreſsibus & egreſsibus, cum colatiis, & Solaribus, Platis, & Eremis, cum Terris, Vineis, & Hortis, cum Pratis, Paſcuis, Rivis, aquis, Molendinis Numiis, & eorum locis, & cum omnibus Portatiis ſuis, & mineriis, quæ ſunt in termino ejus, & invenire poterunt, & cum Montibus, Fontibus, & Nemoribus, & Defeſis, & cum omnibus terminis directuris, & pertinentiis ſuis jure hæreditario in perpetuum libere, & quiete habendum, & irrevocabilitèr poſsidendum; ſi quis verò hujus meæ donationis paginam in aliquo infringere vel diminuere præſumpſerit iram Dei Omnipotentis plenarie incurrat, & cum Juda Domini proditore ſupliciis in-

infernalibus mancipetur, & insuper Regiæ parti decem millium aureorum in cauto persolvat, & damnum, quod supradicto Hospitali intulerit duplatum persolvat, & restituat. Facta carta apud Valentiam Era millesima ducentesima vigesima prima octavo Idus Augusti. Ego Rex Alphonsus Regnans in Castilla, & Toleto hanc cartam manu propria roboro, & confirmo. Gundisalvus Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas confirmat. Rodericus Seguntinus Episcopus confirmat. Dominicus Abulensis Episcopus confirmat. Gundisalvus Segoviensis Episcopus confirmat. Michael Exomensis Episcopus confirmat. Comes Petrus confirmat. Comes Ferandus confirmat. Petrus Roderici de Azagros confirmat. Didacus Ximenij confirmat. Petrus Garcia confirmat. Alvarus Roderici à Magrilla confirmat. Petrus Roderici de Guzman confirmat. Lope Diaz Merinus Regis in Castilla confirmat. Didacus Lopez Alferex Regis confirmat. Rodericus Gutierrez Majordomus Curiæ Regis confirmat. Magister Geraldus Regis Notarius. Guterius Roderici existente Cancellario scripsit.

14 HUjus autem donationis, quò magis roborata & illibata persisteret, confirmationem ab Apostolica Sede exoptarunt Hierosolymitani, quam Julius II. Pontifex Maximus concesit in hunc tenorem.

CONFIRMATIO DONATIONIS.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS Servorum Dei. Dilectis filiis fratribus Hospitalis Hierosolymitani salutem, & Apostolicam benedictionem justis petendi vestris desideriis facilem nos convenit præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter Dilectis in Domino filiis vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu Consuegra Oppidum, quod Alphonsus Illustris Rex Castellæ pia vobis consideratione donavit, concedente pariter nobili viro Roderico Roderici ad quem primitus pertinebat, sicut illud justè & pacificè possidetis, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut si quis illos qui præfatum Castrum pro Christiani nominis defensione inhabitantes à loco ipso amovere præsumpserit, vel impedimentum præstiterit quominus liberè, & absolutè personæ ad locum ipsum sine difficultate transeant, & ibi in servitio Divini nominis commorentur usque ad satisfactionem congruam Ecclesiasticæ subjaceat disciplinę. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatissimi Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum. *Datum Beroni duodecimo Kalendas Septembris.*

15 JUre igitur Regiæ donationis, Pontificiæque confirmationis præsidio cæperunt Hierosolymitani districtum illum possidere, atque inibi sub uno Priore, velut Capite, Ordinis instituta explere. Cùm ab hoc tempore, Mauris inde aliquantùm remotis, territorium illud securiùs Christianis pateret, hinc & Oppidorum sequuta instauratio, & ipsorum velut in unum corpus politica consociatio. Inde, & ipsius territorij extensione, & Oppidorum amplitudine attenta, *Magni Prioratus* appellatio invaluit. Quod autem posteà hic districtus, quodammodò esset & re & nomine divisus in duos Prioratus, Castellæ nimirùm & Legionis, eò id quidam factum putant, quòd contendentibus super

ipſius Prioratus jure D. Didaco de Toledo, & D. Antonio de Zuñiga; litem diviſione terminarit Carolus V. Imperator: adeat qui velit Alvar. Gomez *de reb. geſt. Ximenij lib. 7. fol. mihi 205. à tergo.* Boſsium *tom. 3. hiſtor. libr. 38. fol. 807.* Fuerunt autem in Prioratu præſtantiora & præcipua ſemper Oppida *Conſuegra* (antiquis Conſaburo) & *Alcazar*, cætera verò his adjecta nominantur *Tembleque, Madridejos, Tevenes de la Orden, Argamaſilla, Villacañas, Herencia, Vrda, Camuñas, Villafranca, Quero, Turleque, Arenas, & Villa-Harta.* In hoc ipſo diſtrictu Magnus Prior D.
16 Gundiſalvus de Quiroga anno 1450. erexit Conventum Clericorum Fratrum, ſive Capellanorum, ut qui in eo degerent & divino cultui inſervirent, & hoſpitalitatis exercerent opera. Subeſt hic Conventus in ſpiritualibus Priori Eccleſiæ Melitenſis, in temporalibus, Magno Priori Caſtellæ: atque ita Prior ejuſdem Conventus tantùm eſt Prælatus Conventualis abſque ulla juriſdictione in Oppidis præfatis Magni Prioratus, latè de hoc Conventu Eſcaño *in propugn. diſcept. 14. cap. 3. num. 5.*

17 Quæ hucuſque hiſtoricè prælibavimus, ſatis lucis afferunt, ut circa Diœceſanum jus ſpiritualemque juriſdictionem in Magno Prioratu exercendam deliberare valeamus. Ex quo enim univerſa Prioratus Oppida intra limites Toletanæ Diœceſis ſita erant, ut poſtmodùm, pluribus conſarcinatis argumentis, comprobavit S. Rota *in deciſ. 70. & deciſ. 220. part. 13. recent.* fieri nequibat, ut Archiepiſcopus Toletanus, tanquam Prælatus Diœceſanus, omnimoda ac univerſali non potiretur juriſdictione, tum in perſonas, tum in loca omnia illius diſtrictus juxta ea, quæ ſupra *in cap. 2. & 3.* dicta manet. Si verò attendimus Regiam hujus territorij donationem in Magnum Priorem collata; & inſuper conſideramus Pontificia privilegia, quæ Priores Hieroſolymitanos intra limites ſuorum Prioratuum Ordinarios conſtituunt in certas perſonas & loca exempta, ut vidimus *in cap. 4. num. 83.* Inficiari nequit Magnum Priorem in hoc diſtrictu figuram facere Magnatis ſeu Baronis cum dominio & juriſdictione plena in temporalibus, & Prælati Ordinarij Eccleſiaſtici, de jure privilegiato ſeu *ſecundum quid*, juxta ſui Ordinis privilegia. Quibus ita poſitis ille jam ſe offerebat concurſus Prælatorum; Diœceſani nimirùm & Inferioris *intra Diœceſim.*

SECTIO II.

De primis Hieroſolymitanorum controverſiis cum Archiepiſcopis Toletani.

18 IN hoc ſanè Prælatorum concurſu una tantùm ſervandæ concordiæ ea via erat, quam ſæpè inculcavimus, & præcipuè *in Proœmio*, ut nimirùm Archiepiſcopi ita temperatè Diœceſani munus explerent, ut Hieroſolymitanorum privilegiis non contrairent: & vice mutua Hieroſolymitani ita moderatè privilegiis uterentur, ut contra Diœceſani jus & auctoritatem nihil præſumerent. Sed cùm omnes in univerſum dominandi cupido tangat, ſuæque amplificandæ ditionis deſiderium, haud facilè judicandum ſanctam hanc ſervare ſocietatem; præcipuè ubi inter Optimates & valde potentes res vertitur; omnis ſiquidem potentia conſortium cuſtodire neſcivit. Atque ita in propoſito evenit, nam Hieroſolymitani Diœce-
19 ſanæ juriſdictionis actus aliquos in illis Oppidis ſibi paulatim attribuerunt. Quo autem principio id tentaſſent, incertum dicit Cardin. de Luca *diſc. 1. de juriſd.* Verùm conjici poteſt in id cauſam præſtaſſe temporalem ditionem &

poteſ-

poteſtatem in eiſdem locis ipſis competentem; quæ, (eodem Cardinali teſte *in diſc. 3. num. 1. & diſc. 10. num. 2. eod. tract.*) ad ſpiritualem juriſdictionem perquirendam, pluribus incitamento eſſe ſolet. Quin confidentiùs Hieroſolymitanos incitabat ipſa diſtrictus materialis ſituatio, quæ conterminatæ undique provinciæ figuram, ſive (ut dicitur apud eumdem de Luca) *unum territorium rotundum*, facit.

20 Fieri nequibat, ut Archiepiſcopi ſuę auctoritati conſervandæ non incumberent pro virili, atque exin ſollicite caverent ne ſuæ Diœceſi inſignis adeò decerperetur portio, quam & ſitus & Eccleſiaſtici limites ipſi ſtricta compagine incorporabant. Nec Diœceſis nexũ temporalis ditio prophanive limites rumpere poterant, quandoquidem temporalium ditionũ longè ſemper alia ſit ratio, & plerumque diverſa forma, ut dixi *in cap. 2. n. 78.* Ergo his de cauſis, his hinc inde occaſionibus, controverſiis, de quibus loquimur, initium datũ eſt. Principio quidem non ſuper jure territoriali & univerſali, ſed ſuper particularibus juribus altercatum extitit, ut puta ſuper decimis, oblationibus, ſepulturis, adminiſtratione Sacramentorum, & aliis. Hæ verò controverſiæ ſedatæ ac ſopitæ fuerunt duabus concordiis, pri-
21 ma de anno 1228. & altera de anno ſequenti initis inter Rodericum Ximenium de Rada, tunc temporis Archiepiſcopum, de ejus Capituli conſenſu, & Magnum Commendatarium Hiſpaniarum, & Priorem in Regno Caſtellæ, adhibito etiam conſenſu Capituli ejuſdem Regni, ut detegit ipſarum tranſactionum tenor.

CONCORDIA ÆRÆ 1226. ſeu anni 1228.

COgnitum ſit cunctis præſentem viſuris qualiter hæc eſt conventio, quam fecit D. Rodericus Archiepiſcopus Toletanus Primas Hiſpaniarum cum conſenſu Capituli Toletani cum D. Petro Oarez, qui gerebat vices Commendatarij majoris in quinque Regnis Hiſpaniæ, & cum D. Joanne Ieneguez Priore omnium domorum Hoſpitalis in toto Regno Caſtellæ, ac cum univerſo Capitulo generali Caſtellæ, quod congregatum fuit in Armezillo, videlicet, quod Eccleſiæ quas habet in Guadalfaxara, quas dicunt Sancti Dominici, & Sancti Joannis, & Sanctæ Crucis Toletanæ, necnon Eccleſiæ de Talavera non habeant Parochianos, nec recipiant decimas; ſed ſi aliquis voluerit ſepeliri in aliqua iſtarum Eccleſiarum, quod ſepeliantur, & illi dent quartam partem de eo quod pro animabus ſuis dederint Clericis Eccleſiarum, ubi fuerit cadaver delatum, oblationes, vel aliud beneficium, quod eis fecerint illi qui venient ad audiendas horas in ipſis Eccleſiis ſint Fratrum, & nihil dent Clericis nec de equo nec de armis: & ulteriùs ſi fuerit appoſita prohibitio nemo recipiatur ad horas, ſed claudant ſuas januas, & recitent horas ſuas, nec debent velare, ſeu baptizare in aliqua iſtarum Eccleſiarum præter Eccleſiam de Alcazar, quæ ſit Parochia, & Archiepiſcopus habere debet medietatem decimarum tàm de cultis Fratrum, quàm de cultis hominum Oppidi, & habere debent unum marapetinum pro procuratione, & abſque hoc Fratres dent Archiepiſcopo duos marapetinos pro vino; & Eccleſia S. Mariæ de Conſuegra, omneſque aliæ ſui Diſtrictus ſint Parochiæ & Archiepiſcopus habeat ſuam tertiam, & Cathedraticum, ac procurationem excepta Eccleſia Oppidi Sancti Petri, quæ eſt tota libera Archiepiſcopi, & hoc idem dicimus de Eccleſia de Villamiel; Eccleſia verò de Cavanillas demoliatur, quodque in ea non cantetur, ejuſque

Paro-

Parochiani ſint Eccleſiæ de Villamiel, & Archiepiſcopus habeat unum marapetinum de Eccleſia de Umanes, & de Alfondiga, quæ ſint Oratoria, & non habeant ſepulturam, nec recipiant Beneficium. Qua de re Fratres relinquunt Archiepiſcopo tria Oppida termini de Conſuegra, Lillo, Romeral, & Danzos. Inſuper quidquid per directum fuerit inventum inter Tembleque & la Guardia relinquant Archiepiſcopo, & ex his locis debent Fratres expellere Populatores in iſtis tribus locis commorantes. Et Populatores horum trium locorum, & eggredientur in terminum de Conſuegra, dentque tributum. Actum in Brioga die 7. Menſis Julij 1266.

CONCORDIA ÆRÆ 1267. ſive anni 1229.

UNiverſis hanc cartam viſuris ſit cognitum qualiter talis compoſitio facta fuit ex una parte inter Nos Don Rodericum Archiepiſcopum Capituli Toletani, & ex alia Nos Don Petrum Hernandez Commendatarium majorem Hoſpitalis in quatuor Regnis Hiſpaniarum, & D. Joannem Jeneguez Priorem in Regno Caſtellæ de conſenſu totius Capituli Generalis habiti in Armezillo, videlicet, quod Eccleſia de Alcazar ſit Parochia Hoſpitalis, & Archiepiſcopus habere debet medietatem decimæ ex cultis Fratrum, & Parochianorum, necnon habere debet duos marapetinos pro decima vini, & unum pro procuratione & Archidiaconus alium marapetinum pro procuratione; & Eccleſia de Villamiel ſit Parochia Hoſpitalis; Eccleſia verò de Cavañuelas demoliatur, numquam in ea cantetur, & ejus Parochiani ſint Eccleſiæ de Villamiel, & in hac Eccleſia habeat Archiepiſcopus ſuam tertiam omnium decimarum Eccleſiæ, exceptis cultis Hoſpitalis juxta ſuum privilegium, & unum marapetinum pro procuratione, & Eccleſia S. Dominici Hoſpitalis in Guadalfaxara, & illa de Alburguet, & Eccleſiæ Toleti S. Crucis, & S. Joannis, ac Eccleſia de Talavera iſtæ habeant ſepulturam ſi quis in eis voluerit ſepeliri, & Horas audire, & oblationes recipiant, quidquid autem ipſis Eccleſiis obvenerit totum ſit Hoſpitalis, & concedimus, quod quicumque voluerit in ipſis Eccleſiis ſepeliri ſepeliatur &c. & illi qui adducent corpus ad ſuam Eccleſiam juxta privilegium, quod habent à Pontifice, & de eo, quod legaverint pro ſuis animabus Hoſpitali, quarta pars ſit Clericorum Eccleſiæ, cujus fuerit Parochianus, exceptis armis, & equo prout mandat ipſius Hoſpitalis privilegium, & in his Eccleſiis non recipiantur decimæ, nec velent, nec baptizent, & quando gratis fuerit factum in Oppido claudant januas ſuarum Eccleſiarum, & recitent ſuas Horas cum ſilentio, & nullum recipiant Parochianum, & Eccleſia S. Petri de Conſuegra ſit tota libera Archiepiſcopi, & Eccleſia S. Mariæ ac aliæ, quæ Populo replebuntur in Conſuegra, & ejus termino ſint Parochiæ Hoſpitalis & Archiepiſcopus in illis habeat ſuam tertiam de omnibus & Cathedraticum, & Archidiaconus Toletanus habeat &c. ſuam procurationem juxta facultatem Eccleſiarum, & ſimiliter Sancta Maria de Peña Roja, & Eccleſiæ, quæ Populo replebuntur in ejus termino ſint ad inſtar illius de Conſuegra, & Clerici Sæculares, vel fratres Clerici, quem præſentaverint fratres prędicti, præſentatio ſit fratrum, & inſtitutio Archiepiſcopi, & præſtent vel ſit Sæcularis, vel frater manualem obedientiam Arciepiſcopo, & Archidiacono, ac Archipresbytero ſuper juribus quantùm ad gubernium Parochiæ. Acta fuit carta hęc à p.d.ſtriñ. 9. trie vil 3 15. Aprilis ab Incarnatione Dñi. MCCXXIX. æra MCCLCVII. &c.

Ex-

EXtractæ, ac compulſatæ fuerunt hæ Concordiæ ex Chartophilacio Conventus Sanctæ Mariæ del Monte ubi adſervantur ſcripturæ ad Prioratum ſpectantes, & conſtant in Summario Archiepiſcopi *num.* 1. *&* 2. ex quo ad verbum ſunt deſſumptæ, & notandum eſt propter aliqua verborum obſcura compendia, quæ in eis occurrunt.

Hujuſmodi tranſactionum obſervantia aliquo jurgia ſiluerunt tempore, & inquieti animorum compreſsi ſunt fluctus; tranquilitas tamen fuit fluſtris & malatiæ ſimilis, per quam mare iras colligit, & majores meditatur tempeſtates; quippè diſcordiarum ſemina obducta tantùm, non evulſa erant. Itaque de anno 1491. & 1500. validiores ef-
22 ferbuere controverſiæ, pluribus ſanè de cauſis; ſed ob id præcipuè, quòd Priorales Miniſtri Archiepiſcopales impediebant, quominus Juſtitiæ virgam deferrent in illo diſtrictu, ibidemque juriſdictionem exequerentur. Moderabatur tunc Toletani Archiepiſcopatus clavum nunquam à me ſatis laudandus, impensèque mihi venerandus, Eminentiſsimus Servus Dei D. D. Fr. Franciſcus Ximenez Ciſneros, Dominus meus, qui pacis ſtudio plenè de hac re convenit & tranſegit cum D. Alvaro de Zuñiga Magno Priore anno 1510. ac poſteà eadem tranſactio repetita eſt cum D. Didaco de Toledo Magno Priore anno 1516. In his ergo tranſactionibus plura juris Epiſcopalis continentur capita, ut ſuper decimis, collationibus beneficiorum, facultate excommunicandi & interdicendi Eccleſias, & aliis, ut ipſe concordiarum tenor docebit.

CONCORDIA ANNI 1510.

ID quod concordatum, & ſtabilitum fuit inter Reverendiſsimum Don Fratrem Franciſcum Ximenez Cardinalem Hiſpaniæ Archiepiſcopum Toletanum, & admodum Magnificum D. Don Fratrem Alvarum de Zuñiga Priorem S. Joannis in his Regnis Caſtellæ & Legionis circa aliquas differentias, quæ vertebantur inter juriſdictiones ſuorum Ordinum *ſuper delatione virgæ per Fiſcales* d. Reverendiſsimi Cardinalis in locis d. Prioris, quæ ſunt ſita in Diœceſi Toletana, ac ſuper exequutionibus faciendis contra perſonas, & bona Incolarum in dictis locis commorantium, & concordata fuere inter dictos Dominos ipſorum tempore ſine præjudicio ſuarum Dignitatum, & Succeſſorum ſervanda, & adimplenda ea quæ ſequuntur. Primo, quod præfatus Reverendiſsimus D. Don Frater Franciſcus Ximenius Cardinalis Hiſpaniæ Archiepiſcopus Toletanus, ejuſque Viſitatores poſsint cognoſcere, & cognoſcant de quibuſcumque cauſis & delictis concernentibus juriſdictionem Eccleſiaſticam Vaſſallorum Clericorum dicti Domini Prioris, quodque habeant viſitare, & viſitent, corrigere, & corrigant, ac caſtigare, & caſtigent Vaſſallos Clericos dicti Ordinis Sancti Joannis in Bajulivatu de Conſuegra de delictis, in quibus à Jure permittitur. Et quod Judices Eccleſiaſtici procedant contra Laicos in Diœceſi ubicumque extiterint, quodque pro prædictis delictis poſsint excommunicare, & interdicere, ac imponere alias quaſcumque pœnas à Jure permiſſas cum hoc, quod non apponatur interdictum generale in aliquo loco, vel Eccleſia dicti Ordinis Sancti Joannis, quæ ſunt dicti Prioratus, & quod poſsint excommunicare, & interdicere Incolas Populorum ex cauſis à Jure permiſsis, quodque cenſuræ per dictum Dominum Archiepiſcopum, ejuſque Vicarios in Laicos, ut dictum eſt apponendæ adimpleantur, & ſerventur, illiſque obedientia præſtetur, & excommunicati, ac interdicti per dictum Dominum Archiepiſcopum, & ejus

Judices

Judices evitentur tàm in Eccleſiis dicti Ordinis, quàm extra eas; Eccleſiæ verò dicti Ordinis interdici non poſsint, ut dictum eſt. Et quod ſimiliter dictus D. Archiepiſcopus, ejuſque Vicarij & Viſitatores poſsint corrigere, viſitare, & punire Clericos Sæculares inhabitantes intus Oppida, & loca dicti Ordinis S. Joannis & Bajulibatus de Conſuegra dicti Prioris, quæ ſunt dictæ diœceſis, & cognoſcere de dictis cauſis tangentibus dictos Clericos. Et ſimiliter, quod dictus Archiepiſcopus, ejuſque Vicarij non habeant viſitare Eccleſias, Hoſpitalia, Sacraria, Oratoria Sancti Joannis, nec illorum bona, nec Equites Fratres, neque Confratres dicti Ordinis, nec excommunicare, vel interdicere, neque eorum familiares, quos in ſuis domibus habuerint, vel quibus victum dederint durante tempore familiaritatis, ita pariter, quod Clerici Sæculares, qui inſervierint curis animarum, & Capellaniis in præfatis Eccleſiis dicti Ordinis Sancti Joannis durante tempore, quo dicto muneri inſervierint, & extiterint in dictis Capellaniis de delictis, quæ commiſſerint in ſervitio dictarum Eccleſiarum, & Capellaniarum, & intus dictas Eccleſias non poſsint corrigi, nec puniri per dictum D. Archiepiſcopum, nec ejus Vicarios, de delictis verò, quæ commiſſerint extra dictas Eccleſias inhoneſtè vivendo, vel alio modo prædictus D. Archiepiſcopus, vel dictus Prior Sancti Joannis, vel ipſorum Vicarij, vel Viſitatores, cujuſcumque ipſorum, qui primus prævenerit poſsit eos corrigere, & punire, uti de jure; quodque dictus D. Archiepiſcopus, & dictus Prior, ac ipſorum Judices, ac Vicarij poſsint eos viſitare, corrigere, & caſtigare, quotieſcumque viderint convenire. Et in eo quod tangit Capellanias Eccleſiarum dicti Ordinis Sancti Joannis habentes præſentationem Patronorum, quod illas, quas dictus D. Archiepiſcopus Cardinalis tanquam Archiepiſcopus, vel ejus Anteceſſores ſunt in poſſeſsione conferendi, vel pertinebit per diſpoſitionem teſtatorum dicentium conferri, & inſtitui per Archiepiſcopum dictus D. Prior non impediat proviſiones, & collationem dictarum Capellaniarum, nec illas provideat, neque conferat, ſed illas remittat ad D. Archiepiſcopum Cardinalem, dictus verò D. Cardinalis ratificet, & habeat pro bonis quaſvis collationes, vel proviſiones, quas D. Prior Sancti Joannis uſque ad hanc diem fecerit, quæ ratione prædicta pertinuerunt ad collationem ipſius D. Archiepiſcopi, perſonaſque illas poſsidentes provideat, ut eas habeant abſque onere conſcientiæ, cum ſint parvæ qualitatis. Item quantum ad Confratres eximentes ſe ab onere ſolvendi decimas ex ſuis cultis, & animalibus dicto D. Archiepiſcopo, & Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ, ſtatuitur, quod in poſterum illas libere abſque impedimento perſolvant. Item, quod Fiſcales dicti Reverendiſsimi Domini Cardinalis Archiepiſcopi Toletani ingrediantur cum eorum virga in Oppida, & loca dicti Prioratus Sancti Joannis, ejuſque Bajulibatus, quæ ſita ſunt in Diœceſi Toletana ad exequendum, & exequantur libere in perſonas, & bona quorumcumque Incolarum, & commorantium in dictis locis, penes quos remanſerunt locati redditus decimarum dicti Reverendiſsimi Cardinalis, ejuſque Sanctæ Eccleſiæ, ac aliorum Dominorum in dictis redditibus partem habentium, & contra fidejuſſores quæcumque mandata relaxata per quoſvis Judices Eccleſiaſticos dictæ Diœceſis, quodque ita pariter exequi poſsint prædicta mandata contra quaſvis perſonas, quæ emerint panem dictorum redituum à Domus Præfectis, & Factoribus Dominationis ſuæ Illuſtriſsimæ, & aliorum Dominorum aprehendendo, &

exe-

exequutiones faciendo in perſonas & bona vendendo per terminos juridicos, uſque ad ſolutionem principalis, & expenſarum, quodque extrahi non poſsint bona mobilia ex dictis locis uſquequo non ſint deliberata. Si verò tales Arrendatores, vel aliæ perſonæ, quæ emerint dictum panem, tàm illum, quàm alios fructus, quos ita arrendaverint denuo vendant, quod quomodocumque obligationes ſonent pro ſua Dominatione Reverendiſsima, & aliis Dominis in dictis redditibus participantibus Fiſcalis non ſe intromittat ad exequendum, ſed exequantur Curiæ, & Judices dicti Prioris. Item quod in loco ubi per dictos Fiſcales fieri debuerit talis executio, vel executiones, ſi adfuerit Gubernator, & Juſtitia major dicti D. Prioris, talis Fiſcalis, vel Fiſcales illis notum faciant, qualiter ipſi eunt ad faciendum illas executiones, ad hoc, ut quatenus opus ſit eis præſtent in omnibus favorem, & auxilium. Pro quorum firmitate concordatum, & ſtabilitum fuit, ut fierent duæ ſcripturæ ejuſdem tenoris, & quiſque ex prædictis Dominis promitteret præmiſſa ſic habere, & obſervare, & ipſorum quilibet concederet ſcripturam ſuam. Quapropter ego dictus Don Frater Alvarus de Zuñiga Prior Sancti Joannis promitto, & do meam fidem & verbum, quod in omni tempore ſine præjudicio meæ Dignitatis, & Succeſſorum ſervabo, & adimplebo præmiſſa, eaque ſervari & adimpleri mandabo, quodque nunc, nec ullo unquam tempore contra ſuperiùs dicta veniam, nec contraveniri conſentiam, neque contra illorum partem modo aliquo. In quorum firmitatem mandavi dari, & dedi præſentem meo nomine ſubſcriptam, meoque ſigillo ſigillatam, ac per Secretarium meum referendatam, remanente penes me alia Scriptura hujuſmet tenoris ſubſcripta ā dicto Reverendiſsimo Cardinale Archiepiſcopo Toletano &c. ejus ſigillo ſigillata, & per ejus Secretarium referendata. Actum in Oppido de Alcazar die 12. menſis Januarij à Nativitate Salvatoris Nri. Jeſu-Chriſti 1510. Prior Sancti Joannis. De mandato Prioris Domini mei Ferdinandus Alvarez Secretarius.

CONCORDIA ANNI 1516.

25 IN DEI NOMINE AMEN. Noverint univerſi hanc publicam ſcripturam viſuri, qualiter in nobiliſsima Civitate Toleti die 7. menſis Maij anni à Nativitate D. 1516. perſonaliter conſtituti R.D. Lic. D. Franciſcus de Herrera Capellanus major, & Canonicus in Sancta Eccleſia Toletana, Viſitator Apoſtolicus, & Ordinarius, ac Vicarius generalis in ſpiritualibus, & temporalibus in toto Archiepiſcopatu Toletano pro Reverendiſsim. Don Fratre Franciſco Ximenez divina miſeratione Cardinale Hiſpaniæ Archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum Primate, & Cancellario majore Caſtellæ, & honorabilis Licenciatus Garcias Perez de Manzanedo Judices arbitri deputati, electi per Reverendiſsimum Dominum Cardinalem Hiſpaniæ Archiepiſcopum Toletanum, & pro admodum Magnifico D. Don Fratre Didaco de Toledo Priore Sancti Joannis conſtituti ſimiliter perſonaliter Rev. D. Licentiatus Joannes de Frias Canonicus in Sancta Eccleſia Toletana à Conſiliis prædicti Reverendiſſ. D. Cardinalis, ac honorabilis Doctor Martinus Fernandez de Heredia ā Conſiliis D. Ducis de Alva intus Palatia Archiepiſcopalia hujus dictæ Civitatis in præſentia mei Notarij, publici, teſtiumque infraſcriptorum. Et prædicti domini poſt diſcuſſas, & viſas differentias, & contentiones vertentes inter d. Reverendiſſ. D. Cardinalem, & præfatum D. Priorem Sancti Joannis, & ipſorum

rum Judices de, & ſuper ingreſſu Fiſcalium Dominationis ſuæ Reverendiſsimæ ad exequen. cum virga Juſtitiæ in oppidis, & locis Ordinis S. Joannis in Bajulivam de Conſuegra, & Alcazar, quæ ſunt dicti D. Prioris, & viſis probationibus, & informationibus, aliiſque ſcripturis exhibitis per ambas partes, & quibuſdam ſcripturis Concordiæ hac die exhibitis initæ inter d. Reverendiſſ. D. Cardinalem, & D. Don Alvarum de Zuñiga, olim Priorem S. Joannis (qui ſit in Cœlis) cujus concordiæ tenor eſt talis, ut ſequitur.....

Repetitur concordia proximè poſita.

...Inde ad removendas contentiones, & differentias inter dictos Dominos, eorumque Curias prædictas, omnes conjunctim concordarunt tam dicti Domini Capellanus Major, & Viſitator ac Licentiatus Garzias Perez de Manzanedo, tanquam Judices hujus cauſæ ex facultatibus eis per dictos Dominos tributis; necnon præfati Licentiatus Joannes de Frias, & Doctor Martinus Fernandez de Heredia à Conſiliis Dominorum Cardinalis, & Prioris S. Joannis quod pro Dei ſervitio (longævum ſit) teneat, & ſervetur dicta Concordia, & ſtabilimentũ factum inter dictum D. Cardinalem, & dictum D. Priorem D. Alvarum de Zuñiga in omnibus, & per omnia, prout in eo cõtinentur &c. Joannes Fez de Ocaña, Notar. publicus.

24 MIrum non erit, ſi dicamus, nec his etiam Concordiis finem controverſiis fuiſſe impoſitum; nam, ut ex earum ſerie conſtat, proviſionales tantùm ac perſonales fuerunt; unde ipſorum paciſcentium perſonis extinctis, & ipſæ penitùs evaneſcebant, nam *perſonale pactum ad alium non pertinere quemadmodum nec ad hæredem Labeo ait l. idem 25. §. 1. de pact.*

25 Vel hoc unum recentandis litibus ſufficiebat; aſt ut acriores efferveſcerent diſſenſiones, haud exiguam occaſionem dedit, tunc temporis ad favorem Hieroſolymitanorum à Clemente VII. expedita Bulla. Ut enim ampla valde erat, nihil jam inde ſibi obſtare putabat Magnus Prior, ut univerſam Eccleſiaſticam juriſdictionem liberè poſſet in illis locis exercere. Ergo exinde Magnus Prior, ut Diœceſanum ſegerebat, atque inter alia, Eccleſiaſticos deputavit Viſitatores; litteraſque reverentiales non modò ſuis Regularibus, ſed Sæcularibus Clericis concedebat; & quod huic proximum, exteris Epiſcopis, in illo diſtrictu Pontificalia exercendi, præſtabat licentiam. Hæc nonniſi permoleſta Toletano Antiſtiti eſſe poterant, quamobrem D. Alphonſus Fonſeca, qui Toletanæ tunc Sedi inſidebat Diœceſani ſui juris retinendi cauſa occurrit, controverſiamque inſtauravit, ſupplicationis ad Sanctiſsimum recurſu intentato apud Regium Senatum anno 1523. in quo prævio Caroli V. Imperatoris aſſenſu, ſuſpenſa fuit executio quorumcumque privilegiorum, quæ Archiepiſcopalis juriſdictionis turbationem inferre poſſent; ut conſtat *ex proceſſ. 2. part. 4. fol. 1123. & in Summar. cor. Taja num. 19.*

PROVISIO REGIA ANNI 1526.

26 DON CAROLUS Gratia Dei Rex, Romanorum Imperator electus ſemper Auguſtus, Donna Joanna ejus Mater, & idem Carolus eadem gratia Rex Caſtellæ, Legionis &c.

Vobis Judicibus electis, & nominatis virtute Bullarum conceſſarum à Noſtro Sanctiſsimo Patre Clemente Septimo &c. Militiæ &c. ac Ordinis S. Joannis, ac unicuique veſtrum, cui hujuſmodi noſtra proviſio oſtendetur &c. Noveritis, quod pro parte Reverendiſsimi in Chriſto Patris

Ar-

Archiepiſcopi Toletani Conſiliarij majoris noſtri Conſilij Caſtellæ nobis fuit relatum ſua petitione dicendo ad ejus notitiam deveniſſe, quod noſter Sanctiſsimus Pater &c. conceſſerat aliam Bullam Religioni S. Joannis, qua aſſeritur, exemptos facere Vaſſallos, Colonos, & Famulos, Commendatorum, eorumque bona, domus, & molendina, ac animalia ab eis poſſeſſa, ac infuturum poſsidenda ab omni juriſdictione &c. ac ſuperioritate, ac dominio cujuſvis Præſidis, Imperatoris, aut Regis, aut Univerſitatis, aut alterius cujuſvis Judicis, quodque haud ſolvant pedagia, neque aliud tributum, neque collectam, neque aliquod privilegium, derogando legibus Imperialibus, & ſtatutis Civitatum, Oppidorum, & locorum, ac præſcriptionibus, & conſuetudinibus, eis concedendo plenariam, & omnimodam juriſdictionem, ac merum & mixtum Imperium, prout magis late in dictis Bullis continetur, ac aſſerit virtute dictarum Bullarum conceſſarum dictæ Religioni &c. quod omne aſſerit eſſe in præjudicium ipſius uti Archiepiſcopi dicti Archiepiſcopatus Toletani, & ſi ſortirentur effectum contenta in dictis Bullis aufferrentur ab eo præheminentia, & juriſdictio ad ipſum pertinentes in ſua Diœceſi tanquam Præſidem, & attento, quod ſunt in tam magno præjudicio ipſius, ſupplicaverat cauſa dictarum Bullarum ad coram noſtro Sanctiſsimo Patre, prout apparet ex teſtimonio dictæ appellationis, quam coram noſtris Conſiliariis aſſerit præſentaſſe; & ideo nobis ſupplicabat, mandaremus eum manunteneri, & defendi in ejus poſſeſsione uti Patrono, qui ſumus dicti Archiepiſcopatus, & quod niſi ipſe audiatur non ſpolietur, quodque virtute dictarum Bullarum nihil innovetur, & quod nullus judex cognoſcat, neque procedat illarum virtute, & prout nobis benè viſum fuerit. Quibus viſis à noſtris Conſiliariis, ac mecum Rege conſulta, quia pro parte dicti Archiepiſcopi fuerat ſupplicatum cauſa dictarum Bullarum ad coram Sanctiſsimo Patre, prout apparuit ex teſtimonio coram nobis præſentato, & dicta appellatione durante, quouſque ejus Sanctitas ſit informata de veritate, ac de juſtitia partium, & illud de jure determinari mandet, ac exiſtat ſuſpenſus de jure effectus dictarum Bullarum, ac illarum complementum appellatione durante; fuit concordatum, ſeu decretum, quod debebamus mandare dari hanc noſtram proviſionem contra vos ex cauſa præmiſſa, & nos id pro bono habuimus, quapropter vobis omnibus mandamus, & unicuique veſtrum, quod durante dicta appellatione, & quouſque jus partium videatur, aut ejus Sãctitas mandet ſuper eo provideri partibus auditis, vos alij ſuperſedeatis uti dictis Bullis, & virtute illarum &c. Datum in Civitate Toletana die 21. menſis Februarij anno à Nativitate Dñi. Noſtri Salvatoris Jeſu-Chriſti 1526.

Ego Ramirez del Campo Scriba Cameræ Cæſarearum, & Catholicarum Majeſtatum illam ſcribere feci de earum mandato de voto Dominorum ſui Conſilij. Regiſtrata Licentiatus Ximenez. Antonius Gallo Chancellarius.

27 PRæcepto huic Regio haud ſtatim obtemperavit Magnus Prior; unde iterùm Cæſarem adiit Archiepiſcopus, qui ab eo de more juſſorum confirmationem reportavit, ſecunda proviſione (apud nos *Sobrecarta*) Hiſpali expedita ſub die 8. Martij ejuſdem anni 1526. ut conſtat *ex citat. proceſſu d. part. 4. fol. 118.*

28 At cùm adhuc Priorales non deſiſterent ab executione præfatæ Bullæ Clementis VII. Archiepiſcopus ægre ferens Viſitatores à Magno Priore (ut ſupra dixi) deputatos, viſitationis munus exercere, & Epiſcopum Licienſem

de licentia ejuſdem Magni Prioris in eiſdem Prioratibus ordines conferre, Conſervatorem adiit Archiepiſcopatus, qui excommunicationis vinculo tam Viſitatores, quàm Licienſem Epiſcopum obſtrinxit. Interea Magnus Prior haud quaquam negotij curam abjecit, ſed ut occurreret, pariter Conſervatorem excitavit, qui Archiepiſcopatus Conſervatoris ſententiam revocavit eodem anno 1528. Ab hac ſententia Archiepiſcopus appellavit, indeque controverſiæ
29 cognitio Apoſtolico Judici fuit demandata, qui prolatam à Conſervatore Prioratus reſciſsit, & illam Archiepiſcopatus Conſervatoris confirmavit die 3. Octobris 1529. per hæc verba, quæ conſtant *ex proceſſ. origin. 2. part. 4. part. fol. 1716. à tergo.*

Sententia Iudicis Apoſtolici anni 1529.

30 VISIS à Nobis Magiſtro Don Fratre Joanne de Santo Domingo Commendatore Monaſterij Dominæ S. Catherinæ Ordinis Mercedis hujus Civitatis Toletanæ Judice Apoſtolico Conſervatore delegato appellationum interpoſitæ, & interpoſitarum à quibuſvis Judicibus conſervatoribus, & ab aliis quibuſvis Judicibus Apoſtolicis &c. præſentat. coram Nobis pro parte dicti Illuſtriſsimi D. D. Alphonſi de Fonſeca Archiepiſcopi Toletani, & à nobis obtemperatorum, & acceptatorum quemdam proceſſum litis, quæ coram nobis pependerat in gradu appellationis, & pendet inter partes ex una Illuſtriſsimum D. Archiepiſcopum Toletanum, & ipſius Vicarium generalem Toletanum, ejuſque Procuratorem &c. ac Priorem Monaſterij Sanctæ Mariæ noſtræ Dominæ Carminis hujus Civitatis uti Conſervatorem in prima inſtantia dicti D. Archiepiſcopi Toletani, ejuſque Officialium, & Vicariorum, & ex alia admodum Magnificum D. Don Joannem Didacum de Toleto Priorem Sancti Joannis &c. ac Fratrem Lopez de Neila Priorem Domus & Monaſterij Domini Sancti Benedicti extra muros Civitatis de Huete uti Conſervatorem aſſertum dicti D. Prioris Sancti Joannis, ac aliorum Priorum dictæ Religionis; à quadam nulla, & iniqua ſententia, quam perperam dedit ac pronuntiavit de facto & contra jus dictus Frater Lopez de Neila, faciendo ſe Judicem Conſervatorem, quod facere minimè poterat, neque debebat ad favorem dicti Prioris Sancti Joannis, & aliorum Priorum dictæ Religionis, ac contra dictum Illuſtriſsimum D. Archiepiſcopum Toletanum, & contra dictum ejus Conſervatorem Priorem Monaſterij noſtrę Dominæ Sanct. Mariæ Carminis hujus Civitatis Toletanæ, & contra juriſdictionem, quam dictus Dominus tenuit, & tenet de jure à tempore immemorabili hucuſque in dicto Prioratu S. Joannis tàm in ſpirituali, quàm in temporali Eccleſiaſtico, ac viſis omnibus meritis &c.

Invenimus dictum Priorem Monaſterij Dominæ noſtræ Carminis Civitatis Toletanæ Conſervatorem dicti Illuſtriſsimi D. Archiepiſcopi Toletani fuiſſe, & eſſe Judicem competentem Conſervatorem vigore dictæ Bullæ conſervatoriæ Noſtri Sanctiſsimi Patris &c. illumque tenuiſſe, & tenere ſufficientem juriſdictionem ad procedendum prout proceſſerat contra dictos Priores dicti Prioratus Sancti Joannis, ac contra omnes alias perſonas delinquentes perturbatores, & uſurpatores juriſdictionis dicti D. Archiepiſcopi Toletani &c. ac contra dictum Fratrem Lopez de Neila eorum Priorem dictæ Religionis & Conſervatorem aſſertum dicti Prioratus, ac proviſiones, & cenſuras ab eo decretas, ac omne illud per ipſum actitatum contra ſupradictos fuiſſe, & eſſe recte, & rite actitatum, & proceſſum &c. & dictum

Fratrem

Fratrem Lopez de Neila, qui ſe fecit, ſeu formam Judicis aſſumpſit Conſervatoris ſupradicti non fuiſſe, neque eſſe poſſe Judicem Conſervatorem, prout talem ſe nominavit; ideo declarando, prout declaramus dictum Priorem Monaſterij Dominæ noſtræ Carminis pro Judice Conſervatore Illuſtriſsimi D. Archiepiſcopi Toletani, ejuſque Officialium, & Vicariorum, & illud, quod fuerat ab eo geſtum, & actitatum fuiſſe, & eſſe ritè, & rectè cauſatum, & decretum & debemus annullare, revocareq̃, & revocamus ſententiam datam à dicto Fratre Lopez de Neila Conſervatore, qui ſe dixerat eſſe &c. & declarando, prout declaramus dictum Priorem S. Mariæ Carminis in Judicem Apoſtolicum Conſervatorem &c. & dictum Fratrem Lopez de Neila pro non Judice Conſervatore, & debemus remittere hujuſmodi proceſſum, & cognitionem hujus cauſæ dicto Priori Carminis Conſervatori ſupradicto, ad hoc, ut illum recipiat in puncto, & ſtatu, in quo erat in tempore, in quo dimiſsit procedere in dicta cauſa ad hoc, ut juſtitiam faciat contra dictos delinquentes & uſurpatores juriſdictionis, quam dictus Dominus Archiepiſcopus habuerat & habet, ac poſſederat, & poſsidet in dicto Prioratu à tempore immemorabili hucuſque, ac inſuper condemnamus dictum Fratrem Lopez de Neila, ac alios delinquentes & uſurpatores expenſis hujus ſecundæ inſtantiæ &c. Et ita pronuntiamus, ſententiamus &c. Frater Joannes de Sancto Dominico in Theologia Magiſter Commendator Judex Apoſtolicus. Paniagua Doctor.

31 POſt hanc ſententiam nihil novi tentatum apparet ad annum uſque 1542. in quo Conſervator Archiepiſcopatus, & Vicarius Toletanus Miniſtros Magni Prioris Sacrorum communione privarunt, cauſa inde petita, quòd Sæcularem quemdam Clericum carcerarunt, & contra eum judicialiter proceſſerunt. Ab hac excommunicationis ſententia Priorales Miniſtri appellarunt ad Apoſtolicam Sedem; & obtento Breve à Paulo III. tunc Pontifice Maximo ſub data *Bononiæ 5. Junij* 1543. hujus cauſæ cognitio extitit commiſſa Abbati S. Benedicti de Huete, apud quem Priorales Miniſtri prævaluerunt, favorabili obtenta ſententia.

SENTENTIA ABBATIS DE HVETE anni 1544.

32 IN nobili Civitate de Huete die 8. Martij anno à Nativitate Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti 1544. admodum R. D. Don Frater Didacus Vazquez, Abbas Conventus & Monaſterij Sancti Benedicti prædictæ Civitatis Judex Apoſtolicus datus, & deputatus à Sanctiſsimo Patre noſtro Paulo III. per ejus ſpeciale Breve, & commiſsionem in gradu appellationis inter R. D. Fratrem Petrum de Molina Adminiſtratorem Conventus Sanctæ Mariæ del Monte Viſitatorem, ac Vicarium Prioratus S. Joannis, & Petrum de Arce &c. ex una; & Procuratorem Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Domini Cardinalis D. Joannis Tavera Archiepiſcopi Toletani partibus ex altera &c.

Chriſti nomine invocato. Invenimus, quod prædicti Judices, qui de hujuſmodi cauſa cognoverunt in prima inſtantia in proceſsibus, quos deſuper fecerunt, & in mandatis, & ſententiis, quas, & quæ dederunt, & pronunciaverunt, quod male & contra jus proceſſerunt, & mandarunt, quodque prædictæ partes appellantes benè appellarunt, in quorum conſequentiam, attento quod partes appellantes probant ex proceſſatis qualiter Illuſtriſsimus Prior S. Joannis, qui de præſenti eſt, & Domini Priores Sancti Joannis ejus anteceſſores,

eorumque Vicarij & Viſitatores illorum & quolibet illorum fuerunt à valde longo tempore citra in uſu, & conſuetudine antiqua, & in poſſeſsione, vel quaſi viſitandi Clericos, & Religioſos tàm Ordinis Sancti Joannis, quàm Clericos Ordinis Sancti Petri, qui vivunt, aut morantur, aut inſerviunt Eccleſiis præfati Prioratus Sancti Joannis &c.

33 PRæjudicialem hanc ſententiam judicavit Archiepiſcopus; eamque ob rem ad Sedem Apoſtolicam appellans convolavit de anno 1545. & commiſſa fuit cognitio Epiſcopo Aquenſi, in quo ſtatu particularis hæc cauſa ſuſpenſa conquievit.

34 Interea Magnus Prior anno 1553. in Regio Senatu expoſtulat revocari proviſionem contra eum expeditam de anno 1526. quam ſupra retuli; ſed proviſis ſtandum, judicavit Canſilium, expreſsèque edixit, ne Magnus Prior Archiepiſcopis impediret uſum juriſdictionis diœceſanæ in locis Prioratuum. Quod quidem decretum fuit confirmatum in gradu reviſionis die 26. Junij 1555. & expeditæ fuerunt executoriales litteræ favore Cardinalis Silicei tunc Archiepiſcopi Toletani; quæ ubi notificatæ fuere D. Fr. Didaco de Toledo Magno Priori, illis ſe pariturum dixit.

35 Poſt hæc ſucceſsit in Archiepiſcopatum Eminentiſsimus D. Gaſpar de Quiroga, & in Magnum Prioratum D. Ferdinandus de Toledo, qui pacis ſtudio ſuper controverſia tam in Romana Curia, quàm in Supremo Regio Senatu tranſigere conſultius judicarunt: cujus Concordiæ & tranſactionis tenor prout extat in Summario hujus cauſæ anni 1661. coram Taja *num.* 26. ita eſt.

CONCORDIA ANNI 1563.

COncordia, ſive tranſactio de anno 1563. inter Cardinalem D. Gaſparem de Quiroga Archiepiſcopum Toletanum, & D. Ferdinandum de Toledo Priorem S. Joannis emanata vigore ſupradictæ litis & cauſæ tàm in Conſilio Regio, quàm in Rota agitatæ, in qua conveniunt ut infra.

Quod idem Prior D. Ferdinandus mandet, & ordinet, prout promiſsit, ſuis Officialibus, & Vicariis, quod in poſterum ceſſent in concedendis Litteris dimiſſorialibus Clericis Sæcularibus exceptis Fratribus Religioſis S. Joannis: & idem Prior D. Ferdinandus de menſe Martij de anno 1564. ordinavit, quod ejus Vicarij, & Viſitatores Generales obſervent prædictam Concordiam in omnibus locis Prioratus, & cum ſupradictum præceptum, ſive mandatum Prioris fuiſſet notificatum, & intimatum Vicariis, & Miniſtris locorum de Conſuegra, Tembleque, & Madridejos, quæ loca ſunt Prioratus nihil reſponderunt.

36 QUàm arduum ſit litibus finem imponere ubi animi contendentium ſunt inflamati, quiſque jam in ſerie hujus narrationis advertet, in qua tot tranſactiones potiùs citare, quàm extinguere jurgia videbantur. Unde nec proximè relata Concordia pax eſt aſſequuta: vita quippè functo Cardinali Quiroga, in ejuſque locum ſuffecto D. Bartholomæo de Carranza, Miniſtri Priorales Toletano Antiſtite inſcio, Pontificalium functionum exercicium Roderico Epiſcopo Trojanenſi in Eccleſiis Prioratuum permiſerunt. Hic autem permiſſus, cùm ex notiſsimo jure Diœceſano reſervetur, ut novam occaſionem dedit Lic. Don Buſtus de Villegas Gubernator generaliſque Adminiſtrator Toletani Archiepiſcopatus, mandatum expediret *ſub die* 16. *Septembris* 1574. contra præfatum Epiſcopum Trojanenſem, ne ordinationes faceret in Prioratu S. Joannis abſque illius licentia ſub pœna ex-

excommunicationis. Rursus anno 1596.
37 idem accidisse cum Episcopo Liparensi apparet, eamque ob rem Apostolicus Nuncius litteras breves ad præfatum Episcopum dedit in hunc tenorem.

BREVE NVNTIJ APOSTOLICI
Episcopo Liparensi.

CAMILLVS Cajetanus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, & Sanctissimi D. Nostri D. Clementis Divina providentia Papæ Octavi, ejusdemque Sedis in Hispaniarum Regnis cum potestate Legati de Latere Nuntius, juriumque Cameræ Apostolicæ Collector Generalis. Venerabili in Christo Patri moderno Episcopo Liparensi salutem, & Apostolicam, ac sinceram in Domino charitatem. Noverit pro parte dilecti nobis in Christo Joannis Fernandez de la Isla, nomine Dignitatis Archiepiscopalis Toletanæ nuper coram nobis fuisse expositum, quod licet Prioratus Sancti Joannis Hierosolymitani in Oppido de Alcazar de Consuegra sit situs infra limina Archiepiscopatus Toletani, & juxta formam Concilij Tridentini Abbates, Priores, & quævis aliæ personæ regulares, quorum Monasteria, seu Prioratus infra fines alicujus Diœcesis existant, non possint dare litteras reverentiales nisi Clericis, & Regularibus sibi subjectis, non autem Clericis Sæcularibus, & per consequens non possunt dare Episcopis, Archiepiscopis, seu aliis majoribus Prælatis licentiam exercendi Pontificalia in districtu eorum Monasteriorum, seu Prioratuum, & omnes Clerici Sæculares dicti Prioratus sint subjecti Ordinario Metropolitano, & propterea juxta ejusdem Concilij formam non possint in dicto Prioratu, ejusque districtu celebrare Pontificalia, nisi de consensu pro tempore existentis Ordinarij Toletani, nihilominus sub prætextu cujusdam assertæ licentiæ Superiorum dicti Ordinis, & Prioratus, Ordines generales in Sabatho quatuor temporum proximè venturorum, celebrare prætendis, & edicta ad id publicè apponi feciſtis, in jurisdictionis Dignitatis Archiepiscopalis, & Ordinarij Toletani præjudicium, & gravamen; ideo ejusdem Dignitatis Archiepiscopalis nomine debita instantia requisiti, quatenus in præmissis de oportuno remedio providere dignaremur: Nos igitur attendentes petitionem hujusmodi esse justam, & rationi consonam, circunspectioni tuæ, necnon quibusvis aliis Episcopis, sive Archiepiscopis Ordinariis, sive titularibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicti ingressus, & suspensionis à divinis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis pecuniariis, arbitrio nostro moderandis, & aplicandis districtè præcipiendo mandamus, ne postquam præsentes litteræ tibi, vel illis intimatæ fuerint ad celebrationem dictorum Ordinum generalium, seu alterius cujusvis actus legitimi jurisdictionem aliquam demonstrantis, etiam de consensu, & licentia Superiorum dicti Prioratus S. Joannis, quovis modo procedere audeas, seu præsumas, aut quispiam alius audeat, seu præsumat contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Matriti Toletanæ Diœcesis anno à Nativitate Domini 1596. die vero 18. mensis Septembris Pontificatus autem ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ anno quinto. C. Patriarcha Alexandrinus. Nuntius & Collector generalis Apostolicus. Antonius Bolle Abbreviator. Registrata *lib.* 1. *fol.* 169. Constat in prædicto Summario *num.* 28.

38 POst hæc vel quia Episcopus Liparensis non obedivit, vel quia juri suo non satis consultum judicavit Archiepiscopus Romam adiit, ubi de voto Sacræ Congregationis Clemens VIII.

ſuo Breve declaravit Epiſcopos Pontificalia exercentes in Prioratu S. Joannis abſque licentia Archiepiſcopi Toletani incidiſſe in pœnas & cenſuras inflictas à Sacris Canonibus & à Sacro Concilio Tridentino, & ab eis ordinatos eſſe irregulares, prohibendo eiſdem, & Magno Priori, ne de cætero ampliùs ſimilia perpetrare præſumerent; prout in ipſo Brevi conſtat.

VENERABILI FRATRI
Archiepiſcopo Toletano.
CLEMENS PAPA OCTAVVS.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perlatum eſt ad nos nonnullos Priores Militiarum Regularium, & Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani intra fines iſtius Diœceſis exiſtentes quoſdam Epiſcopos intra loca eorum juriſdictionis accerſiſſe, qui nulla à te veluti Diœceſano loci petita, nec obtenta licentia non ſolum Regulares dictis Prioribus ſubditos, ſed etiam pleroſque Sæculares etiam alienarum Diœceſium ad Ordines; etiam Sacros promoverunt contra Sacri Tridentini Concilij decreta, quibus pontificalia per Epiſcopos in aliena Diœceſi, in loco etiam exempto ſine Diœceſani loci licentia exerceri poſſe prohibentur. Quare Nos de venerabilium Fratrũ noſtrorum S. R. E. Cardinalium præfati Concilij Tridentini Interpretum ſententia, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut tam Epiſcopis, qui ordines hujuſmodi contulerunt, quàm iis, qui ſic ab alienis Epiſcopis ad ipſos ordines promotti fuerunt, noſtro nomine & auctoritate ſignifices, illos, & quemcumque ipſorum in cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas à Sacris Canonibus & præfato Tridentino Concilio, necnon etiam fæl. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri contra Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes edita, ſi poſt illam, & ante noſtram illius moderationem, ordinationes prædictæ fuerint inflictæ, incidiſſe. Eoſdemque ſerio nomine, & auctoritate prædictis comnonefacias, ut à Sede Apoſtolica à cenſuris, pœniſque hujuſmodi abſolutionem, & ſuper irregularitate propterea contracta diſpenſationem impetrare procurent. Interim verò tam dictis Epiſcopis, quàm ipſis Militiarum, & Hoſpitalis Sancti Joannis Prioribus inhibeas, ne de cætero talia præſumant aliquo modo. Nos enim tibi ſuper his omnibus & ſingulis opportunam, & amplam auctoritatem prædictam tribuimus facultatem, ac irritum & inane decernimus quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis prætenſis forſam privilegiis, & indultis, & litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 26. Februarij 1597. Pontificatus noſtri anno ſexto. Loco ✠ Sigilli G. Gualterius.*

39 LIcèt Caſtellæ Senatus Regius, ad conſervandam (ut ſupra diximus) Archiepiſcopi juriſdictionem, executoriales litteras expediverit de anno 1555 quibus pariturum ſe dixit Magnus Prior; tamen ejuſdem nomine de anno 1604. iterum tentatum eſt, rem hanc juriſdictionalem ad novũ examen trahi in eodẽ Senatu, in quo, prævíis decretis viſionis & reviſionis, decreta fuit Archiepiſcopo manutentio, alieque excutoriales litterę fuerunt relaxatæ ſub die 22. Janu. 1610. Quibus finem imponimus antiquis particularibus controverſiis, & ad univerſalẽ juriſdictionis cauſam in Rota ventilatam tranſitum facimus.

SEC-

SECTIO III.

Refertur ſeries controverſiæ in Sacra Rota ab anno 1610. ſuper univerſa juriſdictione Eccleſiaſtica in Magno Prioratu.

QUOD hucuſque litium & controverſiarum relatum manet præludij inſtar eſt eorum, quæ nunc dicenda ſunt. Particularibus ſiquidem altercationibus ita animi contendentium ſunt inflamati, ut inde mutuò conſereretur illa adeò prolixa & atrox controverſia, qualis unquam in Romani fori ſubſeliis perſonavit ulla. Infenſam ergo fortunæ aleam quam hu-
40 cuſque in Hiſpaniæ Tribunalibus Hieroſolymitani ſubierunt, Romana in Curia emmendatam iri cogitarunt: unde, alio concertationi dicto modo, non ſuper particularibus, ut hucuſque juribus; ſed uno jactu ſummam omnem ſorti objicientes, ſuper univerſali Eccleſiaſtica juriſdictione in Oppidis Prioratuum contendere decreverunt. Initium con-
41 troverſiæ dedit anno 1610. Sereniſſimus Princeps D. Philibertus à Sabaudia Magnus Prior: hic enim apud Paulum V. forenſi illa formula, quæ *jactationum* dicitur, in Archiepiſcopum Toletanum egit; moleſtias ejuſdem cauſans, quibus ſe turbatum & impeditum dicebat in exercitio Eccleſiaſticæ juriſdictionis in Oppidis Prioratuum; quæ ſibi tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus omninò ſuberant, tanquam in *nullius Diœceſi* conſiſtentia.

Commiſit Papa cauſæ cogni-
42 tionem juxta praxim Romanæ Curiæ Marco Montio S. Palatij Auditore, qui litteras citatorias & inhibitorias ad partes dedit & tranſmiſit. Quarum notitia Eminent. Cardinalis D. Bernardus San-
43 doval & Roxas pariter etiam Pontificem adiit, ſupplici libello orans præceptam quoad ſe moderari inhibitionem, ut liberè poſſet viſitare Eccleſias & loca Prioratus, quæ intra Diœceſim Toletanam conſiſtere aſſerebat. Inſtituta in
44 hunc modum controverſia, ſuper moderatione inhibitionis diſceptatum eſt, & *ſub die* 16. *Martij* 1612. prima data eſt in Sacra Rota deciſio coram Philippo Pirovano, in qua propter juris aſſiſtentiam Epiſcopis faventem, de qua *in cap.* 2. *num.* 84. moderata fuit inhibitio quoad Archiepiſcopum; & repetito controverſiæ examine, prodiit ſecunda deciſio confirmatoria *ſub die* 4. *Decembris* 1613. Quas deciſiones placuit hic per extenſum tranſcribere, tum ob earum brevitatem, tum quia judicij ordinationem principaliter reſpiciunt.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, ſeu nullius juriſdictionis, Lunæ 26. *Martij* 1612.

VISUM eſt Dominis inhibitionem eſſe moderandam: quia, cùm Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Toletanus de jure communi habeat fundatam intentionem de jure viſitandi omnes Eccleſias exiſtentes intra fines ſuæ Diœceſis, *ex cap. conquærente de offic. Ord.* donec cognoſcatur, an aliquæ Eccleſiæ, vel loca ſint exempta, vel *nullius*; non eſt incipiendum ab inhibitione ſine cognitione cauſæ *cap. cùm perſonæ de privil. in* 6. *cap. conſtitutus de relig. Domib.* Caputaqu. *deciſ.* 201. *part.* 1. quod etiam fuit firmatum *in cauſa Calaguritana juriſdictionis* 1. *Julij* 1605. quin omnis hæſitatio fuit ſublata in materia viſitationis per Sacrum Concilium Trident. *cap.* 8. *ſeſſ.* 7. *& cap.* 8. *de reformat. ſeſſ.* 21. ubi derogatur quibuſcumque exemptionibus, & judicum inhibitionibus, & datur Epiſcopis facultas viſitandi, tanquam

quam Sedis Apoſtolicæ delegatis : & ideo Sereniſsimus Princeps Philibertus, quamvis prætendat, loca ſui priotatus Caſtellæ eſſe exempta, ſeu *nullius*; effugere non poteſt viſitationem Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Toletani, uti vicinioris, cui eadem facultas per Sacrum Concilium *cap. 9. ſeſſ. 29. de reformat.* attributa fuit.

Nec dicatur, uti viciniori non competere facultatem : quia pro parte Sereniſsimi Principis negetur qualitas vicinitatis, quæ per Illuſtriſ. Archiepiſcopum, uti fundamentum ejus intentionis, venit probanda. Quia fuit reſponſum, illum præſumi viciniorem, contra quem cauſa committitur *cap. 8. de relig. Domib.* maximè, cùm non controvertatur cum alio Epiſcopo, ut fuit conſideratum *in Calaguritana juriſdictionis 16. Junij* 1608. coram Illuſtriſsimo Attrebatenſi. Et meritò, ne Eccleſiæ ſubtrahantur à ſuperioritate Ordinariorum donec qualitas vicinitatis probetur in grave præjudicium animarum, præſertim in Eccleſiis Parochialibus. Et quoad privilegium Clement. VII. per quod conceditur exemptio locis Religionis S. Joannis Hieroſolymitani, etiam à viſitatione, fuit dictum comprehenſum eſſe ſub derogatione Concilij *d. ſeſſ. 2. cap. 8. & ſeſſ. 21. cap. 8.* quæ loquitur de locis exemptis : & eadem derogatio habetur in his, quæ ſunt nullius *cap. 9. ſeſſ. vigeſsima quarta*, & eſt ſermo generalis ibi : *Quibuſcumque privilegiis non obſtantibus*, comprehendens quaſcumque perſonas, quamvis privilegiatas, Triraquel. *de retr. conſaguin. §. 1. gloſ. 14. numer. 96.* Sarnen. *in proœm. reg. quæſt. 4. col. 4. verſ. iſtis tamen non obſtantibus.*

In ſecunda parte dubij placuit Dominis remiſſoriam petitam pro parte Sereniſsimi Prioris eſſe concedendam poſt moderatam inhibitionem ; tum, quia eſt revelans, Caputaq. *deciſ. 68. part. 3.* Put. *deciſ. 334. in fin. lib. 2.* & ſæpiùs fuit reſolutum ; tum etiam, quia nec alia pars contradicebat. &c.

CORAM EODEM

In eadem Toletana Mercurij 4. Decembris 1613.

FUIT reſolutum ſtandum eſſe in deciſis : fundamenta enim deciſionis videntur benè procedere conſiderato reſcripto commiſsionis obtentæ per Dominum Archiepiſcopum contra quem Papa noluit inhibere niſi cauſa cognita ; ideo inhibitio emanata abſque cauſæ cognitione tanquam contra formam reſcripti, ſubſtineri non poteſt ; ſed omninò in primis venit revocanda, *cap. cùm dilecta de reſcript.* Pariſ. *conſ. 39. numer. 9. libr. 1.* Mandoſ. *de inhib. quæſt. 82. numer. 2.* Et ratio primæ deciſionis benè convenit: quia, dùm prætenditur exemptio à viſitatione, non eſt incipiendum ab inhibitione contra Epiſcopum, qui habet fundatam ſuam intentionem, tam de jure communi *cap. cùm perſonæ de privil. in 6.* & aliis *in deciſ.* allegatis, quàm etiam tanquam delegatus Apoſtolicus vigore decretorum Sacri Concilij Tridentini *cap. 8. ſeſſ. 7. cap. 8. de reform. ſeſſ. 21. cap. 9. ſeſſ. 24. de reform.*

Nec obſtat, quod ex diſpoſitione *cap. cùm perſonæ.* D. Archiepiſcopus juvare ſe non poſsit : quia etſi nitatur aſſiſtentia juris, concurrente tamen præſcriptione, & privilegio Apoſtolico Clementis VII. relato in Conſtitutione Pij IV. in ordine decimaquarta, nedum inhibitio eſt firmata contra D. Archiepiſcopum ; ſed manutentio ipſa eſſet danda ex eadem diſpoſitione *cap. cùm perſonæ in verſ. quod ſi talis, &c.* Put. *deciſ. 310. lib. 2.* quod etiam videtur firmatum *in Conſtantien. juriſdictionis 10. Novembris* 1607. *coram Rev. Attrebatenſi,*

&

& in Salmantina juriſdict. 27. Iunij, & 17. Decembris 1582. coram bon. mem. Card. Seraphino.

Quia fuit reſponſum, privilegium prædictum, & ejus confirmationem emanaſſe ante Concilium, & conſequenter eis derogatum fuiſſe per idem Sacrum Concilium, quod etiam clariùs apparet *ex Conſtitut. 139. Pij V. & 88. Gregorij XIII.* quibus confirmantur privilegia Clementis VII. reſervata tamen viſitatione juxta decreta Sacri Concilij, in Eccleſiis, in quibus Religio, & Milites Epiſcopalem etiam, & temporalem juriſdictionem habent; & circa ea, quæ animarum curam, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt, & quamvis *Pius V. in d. ſua Conſtitutione* noluerit ullum afferri præjudicium juri viſitandi Eccleſias Parochiales, & alia beneficia curam animarum habentia, quod antea Religioni, & Militibus competebat; tamen D. Prior in hac reſervatione nullum poteſt conſtituere fundamentum, cùm non docuerit de hujuſmodi jure antea competenti.

Præſcriptio autem allegata non etiam probatur: quia nec ſententia anni 1544. ut dicitur producta, neque teſtes ſuper immemorabili examinati faciunt aliquem gradum probationis, cùm ſententia non ſit in forma probanti, & teſtes ſint invalidi, & nulliter examinati, *cap. cùm de teſtibus.* ubi Doct. Caputaq. *deciſ. 266. part. 2.*

Non obſtant reſponſiones datæ ad decreta Concilij *ſupra* allegata, videlicèt, quod *cap. 9. ſeſſ. 24.* loquitur de Eccleſiis Sæcularibus; non autem de regularibus, & de locis exemptis; non autem de his, quæ præter exemptionem habent etiam juriſdictionem, quales ſunt Eccleſiæ, de quibus agitur: & item concedat jus viſitandi ordinario viciniori, qualem non conſtat D. Archiepiſcopum eſſe. Cùm autem *cap. 8. ſeſſ. 7.* loquatur de Ordinariis, quorum appellatione comprehenditur D. Prior, etſi ſit inferior, juxta reſolutionem *in Salmantina juriſdictionis 9. Maij 1580. coram. bon. mem. Card. Seraphino.* Et *cap. 8. ſeſſ. 21.* non comprehendat Prioratum Militum S. Joannis, cum ſint Præceptores, & non Commendatarij, qui propterea à Superioribus ſui Ordinis, non autem ab Ordinario debent viſitari.

Prædicta enim tolluntur *ex Conſtitutionibus Pij V. & Gregorij XIII.* ſupra allegatis, in quibus expreſsè conceditur Ordinariis, uti Sedis Apoſtolicæ delegatis, viſitatio circa ea, quæ curam animarum, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt. Præterea, quod loca, de quibus agitur, comprehendantur, vel non comprehendantur ſub decretis Sacri Concilij, reſpicit petitorium, & altiorem requirit indaginem. Interim autem donec cognoſcitur, non eſt incipiendum ab inhibitione, ut dictum fuit *in prima deciſ.*

Et ita ex prædictis Domini confirmarunt primam reſolutionem quoad viſitationem.

45 POſt has deciſiones nihil aliquamdiù momenti eſt actitatum, & nulla mota ſuper meritis formali diſputatione, ſiluit cauſa uſque ad annum 1657. in quo reaſſumpta coram Bevilaqua, in locum Pirovani ſubrogato, propoſitum fuit dubium: *An & de cujus bono jure conſtaret ad effectum manutentionis.* Magna animorum contentione hinc in-
46 de probationes fuerunt inſtructæ. Archiepiſcopus quidem totus fuit in oſtendenda illorum Oppidorum ſituatione in ſua Diœceſi, pro quo antiquas Concordias deſuper inſertas in medium produxit, in quibus illa Oppida Toletanæ Diœceſis enunciantur, & ipſi ut Diœceſano plures actus reſervantur.

Pro-

Produxit etiam teſtes, qui & ſituationem in Diœceſi ſua confirmarent, & inſuper vigentem Diœceſani juris poſſeſsionem ex quamplurium actuum exercitio; quibus omnibus ejuſdem poſſeſſionis manutentionem, propter juris aſsiſtentiam, efflagitabat. Ex adverſo autem Magnus Prior amplam ſibi juriſdictionem Pontificiis privilegiis tributam proponebat: privilegiis, ad cumulum immemorabilem poſſeſsionem allegans adiiciebat; & ſingulares etiam juriſdictionis Ordinariæ actus, à ſe exercitos, tum teſtibus, tum ſcripturis comprobabat: non omiſſo argumento temporalis juriſdictionis, ad ſe in his Oppidis pertinentis; ut ex his omnibus univerſam Eccleſiaſticam juriſdictionem, in eiſdem locis ſibi privativè competere ſuaderet. Ita utraque parte informante, res fuit accuratè ennodata; ſed obtinuit tandem Archiepiſcopus, de cujus bono jure conſtare, etiam ad effectum manutentionis declaratum eſt *ſub die* 9. *Maij* 1659. quæ deciſsio eſt *in ordine la* 70. *part.* 13. *recent.* Deciſionis autem ſumma Capita ea fuere. Quod ex inſ-
47 trumentis, & teſtibus ſatis conſtaret de ſituatione controverſi diſtrictus in Diœceſi Toletana; unde nota juris præſumptio & aſsiſtentia favore Archiepiſcopi militabat. Nihil deinde à Magno Priore proponi, quod hanc juris aſsiſtentiam deſtrueret, ut ſanè opus erat: nam privilegia licèt ampla territorium ſeparatum, de quo erat quæſtio, non indulgebant. Immemorabilis ex defectu probationis corruebat. Actus poſſeſſorij, particulares erant, & liti cauſam præbuerunt. Juriſdictio temporalis incongruum ad juriſdictionem ſpiritualem exiſtimatum eſt argumentum.

48 Agentes verò Priorales huic Deciſioni non acquieverunt, atque in nova audientia, novam quoque defenſionis viam ſuſceperunt. Ampliùs ſiquidem ſituationem Prioratus in Diœceſi Toletana non controvertentes, nec inſiſtentes immemorabili aut privilegiis; ad titulum putativum, & quadragenariam præſcriptionem defenſionem reſtrinxerunt. Aſt par extitit eventus, nam re maturè diſcuſſa quadragenaria non fuit admiſſa, tum ob defectum tituli putativi, tum ex defectu probationis; indeque *ſub die* 21. *Maij* 1660. coram eodem Bevilaqua prodiit ſecunda deciſio primæ confirmatoria, quæ eſt *in ordine la* 220. *ead. part.* 13. *recent.* & conſequenter poſt has Deciſiones promulgata fuit prima ſententia *die* 27. *Auguſti* 1660. per hæc verba.

Prima Sententia Rotalis.

CHRISTI nomine invocato &c. Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus & diffinitivè ſententiamus Prioratum hujuſmodi, & ejus loca, nempè Sancta Maria del Monte, Conſuegra, Alcazar, Tembleque, Madridejos, Yevenes de la Orden, Argamaſilla, Villa-Cañas, Herencia, Urda, Camuñas, Villafranca, Quero, Turleque, Arenas, Villaharta, Puerto Lapiche, omneſque alias Terras, Oppida, & Caſtra Bajulibatus de Conſuegra fuiſſe, & eſſe in Diœceſi, & de Diœceſi Toletana, omnimodamque juriſdictionem Ordinariam ſpiritualem, Eccleſiaſticam, & Archiepiſcopalem, quoad utramque Legem Diœceſanam, & juriſdictionalem cum omnibus earum effectibus ſpectaſſe, & pertinuiſſe, ac ſpectare, & pertinere ad prædictum Eminentiſsimum Archiepiſcopum Toletanum, uti verè, & propriè Ordinarium dicti Prioratus, ejuſque locorum ut ſupra, ac ad ipſius Dignitatem Archiepiſcopalem; eiſque licuiſſe, & licere in omnibus prædictis locis, Terris, Oppidis, & Caſtris dictam omnimodam juriſdictionem Ordinariam privativè quoad dictum Magnum Priorem, ad quem illa nunquam ſpectavit, nec

per-

pertinuit, nec ſpectare, aut pertinere potuit, nec poteſt, liberè exercere in Populum laicum utriuſque ſexus, Eccleſias, ac perſonas Eccleſiaſticas & Clericos Sæculares intra Monaſteria, ac ſepta Monaſteriorum Religionis Hieroſolymitanæ dicti Prioratus exiſtentes viſitando, & corrigendo dictas Eccleſias, & perſonas, adminiſtrando eis omnia Sacramenta, conferendo Ordines Sacros, atque Eccleſiaſtica Beneficia, & Capellanias, cognoſcendo omnes eorum cauſas civiles, criminales, mixtas, matrimoniales, & beneficiales, omneſque alios actus dictæ omnimodæ juriſdictionis Ordinariæ exercendo, percipiendoque etiam tertiam partem decimarum pro ſua portione Pontificali Cathedraticum, Procurationem, & omnia alia jura, quæ in aliis locis ſuæ Diœceſis, & prout de jure, atque juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem. Ita pari noſtra ſententia diffinitiva declaramus, pronuntiamus, decernimus, ac diffinitivè ſententiamus prædicto Eminentiſsimo D. Archiepiſcopo Toletano, ejuſque Dignitati licuiſſe, & licere ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum Monaſteria, Hoſpitalia, aliaque loca pia dicti Prioratus Religionis Hieroſolymitanæ viſitare, ac perſonas tam profeſſas, quàm famulos, ſervitores, Colonos, Donatos, ſeu oblatos, alioſque intra ejus Monaſteriorum ſepta degentes ad formam, & præſcriptum, ut ſupra corrigere, proindeque moleſtationes, vexationes, perturbationes, & impedimenta quæcumque dicto Eminentiſsimo Archiepiſcopo, & ſuis Anteceſſoribus pro tempore per Magnum Priorem, ut ſupra in exercitio prædictæ juriſdictionis hactenus præſtita, fuiſſe & eſſe nulla, injuſta, & illicita, & de jure minimè id eidem facere licuiſſe, nec licere; ipſiſque Sereniſsimo Magno Priori, ejuſque in Prioratu Succeſſoribus perpetuum ſilentium ſuper omnibus præmiſsis imponimus, ac mandata quæcumque deſuper neceſſaria, & opportuna decernenda, & relaxanda fore, & eſſe prout decernimus, & relaxamus victumque victori in expenſis in hac cauſa legitimè factis condemnamus, quarum taxactionem nobis reſervamus; & ita dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, non ſolum præmiſſo, ſed etiam omni meliori modo &c. Ita pronuntiavi ego Aloyſius Bebilaqua Sacræ Rotæ Auditor, & Judex.

50 ADverſus præfatas deciſiones, & ſententiam conſecutivè prolatam Magno Priore appellante, & commiſſa cauſa appellationis Cardinali de Taya *ſub die* 10. *Ianuarij* 1661. emanarunt aliæ duæ deciſiones declaratoriæ, quæ ſunt *la* 333. *&* 334. *part.* 13. *recent.* In quibus primæ deciſionis fundamenta inculcantur. Et repropoſita cauſa coram
51 Bebilaqua in locum Tayæ, tunc ægrotantis, ſubrogato, prodierunt aliæ duæ deciſiones, prima ſuper manutentione, *die* 27. *Ianuarij* 1662. quæ eſt *la* 390. *ead. part.* 13. ſecunda ſuper bono jure, quæ eſt *la* 391. *ead. part.* In quibus præinſerta ſententia, & deciſiones confirmatæ fuerunt, quoad omnimodam Eccleſiaſticam juriſdictionem, competentem Archiepiſcopo Diœceſano privativè quoad Magnum Priorem in Populum laicum & Clericos Sæculares: reformatæ verò fuerunt, aut potiùs declaratæ in hoc, ut juriſdictio Archiepiſcopi non comprehenderet Religioſos Profeſſos, ſeu etiam Capellanos, Servientes, Miniſtros, Colonos, & alios quamvis de Clero, & Populo Sæculari, in quibus concurrerent tria requiſita Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 11. *verſ. exceptis, & Bullæ* 67. *Gregorij XIII.* Ad harum ergo deciſionum
53 normam prolata fuit ſecunda ſententia

primæ

primæ declaratoria *ſub die 7. Auguſti* 1662. in hunc tenorem.

Secunda Sententia Rotalis.

CHRISTI nomine invocato &c. Dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, ſententiam dicti Reverendi Patris Domini Bebilaquæ in favorem dicti Eminentiſsimi, ac Reverendiſs. Domini Cardinalis Archiepiſcopi, ejuſque Archiepiſcopalis Dignitatis, quoad juriſdictionem Ordinariam in Populos Oppidorum & locorum dicti Prioratus exiſtentium intra limites Diœceſis Toletanæ in omnibus, & per omnia confirmandam fore, & eſſe, prout confirmamus, & benè ita judicatum, maleque propterea in hac parte fuiſſe ab ea pro dicto Sereniſsimo Magno Priore appellatum, & provocatum &c. omni &c. Item dicimus &c. & diffinitivè ſententiamus, quoad juriſdictionem auctoritate Apoſtolica delegatam non licuiſſe, neque licere dicto Eminentiſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Cardinali Archiepiſcopo, ejuſque Archiepiſcopali Dignitati dictam juriſdictionem delegatam exercere quoad viſitationem, correctionem, & punitionem Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum piorum dicti Prioratus, ac perſonarum profeſſarum, famulorumque illi ſubjectorum in dicta Diœceſi Toletana, niſi in iis, quæ reſpiciunt Curam animarum, & in iis perſonis, quæ non habent requiſita Conſtitutionis Sanctæ memoriæ Gregorij Decimitertij in ordine ejus Conſtitutionum 67. & propterea ſententiam prædictam fore, & eſſe in hac parte reformandam, & in contrariis huic noſtræ ſententiæ informandam, & in conformibus confirmandam, prout reſpectivè infirmamus, & confirmamus, ſingula ſingulis congruè referendo non ſolum &c. Sed & omni &c. Item dicimus &c. Victum victori pro rata victoriæ reſpectivè in expenſis in cauſa factis condemnandum fore, & eſſe, prout condemnamus, quorum taxationem nobis, ſeu cui de jure in poſterum reſervamus; & ita dicimus &c. Ita pronuntiavi. Ego Flaminius Tayæ Sacræ Rotæ Auditor, & Judex.

53 AST hujuſmodi ſententia placere nequibat Magno Priori, qui non limitatam, ſed abſolutam & omnimodam juriſdictionem ſibi competere judicabat; quamobrem ab ea provocavit, & ardentiùs quàm uſque tunc conflictatum eſt; pugnam confirmante univerſa Religione cum ſuo Magno Magiſtro: nam, ut hucuſque malo eventu negotium Hieroſolymitanis ceſſerat, & malum inde exemplum ſimilibus controverſiis poſſe creari verebantur, univerſi Ordinis intereſſe judicatum eſt, privilegiorum defenſionem ſuſcipere; quin præcipuè propriùſque Magno Magiſtro defenſionem incumbere, quam Magno Priori. Hacque de cauſa in Signatura *Gratiæ* ex integro ad cauſam admitti Magnus Magiſter poſtulavit. Verùm, cùm illius intereſſe non prin-
54 cipale, ſed acceſſorium cenſeretur in illo Tribunali, *ſub die 6. Novembris* 1667. admitti tantùm Religio obtinuit eo in ſtatu & terminis quos cauſa habebat.

Tertia Sententia Rotalis.

CHRISTI nomine invocato &c. Dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, benè fuiſſe, & eſſe per dictum R. P. D. Tayam ad favorem dictæ Dignitatis Archiepiſcopalis proceſſum, pronuntiatum, & ſententiatum, maleque, & perperam pro parte Sereniſsimi Magni Prioris Caſtellæ, dictæque Religionis Hieroſolymitanæ, & illius

illius Magni Magiſtri, & Conventus appellatum provocatum, & reclamatum, & ſententiam ab eo latam approbandam, & confirmandam fore, & eſſe, prout approbamus, & confirmamus, dictumque Sereniſsimum Magnum Priorem, & Sacram Religionem in expenſis condemnandos fore, & eſſe, prout condemnamus, quarum taxationem nobis, ſeu cui de jure in poſterum reſervamus, litteraſque Executoriales decernendas, & relaxandas fore, & eſſe prout decernimus, & relaxamus, & ita dicimus &c. non ſolum præmiſſo &c. Ita pronuntiavi. Ego Carolus Cerro S. Rotæ Decanus pro R. P. D. meo Priolo abſente.

55 TRibus his ſententiis conformibus obtentis, ad inſtantiam Eminent. D. Cardinalis de Aragonia, tunc Archiepiſcopi Toletani, relaxatæ, ac expeditæ fuerunt conſuetæ Litteræ Executoriales eodem *die* 17. *Menſis Iunij* 1669. canonizantes omnimodam juriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam quoad utramque Legem, & in ſuis caſibus delegatam, juxta præſcriptum S. Concilij Tridentini, favore Dignitatis Archiepiſcopalis: de quarum executione inſtat tempus ut agamus.

SECTIO IV.

De executione Executorialium, & de poſſeſsionis adeptione.

56 NINIL jam in votis ſupereſſe videbatur ad diuturnam litem extinguendam, quàm rei judicatæ executio; quamobrem Eminentiſ. D. Cardinalis de Aragonia Toletanus Archiepiſcopus *de menſe Novembris* 1669. Rotales litteras intimari curavit D. Gabrieli Martinez Judici Apoſtolico, ut eas executioni demandaret. Aſt negotium faceſſebat, quod res eſſet agenda cum Sereniſsimo D. D. Joanne ab Auſtria Magno Priore; arduum enim erat Executori privato homini cum potentiſsimo Principe experiri, & quem vereri opportebat, victæ cauſæ intimatione, plerumque odioſa, laceſſere. Tempori igitur & ſcenæ ſervire ſatius viſum eſt: unde executione in commodiorem occaſionem dilata, interim ne quod juri ſuo damnum inde crearetur, rem integram Archiepiſcopus expoſuit Apoſtolico Nuncio, apud eumque ſolemnem proteſtationem emiſit, quæ proteſtatio admiſſa & comprobata fuit poſteà per S. Rotam *in deciſ.* 29. *Aprilis* 1689. *cor. Paulucio.*

57 Novis temporibus, & nova rerum facies apparuit, quippè in Archiepiſcopatum ſucceſsit Eminent. D. Cardinalis Portocarrero, & in Magnum Prioratum Excellent. D. D. Indicus de Velandia, quo haud ita operoſa rei judicatæ executio videbatur; unde præfatus D. Cardinalis Executorem Judicem interpellavit, ut injunctum ſibi munus expleret. Ergo *die* 17. *Decembris* 1680. prædicto D. Magno Priori Litterarum intimatione facta, hic ſub *die* 25. *Februarij* 1681. multa obiiciens, Litterarum executioni ſe oppoſuit. Judex verò, ne mandatæ ſibi poteſtatis limites excederet, ſiſtendum ſibi duxit,
58 & plena acta ad Sacram Rotam tranſmiſit; ubi citato Excellent. D. Magno Priore ad docendum ſe paruiſſe Executorialibus, prodiit coram Antonio Paulucio deciſio proximè citata, & conſequutivè *die* 12. *Iunij* 1682. promulgata fuit contra eumdem D. Magnum Priorem ſententia declaratoria cenſurarum, ſi intra ſex menſes ei ob gradus ſublimitatem indultos, judicato non pareret, atque per eum fieret quominùs decreta ad effectum non perducerentur.

59 Intimato Rotæ Decreto D. Magno Priori in Civitate Pampilonenſi *ſub die*

8. *Februarij* 1683. promptam ſe præſtaturum obedientiam apertè dixit; ſed ex iis, quæ ſubjungenda ſunt, haud defuere, qui judicarunt, imminentium cenſurarum metu, aliam propalàm ſententiam profeſſum, quàm quæ abdita animo inhærebat. Utut ſit, res jam eo erat provecta, ut, faciendæ executioni & poſſeſsioni capiendæ, manus admoverentur, & hac de cauſa ad Oppida Prioratuum adornaretur acceſſus. Itaque cùm præfatus D. Gabriel Martinez
60 Executor antea electus, ſenio adverſaque detineretur valetudine, ſuſceptum Executoris munus dimiſsit & in ejus locum, rei huic expediendæ, fuit ſuffectus D. Martinus de Bonilla Prothonotarius Apoſtolicus. Pariter etiam Eminent. Archiepiſcopus, adipiſcendæ poſſeſsionis, & Diœceſani ibidem Tribunalis figendi ergo, Vicarium & Viſitatorem deputavit Lic. D. Marcum de Cabrejas, Virum ſanè in Juriſprudentia provectum, qui poſteà Toleti Vicarius & Canonicus, Dignitate etiam Abbatis S. Leocadiæ fuit pro meritis decoratus. Subveriti tamen Executor & Vicarius, in provincia demandata obſtacula & impedimenta; non anteà ſunt profecti, quàm Regius Caſtellæ Senatus eis impertiretur auxilium, deputato ad hoc (contradicente tamen parte Religionis) Lic. D. Philippo Antonio de la Cueva Rigiæ Domus, & Curiæ Judice, qui cum Executore & Vicario unà iterfaceret.

61 His ita confectis ventum tandem eſt in Conſocram, ubi, litteris patentalibus exhibitis, Executorem Vicarius rogavit, ut Eccleſiaſticæ Diœceſanæ juriſdictionis ſibi poſſeſsionem daret, remotis quibuſcumque impedimentis. Annuit petitis Judex: & executionis tentatum eſt initium. Hic profecto quiſque advertet omnibus permoleſtè accidere iis, quę putant ad ſe pertinere, quęque diù aut jure, aut injuria habuere, ipſos ab adverſario privari, & exui; ut jam inde nõ miretur, quod Hieroſolymitani eorumq̃ Miniſtri juriſdictionis, quã ſuam judicabant, defendendæ ſtudio, validas oppoſitiones exercuerint; atque exinde illorum Oppidorum Indigenis in factiones & partes diviſis, civile quodam gereretur bellum, ortis inde malis, quæ nunc præſtat ſilentio involvere, ut quæ tranquilo jam tempori minimè congruunt. Ergo ut inquieti diſcordiæ motus ac fluctus ſedarentur, (quod Principum eſt officium) Regius Senatus D. Joanni Villavicentio, Magni Prioris tunc vices agenti, præcepit, ut Cõſocram peteret, ibique daret operam ut armis depoſitis januiſque Eccleſiarum reſeratis, non caſtrenſi ſed juridico more negotium exerceretur.

62 Nihil non tentabant Priorales, quo cœptam executionem aut compeſcerent, aut retardarent: itaque ad eumdem Regium Senatum duo fuere inſtituti recurſus per viam violentiæ; unus ex parte ſolùm Miniſtrorum Prioralium: & alter nomine Sacræ Religionis, Magni Prioris, & Vicarij Prioralis; ſed ſub *die* 4. *Ianuarij* 1683. *& ſub die* 29. *ejuſdem menſis*, emmanarunt ſucceſsivè decreta, in quibus nihil per vim ab Executore fuiſſe tentatum Senatus reſcripſit.

63 His aliiſque ſupperatis difficultatibus, in omnibus locis & Oppidis Prioratuum aprehendit poſſeſsionem Dignitas Archiepiſcopalis ſuæ juriſdictionis ordinariæ, & reſpectivè delegatæ; cujus in exercitio Vicarius Archiepiſcopalis varios actus, prout caſus dedit explevit.

64 Sed hinc novarum contentionum deſumpta eſt occaſio, & cauſa iterum ad Romanam Curiã fuit perlata: nam captam poſſeſsionem & actus inde exercitos attentatorũ vitio laborare prętendebant Priorales, propoſitis adhoc ſex Capitibus, in quibus executorem Bonillam limites ſui Officij exceſsiſſe, proponebant. Objecta Capita hæc erant.

I.

65 I. Deductum ab invocatione auxilij Regij, adepta poſſeſsione, illius exercitio, ac aliis actibus, pendente termino ſex menſium per Sacram Rotam ad parendum Magno Priori aſsignatum. II. Quòd, ſtante dimiſsione D. Gabrielis Martinez, primùm electi ad executionem, non poterat in ejus locum ſubrogari D. Martinus Bonilla juriſdictionem non exercens, tanquam ſimplex Clericus. III. Ex iterata recuſatione Bonillæ Executoris tanquam ſuſpecti, necnon ex appellatione interpoſita ab ulteriori proceſſu. IV. Quòd, ſtante contradictione Officialium, & Miniſtrorum D. Magni Prioris, non abſtinuerit Executor ab ulteriori proceſſu, Litteras Executoriales non reproduxerit, nec partes remiſſerit ad S. Rotam, ut in ea cognoſceretur de juſtitia, vel injuſtitia oppoſitionum. V. Ex invocatione brachij ſæcularis, & recurſu habito ad Judices Laicos. VI. Ex ommiſſa intimatione Litterarum Executorialium S. Religioni, ejuſque Magno Magiſtro, in tertia inſtantia ad cauſam admiſſo.

66 Inſtructa ergo cauſa *attentatorum*, tres prodierunt deciſiones Archiepiſcopo favorabiles. Prima *die* 4. *Maij* 1685. coram Paulucio. Secunda *die* 16. *Ianuarij* 1686. coram Urſino. Tertia *die* 10. *Iunij ejuſdem an.* coram eodem. In his igitur deciſionibus, fuit declaratum legitimè, & rectè captam fuiſſe poſſeſſionem, hancque ultra Executorialium terminos non fuiſſe extenſam. His deciſionibus conformis prodiit ſententia, quæ in rem judicatam tranſivit Auditoris Alexandri de Urſino *die* 3. *Iunij ejuſdem anni.*

67 Finita hac controverſia, alteram ſuper *exceſsibus* inſtituit Religio, ex eo quod poſſeſsio intra annum, quo fuit aprehenſa, extenſa fuiſſet ad aliquos actus, in Executorialibus non conceſſos, quos perinde, ut temerè & contra juris ordinem confectos, emmendatos iri petebat. Diſcuſſa cauſa, obtinuit Magnus

68 Prior tres ejus favore declarari Executoris exceſſus. I. quod Parochos Priores Eccleſiarum Prioratus removiſſet. II. quod deputatum à Magno Priore Vicarium, ad exercendam juriſdictionem in Regulares ſui Ordinis & loca Regularia amoviſſet, ſuoque Tribunali exturbaſſet. III. quod tertiam partem decimarum exegiſſet de illis bonis, quæ ad S. Religionem ſpectabant, & rei judicatæ tempore, ab hujuſmodi decimarum penſitatione erant immunia. Declarati ergo fuerunt hi exceſſus tribus conſonis deciſionibus: Prima *die* 16. *Ianuarij* 1686. *cor.* Urſino. Secunda *die* 7. *ejuſdem cor. eodem.* Tertia *die* 20. *Iunij* 1687. *cor.* Molines. Et juxta has deciſiones Rota ſuas expedivit litteras Executoriales.

69 Intimatæ fuerunt Litteræ Rotales, Eminentiſſ. Archiepiſcopo, qui abſque ulla cunctatione ſe pariturum promiſit; ſed adhuc ſuper meritis uniuſcujuſque exceſſus plena in Sac. Rota fuit adhibita diſquiſitio: itaque ſuper *Regularitate Eccleſiarum* aſſumpta diſputatione, duæ emanarunt deciſiones favorabiles Sacræ Religioni: Prima *die* 6. *Iunij* 1689. *cor. Molines.* Secunda *die* 2. *Iunij* 1690. & conſequenter dicta eſt ſententia, in qua Regulares Eccleſiæ Prioratuum declarantur; ab hac tamen ſententia appellavit Dignitas Archiepiſcopalis, ut habetur in alia deciſione hujus cauſæ *ſuper inhibitione die* 11. *Decembris* 1690. *cor. eod. Molines.* & ſuper hoc ampliùs diſputatũ

70 non eſt. Similiter ſuper retentione Tribunalis Vicarij Prioralis dubium propoſitum fuit in Rota, ubi S. Religioni duæ prodierunt deciſiones favorabiles: Prima *die* 17. *Iunij* 1689. *cor. Molines.* Secunda *die* 16. *Iunij* 1690. Tandem ſuper *Decimis* propoſitum fuit aliud in Sacra

71 Rota dubium, & prodiit deciſio *ſub die* 21. *Aprilis* 1690. *cor. Molines* adhibita caſuum ſeparatione, ut *in cap.* 26. Concord. videbimus.

Per

72 Per hæc etiam tempora duas excitavit prætenſiones Religio ; prima enim erat, ut Priori Conventus Sanctæ Mariæ del Monte, uſus Pontificalium inſignium & functionum indulgeretur. Sed lites jam ad finem properantes, novis nominibus perpetuare, incongruum Pontifex duxit, unde hac aliiſque rationibus *infra in cap.* 3. expendendis, prætenſum indultum fuit denegatum.

73 Secunda S. Religionis prætenſio fuit, ut pendente lite, juriſdictio delegata exerceretur in locis Prioratus per Epiſcopum Conchenſem tanquam viciniorem ; in hoc adducta *Conſtit.* S. Pij V. quæ eſt *in ordine la* 136. §. 6. ubi Epiſcopos cum Hieroſolymitanis litigantes inhibet, quominus juriſdictionem exerceant in eorum locis, tributo interim jure viſitandi Epiſcopo, qui nullum intereſſe habeat. Aſt nec felicior hujus prætenſionis exitus Sacræ Religioni: cùm enim ex re judicata luculenter jam conſtaret, loca Prioratus eſſe in Diœceſi Toletana ; & nulla tunc ſupereſſet controverſia ſuper competentia juriſdictionis delegatæ, quæ per rem judicatam Archiepiſcopis fuit attributa, hinc res ultra hujus Pianæ Conſtitutionis hypotheſim deducta erat, & perinde, ejuſdem ſanctionis temperamentum non neceſſarium. Et ita cenſuit S. Rota *ſub die* 10. *Decembris* 1688. *cor. Molines.*

74 Sed nec his controverſiæ ceſſarunt; nam cùm ad terminos ſententiarũ exercenda eſſet utraque juriſdictio tam Archiepiſcopi Ordinaria in Populum Laicum, & Clericos Sæculares, quàm Ordinaria Mag. Prioris in Profeſſos Regulares, & ſervientes, requiſitis Concilij Tridentini ſuffultos, plurima dubia ſunt ſuborta; licèt enim deciſiones & ſentẽtiæ ſatis perſpicuæ eſſent, ut ex eis perſonæ Diœceſano ſubjectæ, vel reſpectivè exemptæ poſſent cognoſci ; nihilominus, ut hominibus eſt infixa, ad diſſentiendum facilitas ; præſertim in rebus magni momenti : hinc haud facilè erat, ut contendentes in hac parte convenirent ; ſed unoquoque ſuæ juriſdictioni propagandæ intento, invicem omnia confundebantur, & exinde mutuæ oriebantur quærimoniæ, quibus alter alteriùs præter fas extenſam juriſdictionem obiiciebat, & inhibitionis implorabat remedium. Ad partium inſtantiam novum in Sacra Rota examen ſuper hoc fuit ſuſceptum, & quò res penitùs magiſque liqueret, propoſitum fuit dubium, *an & quomodò eſſet inhibendum?* & prodiit deciſio *ſub die* 10. *Ianuarij* 1688. *coram Molines* conceſſa ſpeciali inhibitione, & adhibita plurium caſuum ſeparatione, pro libero exercitio utriuſque juriſdictionis. Repropoſitum fuit hoc idem dubium, & iterato in examine cõfirmata fuit præcedens deciſio in alia, quę emanavit *ſub die* 17. *Iunij* 1689. cum illa caſuum ſeparatione, quam in explicatione Concordiæ videbimus.

75 His deciſionibus utraque pars præter morem acquievit; ſenio quippè controverſia confecta, ipſa ſuas ponte ad interitum ruere videbatur : & jam hinc inde ſanciendæ pacis cõferebantur ſermones. Quò tamen expeditior ad Concordiam inſtrueretur via, rem magis liquandam fore opportere judicarunt, ideoque in S. Rotæ Auditorio petierunt, ut firmis manentibus proximis deciſionibus, aliqua dubia earum occaſione ſuborta declararentur. Quod utique pleno & maturo examine adhibito factum eſt *in deciſ.* 11. *Decembris* 1690. *cor. eod. Molines*, in qua perſpicuè declarantur plura dubia juxta modum *in ſeq. part.* dicendum.

76 In hoc ergo ſtatu contendentes, controverſiis fatigati, rem omnem pleniſsimè tranſegerunt ſtipulata inter eos concordia, cujus expoſitionem *in ſeq. part.* aggredimur.

***



CONCORDIA PASTORALIS

SUPER

JURE DIOECESANO

INTER

EPISCOPOS ET PRÆLATOS INFERIORES.

PARS SECUNDA.

PROOEMIUM.

Incipit expoſitio Brevis Innocentij XII. & confirmatæ ab ipſo Concordiæ in controverſia juriſdictionis Diœceſanæ inter Archiepiſcopos Toletanos & Magnos Priores Hieroſolymitanos.

INNOCENTIUS (a) PP. XII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

DEBITUM Paſtoralis officij, (b) quo Eccleſiæ Catholicæ regimini divina diſpoſitione præſidemus exigit, ut ea, quæ inter Chriſti fideles quoſcumque, ac præſertim (c) ſublimi Cardinalatus honore fulgentes, & in partem ſollicitudinis noſtræ vocatos, ac non tam generis ſplendore, quàm Catholicæ Religionis zelo, aliiſque multiplicibus virtutum decoribus conſpicuos, litium dirimendarum, paciſque, & amabilis concordiæ ſtabiliendæ ſtudio, providè prudenterque conventa & concordata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri, cum id à nobis petitur, patrocinio conſtabi-

tabiliamus. Aliàs ſiquidem pro parte dilectorum filiorum noſtrorum Ludovici S. R. E. Cardinalis Portocarrero injuncti Metropolitanæ Eccleſiæ Toletanæ ex conceſsione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis, & Caroli à Lotharingia Prioris Prioratus Caſtellæ & Legionis Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani nobis expoſito (*d*) quod cùm plurium annorum ſpatio inter Dignitatem Archiepiſcopalem ex una, ac Dignitatem Prioralem prædicti Prioratus ex altera partibus, acerrimæ lites & cauſæ ſuper juriſdictione, & perceptione decimarum in locis ejuſdem Prioratus, aliiſque rebus, ſeu articulis in actis litium, ſeu cauſis hujuſmodi deductis in Auditorio Cauſarum Palatij Apoſtolici, aliiſque forſam Tribunalibus ventilatæ fuiſſent; ipſe Lodovicus Cardinalis & Præſul, ac Carolus Prior, (*e*) ulteriora diſpendia evitandi ſtudio (*f*) per peritos, ſeu Advocatos ad id ab eorum quolibet deputatos quamdam minutam concordiæ, ſeu tranſactionis ſuper præmiſsis inter ipſos, reſervato tum deſuper noſtro, & hujus S. Sedis beneplacito, (*g*) ineumdam confici curaverant, ideoque pro illorum parte nobis ſupplicato, ut minutam prædictam, quam nobis exhibuerant approbare vellemus: Nos ipſam minutam ad nonnullos dilectos filios Romanæ Curiæ Prælatos (*h*) pro minutæ hujuſmodi reviſione, & reformatione à nobis ſpecialitèr deputatos remiſimus, qui eam poſt maturam & iteratam illius diſcuſionem moderati fuerunt, & redegerunt in formam tenoris, qui ſequitur, (*i*) videlicet. Capitula concordiæ (*k*) inter Dignitatem Archiepiſcopalem (*l*) Toletanam & Sacram Religionem Sancti Joannis, & D. Magnum Priorem Prioratuum Caſtellæ & Legionis, facta nominatione ab Eminentiſſ. D. Cardinali Portocarrero, Archiepiſcopo Toletano, perſonarum Licentiati D. Alphonſi Portillo, & Cardos, Vicarij hujus Oppidi Matriti, & D. Petri Suarez Advocati ejus Cameræ ad effectum componendi (*m*) & concordandi amicabiliter inter ambas Dignitates lites, & dubia juriſdictionis, ac perceptionis decimarum (*n*) locorum Prioratuum Sancti Joannis; nominatiſque pariter ad hunc eumdem finem ab Illuſtriſsimo D. Don Emmanuel Arias de Porres, Gubernatore Conſilij Caſtellæ, Locum tenente Sereniſsimi D. Don Caroli à Lotharingia, Magni actualis Prioris, & Oratore pro ſua Religione in hac Curia, Lic. D. Joanne de Alcantud, & Don Joanne de Vicuña, Aſſeſſoribus Sac. Aſſambleæ, & Advocatis in Regiis Conſiliis; & habitis per ipſos quatuor diverſis, ac repetitis conferentiis domi prædicti D. Alphonſi Portillo, & Cardos, Vicarij Matriti, habentes ſub oculis pretenſiones (*o*) cujuſlibet ex Dignitatibus ſuper litibus pendentibus, ac dubiis (*p*) propoſitis in S. Rota, aliiſque Tribunalibus, & ſimiliter lites & dubia, quæ

in

in poſterum (*q*) oriri poterunt, confecerunt, & concordarunt capitula hic adnotanda, & antè illorum relationem fiunt ſuppoſita ſequentia (*r*) Suppoſita. Ex litteris executorialibus S. Rotæ emanatis ſub die 17. Junij 1669. conceditur Dignitati Archiepiſcopali Toletanæ totalis Eccleſiaſtica juriſdictio, quoad utramque legem juriſdictionalem & Diœceſanam, privativè quoad M. Priorem in loca Prioratus, & eorum Eccleſias Sæculares, utriuſque ſexus populum laicum, & Clericos Sæculares cum cognitione cauſarum civilium, criminalium, matrimonialium, beneficialium, collationis Capellaniarum, ac Ordinum, necnon perceptio tertiæ partis decimarum, & juriſdictio delegata reſpectu curæ animarum, & adminiſtrationis Sacramentorum in Religioſos S. Joannis, cæteraſque perſonas eidem curæ, & adminiſtrationi inſervientes, & exercentes in Regularibus Eccleſiis. Ex eiſdem litteris executorialibus remanſerunt exemptæ à juriſdictione Ordinaria Diœceſana Eccleſiæ, & perſonæ Regulares commorantes intra ſepta Monaſterij ejuſdem Religionis, necnon ſervientes, in quibus concurrant tria requiſita, quæ expoſcit Sac. Concilium Tridentinum, & Bulla Gregorij XIII. Obtinuit deinde Religio S. Joannis alias litteras executoriales poſt litem agitatam in eadem Sac. Rota in judicio contradictorio contra partem Dignitatis Archiepiſcopalis, emanatas ſub die 30. Januarij 1687. ex eo motivo, quod exceſsiſſet Judex Executor litterarum Executorialium Dignitatis Archiepiſcopalis, declararique fecerunt tanquam nulli tres puncti ſequentes. Primus, videlicet, ſuper eo, quod Dignitas Archiepiſcopalis removiſſet Parochos Priores, ab Eccleſiis Prioratus, & quoad hunc conceſſa fuit D. Magno Priori manutentio eoſdem deputandi prævio tamen examine ab Eminent. D. Cardinale Archiepiſcopo peragendo. Secundus, quod removiſſet Vicarium, quem illo tempore retinebat D. M. Prior, qui manutentus fuit in poſſeſsione nominandi Vicarium, qui juriſdictionem Ordinariam exerceat in Regulares, & ſervientes intra Monaſteria, ſeu Eccleſias, Eremitoria, Hoſpitalia, cæteraſque res Regulares. Tertius ſuper exactione, ac perceptione tertiæ partis decimarum bonorum Religionis ſolui non conſuetarum de tempore expeditionis litterarum executorialium dictæ Dignitatis; dictumque fuit in deciſione Rotali die 2. Decembris 1686. quod prætermittebatur tunc reſolutio ſuper ipſis decimis, ſed quod interim nihil innovaretur. In his litteris executorialibus Dignitatis Prioralis reſervata pariter fuit Dignitati Archiepiſcopali juriſdictio delegata, prout continetur in litteris executorialibus antecedentibus ad illius favorem expeditis; ad effectum autem obviandi dubiis, quæ occurrerent ſuper intelligentia dictarum

litterarum (*s*) Executorialium, ſuper quibus habitæ fuerunt aliquæ deciſiones, quæ tamen non fuerunt hactenus ad executionem perductæ, (*t*) atque ad hoc, ut hujuſmodi dubia ceſſent, unà cum cæteris pendentibus uſque hodie, illiſque, quæ in poſterum oriri poterunt, (*u*) peracta, ac concordata fuerunt capitula ſequentia, ad hoc ut in poſterum omni perpetuo tempore obſerventur inter ambas Dignitates, earumque Miniſtros.

SUMMA PROOEMII.

1 *Operis continuatio, & hujus partis cum præcedenti connexio.*

2 *Innocentius XII. contendentes adhortatur, ut lites tranſigant.*

3 *Conficitur Concordia, & contendentes expoſcunt Pontificiam confirmationem.*

4 *Deputat Innocentius Cardinalium Congregationem, ut ſedulum concordiæ adhibeant examen.*

5 *Proponitur ratio methodi.*

6 *Innocentij XII. compendiaria notitia præſtatur.*

7 *Innocentius recto ſenſu Concordiæ hujus dicitur Auctor.*

8 *Pacificandi munus nulli propriùs, quàm Romano congruit Pontifici.*

9 *Innocentius in hujus Brevis exordio aliorum Pontificum Conſtitutiones imitatur.*

10 *Pontifices Maximi ferventius pacem ſollicitant inter eos, qui dignitate præeminent, ut in præſenti.*

11 *Confirmationem in forma ſpecifica, præcedere debet facti relatio.*

12 *An Eminentiſſ. Cardin. Portocarrero, & Sereniſſ. Princeps Carolus à Lotharingia tranſigere potuerint?*

13 *Ratio dubitandi, ob ommiſſam citationem & interventum Mag. Magiſtri & S. Religionis.*

14 *Reſpondetur affirmativè, & ſolvuntur oppoſita, diſtinctione facta inter cauſas univerſales, & cauſas particulares; & inter habentes intereſſe principale & acceſſorium.*

15 *Cauſæ ſingulorum Monaſteriorum, Conventuum, aut Commendarum agitantur cum eorum Prælatis.*

16 *De jure, & facultate Procuratoris Generalis Religionis.*

17 *Omnes Prælati Regulares ſunt obedientiarij, & manuales.*

18 *Epiſcopus intereſſe habet in cauſis omnium Eccleſiarum ſuæ Diœceſis; ſed neceſſe non eſt eum citare in omnibus cauſis.*

19 *Finis tranſactionis eſt ſumptus, & moleſtias litium vitare.*

20 *Litium finiendarum ſtudium omni jure commendatur.*

21 *Hinc ſuadetur tranſactio, etiam ſi minus utilis videatur.*

22 *Iudex partes monere, & aliquando cogere poteſt, ut tranſigant.*

23 *Tranſactiones, ut favorabiles, ita ſunt interpretandæ, quo magis ſubſiſtant, & durent.*

24 *Tranſactio non reſciſſa per ſententiam, habet implicitum ſtatum validitatis.*

25 *Qui nititur tranſactione, fundatam habet intentionem.*

26 *Beneplacitum Apoſtolicum quomodo requiratur ad tranſactiones.*

27 *Tranſactio vera alienatio exiſtimatur in jure.*

28 *Ad alienationem, & tranſactionem rerum Eccleſiæ requiritur beneplacitum Apoſtolicum.*

29 *An in tranſactione jurium Eccleſiæ requiratur hujuſmodi beneplacitum?*

30 *Ratio dubitandi, quia jura apellatione bonorum non veniunt.*

31 *Proponitur, & defenditur ſententia affirmativa.*

32 *Rei appellatio jura etiam comprehendit.*
33 *Beneplacitum Apoſtolicum plures ſolemnitates ſupplet in actu, cui adiicitur.*
34 *Beneplacitum Apoſtolicum tranſactionem efficit pepetuam & realem.*
35 *In rebus arduis probatiſsimum eſt, alieno conſilio uti.*
36 *Confirmatio facta prævio examine, dicitur facta* ex certa ſcientia.
37 *Item quoties rei confirmatæ tenor in confirmatione inſeritur.*
38 *Confirmatio in forma ſpecifica robur & perpetuitatem tribuit tranſactionibus.*
39 *Optimum fuit concordiam in ſeparata Capita diſtribuere.*
40 *Concordia facta inter Prælatos ſub nomine Dignitatum perpetuitatem præſefert.*
41 *Dignitas nunquam perit.*
42 *Diſtinguntur arbitri juris ab arbitris arbitratoribus.*
43 *Tranſactio fieri poteſt ſuper juriſdictione & decimis.*
44 *Sententia & tranſactio non comprehendunt niſi in litem deducta.*
45 *De ſubſtantia tranſactionis eſt, ut lis præcedat.*
46 *Deficiente lite, deficit finis & objectum tranſactionis.*
47 *Lis requiritur ad tranſactionem, ſicut cauſa ad contractus.*
48 *An de lite futura tranſigi poſsit?*
49 *Prudentiæ opus litium imminentia præcavere damna, & laudabile eſt prius verbis, quàm jure experiri.*
50 *Contra: quod lis dici non poteſt, ubi judicium cœptum non eſt.*
51 *Metus præſens debet attendi, non futurus.*
52 *Quæ pendent à futuro eventu, non ſunt.*
53 *Fundatur ſententia affirmativa, ut teneat tranſactio propter litis timorem.*
54 *Quod futura non attendantur, ſæpiùs fallit in jure.*
55 *Qualis autem debeat eſſe timor litis ad tranſactionem, judicis remittitur arbitrio.*
56 *Lis quæ requiritur ad tranſactionem, debet eſſe dubia & incerta; atque hinc excluditur controverſia calumnioſa.*
57 *Iniquum eſt, ut lis calumnioſa alicui proſit.*
58 *Ad validitatem tranſactionis ſufficit quælibet dubietas.*
59 *Clariſsimum reputatur, quod re judicata eſt deciſum.*
60 *De eo quod judicatum eſt, non valet tranſactio.*
61 *Concordia in præſenti non comprehendit, ſed ſupponit rem judicatam.*
62 *Tranſactio ad declarationem & intellectum rei judicatæ admittitur.*
63 *Concordia in præſenti habetur, ut pars rei judicatæ.*
64 *Declaratio nihil novi inducit, ſed quod erat detegit.*
65 *Deciſiones Rotales non faciunt rem judicatam.*
66 *Sententia per appellationem ſuſpenditur.*
67 *Omnes caſus prævideri in legibus nequeunt, ſed interpretatione ſupplentur.*
68 *De Congregatione Iudicum Concordiæ, ad hujus tranſactionis interpretationem inſtituta.*

1 SIC rerum humanarum volubilis comparata eſt conditio, ut nihil immotum, nihil æternum eſſe patiatur; ſed novis formis inductis, quæ maximè vigebant perimit, quæque valuere diruit: atque ut ingruentem tempeſtatem ſerenitas removet, ita diuturna bella pax & pertinaces lites concordia reſtinguit. Sic ergo in priori parte acres diuturnæ ac penè immortales controverſiæ perſonarunt; nunc verò ſedatas & extinctas amiciſsimo concordiæ fœdere videre dabitur. Conſpicuos illic Principes & Prælatos, totis decertantes viribus, repræſentavimus; aſt nunc eximia humanitate induti apparebunt, concordes invicem nectentes manus: Nec rem ultra proggredi tolerare fas erat; nam, ut dixit Procopius *de bello Perſ. lib.* 1. *Si diſsidentes inter ſe nunquam convenirent, infinitum omninò bellum eſſet: quod ſi finem non eſt habiturum, de ſtatu hominum & naturæ eos, qui in illo*

occupantur eſt decorum dimovere. Ergo Eminentiſsimus D. Cardinalis Portocarrero Archiepiſcopus Toletanus & Sereniſsimus Princeps D. Carolus à Lotharingia Magnus Prior, inveteratis controverſiis à prædeceſſoribus motis, ad ipſoſque derivatis; quæ jam tædio ac ſcandalo propè erant tam in Romana, quàm in Hiſpanienſi Curia, finem dare decreverunt. Stimulos ipſis addebant paterna charitatiſque plena monita & conſilia Innocentij XII. tunc Pontificis Maximi; ſed quia, teſte Saluſtio *de bello Iugurth. Omne bellum facilè ſummitur, cæterum ægerrimè finitur; nec in ejuſdem poteſtate initium & finis eſt*; & temporis & laboris plurimùm abſumptum eſt, in his extirpandis controverſiis; quæ longo ſæculorum tractu altas adeò radices egerant, ut omnem in eradicandis vim ac impetum eluderent & propulſarent. Profuit aſt tandem labor, & poſt aſpera & obſcura tempora affulſit ſerena dies, in qua *rerum acerbitates jam conclamatas & perditas concordia viciſsim ſibi cedentium Principum meliorem revocavit in ſtatum*, ut noſtrum ceu prævidens tempus, dixit Amianus Marcell. *lib. 26.*

3 Ut Innocentij monitis obſecundatum eſt, & paciſcentes firmiſsimum perpetuumque robur pactis ſuis addere cogitabant; conſequens erat, ut Romano Pontifici ſupplices ſe ſiſterent, quem & tranſacti, juxta ipſius votum, negotij certionem facerent, & ab ipſo Apoſtolicæ confirmationis inſtrumentum expoſcerēt. Quanta animi jucunditate eos Innocentius exceperit, quiſque ex antedictis conjiciet; ſicuti illos in quos proruperit cordis ſenſus: mihi autem maximopere placet Innocentio tribuere Ambroſij verba *in Epiſt. 24.* ut ſic eos benignè alloqueretur: *Apoſtolico igitur charactere cognitio decurſa eſt. Dolebamus ante, quod litem haberes: profuit jurgium, ut formam indueres Apoſtolicæ vitæ & præceptionis. Illud Sacerdotio non congruebat: hæc tranſactio & Apoſtolicā decet normam.*

4 Ut tamen impatiens rei firmandæ deſiderium Pontificem teneret, urgeretque; non eò ſtatim ac temerè res eſt confecta, ſed, ut materiæ gravitas & momentum expoſcebat, omnia ſedulò & cum primis conſideratè ſunt diſcuſſa in particulari S. R. E. Cardinalium Congregatione, è quorum ſententia optatam confirmationem pactis indulſit: utque major accreſceret auctoritas, ipſius concordiæ integrum exemplum, ſeu tenorem ſuis litteris *in forma Brevis* eſt complexus.

5 Hujus ergo Innocentiani Brevis, contentæque in eo tranſactionis, illuſtrationem aggredientes, ab ipſo litterarum procœmio incipiemus. In quo & rerum copia & varietas utiliſsimum præſtat argumentum, nec, ut reor, injucundum; ut maximè incompta, quin & abjecta, ipſius concordiæ dictio ſit abſdubio. Homines quippè arduis & involutis rebus penitùs liquandis intentos, verborum cura & delectus aufugit, quin aliis de cauſis nec decuit. Illud de methodo præmoneo, non tam plerumque quam vellem, ſed à concordantibus oblatam, ſequi in Capitum commentarijs. In Brevis autem procœmio & concluſione exponenda, ut de pluribus longèque diverſis erat agendum, non continua, ſed litterullis interciſſa commentatione uſus ſum. In hunc modum.

6 (a) *Innocentius PP. XII.* Mos eſt eis, qui Apoſtolicas Conſtitutiones, ſeu litteras exponunt, de litterarum ſive Cōſtitutionum Auctore ſtrictam ſaltem notitiam præmittere. Recepto ergo mori obtemperans ſummatim accipe aliqua quæ de noſtro ſcripta inveni. Innocentius Natione Italus, patria Neapolitanus, Antonius antea dictus, è clara Pignatellorum gente, Neapolitanæ Sedis Archiepiſcopus, ab Innocentio X. inter S. R. E. Cardinales cooptatus,

de

defuncto Alexandro VIII. in Apoſtolicam Petri Cathedram fuit ſubrogatus IV. Idus Julij anno 1691. Facilem atque humaniſsimũ omnibus ſe exhibuit, pauperibus cum primis miſericordem. Suos minimè reſpiciens, celebrem illam anno 1692. X. Kal. Julij Conſtitutionem edidit, qua hæreticos ipſos in ſui admirationem pertraxit. In ea ſiquidem Pontificum propinquos Eccleſiæ bonis ditari interdixit, & Pontificiam liberalitatem haud largiorem in proprios inopes, quàm in extraneos homines eſſe voluit. Nec Innocentij duntaxat perſonam admirati ſunt hæretici; ſed ejus quoque doctrinam ſequuti. Auguſtus certè Saxoniæ Dux, poſtea Poloniæ Rex, non minus Catholicæ fidei veritate, quàm tanti Pontificis facilitate & exemplo invitatus & illectus, Lutheranam Sectam coram Conſobrino ſuo Chriſtiano Auguſto de Saxonia Javarini Epiſcopo ejuravit. Publicorum operum magnam rationem habuit; itaque Antonium portum reædifficandum, & Cerviam reſtaurandam curavit. Ut jus commodiùs rederetur, Tribunalia per Vrbem diſperſa in unum locum coegit. Celebravit anno 1700. Jubileum ordinarium XV. Et eodem anno cum annos IX. menſes II. & dies XV. in Apoſtolica Cathedra ſediſſet pietate ac ſanctitate inſignis, annos natus LXXXVI. abiit ad Superos. Ita fermè Guilielm. Buri *in notit. Rom. Pontif.*

7 Plurimùm profectò & gloriæ & laudis Innocentio noſtro inde acceſſiſſe dicendum eſt, quòd Toletanæ hujus controverſiæ ſopiendæ, & concordiæ ſarciendæ, auctor præcipuus extiterit; non eo quidem ſenſu, ut ipſum cauſam immediatè efficientem intelligamus; ſed quatenus contendentes ad pacem inſtanter adhortavit, ut conſtat in parte finali harum litterarum: & ob id præcipuè, quod tranſactionem probavit confirmavitque; quo in ſenſu verbum auctor & auctoritas accipiuntur in jure & in integris *tit. ff. & C. de auct. tutor.* Qua etiam ratione & quodammodo Apoſtolica hęc Concordia dici poterat, ex vulgari illo Juſtiniani effato *in leg. 1. §. 6. C. de vet. jur. enucl.* ibi: *Ea noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impertimur.* Propria ſatis namque denominatio ea eſt, quæ à Superiore confirmante deſſumitur, *cap. ſi eum de præbend. in 6.* Pro quo etiam ſingularis eſt doctrina Baldi *in leg. ex placito in 3. col. C. de rer. permut.* ubi Statuta Spoletanæ Civitatis à Pontifice confirmata, Papalia dici poſſe aſſerit.

8 (*b*) *Debitum paſtoralis officij:* Ut Apoſtolicam auctoritatem tranſactioni huic Innocentius præſtaret, illud in exordio profitetur, ſe in id paſtoralis officij debito libenter impelli; nam utcumque omnium ſive Eccleſiæ, ſive Sæculi Principum hæc prima ſit cenſenda cura, ut inter ſibi ſubjectos pacis dulcedinem, evulſis diſcordiarum ſeminibus, confoveant; propriùs tamen hoc munus Summis incumbit Pontificibus, utpotè Vicariis illius Domini, qui auctor Princepſque pacis vocatur, Iſaiæ *cap. 9.* Quod utique prædicavit Gregorius III. *in anteact. Synodi II.* Leonem Imperatorem ſic alloquens: *Scire debes, Pontifices, qui pro tempore Romæ fuerunt, conciliandæ pacis cauſa ſedere tanquam parietem intermedium ſeptumque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores eſſe.* Imitatus certè
9 ſanè eſt Innocentius in hoc exordio Pontifices alios, qui paribus in cauſis pari etiam præloquio utuntur. Ut ſanè fecit Sixtus IV. *in Extravag. ad univerſalis de treug. & pace* dùm inter clariſsimas perſonas in Regno Galliæ ſuſcitatas controverſias vellet præcidere. Pariter etiam idem Sixtus, ut diſſenſiones & controverſias in partibus Germaniæ exortas inter Religioſos Mendicantes, & Parochialium Rectores ſedaret, ſimili

utitur

utitur exordio *in Extravag. 2. eod. tit.* Unus tamen faciat finem Bonifacius VIII. qui in eadem facti contingentia ea omnia elegantiſsimè expreſsit *in Extravag. 2. de ſepult.* quæ maximum præſtant ornamentum noſtri Innocentij exordio: *Super Cathedram præeminentiæ paſtoralis divina diſponente clementia conſtituti, etſi multis, & arduis quæ in amplum Romanæ Curiæ alveum undique confluunt quaſi torrens prægravemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur: Circa id tamen ferventibus votis intendimus, vacamus inſtantius, ac operoſæ ſtudium ſolicitudinis impertimur, ut ad divini nominis gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigiorum anfractibus omninò ſubductis) inter Eccleſiarum Antiſtites ad curam & regimen gregis Dominici deputatos, cæteraſque perſonas, quas ordo Clericalis includit, pacis tranquilitas vigeat fervor charitatis exæſtuet, invaleſcat concordiæ unitas animorum, identitas perſeveret. Scimus enim, & ex evidentia facti colligimus, quod non niſi in pacis tempore benè colitur pacis auctor: nec ignoramus quod diſſenſiones & ſcandala prævis actibus aditum præparant; rancores & odia ſuſcitant; & illicitis moribus auſum præbent.*

10 (c) *Ac præſertim*: Pacis ſanciendæ cura quæ Summos Eccleſiæ Pontifices ſollicitat, ferventiùs illos angit & premit, quoties inter conſpicuas illuſtreſque perſonas controverſiæ vertuntur. Itaque nihil propriùs ſicuti nihil glorioſiùs Romano Pontifici, quàm ſublimi dignitate decoratos ad unam animorum concordiam revocare; in quo & magna rei Chriſtianæ verſatur utilitas, & glorioſas vices explet illius Domini *qui facit concordiam in ſublimibus.* Job 25. *verſ.* 2. ſive ut alij vertunt *in Prælatis Eccleſiæ.* Mendoza *in lib. 1. Reg. cap. 6. num. 12. annot. 21. ſect. 3. num. 15.* Hæc autem in præſentia, ut vires concordiæ daret, Innocentium incitabant. Siquidem eximia & conſpicua utriuſque partis contendentis aderat dignitas & auctoritas; nam quanta apud Hiſpanos & honoris & poteſtatis tum ſacræ, tum prophanæ amplitudine, quantaque redituum copia fulgeant Archiepiſcopi Toletani, Regni Primates & Maximi Cancellarij, & noſtris & exteris notius eſt, quàm ut oſtendi indigeat. Similiter ea eſt præſtantia & auctoritas Magnis Prioribus, ut ex æquo cum Archiepiſcopis poſſent contendere, nam, ut ait Alvar. Comez *de reb. geſt. Ximen. lib. 7. fol. mihi* 202. *Eſt ea dignitas in Hiſpania adeò optima, ut ſi jus ſucceſsionis accederet, cum cæteris Hiſpaniæ principatibus, qui potentia & auctoritate præſtant proculdubio comparari poſſet.*

11 (d) *Nobis expoſito*: Præmittit Pontifex à partibus ſibi factam ſupplicationem, plena facti relatione, quod plurimùm refert, *ut reſponſuro Principi, vera precatio rem aperiat cognoſcendam, leg. fin. C. de precib. Imper. offerend.* Agebatur enim in præſenti de obtinenda confirmatione in forma ſpecifica, quæ ſanè non conceditur niſi cùm factum referatur & cauſæ adhibetur cognitio, ut cum Fagnan. *in cap. ſi quis rei num.* 11. *de confirm. util.* notavimus *in cap.* 8. *num.* 77. *part.* 1. Nec, ubi factum occultatur, de jure poterit deliberari, cum, ut eſt vulgare proloquium, ex facto jus oriatur. Et in propoſito nullius certè momenti hæc fuiſſet tranſactio, ſi Pontifici mentio ac expreſsio rei judicatæ facta non fuiſſet, ex latè traditis à D. Salgado *de ſupplicat. ad Sanctiſ. part.* 2. *cap.* 30. *à num.* 63. *uſque ad* 108.

12 (e) *Ipſe Ludovicus Cardinalis & Carolus Prior*: Hi ergo cauſæ efficientes proximæ hujus tranſactionis ſunt dicendi. Unde plurimùm refert ſcire, an ipſi de jure potuiſſent hanc concordiam inter ſe celebrare? Et quidem fuit tempus, in

in quo Hierosolymitanis hæc transactio displicuit; ac propterea illam invalidam asserebant eo, quòd præfatus D. Don Carolus Magnus Prior legitima persona non fuisset, pro hac paciscenda transactione; quæ valida fuisset, si cum
13 Sacra Religione, ejusque Magno Magistro Melitensi fuisset celebrata, vel saltem cum ejus interventu media citatione. Fundamentum Hierosolymitanorum in eo vertebatur, quod nimirùm in *Constit. 9. Pij IV. in §. 68.* disponitur, quod nulla res judicata præjudicet Magno Magistro & Conventui, nisi specialiter evocati fuerint; ac etiam quia Priores, & Commendatarij sunt nudi administratores Prioratuum, & Commendarum, utpotè obedientiarij, & ad nutum amovibiles Mohed. *decis.* 10. *ad fin. de caus. possess. & propriet.* Rota *decis.* 87. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* & in aliis. Et consequenter non ad Magnum Priorem, sed ad Sacram Religionem defensionem, transactionemque hujus causæ principaliter spectasse. Hoc igitur fundamento, prolata jam secunda sententia in hac causa, petiit Religio in Signatura gratiæ, ut ad litis disceptationem ipsa ex integro admitteretur. Idem motivum oppositum fuit à Magno Priore, ut vim rei judicatæ enervaret: pariter etiam repetitum extitit in causa attentatorum; sed semper insubsistens fuit declaratum in decisionibus desuper emanatis, ut dictũ manet *in 1. part. cap. 9. num. 53. & 57.*

14 Fundamentum verò harum decisionum, quodque Dignitas Archiepiscopalis proposuit mirè exornat & confirmat Cardin. de Luca *in disc. 2. de jurisd.* ubi tam accuratè & in terminis rem hanc persequitur, ut liberè, & sine rubore ejus verba transcribere hic malim, quàm de meo aliquid annectere: ait enim. Respondebam tamen scribens in contrarium in ista causa; prout & in altera, considerabam, quod benè per scribentes pro Archiepiscopo, ibi diceretur dictum privilegium procedere, ac recipiendum esse, quando ageretur de causa præjudiciali ipsi Religioni in universum, puta de eorumdem privilegiorum interpretatione; ita ut resolutiones occasione unius controversiæ prodeuntes, facerent statum universalem, ut est casus *in Faventina*, de qua *disc. 4.* cum similibus: tunc enim motivum haberet probabilitatem; nisi causa adeo per longum tempus discussa esset, atque effecta ita famosa, quod verisimiliter devenerit ad notitiam Oratoris, aliorumque ministrorum, & Agentium ipsius Religionis in Curia.

Ubi verò agitur de causa particulari unius Prioratus, vel commendæ ex peculiari privilegio vel consuetudine prætendentis territorium separatum, ac jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, & sic jus particulare seu privilegium, aliis Prioratibus & Commendis in universum non commune, ut in præsenti, & in dicta *Toletana disc. 1.* & in *Vulturarien. disc. seqq.* Et tunc omninò verius est contrarium, quoniam ipsa Religio deputat
15 Priores, & Commendatarios in Administratores, & Prælatos, & legitimos defensores singulorum, Prioratuum, & Commendarum, eodem modo, quo aliæ Religiones deputant Abbates, Priores, Guardianos, vel Rectores singulorum Monasteriorum, & Conventuum, idcirco sufficit cum eis tanquam legitimis defensoribus causas agitare, ad notat. per Canonistas *in cap. cum deputati de judiciis*, ubi præsertim Abbas *num.* 11. Butr. *eod. num.* 11. Bellamer. *num.* 2. Barbat. *num.* 47. & admittitur in dicta Toletana *decimarum de Capilla 8. Iunij*
16 1657. *coram Verospio*: Atque ita docet communis praxis, quod causæ singulorum Monasteriorum agitantur cum eorum Prælatis, vel specialibus Procuratoribus, absque necessitate evocandi

Pro-

Procuratorem Generalem Religionis, qui poteſt, ſi vult comparere, & admiti ad cauſam, ac reputatur legitimus defenſor, etiam ſine mandato ſpeciali, non autem neceſſarius, ut de poteſtate Procuratoris Generalis Religionis habetur apud Sigiſmundum *de elect. dub.* 104. *num.* 6. & 7. Coccin. *deciſ.* 169. *num.*8. Cavaler. *deciſ.* 202. *num.*1. *deciſ.* 201. *num.*2. *part.*2. *recent.*

17 Nil obſtante dicta qualitate manualitatis, quoniam omnes aliarum Religionum Abbates, & Prælati ſunt magis obedientiarij, & manuales; tum quia ſemper ad nutum Superiorum amoveri poſſunt; tum clarius, quia Prælaturæ frequentiùs ſunt annales, vel ad ſummum triennales, è converſo autem in hac Religione, non data optione in melius de facto ſunt perpetuæ, vel ad vitam, ita ut, nulli, vel rari ſint caſus, in quibus hæc manualitas reducatur ad praxim. Quinimo non deſſunt volentes, id ſine cauſa fieri non poſſe, ex deductis per Molpheſ. *conſ.* 24. Unde ſi dicti alij Prælati reputantur legitimi defenſores; multo magis iſti, quos notorium eſt, eſſe aliis in hoc propoſito diligentiores; tum quia eorum intereſſe non eſt temporale, ſed perpetuum, & ad vitam; tum etiam, quia ex ſtabilimentis hujus Religionis, ad effectum optandi, commendas meliores, ſeu dignitates docere oportet de melioramentis, ac de bona, & diligenti adminiſtratione, Commendarum poſſeſſarum, dum ex hoc, in concurſu æquali plurium habentium, eamdem antianitatem reſultat habilitas, vel notabile meritum ad effectum præelectionis juxta ea, quæ habentur in Melivitana, ſeu Venuſina Bajulibatus, & in aliis *ſub tit. de beneficiis.*

18 Ad quod à ſimili conferre dicebam communem praxim in cauſis ſingularum Eccleſiarum diœceſis, habentium proprium, & particularem Rectorem, quoniam omnium dicitur legitimus defenſor, & adminiſtrator Epiſcopus, tanquam Rector univerſalis, qui in cauſis ſingularum dicitur habere intereſſe, cujus ratione admiti poteſt ad cauſam, ac gerere omnia ea, quæ intereſatis de jure conceduntur, ut apud Burat. *deciſ.* 598. *num.* 6. & tamen certum eſt, illum non dici defenſorem neceſſarium omninò evocandum, quia ſufficit cauſam agere cum proprio Rectore tanquam legitimo defenſore, & cui principaliter defenſio incumbit; & cum eadem proportione id congruit omnibus Eccleſiis Cathedralibus, vel Metropolitanis, quoad Papam diſcretivè ad ſingularum proprios Epiſcopos, & Prælatos.

19 (*f*) *Vlteriora diſpendia evitandi*: Hic oſtenditur finis hujus tranſactionis, honeſtiſsimus ſanè & Eccleſiaſticis Prælatis valde congruens: quis enim in ſummam redigere poterit ſumptus & expenſas in adeo atroci, & pervetuſta lite factas? Quis moleſtias, incommoda, dilationes, aliaque ſemper litibus connexa damna, poterit recenſere? Ergo ut hæc in poſterum damna & in-
20 commoda vitarentur Concordantium in præſenti extitit finis & ſtudium; & quidem maximè laudabile, nam ex ſententia Ulpiani *in leg. item ſi res* 4. §. 1. *de alien. jud. mut. cauſ.* commendatione digna eſt verecunda eorum cogitatio, qui lites execrantur: & generaliter, ut res plena compendij & publico bono convenientiſsima, hoc finiendarum litium ſtudium utroque jure paſsim promovetur, *cap. finem litibus de dol. & contum. cap.* 2. *de re jud. leg. Labeo.* §. 1. *de recept. qui arbitr. leg. quidam exiſtimaverunt de reb. cred. leg.* 1. *de jure jur. an. leg.* 2. *de aqua pluv. arc. leg. quæritur de pecul. leg.* 1. *de in offic. teſtam. leg. minoribus* 6. *de minorib. leg. ult. ff. pro ſuo leg. properandum C. de judic. leg. terminato C. de fructib. & lit. expenſ. leg.* 2. *C. de re judic. leg. litibus C. de agric. & cenſit. lib.* 11. *leg. ubi pactum C. de tranſact. authent.*

de

de defenſor. Civitat. in princ. & alia plura teſtimonia, quæ in litium litigantiumque execrationem congerunt Vultej. *de judic. cap.* 1. Hilliger. Oſſuald. *libr.* 17. *cap.* 1. Pax Jordan. *lucubrat. volum.* 3. *lib.* 14. *tit.* 5. *num.* 43. D. Solorz. *de jur. Indiar. tom.* 1. *lib.* 3. *& in polit. lib.* 3. *cap.* 31. *& emblem.* 68. D. Larrea *tom.* 1. *deciſion: Granatenſ. cap.* 4. *num.* 8. *& cap.* 38. *&* 39. Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 14. *num.* 47. Valeron *in exordio ad tract. de tranſact.* & Urceolus *in præfat. ad eundem tractat.*

21 Litium utique moleſtias ſatis conſiderarunt, qui prudenter ſuaſſere utiliſsimam eſſe tranſanctionem, etſi proprij juris aliquantum remittatur: ſic Æne. Silv. *Epiſt.* 77. dixit: *Melius eſt in magnis contentionibus de ſuo jure aliquid tradere cum pace, quam totum litigando conſequi*; cui alludens Cicero *lib.* 2. *de offic.* inquit: *Non modo liberale eſt juri ſuo cedere, ſed & fructuoſum propter litium pericula.* Unde venit in proverbium, *utilior eſt mala concordia, quam pinguis ſententia.* Nathenſ. *de juſtit. vulner. cap.* 4. At cùm nedùm privatum litigantium

22 commodum, ſed etiam publica in tranſactionibus verſetur utilitas; hinc efficitur primo, Judicem partes adhortari debere ut tranſigant, ut *ex cap. fin. de tranſact. & leg. æquiſsimum de uſufruct.* tenent communiter Interpretes, & videri poteſt D. Salgado *de Reg. protect. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 103. *& de ſupplicat. ad Sanctiſſ. part.* 1. *cap.* 4. *numer.* 47. Salcedo *de leg. Polit. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 31. Et certis etiam caſibus poterit Judex litigantes ad tranſigendum compellere Nathenſ. *d. cap.* 4. *num.* 1. Valeron *ubi ſupra.* Hinc etiam conſequitur, tranſactiones in jure per omnia favora-

23 biles cenſeri; ideoque magna attentione circa eas verſari opportere, cùm de earum validitate & ſubſiſtentia agitur; ita ut propter juris apices ab eis non recedatur, ſed earum firmitati declarandæ, proniores eſſe debeant Judices: ſuadente in hoc publica utilitate, ut expreſsè Socin. *conſ.* 60. *num.* 39. in hæc verba: *Quando contractus fuerit initus pro pace & concordia inter partes conſervanda, debet perpetuo obſervari, neque in eo de apicibus juris diſputari debet; pro pace enim mala toleranda ſunt cap.* 1. 13. *q.* 4. *cap. hæc quippè* 3. *q.* 6. Quamobrem ſpecialia multa favore tranſactionum conſtituta & recepta ſunt, D. Valenz. *conſ.* 133. *num.* 106. *& conſ.* 175. *num.* 9. *&* 34. Sfortia Odd. *in leg. qui Romæ, §. duo fratres de verb. oblig. q.* 1. *num.* 191. Auguſt. Barboſa *voto deciſ.* 76. *num.* 45. & quod omnis interpretatio ſit capienda pro tranſactione ſuſtinenda, ita ut in dubio pro illius validitate ſit judicandum Fontanella *deciſ.* 45. *num.* 11. Valeron *in d. exord. num.* 39. Urceol. *de tranſact. q.* 94. *&* 95. *per tot.* Rota *deciſ.* 248. *& deciſ.* 269. *part.* 11. *recent. & part.* 13. *deciſ.* 441. *& part.* 18. *deciſ.* 707. Et donec tranſactio reſciſſa fuerit per ſententiam, habet implicitum ſtatum va-

24 liditatis, & eſt ſervanda Urceol. *conſult. forenſ. cap.* 48. *num.* 25. *& in tract. de tranſact. q.* 70. *num.* 31. *& ſeq.* Rota *deciſ.* 26. *num.* 1. *& ſeqq. part.* 15. *rec. & deciſ.* 312. *num.* 10. *& part.* 10. *& deciſ.* 523. *numer.* 4. *part.* 13. *recent.* Unde meritò dictum eſt eum, qui tranſactione nititur, fundatam intentionem

25 habere, Valeron *ubi ſup. a num.* 40. quoniam tranſactio comparatur rei judicatæ *leg. non minorem C. de tranſact.* & juri jurando *leg.* 2. *leg. admonendi ff. de jure jurand.* de cujus vi, & efficacia multa congerunt DD. de illa exprofeſſo agentes.

26 (*g*) *Sanctæ Sedis beneplacito*: Prudenter quidem Concordantes pactis, inter ſe conventis, Apoſtolicum beneplacitum adiici curarunt; hoc enim & finis eiſdem propoſitus, & ipſius actus, quem gerebant, natura exigebat. Eſt enim beneplacitum Apoſtolicum tranſactionum

inter

inter Prælatos Eccleſiaſticos præcipuum fundamentum, unde abſque illo vel nullius, vel exigui momenti ſunt & ſuapte collabeſcunt: ut ergo ſubſiſtant, & durent, beneplacitum Apoſtolicum debet adhiberi, tanquam requiſita ſolemnitas, ex præſcripto Pauli II. *in Extravag. ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.* Cùm enim
27 tranſactio vera ſit alienatio, & ejus nomine comprehendatur, ut patet *ex text. in cap. veniens cap. contingit de tranſact. leg. ſancimus C. de reb. alien. non alienan. leg. 1. §. etſi tranſigit ff. ſi quid in fraud.* unde quicumque prohibetur alienare, & tranſigere prohibetur, ut *ex leg. non ſolum C. de præd. min.* & aliis, tenent, plurimis relatis, Valeron *de tranſact. tit. 4. q. 1. num. 1.* Urceol. *eod. tract. quæſt. 78. num. 11.* Hinc conſequens fit, beneplacitum Apoſtolicum ad alienationem re-
28 rum Eccleſiæ requiſitum *in d. Extravag. ambitioſæ*, æqualiter exoptari ad tranſactionem, ut in ſpecie docent Chopin. *de Sacra Polit. fol. 603.* Rebuff. *de alienat. num. 66.* Gratian. *diſcept. 846. num. 8. & 13.* Fagnan. *in dict. cap. veniens à num. 1.* Rota *deciſ. 301. num. 1. cor.* Coccin. *deciſ. 418. num. 17. deciſ. 270. part. 4. recent. & deciſ. 518. & 460. num. 6. apud Poſth. de manut.*

29 Dubium tamen eſſe poterat, an ſicut in tranſactione rerum corporalium, ita in tranſactione jurium Eccleſiæ beneplacitum Apoſtolicum eſſet neceſſarium? Ratio dubitandi ea eſt;
30 nam finis Paulinæ Extravagantis, beneplacitum hoc requirentis, non alius eſt, quàm ut Eccleſiarum bona penes ipſas permaneant, nec dilapidentur; cùm autē jura ſint quædam tertia ſpecies, & appellatione bonorum non veniant, præſertim ad actum ſubſtinendum, ut ratiocinatur Cardin. de Luca *de teſtam. diſc. 42.* hinc à dictæ Extravagantis diſpoſitione jura excepta conſiderari debent, & propoſito noſtro applicando, fruſtra exoptatum in præſenti beneplacitum Apoſtolitum, aliquis dicet.

31 Sed hac dubitandi ratione minimè obſtante, affirmativa eſt tenenda ſententia, ut beneplacitum Apoſtolicum non minus in jurium tranſactione, quam in illa, quæ circa corporales res verſatur, requiratur. Quod & ipſa Pauli
32 Conſtitutio ſuadet, dum utitur verbo *rerum*, quod in juris ſenſu æquè corporales ac incorporales res ſive jura comprehendit *leg. rei appellatio 23. de verb. ſingnif.* quin etſi aliquod, adhuc poſſet dubium remanere, excluditur omninò per adjunctam ibi dictionem *omnium*, quæ, ut univerſaliſsima, nihil excludit *leg. Iulianus in princ. de leg. 3. leg. hoc articulo de hæred. inſtit.* Atque ita in terminis jurium juriſdictionalium, & præeminentialium docent & tenent Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 95. num. 63.* Cardin. de Luca *de beneſic. diſc. 32. num. 13. & de Paroch. diſc. 23. à num. 5.* Card. Petra *ad 1. conſtit. Paſchal. II. ſect. 2. num. 4.* Caputaquen. *deciſ. 106. part. 1. & deciſ. 318. part. 3.* Coccin. *deciſ. 362. num. 3. deciſ. 341. part. 4. deciſ. 561. part. 5. & deciſ. 24. part. 10. deciſ. 124. num. 9. & 10. part. 12. & deciſ. 284. num. 6. & 7. part. 14.* Rota *deciſ. 434. numer. 13. part. 19. tom. 2. recent.* & latè circa juriſdictionalia *in Herbipollenſi reſciſsionis Concordiæ 4. Februarij 1692. §. non adfuit & 22. Iunij 1695. §. certum cor. Emerix. Iun. inter impreſſas 1208. & deciſ. 1267.*

33 Si autem quæras effectus beneplaciti Apoſtolici in tranſactione adhibiti; reſpondeo in primis illum eſſe, ut eo adhibito, aliæ ſolemnitates neceſſariæ non ſint; ita ut in his alienationibus, & conſequenter in tranſactionibus *in d. Extravag.* comprehenſis, unica tantùm dici debeat ſolemnitas requiſita, interventus beneplaciti Apoſtolici: atque ideo excepta cauſa, quàm non ſupplet, omnes alias ſupplet ſolemnitates; cùm per dictam Extravagantem antiquata ſit diſpoſitio veterum Canonum, & hinc

antiquatæ

antiquatæ etiam fuerunt aliæ ſolemnitates, ut, receptam hodie dicens opinionem, teſtatur Cardin. de Luca *de alienat. diſc.* 1. *num.* 2. *& de Regalib. diſc.* 81. *num.* 16. & iis, quæ habentur apud Franch. *deciſ.* 163. *num.* 13. Rota *apud Duran. deciſ.* 397. *num.* 8. *deciſ.* 459. *num.* 4. *deciſ.* 260. *num.* 6. *part.* 4. *recent. tom.* 2. *deciſ.* 222. *part.* 7. Unde noſtro propoſito applicando, nihil eſt quod Concordiæ huic poſsit obiici ex defectu ſolemnitatis; cùm ultra beneplacitum Apoſtolicum, illi præſtitum, ut patet in ultima parte Brevis, intervenerit etiam manifeſta utilitatis cauſa, ſupra abbundè demonſtrata *in verſ. ulteriora diſpendia evitandi.* Alter quidem effectus, & quidem non minus principalis
34 beneplaciti Apoſtolici eſt, ut illo interveniente, Concordia non modo Auctores ſuos liget, ſed etiam ſucceſſores; ea ratione, quod ex perſonali efficitur realis, ut omnes perinde in perpetuum ad obſervationem remaneant adſtricti, *cap. veniens de tranſact.* ibiq; Gloſſa *verb. confirmatum*, Butr. *ibidem. num.* 15. & Hoſtienſ. *num.* 3. *&* 4. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 25. *num.* 14. Lother. *de re benefic. libr.* 1. *cap.* 25. *num.* 86. D. Solorzan. *de jur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 74. *tom.* 2. Fagnan. *in d. cap. veniens num.* 3. Valeron *de tranſact. tit.* 3. *q.* 6. *num.* 39. Urceol. *eod. tract. q.* 25. *n.* 5. Cardin. de Luca *de Regalib. diſc.* 93. *num.* 6. Rota *cor. Cerro. deciſ.* 744. *num.* 1. & pluribus congeſtis *deciſ.* 262. *num.* 5. *part.* 19. *recent.* Hi duo præcipui effectus, præterquamquod ex hoc interventu beneplaciti Apoſtolici deprehenduntur, expreſsè tamen & litteraliter in propoſito conceduntur & declarantur in ulteriori parte hujus Brevis.

35 (*b*) *Nos ipſam minutam ad nonnullos dilectos*: Hujuſmodi remiſsionibus frequenter utuntur Summi Pontifices, tum quia in magna negotiorum confluentia, quæ ipſos premit, aliter expediri non poterant; tum quia in rebus arduis & momenti, alieno uti conſilio probatiſſimum ſemper fuit, *ex leg. aviam* 3. *C. de ingen. manum.* ibi: *Si cum peritioribus tractatum habuiſſes facile cognoſceres. leg.* 2. *§. fin. quis ord. in bon. poſſeſſ.* & Ariſtoteles 3. *Ethic. cap.* 3. inquit: *Cum de magnis rebus deliberare volumus aſſumimus & alios ad concilium diffidentes nobis metipſis, tanquam non ſufficientes ad diſcernendum.* Quare Principes olim fere de nulla re cognoſcebant, niſi adhibita Prudentum auctoritate, qui conſilij cauſa ipſis aſsidebant *leg.* 1. *de offic. aſſeſſ. leg. reſcriptum in princ. de diſtract. pign. leg. omnium* 19. *C. de teſtam. leg. ult. de jure fiſci.* Atque ita ſimiliter Romani Pontifices de conſilio Cardinalium graviora expediunt, ut *in cap. licet. cap. Eccleſia de elect. cap. cum inter de conſuet. cap.* 1. *de Schiſmat. cap. Apoſtolicæ de re jud. lib.* 6. *cap.* 1. *de renunt. eod. lib. Clement. ne Romani Clement. plerumque de elect.* juncto Platina *de offic. Cardin. cap.* 6. Manfred. *lib.* 4. *cap.* 88. Sed pro eo, quod ad noſtrum propoſitum præcipuè ſpectat,
36 notare debemus ex hac remiſsione minutæ Concordiæ à Pontifice facta, & examine deputatæ Congregationis, deprehendi manifeſtè, confirmationem ab Innocentio noſtro eidem Concordiæ indultam, non in forma communi, ſed in ſpecifica, ac per hoc *ex certa ſcientia* dici debere; ut de confirmatione tributa prævio examine, ſeu cognitione unius ſive plurium Cardinalium aſſeritur per Rotam *deciſ.* 193. *num.* 3. *&* 210. *per tot. part.* 1. *recent. deciſ.* 339. *num.* 1. *part.* 2. *deciſ.* 44. *num.* 5. *part.* 10. cùm ad hunc effectum ſufficiat, ut quomodocumque, etiam per teſtes, vel adminicula conſtet, Papam habuiſſe certam, & ſpecificam ſcientiam eorum, quæ ab ipſo confirmata, ſeu approbata ſunt. Cardin. de Luca *de Regalib. diſc.* 93. *num.* 7. Atque expreſsiſsimè in noſ-

tris terminis Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 114. *num.* 30. per hæc verba : *Idemque dicendum eſt, ſi Breve confirmatorium fuerit conceſſum à Pontifice ad relationem alicujus Congregationis : Si enim Pontifex fundaſſet ſuum Breve in dicta relatione, quam ex qualitate, ac numero deputatorum credidiſſet, vel credere debuiſſet, eſſe veram Barz. dec. Bonon.* 150. *num.* 3. *non autem ex ſe ipſo hujuſmodi cauſæ cognitionem adhibuiſſet. Aliud enim eſt, quod Pontifex aliquid ſimpliciter diſponat, vel declaret; aliud verò, quod ad aliorum relationem, cui expreſsè profiteatur inhærere. Tunc enim apparet, eum noluiſſe ſimpliciter, & abſolutè actum facere, ſed voluiſſe illum dirigire à relatione ſibi facta*; ac proindè, addimus, quamcumque nullitatem tranſactionis, & præjudicium voluiſſe vitare; quod certè abſque plena cognitione cauſæ & certa notitia ſive ſcientia fieri non poteſt, videndus Tondut. *quæſt. benefic. part.* 3. *cap.* 121. *num.* 13. idem Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 205. *num.* 9.

37 (*i*) *In formam tenoris qui ſequitur*: Per hanc etiam clauſulam innuitur confirmationem hujus tranſactionis in forma ſpecifica, & ex certa ſcientia fuiſſe factam, ut *ex cap. venerabilis juncta ibi Gloſſ. verb. inſertus de confirmat. utili*, tenent omnes Canoniſtæ. Quin etiam ſi totius rei confirmatæ tenor inſertus non eſſet, ſi tamen tenor, & rei ſubſtantia narraretur, adhuc confirmatio in forma ſpecifica, dicenda eſſet, Pignatell. *tom.* 3. *conſ.* 30. *num.* 5. Rota *deciſ.* 297. *num.* 17. *part.* 4. *tom.* 2. *recent. & deciſ.* 608. *num.* 24. *tom.* 3. Virtus autem hujuſmodi confirmationis in forma ſpe-

38 cifica magna quidem eſt in quocumque actu, præſertim in concordiis, propter duplicitatem vinculi, pacti ſcilicet, & confirmationis Apoſtolicæ, juxta notata per Gloſſam antep. *in Clem. dudum de ſepult.* Fagnan. *in d. cap. veniens num.* 6. *de tranſact.* Ideoque perpetuò durant, nec ſic confirmatę, dici poſſunt comprehenſę à Tridentino *in cap.* 4. *ſeſſ.* 6. ut benè fundant Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 25. *num.* 14. Barboſa *ad Concil. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. *num.* 82. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 7. *à num.* 7. *ubi add.* D. Solorzan. *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 74. Pignatell. *tom.* 3. *conſ.* 30. *num.* 3. Tondut. *quæſt. benefic. cap.* 61. *num.* 7. *& cap.* 62. *à num.* 5. quam opinionem firmiter tenet. S. Rota *deciſ.* 715. *part.* 4. *diverſ. & deciſ.* 99. *part.* 11. *recent. num.* 7. & ita reſolvit S. Congregatio penes Graciam *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 120. *& ſeqq.* & Fagnan. *in d. num.* 6. Nec mirum, cùm interveniente confirmatione in forma ſpecifica, perinde ſit, ac ſi res fuiſſet à Principe facta, & de novo conceſſa, juxta Rotã *deciſ.* 743. *n.* 42. *cor. Merlino.* junctis iis quæ ſupra diximus *in cap.* 8. *part.* 1. *num.* 80.

39 (*k*) *Capitula Concordiæ* : Ex una, quam retulimus, principali controverſia, Rotalibus ſententiis terminata, tot aliæ promanarunt, adeoque magnæ & involutæ, ut poſt magnam deliberationem, quam Prælati ab Innocentio deputati adhibuerunt; magna inſuper ſeparatione rerumque partitione, ad illas tranſigendas, opus eſſet; nec enim tantam rerum amplitudinem ac congeriem concludere quibat compendioſa tranſactio; nec animo concordantium conſonum, aut juri congruum eſſet, ut Concordia, quam in finem litium meditabantur, ſui brevitate ac confuſione aliarum litium & controverſiarum radix eſſet & occaſio. Ergo Concordiam hanc in ſua capita dividere, ſingulaque conſiderare, fuit neceſſe.

40 (*l*) *Inter Dignitatem Archiepiſcopalem*: Quo magis denotaretur perpetuitas hujus tranſactionis, non perſonalem & caducam, ſed realem perpetuamque Concordiam eſſe optarunt illius Auctores; ideoque ſub nomine Dignitatum facta proponitur. Dignitas ſiquidem

num-

numquam perit *cap. ſi gratioſe 5. de reſcript. in 6. cap. liberti 65. 12. q. 2. cap. requiſiſti 15. de teſtam.* cùm ex adverſo perſonę, Dignitates adminiſtrantes, quotidie intereant, *leg. ſi quis in fundo 14. de leg. 1.* Unde magna quoad plures effectus intercedit diverſitas, cùm vel quis proprio nomine, vel reſpectu habito ad munus quod exercet, actum aliquem explet, ut notant Legiſtæ *in leg. qui liberis §. hæc verba de vulg. & pupill.* & Canoniſtæ *in cap. quoniam Abbas 14. de offic. & poteſt. jud. deleg.* ex quo ad propoſitum noſtrum litteraliter colligit ibi Fagnan. *num. 44.* compromiſſum factum ſub nomine Dignitatis, quamvis non tranſeat in hæredes *cap. fin. de arbitr.* tranſire in ſucceſſores in eãdem Dignitatem *d. cap. quoniam.* juncto Dec. *col. pen. verſ. poſtremo num. 86. & ſeqq.*

42 (m) *Facta nominatione &c. ad effectum conficiendi* : Relictis illis arbitris *juris* dictis, quos certis caſibus & cauſis jus præſcribit, eſſe nominandos, ut *in cap. ſuſpicionis de offic. deleg. cap. ſi contra cap. ab arbitris eod. tit. in 6. cap. ſi Clericus 46. 11. q. 1.* de quibus latè D. Gonz. *in cap. 1. à num. 7. de arbitr.* Alij ſunt etiam arbitri, de partium conſenſu deputati, ad litium terminationem, qui dividuntur in arbitros compromiſſarios, & arbitros arbitratores, ſive amicabiles compoſitores : quæ diviſio, licèt juris ratione attenta commentitia, dici poſsit in quamplurium ſententia, inter quos Corraſ. *libr. 4. Miſcell. cap. 8.* tamen communi Interpretum ſuffragio, praxi eſt recepta, & apud nos confirmata in *leg. 23. tit. 4. part. 3. leg. 4. tit. 21. lib. 4. recopil.* in eum ſenſum, ut arbitri compromiſſarij dicantur, qui de partium conſenſu eliguntur ſub pœna, ut litem dirimant ſecundùm jus, & juſtitiam; arbitratores verò, ſive amicabiles compoſitores dicuntur, qui nullo juris ordine ſervato procedunt, ſed lites, ut amici interventores componunt : docent Villadiego *in leg. 13. tit. 1. lib. 2. fori* Gregor. Lopez *in d. leg. 23. partit.* Azeved. *in d. leg. 4. recopil.* Parlador. *lib. 2. rer. quotid.* Rodriguez *de execut. art. 1.* Hujuſmodi autem arbitri erant inſignes Advocati, in præſenti nominati & electi ab utraque Dignitate ad formationem hujus Concordiæ : quippè nullis juris ſtricti repagulis eorum arbitrium concludebatur ; ſed eis lata facta poteſtas, ut ex bono & æquo utrique parti inſinuarent, quod ipſis, ad præcidendas controverſias, accomodatius videretur probareturque : & tandem hanc etiam qualitatem arbitrorum demonſtrant illa verba : *Ad effectum componendi, & concordandi amicabiliter.*

43 (n) *Lites & dubia juriſdictionis, ac perceptionis &c.* Tranſactiones fieri poſſe ſuper juriſdictione & perceptione decimarum inter Prælatos Eccleſiaſticos, illaſque ſubſiſtere, ſucceſſoreſque ligare, debitis ſervatis ſolemnitatibus, quas ſupra inſinuavimus, dubio caret, viderique poteſt Valeron *de tranſact. tit. 3. q. 6.* ubi alias quæſtiones, inſpectionem noſtram non onerantes, diſquirit.

44 (o) *Habentes ſub oculis prætenſiones:* Non poterant utique deputati ad concordiæ formationem procedere abſque prævia inveſtigatione controverſiarum, & prætenſionum utriuſque Dignitatis; ſicut enim ſententia ultra id, quod in judicio deductum eſt, & à partibus controverſum, non extenditur, nec alia comprehendit, reſtricta Judicis poteſtate ad terminos litis, *leg. de qua re 74. de judic.* D. Salgado *de reg. protect. 4. par. cap. 12. num. 18.* D. Larrea *deciſ. 42. num. 34.* ita evenire debet in tranſactione, quæ plurimùm cum ſententia fraternizat, quoad effectum, de quo agimus, lites nimirùm terminandi, *leg. fratris 10. C. de tranſact. leg. non minorem 20. C. eod.* & quoad hunc effectum Altograd. *conſ. 6. num. 60. lib. 1.*

45 (p) *Super litibus pendentibus, ac dubiis:* Vnum illud abſdubio in ſubſtantiam tranſactionis influit, ut ſit lis, quæ præcedat; abſque hac enim tranſactio nulla erit, utpotè illius objecto deficiente, ſic probat Vlpianus *in leg. 1. de tranſact.* & ex eo communis Schola Interpretum, quos referre in re notiſsima tædioſum & ſuperfluum eſſet, qui voluerit adeat Valeron & Urceolum, de hoc ex profeſſo agentes: nos autem ex ipſis jurium teſtimoniis rem ham oſtendemus: & 46 quidem litem & controverſiam præcedere, expoſcit ipſe tranſactionum finis; nam cùm hic non alius ſit, quàm litem dirimere, & finem controverſiæ imponere ex mutua partium conventione *d. leg. fratris* 10. *leg. cauſas* 16. *leg. nec intentio* 23. *C. de tranſact.* implicat hunc finem verificari, ubi nulla præceſsit controverſia, à qua diſcedatur; adeoque nec illa interpoſita partium conventio tranſactio propriè dici poterit, ut conſiderat Zamora *tract. de compenſ. diſp.* 4. *cap.* 23. Quod utique ratiocinium à paritate rei judicatę, (cui ut diximus affinis eſt tranſactio) confirmatur; nam nec finis nec effectus rei judicatæ obtinebitur, ſi controverſia non præcedat, ex *text. in leg. 1. de re jud. leg. 1. leg. qualem* 19. §. 1. *de recept. arbit. leg. ſingulis* 6. *de except. rei jud. leg. prolatam* 4. *C. de ſent. & interlocut.* Ac tandem lis requiritur 47 ad tranſactionem non minus, quàm cauſa ad quoſlibet contractus, qui ſine ea fieri non poſſunt *leg. non ſolum* 49. §. *fin. de pecul. leg. nuda ratio* 26. *de donat.* Quod autem hæc tranſactio hoc non careat requiſito, patens eſt, & abunde liquet ex traditis *ſupra part. 1. cap. 9.* ubi late traditur controverſiarum hiſtoria.

48 (q) *Lites & dubia, quæ in poſterum:* Ut hæc verba illuſtrentur, priùs noſſe opportet, an de lite futura, quæ timetur tranſigi poſsit? Quam quæſtionem hic breviter diſcutiemus. Et ſanè ſi ethicè ac politicè res hæc conſideretur, nihil 49 eſt cur futuræ ſive imminentis litis concordia impugnetur; nam utcumque generaliter prudentiæ opus exiſtimatur, imminentia mala & damna præventivè avertere, *leg. ult. C. in quibus cauſ. in integr. reſt. neceſſ.* & in propoſito honeſtatis, & utilitatis res plena erit, futuræ liti obviare, præviaque tranſactione eam præcidere; ſic enim Cicero pro *P. Quintio* ſuadet: *Videndum*, inquit, *quàm primùm eſt, quàm minima moleſtia tota res tranſigatur, ac incivile eſt, hominem ſtatim in jus rapere, cum res forſam amica compellatione, vel compoſitione obtineri poſsit.* Unde frequenter juris noſtri Auctores ſuadent litigantibus, ut ante judicialem concertationem, amicabiliter de re ipſa agant & tractent, *text. in leg. quidam Hiberius* 13. *de ſervit. ruſt. præd.* ibi: *Qua de re volo cum Hiberio loquaris, ne rem illicitam faciat. leg. ſi manumiſſori C. de obſeq.* ibi: *Non protinus ad litigandum currere debueras. leg. fin. C. de feriis.* ibi: *Pacta conferant tranſactiones loquantur*, & commendatiſsima eſt cujuſdam antiqui ſententia, *priùs verbis quàm jure uti Sapientem decet.*

50 At ſi quæſtionem hanc juxta ſtrictam juris rationem decidere volumus, non deſunt, quæ tranſactionem futuræ litis impedire videntur; nam fruſtra & ineptè laborare is videtur, qui litem, quæ nondùm eſt, terminare ſatagit; cùm priùs in ordine ſecundùm naturam ſit, litem eſſe, quàm quod poſsit tranſactione finiri, ut in ſimili argumentatur Scævola in *leg. quidam referunt* 14. *de jur. codicill.* ibi: *Vt non ante juris ratio, quam perſona, quærenda ſit.* Nunc autem certum eſt, nec litem dici poſſe, nec eſſe controverſiam, cùm judicium cœptum non eſt, *leg. amplius non peti* 15. *ff. ratam rem haber. leg.* 3. §. *Iulianus de liber. exhib. leg. controverſia* 14. *de tranſact.* conſequenter ergo fit, ſuper futura lite tranſigi non poſſe. Nec timor futuræ litis

litis ſufficiens videtur eſſe materia tran-
51 ſactionis, nam metus, ut attendatur, præſens eſſe debet, ut expreſsè ait Conſultus *in leg. metum 9. ff. quod met. cauſa.* ibi : *Metum autem præſentem accipere debemus, non ſuſpicionem inferendi ejus*, facit etiam *text. in leg. ſciendum. §. ſi fundum. qui ſatiſd. cogant. leg. eo tempore 50. de pecul. cap. 2. de jur. jurand.* Et generaliter in jure præſens rei ſtatus, non fu-
52 turus inſpicitur; ut hinc, quæ à futuro pendent eventu, non ſint in conſideratione, *leg. & quæ nondum de pignor. leg. 3. §. incertam de adq. poſſeſſ. leg. non quemadmodum de judic. leg. 1. §. 2. de uſur.* multiſque adductis comprobat D. Salgado *de reg. protect. 2. part. cap. 2.* Valeron *d. tract. tit. 2. quæſt. 2. à num. 1.* D. Olea *de ceſſ. jur. titul. 2. quæſt. 10. num. 12.*

53 His tamen, quæ vera ſunt in ſuis caſibus, non obſtantibus, veriſsima eſt affirmativa ſententia, quæ ſuper futura lite, ob illius timorem tranſactionem admittit, ſtante in hoc clariſsima deciſione *text. in leg. cum te 2. C. de tranſact.* ibi : *Etſi nulla fuiſſet quæſtio hæreditatis, tamen propter timorem litis pecunia rectè cauta intelligitur, ex qua cauſa ſi fiſco ſolviſſes, repetere non poſſes.* Cui adſtipulatur jus noſtrum Regium *in leg. 4. tit. 21. lib. 4. Recopil.* his verbis: *Antes de entrar en contiendas de juicio, y otras vezes eſtando pleitos pendientes.* Atque ideo recepta eſt apud omnes ſententia, ad tranſactionem non requiri præcisè actualem litem, ſed ſufficere litis habitualem exiſtentiam, ſive ejus timorem, ut teſtatur Cardin. de Luca *de alien. diſc. 50. num. 8. & de feud. diſc. 120. num. 6.* magnamque DD. catervam congerit Valeron *d. q. 2. num. 12.* quos, ut in re notiſsima, referendos non duxi.

54 Quamvis enim ea, quæ à futuro pendent eventu quoad plures juris effectus in quamplurimis caſibus non attendantur, prout in juribus in ratione dubitandi adductis, quæ facilè quiſque per ſe expendet; tamen in propoſito id etiam, quod nondum eſt, ſed contigere poſſe timetur, conſideratur propter juſtã cauſam, quę æquè militat reſpectu futuræ, ac præſentis litis; utroque enim caſu dubia res eſt, & in utroque per tranſactionem dubius litis eventus præcavetur: quin infinita propè occurrunt in jure exempla, in quibus acta, & diſpoſita circa futura ſuſtinentur, *ut in leg. pactum 46. de pactis. leg. 3. de procurat. leg. egi 12. ſi ſervit. vind. leg. non quemadmodum de judic. leg. 6. §. fin. de fidejuſſ. leg. unic. de nov. oper. nunt.*

55 Qualis autem timor, quoad hunc, de quo quærimus, effectum requiratur, diſputant DD. de hoc agentes; & quidem Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 81. per tot.* judicat ſolum timorem litis, etiam extrajudicialem, reddere validam & utilem tranſactionem, propter receſſum à lite, quamvis clara & calumnioſa, ac de facto; maximè, ſi poſsideat ille, qui ita de facto & contra jus litigat, ſed meliùs judicabimus cum Urceol. *de tranſact. q. 43. num. 34. & ſeqq.* ubi aſſerit, hanc Gratiani, opinionem eſſe parùm juri conſonam; cùm illa admiſſa omnis ſuſtineretur tranſactio, etiam doloſè affectata per calumnioſam litem; ac ideo remitti hoc debere prudentiæ, arbitrio, & religioni judicis, qui æſtimavit, an tranſactio ſit facta de lite dubia, vel calumnioſa, juxta *text. in leg. præſes 12. & in leg. ſi cauſa cognita C. de tranſact.*

56 Dicitur multoties in parte proœmiali hujus Brevis, & etiam in parte executiva, tranſactionem hanc factam *ſuper litibus & dubiis*, ut hoc ipſo intelligamus, in ea per omnia ſervatam fuiſſe juris rationem, quæ expreſsè requirit in hac materia non ſolùm litem, ſed litem dubiam & incertam, deſſumpta dubietate & incertitudine, vel ex facto, vel ex jure; ita ut ſi dubietas vel incertitudo

non adſit, inita tranſactio nullius ſit roboris, & reiicienda venit tanquam calumnioſa, & mala fide celebrata, expreſsi *text. in leg. præſes* 12. *C. de tranſact. leg. in ſumma* 65. §. 1. *de condict. indeb. leg.* 1. §. *ſed & conſtitutio de calumniator. leg.* 1. *ff. de tranſact.* ibi: *Qui tranſigit quaſi de re dubia, & litè incerta, neque finita, tranſigit. cap. ex parte tua eod. tit.* Quæ concluſio, ut textualis & de regula, indubitata eſt apud omnes DD. videtique poſſunt congeſti à Valeron *d. tract. de tranſact. tit.* 2. *q.* 3. *num.* 2. Urceol. *eod. tract. q.* 43. Et ratio eſt, nam iniquum & abſurdum eſſet, ut cal-
57 liditas & dolus illius, qui temerè litigat, & per injuriam, vexandi alterius cauſa, eum ad judicium trahit, ei prodeſſet, & ex calumnioſa, indubitataque lite aliquid commodi per tranſactionem extorqueret, contra regulam *text. in leg.* 1. §. 1. *C. qui milit. poſſ. lib.* 12. *leg. uxoris.* §. 1. *ad leg. Cornel. de falſ.* cùm potiùs adversùs ejuſmodi litigantem injuriarum actione experiri liceret *leg. injuriarum* 13. §. *ſi quis per injuriam de injur. leg. ſi verò qui ſatiſd. cogant.* Quin etiam affectata lis & calumnioſa, nec litis nomen meretur, ut ex Vela *diſſert.* 13. *num.* 11. conſiderat Valeron *d. quæſt.* 3. *num.* 5.

58 Quando autem res, ſuper quâ tranſigitur, dicatur dubia & incerta, ad effectum ſuſtinendi tranſactionem, vel clara & liquida ad effectum illam infringendi, diverſimodè explicant DD. ſed tandem in eam ſententiam eſt deventum, ut in hac parte ad validitatem tranſactionis, quoties res agitur inter ipſos tranſigentes, & habentes cauſam ab eis, ſufficiat talis qualis dubietas; adeò ut etiam dictum, vel opinio unius Doctoris rem dubiam faciat, & attendatur, ut magiſtraliter concludit Card. de Luca *de fideicom. diſc.* 173. *& ſeqq. & de emphiteuſ. diſc.* 52. *num.* 13. *de donat. diſc.* 2. *num.* 32. *& de alienat. diſc.* 50. *numer.* 9. ubi optimè docet raros eſſe caſus, in quibus hodiè tranſactiones annullentur ex defectu litis, & litis dubiæ, cùm, ut diximus, res agitur inter ipſos tranſigentes, vel habentes cauſam ab eis, quia DD. limitationibus, & declarationibus, hæc requiſita quodammodo idealia remanere videntur, prout frequenter contingit in regulis generalibus: qui plura circa hoc ſcire cupit, nempè quando ad hunc effectum dicatur articulus juris dubius, veluti ſi variæ, & contrariæ opiniones adſint inter DD. aut ſi fuerit pluries antea, vel poſtea à Rota punctus deciſus; vel per aperitionem librorum decidi poſsit, adeat Urceol. *d. tract. q.* 44. *per tot*, & poſt illum *deciſ.* 82.

59 (r) *Fiunt ſuppoſita ſequentia:* Si quæ res in jure clara & liquida reputatur, maximè illa, quæ per rem judicatam conſtituitur, ut *ex text. in leg. ingenuum* 25. *de ſtat. homin. leg.* 1. *in fin. leg.* 2. *&* 3. *de agnoſc. liber. aliiſque vulgat.* tenent communiter DD. apud quos illud, quo magis explicent auctoritatem rei judicatæ, dictum invaluit; ut nimirùm res judicata faciat de albo nigrum, & æquet quadrata rotundis, videri poteſt D. Melchior à Valentia *illuſtr. jur. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. Atque hinc juncta doctrina *præcedent. verſ.* legitimè, ac
60 neceſſariò ſubſequitur, de re, quæ per rem judicatam deciſa ſit, tranſigi non valere; & quidem illationem hanc expreſſa jura confirmant, *text. in leg. poſt rem judicatam ff. de tranſact. leg. ſi cauſa cognita* 32. *cum leg. ſeq. C. eod. tit. leg. in ſumma* 13. §. 1. *de condict. indeb.* & apud nos *leg.* 22. *tit.* 1. *part.* 6. Quin & ratio manifeſta convinvit: nam ſuppoſita ſententia, ac re judicata deficit & finis, & materia tranſactionis; nam finis & effectus rei judicatæ, ut ſæpè diximus, eſt finem liti imponerè *ex leg.* 1. *de re jud. & vulgat.* ſerò igitur poſt rem judicatam tranſactio venit, præoccupata jam

jam illius materia, & fine. Hæc cùm
61 veriſsima ſint, & aliunde in præſenti, ut conſtat ex dictis *part.* 1. *cap.* 9. res judicata intercederet; ideo concordantes in limine tranſactionis, juſta methodo rem judicatam, quæ, ut ſacroſancta erat obſervanda, concordiæ huic præpoſuerunt, ita ut ſuper articulis in ea expreſsè comprehenſis, tranſactio non caderet; ſed illis, utpote liquidis & incõtroverſis ſuppoſitis, ſuper ipſis tanquã ſolidis fundamentis, univerſum Concordiæ opus extrueretur. Siquidem in his ſuppoſitis reſumitur quidquid, poſt varias & diuturnas lites, unicuique Dignitati competere in locis Prioratuum, ſententiis litteriſque Executorialibus fuit declaratum.

62 (*f*) *Super intelligentia dictarum litterarum*: Licèt ex juris ratione, ut vidimus, poſt rem judicatam nullius momenti ſit tranſactio, hoc tamen ſuas patitur limitationes; ut puta, ſi tranſactio verſetur ſuper intellectu & declaratione præcedentis rei judicatæ; tunc enim pro objecto habebit dirimere ulteriora dubia & lites, quæ vel ſuſcitantur, vel probabiliter timetur, poſſe ſuſcitari; prout in propoſito noſtro eveniebat; licèt enim litteræ Executoriales tam favore Dignitatis Archiepiſcopalis expeditæ, quàm aliæ Dignitatis Prioralis favore relaxatæ, ſatis claræ eſſent; tamen quia in adeò atroci & magna lite, ex tot rerum, & prætenſionum capitibus compoſita, haud facilè erat circa omnia particularem, & ſpecificam determinationem in ſententiis adhibere; hinc factum eſt, ut deveniendo ad executionem, aliæ non minus graves diſſenſiones & dubia, ſuper ipſarum litterarum executione & intelligentia, orirentur; quæ nova dubia, ulterioraque, quæ timebantur, optimum viſum eſt partibus, hac tranſactione præcidere, hicque fuit finis & ſcopus hujus concordiæ: quod patet exemplo. In litteris Executorialibus declaratur expreſsè, Eccleſias omnes Sæculares Oppidorum Prioratuum ſubjectas eſſe debere ordinariæ juriſdictioni Archiepiſcopi quoad utramque legem: in litteris etiam Executorialibus ad favorem Magni Prioris decernitur, Eccleſias omnes Regulares eorumdem Oppidorum ſubjectas eſſe debere ordinariæ juriſdictioni Magni Prioris. His ſtantibus declarationibus, dùm res ad executionem perducebatur, occurrebat dubiũ, quænam in his Oppidis Eccleſiæ eſſent Sæculares, quænam verò Regulares; nam Dignitas Archiepiſcopalis, omnes Sæculares eſſe, contendebat; contra verò aſſerebat Prioralis Dignitas, omnes eſſe Regulares, & hinc ex ipſa litis deciſione, alia lis oriebatur pejor priori; ergo ut hæc lis, hocque dubium terminaretur, formatum eſt *Caput I.* hujus concordiæ. Eodem fermè modo factum eſt circa alia puncta, & capita controverſa, veluti Tribunalis *in cap.* 16. & perceptionis decimarum *in cap.* 26.

63 Atque in hoc ſenſu, (& quidem veriſsimo, ut cuique conſtabit ex explicatione Capitum concordiæ) rectè dicimus; hanc tranſactionem velut partem rei judicatæ, ac proinde ejuſdem naturæ, eſſe conſiderandam; cùm enim partes voluiſſent, ut res judicata firma maneret, tantùmque tranſactionem hanc eo fine iniiſſent, ut jam deciſa, & judicata declararentur; hinc de plano verificantur illæ vulgares doctrinæ aſſerentes, declarationem nihil de novo inducere, ſed tantùm quod eſt occultum detegere; & altera huic conſequens, de-
64 claratione nimirùm ineſſe rei declaratæ, & ejuſdem naturæ conſiderari; ut ex diſſertis juribus *in leg. adeò* 7. §. 7. *de adq. rer. dom. leg. hæredes* 12. §. 1. *de teſtam. ſingularique text. in Authent. de raptu mulier, quæ raptor. in fine* latè proſequuntur D. Caſtillo *quotid. controv.*

tom

tom. 3. *cap.* 10. *num.* 50. D. Salgado *de Reg. protect. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 24. *& de ſuppl. ad SS. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 15. *& cap.* 30. §. 5. *num.* 20. Fagnan. *in cap.* 3. *de re jud. à num.* 16. *& in cap. ſuper ſpecula ne Cler. vel Mon. num.* 3. *& ſeqq.* Cardin. de Luca *de teſtam. diſc.* 10. *num.* 4. *diſc.* 47. *num.* 8. *diſc.* 48. *num.* 5. & optimè ad propoſitum *de feud. diſc.* 115. *numer.* 9. ibi: *Revera non eſt concordia nova, quæ novum, atque ab antiquo diverſum ſtatum induceret, ac firmaret, ſed potius fuit confirmatio, ſeu agnitio ſtatus antiqui.*

65 (*t*) *Ad executionem perductæ:* Licèt ſuper articulis & dubiis circa ipſas executoriales litteras ſubortis, aliquæ promanaverint deciſiones Rotales, hæ impedimento non erant huic tranſactioni: quin obſtet illa ſupra ſtatuta regula, quod poſt ſententiam & rem judicatam, tranſigi non poſsit: quia iſtæ Rotales deciſiones, ut advertit Cardin. de Luca *in relat. Rom. Cur. diſc.* 32. *num.* 53. *&* 56. non ſunt ſententiæ, neque decreta, ut ſtultè opinatur quoddam leguleicum vulgus, ſed potiùs ſunt quædam motiva, quæ judex partibus pandit ad meliorem informationem; ideoque ſi favore ejuſdem partis duæ vel tres deciſiones in eadem inſtantia prodierint, priuſquam deveniatur ad ſententiam, cauſa adhuc integra & indeciſa eſſe dicitur; unde nihil ſpeciale eſt, quod hoc in ſtatu controverſia per tranſactionem perimatur. Nec ſimiliter huic

66 tranſactioni obſtat, quod ſuper dubio regularitatis Eccleſiarum ſententia fuit prolata: nam etiam verum eſt, executioni non fuiſſe demandatam, & per appellationem fuiſſe ſuſpenſam; quo in caſu, quia per appellationem res iterum recidit in dubium, & ſententiæ virtus ſuſpenditur, ut *ex leg.* 1. §. *fin. ad ſenat. Turpill. & ex cap.* 1. *de appellat.* tenent omnes DD. certum eſt, tranſactionem admitti, expreſsi *text. in leg. & poſt rem judicatam* 7. *leg. poſt. rem judicatam* 11. *ff. de tranſact. leg.* 23. §. *quid ergo de condict. indeb. leg. ſi cauſa cognita* 32. *C. de tranſact.* viderique poteſt Valeron, qui hoc latè proſequitur *in tit.* 2. *quæſt.* 5, *per tot.*

67 (*u*) *Oriri poterunt*: Nedum præſentibus, ſed & futuris altercationibus pleniſsima accuratiſsimaque concordia occurſum iri Concordantes optarunt. Sed quia, ut conſiderat Juſtinianus *in Proœm. de confirm. ff. ad Senat. Divinæ quidem res perfectiſsimæ ſunt, humani verò juris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea quod ſtare perpetuò poſsit: multas enim formas edere natura novas deproperat.* Ideo quotidie præter captum nova emergere nogotia novoſque articulos ſuſcitari contingit, quæ in hac tranſactione, utcumque copioſa comprehendi nequibant, ut de legibus & Senatus-Conſultis Julianus affirmat *in leg.* 10. *&* 12. *de legib. & Ariſt.* 5. *Eth. cap.* 10. Novis ergo hiſce caſibus advenientibus, aliqua ſanè tenenda via erat, qua quieti ac paci conſuleretur. Hæc autem ea propemodùm eſt, quam idem Juſtinianus ex Juliano refert *in d.* §. 18. ut ſi quid in Concordia poſitum non invenitur, hoc ad ejus regulas poſsit nova inſtruere auctoritas: atque ita ejus, ſi quæ occurret imperfectio, interpretatione, aut certè juriſdictione ſuppleatur, ut dicitur *in leg.* 13. *ff. de legib.* Sic igitur providentiſsimè *in cap. fin.* hujus Concordiæ proviſum eſt, ut ſi quæ poſtmodùm circa ipſam exoriantur dubia, non utique ad Judicum contentioſa Tribunalia perferantur; ſed bini utrimque Arbitri, ſeu Paciarij Judices deligantur, qui ſimul convenientes, rem amiciſſimè componant. Quod ſi in diverſa oppoſitaque ierint ſuffragia, ut pacis ſequeſter Apoſtolicus in Hiſpania Nuncius adeatur. Quæ ſanè conventa forma à tempore confirmatæ tranſactionis uſque hodie retinetur, deputatis hinc inde

hono-

honoratiſsimis & clariſsimis Juriſperitis, qui *Congregationem Concordiæ* componunt; quorum reſolutiones reſpondentibus Capitibus annectemus. Huc reddit totius præſentis Concordiæ ſumma, & exactiſsima forma, quæ Eccleſiaſticis viris maximè congruit, ut jam inde Innocentio XII. illam confirmanti quædam Petri Cellenſis Abbatis in *Epiſt.* 21. *lib.* 5. verba accomodemus: *Moriatur & non vivat tam nefarium & nefandiſsimum ſcandalum ſervorum Dei, quod de radice vetuſtiſsimi colubri, ideſt, ineptiſsimæ avaritiæ prodiit. Rogo ut dies per amicos veſtros accipiatur, in quo de Concordia familiariter agatur.*

CAP. I.

Concernens dubium Regularitatis Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium.

CONCORDATUM fuit, quod ſint Regulares Religionis S. Joannis Eccleſiæ Parochiales, Hoſpitalia, & Eremitoria fundata uſque ad præſens in Prioratibus prædictæ Religionis exiſtentis in hac Archiepiſcopali Diœceſi Toletana, & Parochiales ſunt ſequentes: Eccleſia S. Mariæ, & S. Joannis in Oppido de Conſuegra: Eccleſia S. Mariæ, & S. Quiteriæ de Alcazar. Eccleſia S. Salvatoris, & S. Mariæ de Madridexos: Eccleſia S. Joannis de Argamaſilla: Eccleſia S. Mariæ de Turleque: Eccleſia S. Mariæ de Camuñas: Eccleſia S. Mariæ de Villafranca: Eccleſia Parochialis de Herencia: Eccleſia S. Mariæ de Tembleque: Eccleſia de Manzaneque: Eccleſia S. Mariæ de Villacañas: Eccleſia S. Mariæ de Arenas: Eccleſia S. Joannis de Villarta: Eccleſia S. Joannis de Ievenes: Eccleſia S. Mariæ de Quero: Eccleſia S. Joannis de Urda, quæ omnes ſunt decem & novem Eccleſiæ Parochiales, quibus additur illa del Villar del Pozo, necnon beneficium ſimplex de Villafranca.

SUMMA CAPITIS.

1 *Status hujus materiæ uſque ad tempus Concordiæ.*
2 *Proponitur ſumma tractandorum.*
3 *Eccleſiæ omnes in ſui exordio ſæculares fuerunt.*
4 *Solvitur objectio quædam ex Ivone Carnotenſi.*
5 *Monachorum congregationes ſeculo quarto formatæ aparent.*
6 *Communis vita, quam initio Eccleſiæ ſervabant fideles omnes, rectè compatitur cum ſæcularitate.*
7 *Iuxta juris communis præſumptionem omnes Eccleſiæ ſæculares cenſentur.*
8 *Diœceſanus juris præſumptione munitus, non tenetur probare ſæcularitatem Eccleſiarum, ſed onus probationis incumbit Prælato Inferiori.*

Quibus

9 *Quibus modis & rationibus Parochiales ad Regulares pertinere poſsint.*

10 *Primitivi Monachi laici erant, nec ad Sacros Ordines eis patebat acceſſus.*

11 *Ne tamen Monachi Miſſæ ſacrificio carerent, Presbyter per Epiſcopum Monaſterio ordinabatur, ut ibi Sacra conficeret.*

12 *Paulatim Pontifices optarunt, & Epiſcopi conceſſerunt, ut probati Monachi Sacerdotio donarentur, ut Monaſterij neceſsitas, aut Eccleſiæ expoſcebat utilitas.*

13 *Monachi ordinati ad poſtulationem Abbatis propter Monaſterij neceſsitatem, quibus terminis continerentur.*

14 *Monachi ordinati ab Epiſcopo propter Eccleſiæ utilitatem, ita Clericatui & Eccleſiæ adgregabatur, ut Monachorum conceptum penè amitterent.*

15 *Poſtquam Monachi Presbyteri ordinabantur, facile id obtinuerunt, ut Eccleſiaſtica munia adminiſtrarent.*

16 *Diù ſuper hoc certatum inter Clericos & Monachos, quos Bonifacius & Vrbanus II. protexerunt.*

17 *Non tamen permiſſum Monachis, ut vel ordines, vel officia exercerent extra Monaſteria; nec etiam ea in Monaſteriis miniſtrare, quæ Epiſcopo aut Parocho competerent.*

18 *Recenſentur plures actiones Monachis prohibitæ, ad conſervanda jura Parochiarum.*

19 *Epiſcopi aliquando Monachos Parochiis præficiebant propter eorum ſanctitatem, & doctrinam.*

20 *Penuria Clericorum Sæcularium nonnumquam fuit in cauſa, ut Monachis Parochiæ traderentur.*

21 *Beneficentia Pontificum plures Eccleſias Monachi obtinuerunt.*

22 *Adducuntur exempla Privilegiorum Leonis IX. & Alexandri III. de quo* in cap. veniens de verb. ſignif. in 6.

23 *Epiſcopi Monachis donarunt quamplures Eccleſias.*

24 *Alius modus, quo Monachi obtinuerunt Eccleſias, fuit donatio laicorum.*

25 *Diſſenſiones inter Clericos & Monachos propter Eccleſias & decimas his acquiſitas.*

26 *Concilia ſeculi XI. ut diſſenſiones ſedarent, cavent, ut Monachi acquiſitas Eccleſias retineant, & novas inconſulto Epiſcopo non acquirant.*

27 *In Conſilio Lateranenſi III. crimini datur Templariis, & Hoſpitalariis, quod Eccleſias acciperent abſque conſenſu Epiſcopi.*

28 *Proponitur & explicatur diſtinctio inter Eccleſias Regulares, & Sæculares.*

29 *Eccleſiæ, pleno jure ſpectantes ad Regulares, quænam ſint.*

30 *Eccleſia unita pleno jure Monaſterio, Priorem ſtatum & naturam amittit, & proinde efficitur Regularis.*

31 *Eccleſiæ unitæ quoad temporalia tantùm, priorem naturam retinent & qualitatem Sæcularium.*

32 *Ius Patronatus Monachis competens in aliqua Eccleſia, non facit illam Regularem.*

33 *Vnio plenaria & ſubjectiva non præſumitur, ſed concludenter eſt probanda.*

34 *Eccleſiæ Prioratuum materialiter conſideratæ, ſubſunt juriſdictioni Ordinariæ Magni Prioris.*

35 *Eccleſiæ Parochiales formaliter conſideratæ, ſubſunt Archiepiſcopi delegatæ juriſdictioni.*

36 *Eccleſiæ illæ Regulares ſunt, quæ tempore hujus tranſactionis erant fundatæ, non poſtea conſtructæ.*

37 *Exemptio ſolùm extenditur ad præſentia, niſi aliud exprimatur.*

38 *Cuinam Vicario competat cognitio controverſiæ ſuper jure ſepulturæ in his Eccleſiis?*

39 *Reſpondetur ſub diſtinctione, & ſolvitur quædam objectio.*

40 *Ius ſepulturæ ſimul ac emptum eſt, computatur in bonis illud ementis.*

41 *Cuinam Vicario competat cognitio cauſæ ſuper jure ſedilis in eiſdem Eccleſiis?*

42 *Reſpondetur ſub eadem diſtinctione.*

43 *Tria proponuntur diſquirenda circa controverſias ſuper uſu Pontificalium in Eccleſiis exemptis.*

44 *An Diœceſanus in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis poſsit Pontificalia exercere abſque licentia Prælati Eccleſiæ?*

45 *Pontificalia quædam ſunt merè honorifica, quædam admixtam juriſdictionem habent.*

46 *Diœceſanus poteſt abſque alterius conſenſu omnia indiſtinctè Pontificalia exercere in Eccleſiis Parochialibus etſi exemptis.*

47 *Contra exemptos uſum Pontificalium impedientes, poteſt Diœceſanus cenſuris procedere.*

48 *Circa Eccleſias non Curatas exemptas major eſt dubitandi ratio.*

49 *Diœceſanus in his Eccleſiis non poteſt celebrare Pontificalia, quæ admixtam habent juriſdictionem, ſecus honorifica.*

50 *Epiſcopus in perſonis & locis exemptis nequit exercere falcem juriſdictionis.*

51 *Epiſcopus non obſtante exemptione retinet jus reverentiale, & exercere poteſt falcem devotionis.*

52 *Epiſcopus ab exemptis debet convenienti honore tractari.*

53 *Reverentia honorifica æquè debetur Epiſcopo ab exemptis, ſive exemptio procedat ab Epiſcopo, ſive à Papa.*

54 *Expenditur locus Concilij* in cap. 5. ſeſſ. 6. de reform.

55 *Locum exemptum comparari loco extra Diœceſim, non eſt abſolutè verum.*

56 *Locus exemptus cenſetur extra Diœceſim, quoad juriſdictionem Epiſcopi actualem ſecus, quoad habitualem & jus reverentiale.*

57 *Expenduntur illa verba* in alterius Diœceſi, *quibus utitur Concilium.*

58 *Diœceſanus in Eccleſiis exemptis poteſt Miſſam celebrare cum pompa Pontificali, tronum & baldachinum erigere, & alios actus præeminentiales facere.*

59 *Refertur per extenſum decretum Clementis VIII. quo jus Epiſcoporum roboratur.*

60 *An Archiepiſcopi & Epiſcopi in Eccleſiis & locis exemptis ante ſe poſsint deferre Crucem Pontificalem? Reſp. affirmativè.*

61 *Crucis delatio non importat exercitium juriſdictionis, ſed præeminentiam ac Dignitatem.*

62 *Regulares tenentur obviam ire Epiſcopo, ad ſuas Eccleſias accedenti.*

63 *Epiſcopus poteſt cenſuris procedere contra exemptos ei denegantes ingreſſum in ſuas Eccleſias, aut renuentes in ingreſſu obſequium.*

64 *Inſignia Pontificalia Abbatibus concedi cœperunt ſæculo XI. ægrè ferentibus Epiſcopis.*

65 *Hæ conceſsiones frequentiores fuere ſæculo XII. & tandē eò extenſæ ſunt, ut tribueretur uſus Pontificalium functionum.*

66 *Diſſenſiones hac de cauſa ſubortas inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores ſedare conantur Alexander IV. & Clemens IV.*

67 *In id ipſum ad laborarunt Vrbanus VIII. & Alexander VII.*

68 *Indulta inſignium Pontificalium non concludunt uſum Pontificalium functionum.*

69 *Inſignia Pontificalia non competunt Abbatibus jure proprio, & ratione Dignitatis.*

70 *Privilegij tenor debet attendi.*

71 *Hujuſmodi privilegia ſtrictè ſunt interpretanda.*

72 *Indulta Pontificalium non veniunt in generali privilegiorum communicatione.*

73 *Indulta Pontificalium alia ſunt abſoluta, alia reſtricta ad Monaſteria & proprias Eccleſias.*

74 *Eccleſiæ debent eſſe pleno jure ſubjectæ cum Populo, ut Prælati Inferiores poſsint in eis Pontificalia exercere.*

75 *Abbates indultum limitatum habentes, non poſſunt extra Eccleſias ſubjectas Pontificalia exercere, etiam cum Ordinarij licentia.*

76 *Habentes indultum generale & abſolutum, poſſunt ubilibet Pontificalia exercere, cum Ordinarij licentia.*

77 *An alienus Epiſcopus, aut Prælatus Inferior invitatus à Regularibus poſsit in eorum Eccleſiis Pontificalia exercere abſque licentia Diœceſani?*

78 *Amplectitur & fundatur ſententia negativa.*

79 *Actus denotantes ſuperioritatem non poſſunt exerceri in aliena Diœceſi abſque licentia Diœceſani.*

Diſ-

80 *Diſpoſitio Tridentini prohibentis uſum Pontificalium in aliena Diœceſi verificatur in Eccleſia exempta.*

81 *Refertur ſententia judicans, in aliena Diœceſi ſolùm prohiberi actus Pontificales cum mixtura juriſdictionis, non verò honorificos.*

82 *I. Argumentum, quod loca exempta conſiderantur extra Diœceſim, & tanquam territorium ſeparatum.*

83 *II. Argumentum, deſſumitur à paritate ex* d. Clem. Archiepiſcopo.

84 *III. Argumentum ſit à paritate inſignium Pontificalium.*

85 *Inſignia Pontificalia ſunt duplicis generis, quædam ſuperioritatem denotantia, quædam purè honorifica.*

86 *Proconſul ubivis geſtare poteſt inſignia ſuæ dignitatis, dum ſit extra Vrbem.*

87 *Prætores Aulæ Criminalis, vulgo* Alcaldes del Crimen, *licèt virgam extra territorium deferre nequeant, ubique tamen Togam geſtant.*

88 *Delatio inſignium, quæ juriſdictionem non denotat, nihil præjudicat Ordinario territorij.*

89 *Dignitates diſtingui oportet peculiari veſtitu, & ornatu.*

90 *Amplexatur contraria ſententia, indiſtinctè aſſerens omnes actus Pontificales prohiberi in aliena Diœceſi, abſque licentia Diœceſani.*

91 *Prohibitio Tridentini omnes actus Pontificales indiſtinctè comprehendit.*

92 *Canones antiqui ſpecificè & ſigilatim ſolùm prohibebant in aliena Diœceſi ordinationes Clericorum & Eccleſiarum conſecrationes.*

93 *Honorius III. primus ſpecialiter cavit circa exercitium Pontificalium in aliena Diœceſi*

94 *Quàm variæ diſcordanteſque in hoc fuerint antiquorum Canoniſtarum opiniones.*

95 *Alia quæſtio erat ſuper exercitio Pontificalium, Diœceſano competente in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis, de quo actum* in d. Clem. Archiepiſcopo.

96 *Gloſſa Magna* in d. Clem. Archiepiſcopo *confundit caſum exercitij Pontificalium in Eccleſiis exemptis cum caſu exercitij in aliena Diœceſi.*

97 *Quiſnam fuerit ante Tridentinum ſtatus univerſæ quæſtionis luculenter demonſtratur.*

98 *Quidnam ſuper hoc ſtatuerit Tridentinum, & quos caſus comprehendat.*

99 *Vniverſa quæſtio circa uſum Pontificalium reſolvitur facta eorum triplici diviſione.*

100 *Refertur & laudatur ſententia Cardinalis de Luca.*

101 *Solvitur I. argumentum, de quo* numer. 82.

102 *Solvitur II. argumentum, de quo* numer. 83.

103 *Solvitur III. argumentum, de quo* numer. 84. *adhibita differentia & diſparitate inter actus Pontificales honorificos, & inſignia Pontificalia honorifica.*

1 SUperiori parte *in cap. 9. num. 69.* retulimus inter utramque Dignitatem ſuper Regularitate Eccleſiarum Prioratus in Rota fuiſſe diſceptatum; atque ſententiam favore S. Religionis fuiſſe prolatam, quæ tamen per appellationem fuit ſuſpenſa. Cùm ergo ob id pendens lis eſſet, & hic articulus indeciſus, rectè potuit ſuper eo tranſactio celebrari, juxta dicta *in Proœm. huj. part. à num.* 45. Sed & urgebat neceſsitas, ut hic punctus pactis conventis comprehenderetur; magna quippè diſcordiarum ſeges parabatur, ſi certò non conſtaret de qualitate harum Eccleſiarum, unde deſſumenda eſt regula ad diſcernenda jura, cuilibet Dignitati in eis competentia. Ergo conſultiſsimè in limine hujus Concordiæ conventum extitit, ut omnes Eccleſiæ Parochiales, Eremitoria, & Hoſpitalia, quæ tempore celebrandæ tranſactionis in Prioratibus erant, Regulares cenſerentur.

Parvo

2 Parvo negotio pulchrum poſſem huic Capiti commentarium attexere, propoſitis rationibus, quæ adinvicem deductæ fuerunt in S. Rota in prædicta controverſia; ſed cùm omnes ferè in Rotalibus deciſionibus, ſuper hoc editis, ſint congeſtæ; ne actum agamus, alia tentanda via erit, & in genere aliqua ad illuſtrationem hujus Capitis trademus, quæ nec obvia ſunt, neque injucunda, quæque propriùs hic, quàm in alio Concordiæ Capite collocantur.

3 Super ſtatu igitur & pertinentia Eccleſiarum magnas ſæpè ſuſtinuerunt Regulares controverſias nedum cum Epiſcopis, ſed cum Clericis Sæcularibus; ad quas aliqua ex parte ſedandas, ſcire confert Eccleſias omnes in ſui exordio Sæculares fuiſſe; nam cùm omnium erectio & inſtitutio tribuatur D. Petro *cap. quis neſciat diſt.* 11. qui fuit ſæcularis; hinc ſtatus & conditio ſæcularis in omnes fuit transfuſſa, ut probat Frances *de Eccl. Cathedr. cap.* 31. *num.* 130. Nec
4 his contrarium putari debet, quod in exordio Eccleſiæ cura animarum & Eccleſiarum credita non fuit niſi Clericis, communis vitæ ſocietate devinctis, ut teſtatur Ivo Carnotenſis *in Epiſt.* 215. ibi: *In primitiva Eccleſia nullus conſtitutus eſt Rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus.* Nam hoc optimè ſtat cum eo, quod eo ipſo tempore Eccleſiæ demandarentur Clericis Sæcularibus; & res ipſa ita neceſſariò efflagitat, nam tunc nonniſi Sæculares Clerici agnoſcebantur; cùm enim prædicta verba referantur ad illud tempus, quo Apoſtoli & fideles omnes, referente Luca Act. *cap.* 4. communi menſa ciboque utebantur, de Monachis & propriè Regu-
5 laribus intelligi non poſſunt, tum quia Monachorum Congregationes, nonniſi ſæculo quarto ineunte, formatæ apparent, ut ait Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *libr.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. & quidquid ſit de eorum origine, extra dubium eſt, Primitivos illos Rectores aſſumi non potuiſſe è cœtu Monachorum, cùm hi prioribus ſæculis à Clericatu ſeparati eſſent. Nec magis
6 Ivonis verba verificari poſſunt de Canonicis Regularibus; nam utcumque certum ſit, in Sanctiſsimo Apoſtolorum Collegio & reliquorum fidelium congregatione, quamdam præluxiſſe ideam, ſive normam harum Regularium Congregationum; tamen non exinde congregatio illa Regularis, quin nec Clericalis erit appellanda; quippè ut advertit idem Thomaſin. *in d. cap.* 2. *num.* 3. Illa vitæ communis profeſsio, de qua Lucas *in Actis*, non Apoſtolos ſolùm & Diſcipulos, hoc eſt, non Clerum duntaxat complectebatur, ſed fideles etiam laicos, & conjugatos, & mulierculas, pueroſque & innuptas puellas; & aliunde certum eſt, initium Canonicorum Regularium à D. Auguſtino eſſe ſumendum, ut probat idem Auctor *d. cap.* 1. *& ſeqq.* Ergo reliquum eſt ac neceſſarium, Primitivos Eccleſiæ Rectores fuiſſe Clericos Sæculares, & perinde Eccleſias omnes Sæculares: compatitur enim cum Sæcularitate communis vita, ut patet ex Concil. Tolet. 2. *can.* 1. & ex Concil. Tolet. 4. *can.* 21. 22. *&* 23. juncto Frances *de Eccl. Cathedr. cap.* 14. *à num.* 1.

7 Ex hac diſciplinæ ratione pendet ac derivatur illa recepta regula, cum qua proceditur in his controverſiis, quod nimirùm, juxta juris communis præſumptionem, omnes Eccleſiæ cenſeantur Sæculares, & non Regulares *ad text. in cap. cum de beneficio* 5. *de præbend. in* 6. ubi Barboſa *ſub. num* 14. Garz. *de benefic. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. Sanchez *in præcept. Decal. lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 11. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 7. *num.* 1. *&* 2. Hojeda *de incompatibil. benefic. in præfat. num.* 6. *verſ. quia Divus Petrus.* Tondut. *quæſt. benefic. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 1.

Barbat. *de diviſ. fruct. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 38. Corrad. *in prax. benefic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 322. Fargn. *de jur. patron. part.* 2. *can.* 16. *caſ.* 1. *num.* 18. Clericat. *de benef. diſcord.* 97. *num.* 9. Sac. Rota *deciſ.* 215. *num.* 4. *part.* 1. *deciſ.* 48. *num.* 12. *part.* 18. & in terminis S. Religionis Hieroſolymitanæ Rota *cor. Comitul. deciſ.* 80. *ex num.* 7. *& cor. Mantica deciſ.* 68. *num.* 1. *&* 2. & in fortioribus *deciſ.* 433. *num.* 17. *cum ſeqq. cor. Bich.* Hujus autem
8 præſumptionis effectus eſt, ut Dioeceſanus, juris aſsiſtentia munitus, non teneatur probare ſæcularitatem Eccleſiarum, & ordinariæ ſuæ juriſdictionis exercitium in eis; ſed onus probationis incumbet Prælato Inferiori, & Religioni, quæ eas ad ſe pertinere prætendat, ut per *text. in cap. cum perſonæ de privil. in* 6. teſtatur plures allegans Mareſcot. *lib.* 1. *variar. cap.* 11. *num.* 1. *&* 3. Rota *deciſ.* 332. *numer.* 1. *part.* 1. *recent.* Pignatell. *tom.* 10. *conſult.* 69. *num.* 21.

9 Jam ergo quibus modis Eccleſiæ ad Regulares pertinere poſsint, videre opportet; quod rectè percipi non poteſt niſi ex antiquo jure repetamus, quibus rationibus & cauſis Eccleſiæ, quæ ad Clericos Sæculares pertinebant, in eorum venerint poteſtatem. Si enim Monachorum priſtinum inſtitutum & Canonum ſanctiones perpendimus, inveniemus eos diverſis temporibus tria hæc obtinuiſſe: I. ut ad ordines promoverentur: II. ut munia Eccleſiaſtica exercerent: III. ut in Parœcialibus Eccleſiis deſſervirent: IV. ut per hos veluti gradus Parochias ipſi proprio jure & in perpetuum tenerent. Singula ſigillatim percurrere opportet.

10 Primum ergo obtinuerunt Monachi, ut ad Sacros ordines admitterentur; conſtat ſiquidem, ut alibi etiam inſinuavimus, primitivos Monachos diſcretos & ſejunctos à Clero fuiſſe, adeo ut ad Clericatus ordinem aſpirare non poſſent, ſed laici eſſent, & ut tales haberentur *leg. generaliter* 40. *C. de Epiſcop. & Cleric.* relata *in can. generaliter* 16. *q.* 1. & arcebantur ab altaris ingreſſu, ut eſt *in reſponſione prima Synodi conſtant.* ex decreto *Synodi VI. in Trullo cap.* 69. quo nulli, qui ſit in laicorum numero, altare ingredi conceditur, & ideo minoribus Clericis, Acholythis, Exorciſtis, & Lectoribus inferiores erant; quamvis eſſent præfecti Monaſteriorum *can. à Subdiacono* 93. *diſt.* Barboſa *in collect. ad can. de Monachis* 3. 16. *quæſt.* 1. Quæ omnia promanabant ex illa primevæ Monaſticæ diſciplinæ ratione, quæ Monachos in eorum ſeceſsibus ſilentio, pœnitentiæ & contemplationi deditos, & à ſæculi tumultibus remotos tenebat, ut *in cap.* 3. *part.* 1. diximus: quæ etiam diſciplinæ ratio vetabat, ut ad Sacerdotij gradum conſcenderent, ut *ibidem* inſinuavimus.

11 At verò quia ita eveniebat, ut Monachi Sacris perſæpè carerent, etiam in magnis Paſchæ feſtivitatibus, ut docet Petr. Bleſſenſis *Epiſt.* 86. quod durum ſanè erat; indultum fuit poſtea, ut in quolibet Monaſterio Presbyter per Epiſcopum conſtitueretur, à quo Monachi Sacramenta reciperent, ac divina audirent officia, prout liquet ex Sanctiſsimo Pontifice Gregorio *in Epiſt.* 5. *lib.* 7. *indict.* 2. *& ex lib.* 3. *indict.* 12. *Epiſtol.* 18. ubi commendans Mauro Abbati Eccleſiam S. Pancratij, ſic ſcribit: *Sed ne remotis Presbyteris, quibus Eccleſia ipſa fuerat ante commiſſa vacare Myſteriis videatur; idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui Sacra Miſſarum poſsit ibi ſolemniter celebrare, quem tamen & in Monaſterio tuo habitare, & exinde vitæ ſubſidia habere neceſſe eſt.* Benè tamen verum eſt, ipſum Sanc-
12 tiſsimum Gregorium optaſſe, ut aliquis Monachus Sacerdos fieret, ne diverſi Ordinis Hierarchia confunderetur, &

com-

commodiùs, & ſuaviùs Monachi à Collega Sacramenta in Monaſterio reciperent; & etiam certum eſt, jam ab aliis Pontificibus admiſſum, quin & fuiſſe optatum, ut Monachi, quos morum probitas, vel vitæ inſtitutio, ac meritum commendabat, Sacerdotio donarentur, ut *in cap. Monachos, can. ſi Monachus, can. moderamine* 16. *q.* 1. ita ut Monachi ad Sacerdotium provehi cœperint duabus de cauſis; vel ita poſtulante Monaſterio, ad ſui ipſius commodum: vel ſic Epiſcopo volente, ob Eccleſiæ utilitatem. De prima loquitur Hieronymus *in Epiſt. ad Heliodor.* ibi: *Quod ſi te quoque ad ordinem Clericorum pia fratrum blandimenta ſollicitant, gaudebo de aſcenſu, ſed timebo de lapſu.* De ſecunda *in Epiſt. ad Ruſticum Monachum* ſic: *Cùm ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus, vel Pontifex Civitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici ſunt, & inter ipſos ſectare meliores. Quia in omni conditione & gradu optimis mixta ſunt peſſima.* Aſt in utroque caſu præſcripti fuere limites, quibus indulta Monachis facul-
13 tas contineretur; nam in primo, quoties nimirùm ad poſtulationem Abbatis pro Monaſterij utilitate Monachus ordinabatur, tunc illis terminis continebatur indultum; ut nonniſi unus ordinaretur: ut hic jugiter in Monaſterio reſideret: ut nec quotidie celebraret myſteria, ſed cùm neceſsitas poſtularet, ut ſatis inſinuat D. Gregorius *lib.* 7. *Epiſt.* 93. ibi: *Quem ſibi de congregatione duxerint eligendum, debeas Presbyterum ordinare, atque eum nec in Eccleſia, nec in alio loco obſervare, ſed illic jugiter permanere ex noſtra quoque auctoritate conſtituas. Quatenus & ille dum alibi non fuerit occupatus, in officio ſuo aſſiduus poſsit & utilis inveniri; & congregatio quæ ſibi eum poſtulat ordinari, quoties neceſſe fuerit, ipſo ſacrificij ſolemnitatem celebrante valeat refoveri.* In ſecundo verò caſu, cùm nimirùm Monachus ordinabatur Epiſcopi vel populi electione propter utilitatem Eccleſiæ, tunc ita Monachus Clericatui adgregabatur, & Eccleſiæ, ut Monachi penè conceptum amitteret; & ideo ei adimebatur facultas in Monaſterio habitandi, ut eſt *in can.* 3. *Concilij Lateranenſis* ſub Gregorio, accedente illo ſtrictiſsimo adſcriptionis nexu, quo tunc temporis unuſquiſque Præsbyter Eccleſiæ alicui in ipſa ordinatione illigabatur, *can. ſi quis Monachus* 16. *q.* 1. & illa miniſteriorum functionumque incompatibilitate, quam expreſsit Gregorius *in lib.* 4. *Epiſt.* 1. *indict.* 13. his verbis: *Nemo enim poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſſervire, & in Monachica regula ordinate perſiſtere, ut ipſe Monaſterij diſtrictionem teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere.*

15 Poſtquam ergo hoc primum obtinuerunt Monachi, ut ad Sacros ordines eveherentur, facile fuit, ut ſecundum, quod ſupra propoſuimus, obtinerent, nempè ut munia omnia Eccleſiaſtica exercerent, quod antea eis erat prohibitum, ut conſtat *ex cap.* 1. 16. *q.* 1. Gelaſius ſanè & Gregorius fuere primi qui eis hoc permiſſere, ut patet *in cap.* 13. 14. 15. 21. & 23. *cit. C. & q.* ubi eis conceditur baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos ſepelire, decimas percipere & Miſſam celebrare. Hinc profectò æmulationis & jurgiorum inter Monachos & Clericos orta fuit occaſio,
16 hacque de re diù inter eos eſt certatum, Clericis valide contradicentibus, & aſſerentibus, Monachos ſupra votum & proffeſsionem hoc ſibi jus arrogare; ſuper quo graviter conqueritur Hugo Pontigniacenſis *in Epiſtol. ad Honorium Papam.* Sciſſuræ huic inter Clericos & Monachos occurrere, optimum putavit Bonifacius Papa *in cap. ſunt nonnulli* 16. *quæſt.* 1. Et cùm tempore Urbani II. hæc quæſtio agitaretur, in Concilio Nemauſenſi anni 1096. ſuſcepit Pontifex Monachorum patrocinium, atque

in can. 2. *&* 3. eiſdem argumentis ac Bonifacius ſtultos obtrectatores refutavit; argumenta eò recidunt, ut demonſtret Gregorium Magnum Romæ, Auguſtinum Angliæ, Martinum Turonenſem in Gallia Monachos fuiſſe, nec minùs dignè ac ſtrenuè claves Eccleſiæ adminiſtraſſe. Ita edixiſſe in regula B. Benedictum, ut Monachi ſæculo, non ut Clero renuntiarent. Non minus teneri Clericos quam Monachos ſæculari faſtu & illecebris abſtinere; ac tandem concludit, illos eſſe digniſsimos Sacramentorum adminiſtratores, qui proximè accedant ad Apoſtolicæ vitæ, morumque innocentiam, & ſæcularium omnium rerum abdicationem.

17 His declarationibus firmum remanſit jus Monachorum circa munia & functiones Eccleſiaſticas; at non ita liberum, & illimitatum, ut nullis finibus & terminis concluderetur; nam cùm oblitterata non eſſet primæva Monaſtica inſtitutio, & Concilij Chalcedonenſis *can.* 4. diſpoſitio, quæ Monachos Monaſteriorum quieto ſeceſſui deditos, & ab Eccleſiaſticis ſæcularibuſque actionibus remotos percupiebat *can. qui verè* 16. *q.* 1. Et aliunde aditus ad Sacros ordines, ad Sacramenta miniſtranda, & ad cæteras functiones Eccleſiaſticas, ea ratione, ut vidimus, fuit conceſſus, quatenus Monaſteriorum ſolatium & neceſsitas efflagitabat; hinc congruenter non minùs antiquis regulis, quàm fini ſuperiorum conceſsionum ita rem hanc poſteriores Romani Pontifices & Concilia temperarunt, ut Monachi non extra Monaſteria ordines exercerent, Sacramenta miniſtrarent, & alias functiones Parochiales obirent, ut luculenter definierunt & declararunt Eugenius II. Alexander II. & Paſchalis II. *in cap. placuit* 9. *cap. pervenit* 10. *& cap. interdicimus* 16. *q.* 1. quorum verba dedimus *in cap.* 3. *num.* 26. *part.* 1. in quod etiam facit S. Leo *Epiſt.* 62. *ad Maximum Antiochenum.* videndus Florens *ad d. cauſ.* 16. *q.* 1.

In his ergo Canonibus & poſterioribus illud Pontificibus & Conciliis fuit propoſitum, ut officia Eccleſiaſtica à Monachis exercerentur, abſque præjudicio Epiſcopalis præemi-
18 nentiæ, & juris Parochorum. Sic ergo Miſſam publicam cantare Monachis fuit interdictum *in cap. luminoſo* 18. *quæſt.* 2. quia Miſſa publica olim in Parochiis tantùm canebatur, ut patet *ex cap.* 2. *de Parochiis*, & ibi D. Gonzal. *numer.* 11. ubi refert Archiepiſcopum Toletanum, Epiſcopum Palentinum, & Salmanticenſem in Concilio Tridentino exoraſſe, ut hæc vetus diſciplina inſtauraretur, & cenſerent Miſſam parœcialem ex præcepto & lege Eccleſiaſtica audiendam in Parochia eſſe. In hanc eamdem rem, quam perſequimur, extat ampla Conſtitutio Innocentij III. *in Epiſt. ad Antipolitanum Epiſcopum lib.* 13. *Regiſtri*, qua prohibet Monachis Lerinenſibus aquæ benedictæ aſperſionem, proceſsiones, litanias, baptiſmum, ſepulturam, campanarum pulſationem, antequam in Eccleſia Parœciali fuerint pulſatæ; campana ſiquidem juris Parœcialis ſignum fuit; unde & Præsbyteri, qui alicui Eccleſiæ incardinabantur per funem campanæ inveſtiebantur, Innocentius III. *lib.* 1. *Epiſt. ad Epiſcop. Nivernenſem.* Atque hac ratione Templariis & Hieroſolymitanis prohibetur *in cap. patentibus* 10. *de privil.* in ſuis Oratoriis campanas habere, & publicè eas pulſare. Super exercitio autem munerum & functionum Eccleſiaſticarum poſterioribus temporibus graviſsimæ ortæ fuerunt controverſiæ inter Regulares, Epiſcopos & Parochos, quas ut ſopirent laborarunt Bonifacius VIII. *in extravag. ſuper Cathedram de treug. & pac.* & poſtmodum Clemens V. *in Clement. Dudum de ſepultur.* Singula in his ſanctionibus ſtatuta perſequi, non eſt noſtri inſtituti,

quod

quod tantùm eò reſpicit, vt demonſtremus, qualiter admiſsis Monachis ad miniſteria Eccleſiaſtica, eiſdem explanata ſit via, ad Parochiales acquirendas, & regendas.

19 Ex quo Monachi capaces facti ſunt, ut Eccleſiaſticas functiones exercere, & Sacra miniſteria obire poſſent, idonei etiam, quin & digni judicati ſunt, ut eis quandoque cura & adminiſtratio Parœciarum & animarum concrederetur, non immutata tamen ſæcularitate ipſius Eccleſiæ: quod eſt tertium ſupra diſquiſitioni propoſitum. Ut enim morum ſanctitate & Scripturarum ſcientia Monachi clarebant, ipſi his dotibus Epiſcoporum animos excitarunt, ut, quò plebibus ſibi ſubditis conſulerēt, Monachos inſtructos & probatos ordinarent, & ordinatos in eos mitterent, & Parochialibus ad tempus præficerent, ut ſanè eſt caſus propoſitus in *Can. doctos & can. pro utilitate* 16. *q.* 1. ad quos expreſsè ſe refert Innocentius III. *in cap. quod Dei timorem de ſtat. Monach.* dum ait: *Et per antiquos Canones etiam Monachi poſſunt ad Eccleſiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.* Atque hujus juris ſeu permiſsionis ſtatim ſubiicit Pōtifex rationem & finem: *Ex quo*, inquit, *debent prædicationis officium, quod privilegiatum eſt exercere.* Nonnumquam etiam ea erat Clericorum Sæcularium penuria

20 & anguſtia, ut Eccleſiæ Rectoribus carerent, nec eſſent qui populis ſacra myſteria exhiberent, & hoc etiam caſu Monachos Eccleſiis præficiebant Epiſcopi, ut habetur *in can. priſcis* 55. *diſt. & in cap. in Parochia* 31. 16. *q.* 1. At in his caſibus notare opportet. I. ſingularem rationem continere, ut Monachis Parochiæ committerentur regendæ, vel ob præſtantiſsimam utilitatem, vel propter urgentem neceſsitatem. II. Parochias haſce ſæculares nihilominus manſiſſe, quippè non addicebantur in perpetuum Monaſteriis, ſed aliquandiù particularibus Monachis. III. Monachos ita ab Epiſcopis ordinatos & præfectos, propriùs ex tunc Epiſcopis & Clero, quàm Abbatibus & Monaſteriis adgregatos & illigatos cenſeri, ut ſupra inſinuavimus.

21 Ergo his ſenſim introductis res jam eò ſe inclinabat, ut admitteretur & quartum, quod ſupra propoſuimus, ut nimirùm Parochiæ Monachis & Monaſteriis proprio jure & in perpetuum traderentur. Quod non una tantùm via & cauſa accidiſſe conſtat. Et quidem primò ad hujus rei introductionem occurrit Pontificum & Epiſcoporum beneficentia, conjuncta cum neceſsitate Eccleſiarum & plebium. Cum enim Monachi incultas frequenter incolerent ſolitudines, & in eiſdem pro ſervitio Monaſterij haberent plebem & familiam conflatam ex ſervis, colonis, & originariis, qui in confinio Monaſteriorum ſibi caſas & tuguria extruebant; ut horum ſpiritali curæ & regimini conſuleretur, accomodatior & neceſſaria ratio reputata eſt, ut illa plebs, ex Monaſtico conflata famulatu, ab uno regeretur Monacho, ab eoque Sacramenta reciperet; indeque eveniebat, ut nova crearetur Parochia, quæ Monaſterio perpetuò applicaretur cum conſenſu Epiſcoporum, accedentibus etiam privilegiis Pontificum. Cujus rei exemplum peti

22 poteſt ex quodam privilegio B. Petro Damiano à Leone IX. conceſſo *in Epiſt.* 18. ubi poſtquam ei Eremum conceſsit, his verbis: *Tibi Petre Damiane Prior ejuſdem Eremi tuiſque Succeſſoribus Eremum adjudicamus*, conceſsionem Parochiæ, ita ſubiicit: *Sancimus etiam, ut plebem S. Mariæ poſitam in loco qui dicitur Vineole præfata Eremus perpetuò poſsideat.* Hanc ipſam obtinendi juris Parochialis rationem licet advertere in privilegio Alexandri III. Jacobæis conceſſo & relato *in cap. veniens de verb. ſignif. in* 6. de quo etiam latè egimus *in* 1. *part. cap.* 5. *à n.* 43.

Hujus enim Sacri Ordinis, ſicuti & reliquarum Militiarum profeſſores, plerumque terras deſertas, aut à Sarracenis recuperatas Regiis accedentibus donationibus acquirebant, in iis Conventus formabant, adferebant populatores, qui & ipſi Conventuum coloni & Servientes eſſent, his exædificabant Oratoria ſive Capellas, quæ poſtmodùm in Parochias evadebant. Quod utilitatis neceſsitatiſque ratione lubentiſsimè concedebant Pontifices, hac una tamen cautione, ut jus Diœceſani integrum in illis plebibus, & earum ratione, in jure inſtituendi Parochum, ſervarent, ut eſt germanus ſenſus illorum verborum *d. cap. veniens: Quas in locis hujuſmodi dicti fratres habeant poteſtatem (petita à Sede Apoſtolica licentia) conſtruendi eaſque cum ſuis plebibus per ſuos Clericos idoneos gubernent, qui ratione plebium examinandi Epiſcopis præſententur, ut ab eis curam recipiant animarum, cum plebes Epiſcopis ſint ſubjectæ.*

23 Solebant etiam Epiſcopi, Monachis faventiſsimi, agros ampliſsimos, Parochiaſque in his contentas, eiſdem dono dare, ut arguit Concilium Pictavienſe anni 1078. *can.* 6. Et de uno Epiſcopo Genevenſium teſtatur Petrus Abbas Cluniacenſis *libr.* 1. *Epiſt.* 33. quod *ſexaginta & eo amplius Eccleſiarum reditus diverſis ad Cluniacum pertinentibus Monaſteriis in perpetuum dedit.* Nonnumquam & Monaſteria in ipſis Eccleſiis Parochialibus extruebant, amplis unionibus & dotationibus, cujus rei luculentum exemplum ſuppeditant Hiſpaniæ Epiſcopi, qui erga Monachos ſemper liberales & officioſi fuerunt; dicitur enim in Concilio Toletano III. *can.* 4. relato *in cap. ſi Epiſcopus* 12. *quæſt.* 1. *Si Epiſcopus unam de Parochianis Eccleſiis ſuis Monaſterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de conſenſu Conſilij ſui habeat licentiam faciendi. Sit ſtabile ſi de rebus Eccleſiæ ſuæ eidem loco aliquid donaverit, quod detrimentum Eccleſiæ non exhibeat.* Huc etiam referendæ redemptiones Altarium, de quibus agit D. Gonzal. *in cap.* 1. *num.* 6. *de ſtat. Monach.*

24 Alius item modus, (de quo in jure frequens mentio) quo plurimæ Parochiales Eccleſiæ in poteſtatem Monachorum devenerunt, eſt donatio laicorum. Fuere equidem obſcura & triſtiſſima quædam in Eccleſia tempora, in quibus Proceres laici inſolenti dominatu Eccleſias & illarum bona involabant, ſibique retinebant, ut à ſæculo IX. uſq; ad XII. contigiſſe refert Florens *ad cauſ.* 16. *q.* 7. *de ſtat. Monach.* Plurimùm laboris impenſum eſt à Conciliis & Epiſcopis, ut vi occupatæ Eccleſiæ & bona eis reſtituerentur, ad quos ſpectarent, cujus rei Canones plures habentur in Decreto *cauſ.* 16. *q.* 7. At quia maxima erat laicorum in ſua detentiatione pertinacia, nec ea tunc Epiſcopis erat poteſtas, qua eos ad debitum poſſent redigere; illud tandem & Pontifices & Epiſcopi conſilium injerunt, ut laicis uſurpatoribus libertatem darent, ut Clericis aut Monachis, quibus ipſi mallent Eccleſias reſtituerent. Laici verò hac permiſsione plures Eccleſias Monachis dedere nunc ultro & gratuito, nunc accepta pecunia, videndus Le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 2. *& de decim. lib.* 1. *cap.* 12. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 3. *libr.* 1. *cap.* 10. *& ſeqq.* Florens *ad cauſ.* 16. *q.* 7. ubi etiam notant Laicos proniores fuiſſe ad reſtituendas Monachis Eccleſias, quàm Epiſcopis & Parochis.

25 His ergo viis & rationibus proggreſsi ſunt Monachi ad id, quod quarto loco examinandum propoſuimus, nimirùm ad Parochiarum acquiſitionem. Atque magna adeo cum tempore eis Eccleſiarum & decimarum facta eſt acceſsio, ut Epiſcopi & Clerici acriter conquærentur & proclamarent exi-

exitialem Clero jacturam à Monachis inferri. Graves inde Monachos inter & Clericos ſubortæ ſunt diſcordiæ, quæ in apertam ſeditionem inclinari videbantur. Quamobrem Pontifices & Concilia juſto temperamento rem iſtâ com-
26 ponendam ita cenſuerunt, ut de obtentis ab antiquo Eccleſiis nulla Monachis moveretur quæſtio: in poſterum verò Monachi nec Eccleſias acciperent, nec redimerent, niſi conſentiente Epiſcopo. Quod Parochus aut Vicarius in ſuis Eccleſiis à Monachis præpoſitus, Epiſcopo ratione muneris ſubeſſet; eique Canonicas præſtationes exolveret. Ita in Concilio Pictavienſi anno 1078. *can. 6. Vt Abbates, Monachi, Canonici, Eccleſias quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vindicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cujus fuerint Diœceſi. In illis verò quas hactenus abſque càlumnia habuerunt, reditus beneficiaque obtineant. Preſbyter tamen de cura animarum, & de Chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondeat.* Idem penè habetur in Concilio Romano ejuſdem anni *can.* 8. Sed præcipuè de hoc cautum eſt in Concilio Claromontano anno 1095. ſub Urbano II. Cujus Canon, prout refertur ex Lamberto *tom. 6. Concil. part. 2. noviſsimæ Pariſienſis editionis.* Ita eſt: *Congregato apud Claromontem Vrbem multorum Epiſcoporum Synodali Conventu, propoſita eſt nobis à quibuſdam eorum quæſtio de Eccleſiis, vel de Eccleſiaſticis poſſeſsionibus à Clericis vel Monachis uſque ad præſentiarum inconſultis Epiſcopis acquiſitis. Nos autem uſi ſaniore conſilio eorumdem Epiſcoporum, condeſcendentes pro tempore providenteſque Eccleſiaſticæ paci, vel quia aliter abſque inevitabili periculo hujuſmodi quæſtio non poterat procedere; Apoſtolica auctoritate decrevimus, ut ea quæ à Clericis vel Monachis, vel à quibuſcumque perſonis, prout potuerunt uſque hodie fuerunt acquiſita rata perenniter & inconcuſa permaneant. Hoc tamen tenore, ne in poſterum inconſultis Epiſcopis, talia præſumant.* Eodem temperamento novas Altarium redemptiones Urbanus ſuſtulit *in can. 3. ejuſd. Concil.* qui ſic legitur ex Cencio Camerario: *Porro quæcumque Altaria, vel Decimas ab annis triginta & ſupra hujuſmodi redemptione Monaſteria poſſedisſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet eis poſsidenda firmamus: ſalvo utique Epiſcoporum cenſu annuo, quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt.* Cavit etiam Urbanus circa Parochi Epiſcopo ſubjectionem, ut ſupra in Concilio Pictavienſi. Quos Canones retulit Gratianus *in cap. quæſitum 1. q. 3. & in cap. ſanè quia 6. 16. q. 2.* Tandemque renovata eſt hæc diſpoſitio in Concilio Nemauſenſi anno 1096. & in Concilio Romano anno 1099. *canon.* 15. celebratis ſub eodem Urbano. Quæ cùm ita eſſent diſpoſita, in Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III.
27 anno 1179. illud Equitibus Templariis, & Hoſpitalariis objectum eſt, quod Eccleſias reciperent de manibus laicorum citra Epiſcoporum conſenſum. Qua de re ita proviſum fuit *in can. 9.* relato *in cap. cùm & plantare de privil. Eccleſias ſanè & decimas de manu laicorum ſine conſenſu Epiſcopi, tàm ipſos, quàm quoſcumque alios Religioſos recipere prohibemus; dimiſsis etiam quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt.*

28 Ex hac ergo jurium ſerie & diſpoſitione promanavit differentia Eccleſiarum Regularium & Sæcularium, ita ut illæ eſſent, quæ ad Monachos, ſeu quoſvis alios Religioſos ſpectarent; hæ verò quæ ad Sæculares, ut explicat Selva *de benef. part. 1. q. 4. num. 74.* Garcia *eod. tract. tom. 2. part. 7. numer. 1. & ſeqq.* Hojeda *de incompatib. benefic. cap. 24. num. 92.* Aſt cùm non uno tantùm modo Eccleſiæ ad Regulares pertinere poſſint; quippè tum antiquo, tum moderno jure variæ diverſæque ſunt rationes, quibus Eccleſiæ Monaſteriis concedi & annecti

annecti ſolent, hinc copioſiore explicatione opus eſt, ut certò ſciamus, quænam ſint Eccleſiæ Regulares, nec enim omnes Eccleſiæ, quæ ad eos ſpectant Regulares dici poſſunt.

In proximè relato Concilio Lateranenſi *in d. cap. cùm & plantare §. in Eccleſiis de priv.* (cui conſonant alia jura) Eccleſię ad Hieroſolymitanos pertinętes duplicis generis eſſe poſſe noſcuntur: ut nimirùm quædam pleno jure, aliæ non pleno ad ipſos ſpectent. Eccleſiæ ergo pleno jure ad Regulares ſpectare dicun-
29 tur (ommiſſo nunc, ut indubitabili, caſu, in quo Eccleſia cum populo conceditur, de quo *in cap. 6. num. 28. part. 1.*) cùm per unionem ſubjectivam Monaſteriis applicantur tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, ita ut non ſolùm Eccleſiæ reditus, proventus & fructus Monaſterio debeantur, ſed etiam inſtitutio & deſtitutio Clericorum, de quo caſu loquuntur *text. in cap. viſis 1. 16. q. 2. cap. quæſitum 4. 1. q. 3. cap. 2. de ſuppl. neglig. Prælator. cap. 15. & 18. de præſcript. cap. 13. de ſent. & re jud. cap. paſtoralis de donat. cap. conſtitutus de relig. domib. & d. cap. cum & plantare §. in Eccleſiis.* Cùm autem Eccleſiæ ita Monaſ-
30 teriis applicantur, plures magni momenti reſultant effectus; quos latè examinant AA. Beneficialiſtæ, & nos, prout caſus dederit, expendemus; ille tamen in propoſito notandus, quod iſtiuſmodi unionis virtute Eccleſia unita fit membrum illius Monaſterij, cui annectitur, ac perinde ita ipſi incorporatur, ut priſtinum ſtatum, & naturam amittat, &, ut eſt regula in acceſſoriis, principalis naturam ſequatur *cap. recolentes de ſtat. Monach.* latè Garcia *de benefic. part. 2. cap. 2. à numer. 12.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 66. à numer. 34.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 7. à num. 12.* Turri *de union. cap. 4.* Murga *de benef. q. 4. à num. 160. & in paſtor. part. 2. q. 6. num. 1.* Fargn. *de jur. patron. part. 2. can. 21. caſ. 4. num. 29.* Hinc ergo conſequenter efficitur, ut Eccleſiæ Sæculares, Monaſterlis ita unitæ, Regulares evadant, ut docent Card. de Luca *de benef. diſc. 63.* Card. Petra *ad Conſt. Anaſtaſij IV. ſect. 1. num. 45.* Rota *deciſ. 21. à num. 2. part. 6.*

31 Eccleſiæ autem non pleno jure ad Monachos ſpectantes, ſunt illæ, quæ Monaſteriis cõceduntur tantùm in temporalibus, ſive quoad fructus, cujuſmodi eſt caſus *in cap. pen. & ult. 16. q. 2. & ad text. in Clement. quia Regulares* Gloſſa *verbo diſpoſitionem, & verbo de menſa de ſuppl. neglig. Prælator.* Rebuff. *in prax. benefic. part. 1. tit. de Vicariis perpetuis num 1. & 6.* Flores de Mena *variar. lib. 1. q. 10. num. 16.* Murga *in paſtor. part. 1. q. 2. diviſ. 1. num. 45.* Hujuſmodi autem Eccleſiæ conceſsio non tam unio, ſi ſtrictè loquendum eſt, quàm diſmembratio eſt appellanda, ut notat Murga *ad Conſtit. Apoſt. deciſ. 4. in addit. num. 5.* Nec eam virtutem incorporandi & extinguendi habet, quam unioni plenariæ attribuimus, quapropter Eccleſiæ, ſic annexæ & unitæ, ſuum antiquum ſtatum & naturam retinent, & Sæculares permanent, ut *ex text. in cap. 2. de relig. domib.* tenet Abbas *ibidem num. 5.* & AA. ſupra citati, necnon Frances *de Eccl. Cathedr. cap. 8. à num. 117.* Lother. *de re benefic. lib. 2. q. 12. num. 15.* Cardin. de Luca *de Paroch. diſc. 22. num. 9. in fin.* Piton. *diſcept. Eccleſ. diſcept. 9. num. 3.* Card. Cerrus *deciſ. 886.* Rota *in Pampilonenſi Iur. Parochialium 7. Iunij 1666. §. quæ omnia cor. Otalora, & in Colonienſi Vicariæ 26. Iunij 1680. §. quod autem cor. Rondinino.*

32 Hic etiam in tranſitu monendum eſt, in Eccleſiis quoad fructus ſeu temporalia Monachis conceſsis, tributum quoque cenſeri eiſdem Monachis jus patronatus cum jure præſentandi, ut cum citatis tenet Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 4. num. 59.* & cùm in caſu hujuſmodi unionis

unionis non fiat Eccleſia Regularis, hinc ſupervacuum eſt oſtendere, potiori ratione Sæcularem illam Eccleſiam permanere, quæ tantùm Monachis conceditur quoad præciſum jus patronatus.

33 Hæc cùm ita ſint, plenè jam illud patet, quod ab ſcribentibus in hac materia frequenter ſolet inculcari; nimirùm non aliter excludi præſumptionem Sæcularitatis Eccleſiarum, quàm ſi Monachi clarè, & evidenter oſtendant ipſis annexas Eccleſias per unionem plenariam; quæ utique præſumenda non eſt, utpotè in jure odioſa, & in facto conſiſtens; aliàs enim unio ſolum facta præſumitur quoad temporalia, ut eo minus à communi primitivoque jure recedatur, ut in propoſito, præter jam adductos, tenet Lother. *de re benefic. lib. 1. q. 33. num. 93. & lib. 2. q. 12. num. 10.* Cardin. de Luca *de præem. diſc. 7. num. 9. & de regular. diſc. 25. num. 4.* Pignatell. *tom. 1. conſ. 223. num. 13.* Fargn. *de jure patron. part. 5. can. 9. caſ. 2. ſub num. 3.* Rota *in Gerundenſi Parochialium 9. Iunij 1681. §. ſuppoſita.* Hinc ergo factum eſt, ut cùm Hieroſolymitani in hac cauſa hujuſmodi unionis inſtrumentum non oſtenderent, ut conſtat ex deciſionibus ſuper hoc emanatis, Archiepiſcopi ſemper repugnarint hanc regularitatis qualitatem in Eccleſiis Prioratuum; ſed cùm tandem ipſi cum magnis Prioribus conveniſſent, ut præfatæ Eccleſiæ Regulares cenſeantur; planum eſt, ut ipſæ Eccleſiæ vi ipſa judicentur ut pleno jure, & tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus Sacræ Religioni unitæ, & incorporatæ, ac proinde exemptæ.

Quatenus verò hujuſmodi protendatur exemptio & reſpectivè ſubjectio Eccleſiarum, particulariter declaratur per varios actus *in ſeqq. capp.* Sed ut certa præfigatur regula, qua in hac materia procedatur; præmonere opportet plurimùm referre, quod Eccleſiæ conſiderentur tantùm materialiter, & præciſè prout ſunt Regulares; vel formaliter, ratione habita Parochialitatis. Si enim primo modo conſiderantur, cùm
34 tunc ex dictis perinde habeantur ac membra & bona ipſius S. Religionis Hieroſolymitanæ; hinc ejuſdem exemptivis privilegiis comprehenduntur, & juriſdictioni ordinariæ, Magno Priori in eiſdem privilegiis conceſſæ, ſubiiciuntur.

Quod ſi has Eccleſias ſecundo modo,
35 ſive formaliter conſideramus, tunc cùm exemptio locum non habeat, utpotè, quæ nunquam locum habuit ex mente Sac. Canonum in iis, quæ pertinent ad curam animarum & adminiſtrationem Sacramentorum, dicendum videbatur, ſubjectas eſſe hac ratione Eccleſias ordinariæ juriſdictioni Archiepiſcopi uti Diœceſani; atque ita ſanè eſt generaliter loquendo, & cum aliis quibuſcumque Regularibus; at ſpeciale eſt in Eccleſiis S. Religionis Hieroſolymitanæ, ut non ordinariæ, ſed delegatæ juriſdictioni Diœceſanorum dicantur ſubjectæ; ut latè dicemus infra *in cap.* 10. Quos autem caſus, quaſque cauſas unaquæque reſpectivè juriſdictio comprehendat in *ſeqq. cap.* particulariter diſquiritur, ideoque ſolum hic breviter attingemus quædam dubia ſuper hoc *Cap.* ſuſcitata.

36 Et ſit primum, quænam Eccleſiæ, Eremitoria, & Hoſpitalia comprehendantur ſub diſpoſitione hujus Capitis, & perinde affecta ſint qualitate regularitatis. Cui dubio reſpondemus, ſolùm comprehendi Eccleſias, Eremitoria, & Hoſpitalia tempore hujus tranſactionis conſtructa, ut patet litteraliter *ex noſtro cap.* in illis verbis: *Fundata uſque ad præſens*, tum ex natura tranſactionis, quæ ultra expreſſa non extenditur *arg. leg. quidquid de verb. obligat. cum ibi notatis à Legiſtis.* Tum quia omnis quomo-
37 dolibet acquiſita exemptio, vel jus privilegiativum, niſi aliud litteraliter exprimatur, reſtringitur ſemper, ſeu regulariter

lariter ad præſentia, nuſquamque amplectitur loca, ſeu bona futura, ex iis, quæ communiter aſſerunt Hoſtienſis, & alij Canoniſtæ *in cap. cum Capella de privil.* & ibi Gloſſa *lit. B. verb. fin. quantum exempti.* Vitalin *in Clement. fin. de reſcript. ſub num.* 13. *& ſeq.* Auguſtin. Barboſa *in cap. quia circa num.* 11. *de privil.* Petr. Barboſa *in leg. divortio. §. quod in anno num* 17. *in fin. ſolut. matrim.* Beroj. *conſ.* 24. *num.* 11. *vol.* 1. Rota *deciſ.* 1672. *num.* 12. *cor. Coccin.* Quare quæcumque Eccleſiæ, Eremitoria & Hoſpitalia poſt Concordiæ celebrationem conſtructa vel fundata fuerint, ſæcularia erunt & privativè ſubjecta Archiepiſcopo; utpotè in illius territorio fundata: cujuſmodi eſt Eremitorium Sancti Antonij Abbatis in Oppido de Villafranca.

38 Secundum dubium eſt, cuinam ex Vicariis competat cognitio cauſæ, in qua tractatur de jure alicujus ſepulturæ in his Eccleſiis Regularibus? Et huic dubio reſpondendum eſt ſervata diſtinctione, quam adhibuerunt Judices deputati pro reſolutione dubiorum Concordiæ in *Congregatione* 18. *Decembris* 1700. Ut nimirùm ſi controverſia ſuper ſepultura agitetur inter laicos, ſpectet
39 cognitio cauſæ ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis; ſin verò conventa fuerit fabrica Eccleſiæ, vel Servientes Religionis, cauſa, & ejus cognitio Vicario Dignitatis Prioralis tribuatur. Utriuſque partis in promptu eſt ratio: conſiſtit enim in illa vulgari regula, quæ dictat actorem forum rei ſequi debere, *cap. cùm ſit generale. cap. ſi Clericus laicum de for. competent.* & ibi *omnes repetentes.* Ideoque cùm laici in materiis Eccleſiaſticis ſubditi ſint Vicario Diœceſano, & Fabrica, & Servientes Vicario Priorali; hinc rectè inſpicitur, quis ſit reus conventus, ut quæſtio fori decidatur.

40 Nec dubitandi rationem ingerit pro prima parte, quod quando agitur de jure ſepulturæ, materia controverſiæ referatur ad Eccleſiam materialiter conſideratam, qua conſideratione, ut diximus, nulla in ea competit juriſdictio Vicario Diœceſano, ſed tantùm Priorali: Nam reſpondetur, illud jus ſepulturæ, ſimul ac ab aliquo emptum, aut acquiſitum eſt, ita incorporari in ejus bonis, ut maneat jus privatum, & independens ab Eccleſia, ob quod vendi, & alienari poteſt, Barboſa & Gonzalez *in cap. abolendæ* 13. *de ſepultur.* Unde cùm controverſia eſt inter laicos, tunc non poteſt dici agi de jure aut intereſſe Eccleſiæ. Quod adeo procedit, ut ſi aliqua competentiæ ratio militaret, eſſet inter judicem Eccleſiaſticum, & Sæcularem, juxta Cortiad. *deciſ.* 160. *per tot. tom.* 3.

41 Tertio dubitatur, cuinam ex Vicariis competat cognitio cauſæ, vertentis ſuper jure habendi ſedile in his Eccleſiis digniori loco? Et huic dubio cum ſuperiori diſtinctione erit reſpon-
42 dendum; aſsimillatur enim hoc jus ſedendi juri ſepulturæ in eo, ut privatis acquiratur, & de eo poſsit diſponi, ut poſt repetentes *in d. cap. abolendæ.* Cortiada *d. tom.* 3. *deciſ.* 159. unde hæc ſedilia poſſunt à dominis ornari & in eis inſcriptio aliudve ſignum apponi, videndus Pignatell. *tom.* 7. *conſ.* 48. *num.* 2.

43 Abſolvendum hic fore hujus Capitis Commentarium videbatur; ſed cùm propoſitum ſit generaliter omnes inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores controverſias percurrere, & frequentiſsimæ ſint illæ, quæ circa functionum Pontificalium uſum ſolent excitari, circa quas nihil expreſsè in hac Concordia eſt conventum; utiliſsimum duxi de eis hic, ut in propriori loco, aliqua tradere. Latiſsimè patent hæ quæſtiones, ſed eas tribus breviter concludemus, ut videamus. I. circa jus Diœceſani Pontificalia exercendi in Eccleſiis exemptis. II. circa

uſum

uſum Pontificalium Prælatorum Inferiorum in Eccleſiis ſibi ſubjectis. III. circa licentiam concedendam alieno Epiſcopo, aut alteri Inferiori Prælato, ut in Eccleſiis exemptis Pontificales functiones exerceat.

44 Et quidem primo videndum eſt, an Diœceſanus in Eccleſiis Regularibus & exemptis ſuæ Diœceſis Pontificalia poſsit celebrare abſque licentia Prælatorum, quibus Eccleſiæ ſubſunt? Ad hujus quæſtionis reſolutionem præmittenda eſt vulgaris & recepta Pontifica-
45 lium diſtinctio, quam tradunt Canoniſtę *in Clement. Archiepiſcopo de privil.* ut nimirùm, quædam Pontificalia ſint merè honorifica abſque ulla mixtura juriſdictionis vel officij, ut puta celebrare, & prædicare; quædam verò mixturam habeant juriſdictionis, ut ſunt ordinare, degradare, chriſmare, & ſimilia.

46 Deinde multùm intereſt, an quæſtio verſetur circa Eccleſias exemptas Parochiales, ut in præſenti; vel circa Eccleſias, curam non habentes. Si enim de primis agitur, exigua quin & nulla eſt difficultas, poſſe Diœceſanum in eis quęcumque Pontificalia exercere, etſi admixtam habeant juriſdictionem; quin earumdem Eccleſiarum obſtet exemptio: nam hæc ſolùm eas afficit & liberat à juriſdictione Diœceſani, ſi materialiter conſiderentur, & præciſsè ut ſunt Regulares; non verò ſi formaliter, & ut Parochiales attendantur, habita relatione ad curam populi, & adminiſtrationem Sacramentorum, juxta celebrem doctrinam Cardin. de Luca *de Regular. diſc. 1. num. 23. & de juriſdict. diſc. 15. numer. 4.* Cùmque Epiſcopus univerſalis Diœceſis ſuæ Parochus con-
47 ſideretur; hinc poterit in quocumque loco ejuſdem Diœceſis Sacramenta quęcumque conferre, ordines celebrare, confirmare, ac chriſma conficere, & facere celebrare ab aliis in ſua præſentia cum pontificalibus, & contra Regulares, talem uſum impedientes, cenſuris procedere poterit, ita Pignatell. *tom. 10. conſ. 106. à num. 21. & tom. 7. conſ. 7. à numer. 8.* propter reſolutionem Sacræ Congregationis Concilij 9. *Iunij* 1657. quam ita refert. *An Eminentiſsimus Epiſcopus Brixienſis in Eccleſia Parochiali Monachorum exemptorum, poſsit adminiſtrare Sacramentum Confirmationis, invitis ipſis Regularibus? Secundo, & quatenus poſsit, an contra eoſdem Regulares impedientes dictam adminiſtrationem valeat cenſuris procedere? Sacra Congregatio re pluries propoſita, & maturè examinata, utraque parte informante, affirmative ad utramque dubitationem reſpondit 9. Iunij* 1657.

48 Major autem difficultas adeſt ſi loquamur de Eccleſiis non Curatis, quia cùm hæ omni conſideratione ſint exemptæ, dicendum videbatur quorumcumque Pontificalium uſum Epiſcopis eſſe interdictum; nam, ut ſæpiſsimè in hoc opere aſſerimus, Eccleſiæ exemptæ conſiderantur reſpectu Diœceſani non ſecus ac illæ, quæ ſunt extra Diœceſim; atque ideo licet dicantur eſſe *in Diœceſi*, non tamen dicuntur *de Diœceſi, cap. cum Epiſcopus*, & ibi communiter Canoniſtæ *de offic. Ordin.* Unde hic caſus comprehenſus videtur ſub diſpoſitione Concilij Tridentini *in cap. 5. ſeſſ. 6. de reform.* ubi ſtatuitur, nulli Epiſcopo licere in alterius Diœceſi abſque loci Ordinarij licentia Pontificalia exercere. Sed adhuc tamen juxta ſuprapoſitam diſtinctionem quæſtio reſolvenda erit. Itaque dicen-
49 dum eſt Epiſcopum Diœceſanum in hujuſmodi Eccleſiis non poſſe exercere Pontificalia, quæ admixtam habent juriſdictionem; benè tamen poterit explere ea, quæ honorifica dicuntur. Duas partes habet hæc ſententia, quarum ratio petenda eſt ex iis, quæ dicta manent *in d. cap. 4. num. 76. part. 1.* ubi vidimus exemptionem eò reſpicere ut per-

perſonam aut locum, cui tribuitur liberet à ſubjectione actuali juriſdictionali; unde Epiſcopus in perſonis & locis exemptis falcem juriſdictionis prohibetur exercere, ut inquit Gratian. *diſcept.* 467. *num.* 25. Aſt cùm ex notiſsimis regulis, exemptio non ita
51 liberet à priori nativa ſubjectione, ut omninò deleat jus Superioritatis in Epiſcopo Diœceſano, qui, propter individuum conceptum Diœceſani, Sacerdotis, & Paſtoris univerſæ Diœceſis, ſemper retinet habitum, ſive ut alij dicunt, reliquias præcedentis ſubjectionis & reſpectivè juriſdictionis, quæ facilè ad actum reducuntur, ut ſæpè videbimus, & notat Card. de Luca *de Regular. diſc.* 64. *num.* 15. Hinc deſcendit, quod perſona Epiſcopi ejuſq; Dignitas, quoad perſonas & loca exempta, adhuc ut præeminens eſt attendenda, ſi non ut juriſdictionem exerceat, ſaltem ut honorem, præeminentiam, & prærogativam Epiſcopalis Dignitatis retineat, & falcem devotionis & reverentię poſsit exercere in hujuſmodi locis & perſonis, ut tenet Fagnan. *in cap. quia nos de auth. & uſu pall. num.* 16. *& ſeq.* Cardin. de Luca *de Regular. diſc.* 1. *num.* 22. & optimè *de juriſdict. diſc.* 35. *num.* 5. Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 106. *num.* 3. Quod etiam alia oſtenditur clara ratione, nam ut diximus *in cit. cap.* 4. *num.* 55. exemptio
52 plurimùm fraternizat cum emancipatione, & manumiſsione; nunc autem certum eſt, nec emancipationem, nec manumiſsionem ita liberare à dominio & patria poteſtate, ut quædam non remaneant poteſtatis & ſervitutis veſtigia, ut patet *ex leg. etiam* 1. *& penè tot. tit. de obſeq. parent. & patron. præſtand.* atque ut hæc veſtigia ſive reliquiæ expoſcunt, *ut liberto & filio ſemper honeſta & ſancta perſona Patris ac Patroni videri debeat. leg. liberto* 9. *eod. tit.* ita congruum eſt ob ſimilem rationem, ut Epiſcopi ab exemptis debito tractentur honore, & convenienti venerentur obſervantia, uti nativi Superiores, in Apoſtolorum loco ſubrogati: juxta *Conſtit.* 22. §. 22. Leonis X. *in Bullar. nov. tom.* 1. ibi: *Fratres eoſdem inſuper monemus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos pro debita & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur.* concordat Bald. *in leg. fin. num.* 4. *C. de bon. quæ liber.* Ceſpedes *de juriſdict. in exempt. cap.* 3. *dub.* 220. *num.* 5. Quæ doctrina æqualiter eſt ad-
53 mittenda, ſive exemptio proveniat ab Epiſcopo, ſive à Papa, ſive ex præſcriptione: diſtinctio enim, quæ inter hos caſus fieri ſolet, ut penes Chochier *de juriſd. ordin. in exempt. part.* 4. *quæſt.* 34. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 89. *num.* 6. non procedit quoad reverentiam honorificam, quæ nulla exemptione tollitur, ſed in ordine ad reverentiam juriſdictionalem, ut optimè Cardin. de Luca *de juriſdict. d. diſc.* 35. *num.* 7.

54 Manet ergo ex dictis, quod licèt Epiſcopo interdicantur actus illi & functiones, qui explicari nequeunt abſque actuali juriſdictionis exercitio; permittendi tamen illi ſunt, qui honorifici dicuntur, quique debentur Summo Diœceſis Paſtori & Sacerdoti. Nec tunc refragatur locus Concilij Tridentini *in d. cap.* 5. nam ibi eſt ſermo de uſu Pontificalium in locis, quæ ſunt in aliena Diœceſi, quorum, ut patet ex dictis, diverſa eſt ratio; licèt enim loca exempta propter exemptionem dicantur eſſe extra Diœceſim, tamen adhuc comprehenſa non ſunt in diſpoſitione *d. cap.* 5. Primo: quia dicta regula, quod locus
55 exemptus comparetur loco extra Diœceſim, indiſtinctè vera non eſt, ſed tantùm quoad certos effectus, juxta Felin. *in cap. gratum num.* 2. *de offic. ordinar.* & in caſu noſtro cum præſtita diſtinctione eſt procedendum; ut nimirùm

loca

loca exempta, extra Diœceſim cenſeantur, quoad ſubjectionem juriſdictionalem actualem, hanc enim ſibi vindicare Epiſcopus non poteſt in locis exemptis ſuæ Diœceſis, ſicut nec in locis extra Diœceſim, *cap. luminoſo* 18. *q.* 2. *& d. cap. cum Epiſcopus de offic. Ordin. in* 6. ſecus verò quoad juriſdictionem habitualem & jus reverentiale, quo in ſenſu, cùm non militet exemptio, conſiderari debent hujuſmodi loca non ut extra Diœceſim, ſed ut in Diœceſi, & de Diœceſi, ut confirmant verba ipſius *Clement. Archiepiſcopo.* Secundo reſpondeo cum Fagnan. *in d. cap. quia nos. num.* 18. Concilium *in d. cap.* 5. non ſine myſterio uſum fuiſſe illis verbis: *Nulli Epiſcopo liceat Pontificalia exercere in alterius Diœceſi*, nec dixiſſe *extra Diœceſim*, ut innueret, propterea ſe noluiſſe prohibere, quin Epiſcopus exerceret Pontificalia in locis exemptis, & ſic omne ceſſaret æquivocum: nam etiamſi loca exempta dicerentur eſſe *extra Diœceſim*, ſecundum opinionem Imolæ *in d. Clement.* 2. *num.* 3. tamen non dicuntur eſſe *in aliena Diœceſi*; & ſic Epiſcopus in eis Pontificalia exercens, non poteſt dici in alteriùs Diœceſi ea exercere; unde non habet locum prohibitio Concilij in locis exemptis, in quibus ideo procedendum erit cum præfata Pontificalium diſtinctione, ex *d. Clement.* 2. deſſumpta.

56

58 Ergo huic inhærendo diſtinctioni & doctrinæ, rectè poterit Epiſcopus in Eccleſiis Regularibus & aliis quibuſcumque exemptis in ſua Diœceſi ſitis, Miſſam celebrare cum Mitra & Baculo, thronum & Baldachinum erigere, & alios actus præeminentiales facere, ut prædicare, ita cum Vitalin. *in d. Clem.* 2. *num.* 66. tenent Chochier *de juriſd. in exempt. tom.* 3. *part.* 5. *q.* 21. Franch. *deciſ.* 711. *num.* 1. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 80. Fagnan. *in d. cap. quia nos à num.* 12. Cardin. de Luca *d. diſc.* 35. *num.* 5. 6. *& 7. & de præemin. diſc.* 22. *num.* 8. Pignatell. *d. conſ.* 106. *per tot.* & latè *tom.* 7. *conſ.* 45. *per tot.* Hæc ergo firma ſunt & obtinent de jure communi ob diſpoſitionem *d. Clement.* 2.

59 at hoc Epiſcoporum jus robur & confirmationem accepit ex declaratione Clementis VIII. in ſuo Decreto anni 1603. Cùm enim nonnulli Regulares ſuorum privilegiorum & exemptionum prætextu, Epiſcopis, in eorum Eccleſiis Pontificaliter intereſſentibus, recuſarent ſupra locum Epiſcopalis ſolij baldachinum erigere, Clemens VIII. præcedente Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium voto, edixit, non modò Epiſcopos poſſe baldachinum erigere, in quo nihil de novo eis tribuit, ſed priſtinum jus tantùm declaravit; verùm etiam poſſe impedientes punire, in quo manifeſtè innovavit, cùm antea teneretur Epiſcopus judicem adire exemptorum, ut eos cogeret permittere *arg. cap. nullus de jure patron.* & tradunt veteres Canoniſtæ *in d. Clement.* 2. Decretum autem Clementis hic tranſcribo, ne ij in quorum gratiam opus hoc conflatur in eo perquirendo fatigentur.

Decet Epiſcopis pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt Dignitatis gradu, in quocumque ſuarum Diœceſum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adeſſe, & aſsiſtere contingit, eam, quam par eſt, reverentiam, & honorem, decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine gravi animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares vano quorumdam immunitatum & privilegiorum prætextu Epiſcopis in eorum Eccleſiis in Pontificalibus intereſſentibus non modo renuiſſe in eis ſupra locum Epiſcopalis ſolij baldachinum erigere, verum id etiam juſſu ipſorum Epiſcoporum curantes prohibere, ac arcere auſos fuiſſe. Atque ideo Sac. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto

verbo cum SS. D. N. Clemente VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali & expreſſo mandato, hoc præſenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tam ex conſuetudine, & privilegio, quàm ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum Mitra, vel etiam ſola Cappa induti in quibuſvis Regularium tam mendicantium, quàm non mendicantium, & Monachorum etiam Caſsinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius ordinis Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus licet eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacumque eorumdem Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia ſupra Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare quemadmodum in propriis & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen duntaxat tempore, quo Pontificales hujuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes & contumaces fuerint, ſciant, ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas hujus decreti virtute cogi & compelli poſſe, aliiſque pœnis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio Summi Romani Pontificis ſubjacere, & obnoxios fore non obſtantibus &c. Romæ 10. Iunij 1603.

60 Hic verò opportune quæritur, an Archiepiſcopi & Epiſcopi in locis & Eccleſiis exemptis poſsint ante ſe deferri facere Crucem Pontificalem? In quo dubio affirmativè ex dictis reſpondemus; ſiquidem uſus & delatio Crucis, non habet mixturam juriſdictionis in communi ſententia Doctorum, licèt hi non facile conveniant, quid hujuſmodi Crucis uſus importet. Quidam enim
61 obſervant, illam ſe habere, ut vexillum diſtinguens Eccleſiaſticas cohortes, ut notat Pignatell. *conſ.* 30. *num.* 7. *tom.* 4. Alij verò aſſerunt, eſſe devotionis ſignum, nullum ex propria natura involvens juriſdictionis actum vel ſignificationem, ut videre eſt apud Franch. *dec.* 71. *num.* 11. Alij affirmant delationem Crucis permitti *ratione univerſalis præeminentiæ propter reliquias præcedentis ſubjectionis ante exemptionem*, ſunt verba Gratiani *diſcept.* 467. *num.* 2. *& ſeq.* Et demùm alij credunt denotare ſolùm *quamdam præeminentiam ejus, qui ante ſe illam facit defferre per loca exempta*, juxta præciſa verba Vitalini *in d. Clement.* 2. *num.* 4. *de privileg.* & concordant adducti per Paſſerin. *de ſtat. homin. q.* 187. *art.* 4. *ſub num.* 186. *tom.* 1. Pax Jordan. *var. lucubr. lib.* 11. *tit.* 2. *q.* 91. *num.* 2. Quaranta *in ſum. Bullar. verb. Archiepiſcopi auctoritas num.* 23. Et in terminis Archiepiſcopi Crucem defferentis per loca exempta videri poteſt Pignatell. *conſ.* 48. *num.* 41. *tom.* 3. Math. à Corona *de poteſt. ſpirit. Epiſcop. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *& cap.* 2. *num.* 9. Pegas *de competent. inter Archiep. & Nunt. part.* 2. *cap.* 65. *num.* 2. Ventriglia *de jur. Archiep. cap.* 17. *num.* 9. Ricciardell. *in Lyc. Eccleſ. cap.* 19. *num.* 77. ubi reffert, & ſequitur reſolutionem Sacræ Congreg. Rit. *in Theatina* 13. *Iulij* 1613. & Rota *deciſ.* 321. *num.* 9. *ibique Add. lit. A. cor. Burato*, & reſolvit Sac. Congregatio Epiſcopor. *in Sypontina* 26. *Maij* 1592. *& in Acheruntina* 20. *Decembris* 1616. *& in Amalphitana* 4. *Iunij* 1656. & tenet noviſsimè Domin. Urſaya *tom.* 2. *part.* 2. *diſcept.* 1. *per tot.* ubi refer reſolutionem *in Papienſi juris deferendi Crucem* 17. *Septembris* 1707. per hæc verba: *An Eminentiſsimo Epiſcopo licuerit in ſuo acceſſu*

ad

ad Carthuſiam ingredi erecta Cruce Eccleſiam & Monaſterium ejuſdem Carthuſiæ: Reſponſum fuit: *Affirmativè quoad Eccleſiam; negativè verò quoad Monaſterium.* Confirmata fuit hæc reſolutio *die* 22. *Septembris* 1708. quoad Eccleſiam, & prævio receſſu à deciſis, extenſa etiam ad Monaſterium his verbis: *Licere Eminentiſsimo Epiſcopo ingredi cum Cruce in caſu, de quo agitur etiam in Monaſterium abſque ullo tamen exercitio juriſdictionis.*

62 Hic etiam, ob ſupra traditam doctrinam, eſt notandum, quod accedente Epiſcopo ad Eccleſias Regularium, debent hi in competenti numero ei obviam ire, illumque ad januas Eccleſiæ cum obſequio excipere, eidemque genuflexorium cum pulvinari & ſtractu parare; ita enim exigit honor, & reverentia Epiſcopalis faſtigij, à qua non ſunt exempti *d. Conſtit.* 22. *Leonis X.* Monacell. *in ſupplem. ad tom.* 2. *Formular. num.* 564. Paſqualig. ad Laurent. de Franch. *part.* 2. *q.* 30. *num.* 2. Ita ut renuentibus Regularibus præſtare hujuſmodi reverentialia obſequia, vel dene-
63 gantibus Epiſcopo ingreſſum in eorum Eccleſias cum Rocheto diſcoperto & Mozzetta, ſive Capa Magna, poſſet idem contra eos procedere ad cenſuras, maximè ſi ſequeretur populi ſcandalum non tanquam Judex, ſed tanquam Juris executor, ut advertit idem Laurent. de Franch. *d. q.* 30 *num.* 1.

64 Succedit nunc ut videamus de facultate Pontificalia exercendi Prælatis Inferioribus competenti. Et quidem priùs ſciendum eſt, uſum Pontificalium inſignium primùm omnium concedere cœpiſſe Abbatibus Joannem XVIII. quem alij XX. nuncupant, quique in Cathedra D. Petri ſedit ineunte ſæculo XI. Statim verò ab ipſo initio ægerrimè ferebant iſtiuſmodi conceſsiones Epiſcopi, qui ſui gradus & dignitatis jacturam maximam dicebant, quod alij Pontificalis Ordinis expertes, Pontificalibus indumentis ornati, parem ipſis oſtentarent poteſtatem. Graves hinc inter Epiſcopos & Abbates excitæ controverſiæ, quæ & plura tragica peperere exempla, ut refert Chriſtian. Lup. *in tom.* 5. *Schol. in can. Ioannis XVIII.* Reluctantibus tamen Epiſcopis, ſæculo XII.
65 frequentiora hæc indulta fuiſſe apparet, ut tunc jam uniformi penè uſu receptum videretur, quod Abbates more Pontificum Mitra, Annulo, atque Sandaliis ornarentur, ut liquet ex D. Bernardo *in Epiſt.* 42. *ad Henric. Senonenſ.* Sed nec hic ſe ſiſtit Apoſtolicæ Sedis liberalitas; nam ſucceſſu temporum, juſtis quidem de cauſis, mirè hæc indulta aucta conſpiciuntur; ut jam non modò Abbatibus, ſed & aliis, non tantùm inſignium uſus & ornamentum, ſed Pontificalium functionum exercitium concederetur: ut puta minores ordines conferre, ſolemnem benedictionem populo elargiri, & Sacra Myſteria Pontificali pompa celebrare. Indultorum
66 augmento aucta etiam eſt priorum diſſenſionum occaſio, quippè Abbates perſæpè appoſitis in eiſdem privilegiis limitibus ſe non continebant. Ut hæ turbellæ ſedarentur, anno 1260. Alexander IV. ſpecialem ſuper his controverſiis edidit conſtitutionem quæ habetur *in cap. Abbates de privil. in* 6. & Clemens IV. anno 1267. alteram quæ habetur *in cap. ut Apoſtolicæ eod. tit.* ubi idem Pontifex profitetur his Conſtitutionibus proſpexiſſe *quod ipſi privilegiati ſuorum privilegiorum non fruſtrentur effectu, & ex majoritate ac decore majori ornatuum, majoritas appareat Dignitatum.* Sed nec his proviſionibus penitùs ſuper hoc extirpatę ſunt controverſiæ, quamo-
67 brem ad eas dirimendas de anno 1628. tempore Urbani VIII. Sacra Rituum Congregatio generale decretum promulgavit, quo hujuſmodi Pontificalium uſus in Prælatis Regularibus nimiùm

fuit reſtrictus tam circa tempus, quàm circa modum, ut advertit Cardin. de Luca *de Regular. diſc.* 1. *num.* 23. *de juriſdict. diſc.* 31. *& de præeminent. diſc.* 15. *num.* 1. Rurſuſque hac etiam de cauſa prodiit aliud decretum Sacræ Rituum Congregationis ſub Alexandro VII. *die* 27. *Septembris* 1659. ubi ſigillatim declaratur, quæ permittantur, & quænam reſpectivè prohibeantur Prælatis Inferioribus, Pontificalia exercentibus. Unde his decretis, ut noviſsimis regulis, controverſiæ in hac materia erunt diffiniendæ. Qui hæc decreta per extenſum videre cupiat, adeat Monacel. *formul. Eccleſ. part.* 2. *tit.* 3. *formul.* 4. *ſub num.* 34. Pignatell. *conſ.* 33. *tom.* 2. Cardin. Petra *tom.* 3. *ad conſtitut.* 6. *Vrbani IV. in fine.*

68 Dictorum ſeries & contextus illud in primis obſervandum proponit, ſeparata eſſe indulta inſignium Pontificalium à Privilegiis, in quibus functionum Pontificalium uſus conceditur; illa enim ornatum tantùm præſeferunt, hæc verò Pontificale officium denotant. Unde ex conceſsione inſignium facultas exercendi Pontificalia non concluditur. Separationem hanc confirmat Petrus Bleſenſis in adhortatione ad Guillermum Abbatem fratrem ſuum: ibi enim eò diſplicere ſibi hæc inſignia in Abbatibus oſtendit, ut quæ minimè conſonarent cum jure & exercitio per ea ſignificato: *Talium*, inquit, *uſus eſt in Eccleſiis dedicandis in conſecrandis Virginibus, in ordinibus celebrandis. Quare igitur his utitur, aut potius abutitur, qui uti talibus prohibetur? Homini hæc habenti, & non utenti ſunt potiùs oneri & ludibrio, quàm honori.* Sic etiam eamdem diſtinctionem agnoſcunt Joannes Andreas, & Geminianus *in d. cap. ut Apoſtolicæ de privil. in* 6. quem ſequitur Pax Jordan. *de re Sacra lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 38. Unde Sacra Congregatio Concilij meritò declaravit, quod Abbas Mitra & aliis ornamentis Pontificalibus decoratus, indiget ſpeciali privilegio pro benedicendo Populo, in *Pennen.* 25. *Martij* 1658.

69 Deinde illud notandum inſignia Pontificalia Abbatibus non competere jure proprio, & ratione eorum Dignitatis, ut expreſsè aſſerit Clemens IV. *in d. cap. ut Apoſtolicæ.* ibi: *Quibus non competit ex propria Dignitate*: proprium eſt enim Epiſcoporum, ut ſicut ampliſsima poteſtate gaudent, ita & paribus ſplendentiſsimis infulis & ornamentis decorentur, quibus ſubditos in ſui admirationem, & devotam excitent reverentiam, ut communiter Doctores *in d. cap. ut Apoſtolicæ.* Bullenger. *de veſt. Pontif. lib.* 1. *cap.* 5. *ad fin. & cap.* 6. Abbatibus ergò ſolùm competere poſſunt hæc inſignia ex jure privilegiato; nam ſi & nomen & primitivum Abbatis munus attendimus, ſollicitudinem potiùs, quàm honorem & Dignitatem præſefert, juxta ea, quæ tradit Deſnos *de Canon. Sæcular. & Regular. lib.* 1. *cap.* 13. & faciunt ea, quæ latè adduximus *in cap.* 4. *à num.* 23. *part.* 1. & in terminis hoc ipſum confirmat D. Bernardus *in d. Epiſt.* 42. in illis verbis: *Verùm apertè indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac precio Apoſtolicis adeptis privilegiis, per ipſa ſibi vindicant inſignia Pontificalia, utentes & ipſi more Pontificum, Mitra, Annulo, atque Sandaliis: Sanè ſi attendimus rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſsio; ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus.* Itaque in ipſis conceſsionibus luculenter ſolet indicari non intuitu Abbatum & eorum dignitatis, ſed ad majorem decorem & ſplendorem Eccleſiarum hujuſmodi inſignia elargiri, ut notant DD. *in d. cap. ut Apoſtolicæ*, & expreſsè Murga *ad conſtit.* 1. *Cœleſtini III. num.* 12. *& ad conſtit.* 16. *Alexandri VII. num.* 180.

70 Hinc etiam promanat, non unius generis, & æqualis comprehenſionis eſſe hæc

hæc privilegia ; nam pro diversitate casuum & causarum, num ampliora, num restrictiora sunt ; ut quibusdam plura, aliis pauciora insignia concedatur. Quamobrem in hac materia, sicut in cæteris privilegiativis, nulla alia generalis regula tradi potest, nisi quod tenor privilegij attentè inspiciatur, illoque occurrentia dubia præcidantur, ut generaliter notant Canonistæ *ad cap.* 3. 7. 12. & 14. *de privil. & ad cap.* 7. & 10. *eod. in* 6. Cùm verò dubia sint hæc privilegia & ea interpretari opus sit, pariter etiam militat illa regula, quam *in*
71 *cap.* 6. *num.* 8. *part.* 1. statuimus, nimirùm ita esse interpretanda, quò minus jus Episcopi ejusque lædatur auctoritas, ut in nostris terminis tenent Canonistæ *ad cap. volentes de privil. in* 6. & cum multis D. Castro *allegat. Canon. alleg.* 8. *num.* 26. & 21. Cardin. de Luca *de Regular. disc.* 7. *num.* 5. & novissimè Card. Petra *ad constit.* 2. *Eugenij III. sect. unic. num.* 91.

72 Censeri semper debet speciali nota dignum hoc Pontificalium indultum, quod non nisi magnis de causis Sedes Apostolica solet præstare; ut exinde pateat illud in generali privilegiorum communicatione non venire, sed expressè & specialiter tribui opportere, ut tenent Tamburin. *de jur. Abbat. lib.* 1. *disp.* 17. *q.* 2. *num.* 6. Merlin. *decis.* 333; Card. de Luca *de Paroch. disc.* 38. *num.* 3. & 16. Piton. *discept.* 25. *num.* 33. *ad fin.* Rota *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 1. Unde S. Congregatio Concilij *in Nepesina die* 14. *Aprilis* 1658. censuit Abbatem Generalem Cœlestinorum non posse absque speciali indulto, ex sola communicatione privilegiorum cæterorum Abbatum, uti Pontificalibus indumentis, refert Scarfanton. *lucubrat. Canon. lib.* 3. *animadvers. ad tit.* 2. *num.* 13.

73 Jam verò ut de usu Pontificalium Prælatis Inferioribus competente aliqua dicamus in ordine ad locum: eorum privilegia dupliciter considerari possunt; quædam enim conceduntur determinatè, pro eorum Monasteriis, & suis Ecclesiis, alia verò absolutè & indeterminatè præstantur, ut de hoc agentes tradunt Tamburin. *de jur. Abb. dic. lib.* 1. *disput.* 21. *q.* 3. *num.* 4. *& seqq.* Murga *ad d. constit.* 16. *Alexandri VII. à num.* 36. Si enim primo modo concedatur indultum ; primo dubitari solet, quænam Ecclesiæ suæ dicantur ad hunc effectum? Secundo, an extra has Ecclesias, in aliis locis de Episcopi Diœcesani licentia possint Pontificalia exercere? Et quoad
74 primum, cùm usus Pontificalium ex sua institutione connotet præeminentiam & superioritatem in loco *cap.* 1. *& cap. cum sit*, ubi Glossa *de auctor. & usu Pallij*, hinc illæ solùm suæ Ecclesiæ ad effectum de quo quærimus intelligentur, quæ ad eos spectant pleno jure cum populo; ita ut in eis competat jurisdictio territorialis seu jus quasi Episcopale, juxta modum, de quo *in cap.* 6. *num.* 27. *part.* 1. & ita tenent *ex d. cap. ut Apostolicæ.* Tamburin. *d. disp.* 21. *q.* 3. *num.* 1. Murga *disquisit. moral. tract.* 1. *disquisit.* 3. *dub.* 1. §. 1. *num.* 1. latè Petra *ad d. constit. Vrbani IV. à num.* 39. Clericat. *de Regular. discord.* 29. *num.* 10. Rota *ad ornatum Cardinalis de Luca de jurisdict. decis.* 26. *à num.* 2. Unde ad verificationem hujusmodi indultorum non sufficiet, quod Ecclesiæ unitæ sint pleno jure in spiritualibus & temporalibus, (prout supra ad effectum Regularitatis) si Populus etiam non concedatur, ut firmant præcitati Auctores, & differentiam advertens Clericat. *de beneficiis discord.* 75. *num.* 18.

75 Quoad secundum verò dicendum est, ita restringenda esse hæc indulta ad Monasteria & Ecclesias, ut proximè subjectas, ut extra illas nullomodo possint Pontificalia exercere, etiam cum licentia Ordinarij ; atque hoc ipsum procedet etiam si fuerint invitati à Regulari-

bus, ut in illorum Eccleſiis Pontificalia exerceant, ut in propoſito tenent Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 59. Tamburin. *d. diſp.* 21. *q.* 3. *num.* 4. & 6. Murga *ad d. conſtit. Alexandri VII. num.* 51. & 97. Card. Petra *ad d. conſtit. Vrbani IV. num.* 36. Qui eam aſsignant rationem, quod Epiſcopus nequeat privilegium à Papa limitatè conceſſum, extendere & ampliare; quam etiam rationem tradit Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 33. *num.* 3.

76 Si verò hæc indulta Pontificalium Prælatis Inferioribus ſimpliciter & indeterminatè concedantur; licèt protrahenda non ſint extra Monaſteria & Eccleſias, ipſis pleno jure conceſſas, ut in caſu ſuperiori; tamen in præſenti illud erit ſpeciale, quod Prælati hujuſmodi illimitato privilegio gaudentes, poterunt ubilibet Pontificalia exercere, ſi modò accedat Ordinarij Diœceſani licentia. Quæ reſolutio conformis eſt S. Concilio Tridentino *in d. cap.* 5. *ſeſſ.* 6. *de reform.* & eam confirmant *Auctores ſupra citati.*

77 Hic etiam conſequenter diſputari opportet; an in Eccleſiis Regularibus, poſsit alienus Epiſcopus, aut Prælatus Inferior Pontificalia celebrare de conſenſu & voluntate Regularium, abſque Diœceſani licentia? Et in hac quæſtione 78 indiſtinctè reſpondemus negativè propter claram diſpoſitionem Concilij Tridentini *in d. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. juncta doctrina Cardin. de Luca *in annotat. ad d. cap.* 5. *num.* 6. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 1. *alleg.* 6. *num.* 12. & *ſeq.* Quod optimo jure & ratione procedit, nam poſita hujuſmodi Eccleſiarum, licèt 79 exemptarum, ſituatione in Diœceſi, admitti non poteſt abſque Diœceſani injuria, ut extraneus Epiſcopus, multoque magis Prælatus Inferior, illo inconſulto, exerceat in ſuo territorio actus Pontificales, denotantes ſuperioritatem, non ſolùm in ipſam Eccleſiam, ſed etiam in populum; hoc enim certè eſſet immittere falcem in meſem alienam, quod fortiter prohibetur *in can. ſcriptum eſt* 6. *q.* 3. & *in cap. nullus* 1. *cauſ.* 9. *q.* 2. Nec ad hoc ſufficit licentia, & 80 conſenſus Regularium, ſive ipſorum Prælati, cui ſubjecta eſt Eccleſia: quia cùm ſemper verum ſit, hujuſmodi actus Pontificales exerceri in aliena Diœceſi; hinc intrat diſpoſitio Concilij, in quo non requiritur licentia Ordinarij Eccleſiæ, ſed licentia Ordinarij Diœceſani, ex doctrina Barboſæ *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 6. *num.* 13. Et merito, nam utcumque actus celebretur in Eccleſia exempta, ſemper tamen propter ſituationem exercetur in territorio Epiſcopi Diœceſani; & aliàs illi actus referuntur ad populum ipſi ſubjectum. Ergo ut huic injuria & præjudicium non fiat, ejuſdem licentia eſt neceſſaria; & conſenſus Prælati Inferioris cujus juriſdictio ambitum Eccleſiæ non excedit, nihil proficiet, ut in terminis tenet Cardin. Petra *in d. Conſtit. Vrbani IV. à num.* 43.

81 Dicet tamen fortaſſe aliquis, diſpoſitionem Concilij, & præſtitam doctrinam procedere in illis Pontificalibus actibus & functionibus, quæ mixturam habent juriſdictionis, ut ordinare, chriſmare &c. non verò in illis, quæ reſpiciunt tantùm honorem Epiſcopalem, & mixturam juriſdictionis non habent, ut ſunt Miſſam celebrare, prædicare, & populum benedicere. Cujus ſententiæ fuere Alced. *in prax. Epiſcop. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 38. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 58. Præſes D. Covarruv. *lib.* 3. *var. cap.* 20. *num.* 9. Caſtro *allegat. Canon. allegat.* 7. *num.* 64. & alij plurimi relati à Diana *reſol. moral. part.* 4. *tract.* 4. *num.* 143. *verſ. notandum eſt*, & in terminis Abbatum Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 106. *num.* 4. & *ſeqq.*

82 Et pro hac ſententia videtur facere; Primum: quod Monaſteria, eorumque

Ec-

Eccleſiæ virtute exemptionis non dicuntur de Diœceſi, licèt ſint in Diœceſi; atque ideo extranea conſiderantur reſpectu Diœceſani, qui exceptis aliquibus caſibus præſcriptis in Sac. Concilio Tridentino, nullum jus in eis habet, & tanquam territorium ſeparatum ab ipſa Diœceſi conſtituentia conſiderantur, Rota *deciſ.* 207. *num.* 3. *&* 8. *part.* 2. *diverſ.* Secundum fundamentum deſſumitur à paritate ſupra traditæ doctrinæ:
83 nam ſicut Epiſcopus Diœceſanus ex præſcripto *Clement. Archiepiſcopo* 2. *de privil.* poteſt in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis, exercere actus Pontificales, qui mixturam juriſdictionis non habent abſque conſenſu Regularium, quin lædatur exemptio, nec obſtet prohibitio Tridentini *in d. cap.* 5. Ita ſimiliter admittendum videtur, ut extraneus Epiſcopus, vel Prælatus Inferior poſsit in Eccleſia exempta de conſenſu Regularium hujuſmodi Pontificalia ſine mixtura juriſdictionis exercere abſque licentia Diœceſani, quin huic per hoc fiat injuria; nam ſi Eccleſia exempta reſpectu extranei Epiſcopi eſt in aliena Diœceſi, reſpectu Diœceſani conſideratur, ut jam vidimus, extra Diœceſim. Ergo ſi huic abſque exemptorum conſenſu permittitur præfatos actus Pontificales exercere, quia admixtam juriſdictionem non habent, & ſic non præjudicatur exemptioni; pariter illi debent permitti, quia ex quo juriſdictionis exercitium non involvunt, in nihilo offenditur jus Diœceſani.

84 Tertium fundamentum depromitur ex alia urgenti paritate inſignium Pontificalium cum actibus Pontificalibus. Inſignia enim Pontificalia duplicis
85 generis conſiderantur, quædam, ut denotantia poteſtatem, ſeu ſuperioritatem in loco, & hæc inſignia geſtare, aut eis uti non poteſt Epiſcopus, vel Prælatus extra Diœceſim, vel territorium ſibi ſubjectum, ut patet ex *Clement. Archiepiſcopo de privil.* Quædam verò habentur ad deſignandam dignitatem ejus, cui competunt, vel ad ſignificandam in eo aliquam proprietatem, ſeu perfectionem, ut ſunt Rochetum, annulus, aut quid ſimile: & hæc quidem inſignia, ut merè honorifica, & poteſtatem non ſignificantia, geſtare poteſt Epiſcopus ſive alius Prælatus extra ſuam
86 Provinciam, Diœceſim, ſive territorium. Quod confirmatur exemplo Proconſulis, qui poteſt uti inſigniis ſuæ dignitatis ubi primum fuerit extra Urbem, licet Provinciam nondum attigerit *leg.* 1. *de offic. Proconſul.* Et apud nos frequenti exemplo Prætoris Aulæ Criminalis (vulgo *Alcalde del Crimen*) alicujus ex Cancellariis, adducto à Caſtro *d. alleg.* 7. *num.* 76. Hic enim licèt extra ſuum
87 territorium Vallum ſive Virgam deferre non poſsit, quia Virga ſignum eſt juriſdictionis, & poteſtatis, ad latè tradita per Chaſſan. *in Cathal. part.* 1. *conſider.* 83. *concl.* 6. Aviles *in cap.* 42. *Prætorum verb. Varaſ.* Hoping. *de jur. inſign. cap.* 2. *num.* 71. tamen ubique geſtat Togam, numquamque eam deponit, cùm hæc ei concedatur in ſignum dignitatis, & auctoritatis perſonæ, ex Plin. *lib.* 6. *Epiſt.* 32. *ad Quintilianum.* Camill. Borrell. *de Magiſtrat. ædictis lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 32. Quorum ratio ex eo proficiſcitur, quod delatio inſignium abſque
88 mixtura poteſtatis & juriſdictionis non irrogat præjudicium Ordinario, in cujus territorio geruntur; illæſa namque manet ejus juriſdictio & poteſtas; neque ei incommodat, quod eodem uſu unà cum eo alter decoretur, ut ex Paciano *de probat. libr.* 2. *cap.* 29. *ex num.* 22. Boet. Eponenſ. *Heroicar. quæſtion. de jur. Sacro lib.* 4. *ad tit. de vit. & honeſt. Clericor. ad cap. Clerici officia ex num.* 86. tenet Caſtro *d. allegat.* 7. *n.* 67. Cui accedit, conveniens eſſe, ut ubique
89 dignitates diſtinguantur peculiari veſtitu & indumento *leg.* 1. *C. nulli licere in*

frænis

franis lib. 11. Althuſ. *in politica cap.* 7. *num.* 42. Quare hanc ſententiam, cum præſtita inſignium Pontificalium diſtinctione, ſequuntur præter Zabarell. & Panormitan. *in cap. antiqua de privil.* Gratian. *deciſ.* 113. *in addit. num.* 9. *& ſeqq. & deciſ.* 29. *à num.* 64. & latiùs *diſcept. forenſ. cap.* 467. *à numer.* 64. Campanilis *in diverſ. jur. Canon. Rubr.* 9. *cap.* 5. *num.* 3. Hurtado *reſolut. moral. lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *dubio* 22. *num.* 277. *& ſeqq.* Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 20. *q.* 2. Ergo ſimilis diſtinctio admittenda eſt in actibus Pontificalibus; ita ut licèt ij, qui mixturam habent juriſdictionis exerceri non poſsint in aliena Diœceſi, etiam in Eccleſiis exemptis abſque licentia Diœceſani; contrarium tamen dicendum ſit in actibus, admixtam juriſdictionem non habentibus.

90 His tamen fundamentis, licèt urgentibus, non obſtantibus, contraria ſententia eſt tenenda; indiſtinctè afferendo, nullos actus Pontificales licere Epiſcopo, ſeu alij Prælato in aliena Diœceſi etiam in Eccleſiis exemptis exercere abſque licentia Diœceſani. Hoc enim manifeſtè ſuadet ipſe contextus Sac. Concilij Tridentini *in d. cap.* 5. 91 ubi generalis & indiſtincta eſt prohibitio, nec ratio adeſt, cur ad actus Pontificales cum mixtura juriſdictionis reſtringatur; & licèt plures Doctores hanc reſtrictionem, & diſtinctionem docuerint, & admiſſerint; tamen ſi attentè evolvantur, legenti fiet compertum, eos in æquivocum incidiſſe, vel ob veterum Canoniſtarum diverſas in hac parte ſententias, vel ob ſimilem diſtinctionem adhibitam *in d. Clement. Archiepiſcopo* in caſu longè diverſo. Explanare hæc attentè opportet ante ſolutionem argumentorum.

92 Et quidem ſciendum, in jure communi non inveniri diſpoſitionem, quæ nominatim & ſpecificè decernat, circa exercitium Pontificalium in aliena Diœceſi; ſolùm ergo adeſt illa generalis primitivaque regula, qua erat cautum, *ut à nullo Epiſcopo uſurpentur plebes alienæ: nec aliquis Epiſcoporum ſupergrediatur in Diœceſi collegam ſuum. Can. placuit* 7. *q.* 1. ſpecificè etiam cavebatur circa ordinationem Clericorum & Eccleſiarum *in cap. Epiſcopus ead. cauſ. & q.* ibi: *Epiſcopus in Diœceſi aliena ad alienos Clericos ordinandos, vel conſecranda altaria irruere non debet.* Hoc ergo, ut non ſine manifeſta injuria & uſurpatione in aliena Diœceſi, inconſulto Diœceſano Epiſcopo, tentari potuit; ita ſemper conſtans & incontroverſum extitit, ejuſdem licentiam efflagitari, ut alienus Epiſcopus ordinaret, aut conſecraret in aliena Diœceſi. Circa alios verò actus ſive functiones Pontificales, ut puta 93 celebrare & benedicere, non erat ita clarè diſpoſitum; unde cùm Honorius III. Archiepiſcopo Lugdunenſi reſcripſiſſet *in Cap. quia nos fin. de auct. & uſ. pall.* per hæc verba: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tam in tua, quàm in aliena Diœceſi potes ſine pallio, & ſandaliis celebrare.* Statim inter veteres Canoniſtas in expoſitione hujus Decretalis ad illa verba *in aliena Diœceſi*, diſsidium 94 eſt ſubortum; nam Gloſſa 1. Tancred. & Vincenti. ibi, expoſuere *d. Decretalem*, ut poſsit Archiepiſcopus in aliena Diœceſi publicè & ſolemniter celebrare cum licentia Diœceſani. Innocentius verò ibidem ſtrictiùs judicavit, ut nempè Epiſcopi in alienis Diœceſibus, etiāſi de licentia Diœceſanorum celebrent, Pontificalibus uti non poſsint, niſi ſuper hoc ſint ſpecialiter privilegiati. Hoſtienſis autem è contra exiſtimavit, poſſe Epiſcopum in aliena Diœceſi in Pontificalibus celebrare ſine licentia Diœceſani, & etiam prædicare, niſi ſpecialiter prohibeatur, pro quo allegat ſui temporis conſuetudinem. Hæc opinionum varietas non aliunde profluxit, quàm

quâm ex defectu terminantis Canonicæ ſanctionis ſuper licentia Diœceſani adhibenda, vel non.

95 Stante hac opinionum varietate ſuper uſu Pontificalium in aliena Diœceſi, ſucceſsit poſtmodùm, vigentibus exemptionibus, aliùs caſus aliudque dubium ſuper exercitio & uſu Pontificalium Diœceſano competente in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis, cùmque de hoc dubio ageretur in Concilio Vienenſi, allegantibus Epiſcopis, ut credibile eſt, ſituationem & exiſtentiam Eccleſiarum in ſua Diœceſi; è contra verò reponentibus exemptis, eaſdem Eccleſias conſiderari extra Diœceſim virtute exemptionis, prodiit diſpoſitio Concilij, quæ refertur in ſæpiùs *cit. Clement. Archiepiſcopo 2. de privil.* qua permittitur Epiſcopo Diœceſano in hujuſmodi Eccleſiis Pontificaliter celebrare, & populo benedicere, adhibita tamen cautione, ne quid juris, aut juriſdictionis prætextu hujus conceſsionis, Diœceſani in his Eccleſiis ſibi vindicarent.

96 Aggreditur hujus *Clementinæ* explicationem Gloſſa Magna *in verb. etiam celebrare*, & ex ea ortum eſt æquivocum in hac materia; nam ibi confundendo utrumque caſum, diſcordantes veterum Canoniſtarum per viam oppoſitionis adducit opiniones, quas deinde concordare nititur, illa diſtinctione deducta ex ipſa Clementina, de qua ſupra, inter actus Pontificales cùm mixtura juriſdictionis, & abſque ea: in quo manifeſtè labitur, nam diſcordantes Canoniſtarum ſententiæ procedunt in caſu exercitij, ſive uſus Pontificalium in aliena Diœceſi; diſtinctio verò deſſumpta originaliter *ex d. Clement.* procedit in altero caſu exercitij Pontificalium in propria Diœceſi in Eccleſiis exemptis, qui longè diſtat ab alio, ut infra dicemus. Ergo, ut dicta in ſummam redigamus, & ſuppoſito, quod in caſu exer-

97 citij Pontificalium in Eccleſiis exemptis propriæ Diœceſis ſervanda eſt illa diſtinctio, quæ *ex d. Clement.* deſſumitur: In altero caſu exercitij nempè Pontificalium in aliena Diœceſi, ſtatus quæſtionis hic erat, ut circa functiones Pontificales, quæ admixtam habent juriſdictionem, ut ordinare &c. nullus Canoniſtarum putaverit unquam, poſſe in aliena Diœceſi exerceri abſque licentia Diœceſani: circa illa verò, quæ admixtam juriſdictionem non habent, ut celebrare & benedicere, quidam cum Gloſſa 1. judicabant, licere in aliena Diœceſi de licentia Diœceſani. Aliqui cum Innocentio adhuc cum licentia Diœceſani licere negabant; alij cum Hoſtienſi affirmabant licere etiam ſine hujuſmodi licentia. Atque ita in hoc ſtatu tres erant propoſitiones, ſive aſſertiones indubitatæ I. videlicèt. *Epiſcopus in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis non poteſt actus Pontificales exercere, qui admixtam habent juriſdictionem.* II. *Epiſcopus in Eccleſiis exemptis ſuæ Diœceſis poteſt libere exercere actus Pontificales abſque mixtura juriſdictionis.* III. *Epiſcopus in aliena Diœceſi non poteſt exercere actus Pontificales, qui admixtam habent juriſdictionem, ut ordinare, conſecrare &c.* Alia erat propoſitio controverſa videlicèt: *An poſsit Epiſcopus in aliena Diœceſi exercere actus Pontificales abſque mixtura juriſdictionis, ut celebrare & benedicere*, ad quam reducitur quæſtio noſtra.

98 In hoc ſtatu ſucceſsit S. Concilium Tridentinum, & ut omne dubium in hac parte præcideret, certamque regulam adhiberet *in d. cap. 5. ſeſſ. 6.* cavit, quod *nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegij prætextu Pontificalia in alteriùs Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm, ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab exercitio ordinum ſint ſuſpenſi.* Quis non videt hanc Concilij ſanctionem

gene-

generalem eſſe, nec ratione ulla ad unam tantùm Pontificalium ſpeciem debere reſtringi, aut excludi alteram abſque mixtura juriſdictionis? Quin, ne otioſa videatur S. Concilij proviſio, præcipuè emanata conſiderari poteſt, ad inhibendum in aliena Diœceſi abſque licentia Diœceſani exercitium Pontificalium abſque mixtura juriſdictionis, ut celebrare &c. circa quæ erat controverſia, ut antea vidimus: nam circa illa quæ admixtam habent juriſdictionem, ut ordinare &c. jam erat ſpecificè proviſum *in d. can. Epiſcopus 7. q. 1.* & erat indubitatum, ea in aliena Diœceſi abſque licentia Diœceſani exerceri non poſſe, ut diximus ſupra *in tertia aſſertione.* Ex his etiam patet diſpoſitionem *d. Clement. Archiepiſcopo*, & diſpoſitionem Concilij *in d. cap. 5.* diverſas eſſe, atque diverſos caſus comprehendere, indeque confundi non debent, nec ab uno ad alium argui poteſt, ut fecere quamplures de hoc ſcribentes.

99 Ergo, ut rem omnem explicemus, noſtramque declaremus ſententiam, his, quæ notata manent, addendum eſt, uſum Pontificalium in univerſum ad tria reduci, ut depromitur ex Cardin. de Luca *diſc. 14. num. 3. de præem. & in annotat. ad Concil. diſc. 6. num. 2.* nam vel reſpicit actus juriſdictionales, quia dùm actus Pontificales celebrantur ſimul exercetur juriſdictio, ut ordinare, conſecrare &c. & circa hos nullus dubitat, procedere prohibitionem Concilij: vel reſpicit actus honorificos, ſed qui effectus ſunt juriſdictionis, & juris Diœceſani, ut ſunt celebrare, & benedicere, de quibus eſt noſtra quæſtio; & ſimiliter ex dictis certum eſt, hos actus ſub Conciliari prohibitione comprehendi, & firmat Luca *d. diſc. 6. num. 3.* Vel tandem reſpicit honorifica tractamenta, quæ Dignitati Epiſcopali ubique congruunt, & hæc non comprehenduntur ſub prohibitione Concilij. Itaque ſub hac diſtinctione noſtram ſententiam, etiam in terminis Eccleſiarum exemptarum, tenet Auguſtin. Barboſa cum aliis *de poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 6. num. 12.* Sed rem hanc breviter expoſuit præ omnibus cit. Eminentiſſ. de Luca *in d. diſc. 6. num. 5.* ubi ait: Dubitari autem quandoque contigit, an in Eccleſiis exemp-
100 tis intra Diœceſim exiſtentibus, de licentia Prælati ipſius Eccleſiæ exemptæ per alteriùs Diœceſis Epiſcopum, honorificus, ſeu præeminentialis Pontificalium uſus haberi valeat: Atque ubi uſus ſit talis, quod juriſdictionem, ac diœceſanam poteſtatem denotet, puta Pontificaliter celebrandi cum Baculo & Mitra, aliiſque veſtibus Pontificalibus, aut ſedere ſub baldachino, vel defferre mozzetam, ſeu cappam magnam, ſive impartiri benedictionem populo, & tunc id fieri non poteſt; ſecus autem ubi agatur de illis honorificis tractamentis, quæ dignitati Epiſcopali, ubique congruere videntur, puta parare genuflexorium cum ſtrato & pulvinaribus, quoties ipſe Diœceſanus in ipſa Eccleſia non ſit præſens, aut ſibi præbere ſellam magis honorificam in loco digniori cum aliquo ſtrato, & ſcabello, ut ab alio reliquo populo diſtinguatur, cum ſimilibus honorificis actibus, in quibus Epiſcopus habeat ſe merè paſſivè, illos recipiendo, ipſe autem actus juriſdictionales, vel diœceſanos non exerceat, adeo ut eos denegare, potiùs incivilitatem, & incongruentiam redoleret; quoniam ſi ipſe Diœceſanus in ſuis Eccleſiis vult eſſe incivilis, prohibere non debet Eccleſiarum exemptarum Prælatos, vel Superiores, ne hujuſmodi actus urbanitatis & congruentiæ exerceant. Hucuſque de Luca: cujus doctrinæ ratio & fundamentum ex argumentorum ſolutione clarè apparebit, itaque ad illam properamus.

101 Jam ergo non obſtat primum pro contraria ſententia fundamentum, de-

deſſumptum ex illo communi dicto, quod Eccleſiæ exemptæ virtute exemptionis, licèt ſint in Diœceſi non dicuntur de Diœceſi, quin extra eam conſiderantur; nam, ut alienus Epiſcopus excludatur propter prohibitionem Concilij *in d. cap. 5.* ſufficit ut ſint in Diœceſi; Concilium ſiquidem exercitium Pontificaliũ in aliena Diœceſi prohibuit abſq; licentia Diœceſani, non diſtinguens inter loca exempta, & non exempta: ſimiliter illa ſituatio in Diœceſi tribuit jus Diœceſano, ut abſque ejus permiſſu, nullus alius Prælatus, ſive Epiſcopus ibi pontificaliter exerceat, ſive celebret; nam exemptio Eccleſię ſituationem non tollit, & hinc nec conceptum Diœceſani, nec habitualem juriſdictionem. Quod ſi Eccleſiæ exemptæ non dicuntur de Diœceſi; imò quandoque extra Diœceſim conſiderantur, id præcisè ob ſuſpenſionem actualis & contentioſæ juriſdictionis dicitur, ut ſæpè annotavimus.

102 Nec etiam obſtat ſecundum fundamentum deſſumptum ex paritate *d. Clement. Archiepiſcopo 2. de privil.* ut quemadmodum licet Diœceſano in Eccleſia exempta ſuæ Diœceſis, inconſulto Prælato Eccleſiæ, actus Pontificales honorificos exercere, quia honorifici ſunt; ita liceat eadem ratione alieno Epiſcopo, inconſulto Diœceſano, conſentiente Eccleſiæ Prælato. Diverſa enim eſt ratio utriuſque Epiſcopi, ut patet ex dictis ſupra, reſpectu enim Diœceſani, non obſtante exemptione, Eccleſia exempta eſt, diciturque eſſe in ſua Diœceſi; quamobrem diſpoſitionem Concilij *in d. cap. 5.* potiùs favere, quàm obſtare Diœceſano conſtans eſt. Reſpectu verò alieni Epiſcopi, cùm ſit in aliena Diœceſi, nulla arte eludi poteſt prohibitio ejuſdem Concilij. Ulteriùs Diœceſanus in Eccleſia exempta conſervat, ac retinet veſtigia quædam, ſive reliquias præcedentis ſubjectionis & habitualem juriſdictionem, quod utique deficit in alieno Epiſcopo, unde corruit argumentum. Accedit quod illi actus permiſsi Diœceſano *in d. Clement.* non permittuntur præcisè, quia ſunt honorifici, & exemptioni non præjudicant; ſed ratione ſituationis, ejuſque habitualis juriſdictionis, cujus intuitu competens honor & reverentia ei ab exemptis eſt præſtanda, ut antea diximus; ipſi ſiquidem actus abſolutè conſiderati ſuperioritatem denotant, & effectus ſunt juriſdictionis, & juris territorialis, quo caret alienus Epiſcopus.

103 Tandem non obſtat tertium fundamentum petitum à paritate inſignium Pontificalium; nam admiſſa diſtinctione inſignium ibidem tradita, nihil ex ea contra noſtram ſententiam concluditur, quin ex ea confirmatur; quod mirum eſt, contrariæ ſententiæ AA. non reſpexiſſe: & patet, nam admiſſa præfata inſignium differentia, certum eſt, Epiſcopum in aliena Diœceſi, ſive alium Prælatum extra ſuum territorium, uti non poſſe inſignibus denotantibus ſuperioritatem ſuper alios; quod ſi quærimus à contrariæ ſententiæ aſſertoribus, quænam ſint hæc inſignia; reſpondent exemplificando in Mitra, Baculo, & aliis. Nunc verò ſi concedimus Epiſcopum, vel alium Prælatum poſſe celebrare pontificaliter in aliena Diœceſi abſque licentia Diœceſani, inevitabiliter concedimus, ut Mitra, Baculo, & Sede tanquam acceſſoriis ad celebrationem utatur abſque licentia Diœceſani. Ergo, vel falſa eſt tradita differentia & doctrina inſignium Pontificalium; vel ſi vera eſt, noſtram confirmat ſententiam. Æquivocum enim ſtat in æquiparandis inſignibus Pontificalibus honorificis, ut annullus, pectoralis, Rochetum &c. cùm actibus Pontificalibus, qui honorifici dicuntur, ut celebrare, & benedicere; illa ſiquidem ita ſunt merè honorifica, ut nullam denotent

tent poteſtatem, ſed tantùm dignitatem inſigniti, ut ipſi AA. contrarij explicant; hi verò actus dicuntur honorifici, non quia abſolutè ſint honorifici, ſed comparatione facta cum illis juriſdictionalibus, ut ordinare, conſecrare &c. revera enim, ut vidimus, ipſi denotant ſuperioritatem, & effectus ſunt juriſdictionis, & juris diœceſani, pro quo videri poterunt tradita ſupra *in cap.* 1. 1. *part.* Quibus finem imponimus huic quæſtioni, in qua communis hodierna praxis noſtræ ſententiæ adſtipulatur.

CAP. II.

Super computis & exactionibus redditus Fabricarum Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium, & ſuper reparatione ædificiorum, & ornamentorum.

IN primis concordatum fuit privative ſpectare ad Dignitatem Prioralem, illiuſque Miniſtros deſumere computa fabricarum dictarum Eccleſiarum Parochialium, Eremitoriorum, & Hoſpitalium Religionis S. Joannis. Secundum concordatum fuit Dignitatem Archiepiſcopalem præcipere poſſe jure delegato reſtaurationem Eccleſiarum Parochialium, & Eremitoriorum Religionis, quoties ex eo, quod indecentes exiſtant pro adminiſtratione Sacramentorum tali indiguerint reſtauratione illarum ædificia, idemque mandare poterit quoad ornamenta, cæteraque etiam divinum cultum reſpicientia in Eremitoriis, quæ non regantur per perſonas Regulares, injungendo, quod utrumque executioni demandetur per remedia juridica, expenſis illorum, qui contribuere debebunt in illorum reparatione; idque mandare poterit tam in viſitatione, quàm extra illam. Tertium concordatum fuit, quod mandata, & reliquæ expeditiones concernentes exactionem reddituum fabricarum Parochialium, Eremitorium, & Hoſpitalium expediri, & concedi poſsint à quolibet ex Vicariis Dignitatis Archiepiſcopalis, vel Prioralis, coram quo œconomus, ſive Adminiſtrator reddituum recurſum habebit ad illas expoſcendum, & hoc ſine diſtinctione, quod debitores ſint ſubditi uniùs, vel alteriùs Dignitatis.

SUMMA CAPITIS.

1 *Ratio ordinis & continuationis.*

CONCORDAT. I.

2 *Præjudicialis eſt rationum neglectus.*

3 *Eccleſiarum aliorumque locorum Regularium Prioratus rationes exigere competit D. Magno Priori.*

Magnus

4 *Magnus Prior in Eccleſiis Prioratus eſt Ordinarius in materia adaptabili.*

5 *Senſus S. Concilij* in cap. 9. ſeſſ. 22. de reform.

6 *Rationes exigere eſt actus viſitationis reſpiciens œconomicam Eccleſiarum adminiſtrationem.*

7 *Computa deſſumere percutit tantùm Eccleſias materiales, nulla habita parochialitatis ratione.*

8 *Diœceſanus in viſitatione Eccleſiarum Regularium non poteſt revidere rationes fabricarum.*

9 *Diœceſanus non poteſt deſſumere computa Hoſpitalium, & Eremitoriorum Regularium.*

10 *Vicarius Diœceſanus, & non Prioralis deſſumet computa Eccleſiarum & Eremitoriorum Sæcularium Prioratus; & quæ ſint iſta.*

11 *Diœceſanus excipiet rationes quorumcumque operum piorum Sæcularium Prioratus.*

12 *Ad quem ſpectet exigere rationes eleemoſinarum, quæ fiunt Sacris Imaginibus, ſitis in Eccleſiis Regularibus.*

13 *Eleemoſinæ factæ Imagini, quæ Confraternitatem habet, ſpectant ad Confratres.*

14 *Confratres rationem eleemoſinarum tenentur præſtare Diœceſano.*

15 *Opponuntur Iura & auctoritates, quibus evincitur hujuſmodi eleemoſinas ad Eccleſiam & illius fabricam ſpectare.*

16 *Accipiuntur Iura & auctoritates de eleemoſinis factis Imagini, quæ Confraternitatem non habet.*

17 *Parochus nihil juris habet in eleemoſinis factis Imagini, quæ Confraternitatem habet.*

18 *Situatio Confraternitatum in Eccleſia Regulari nihil obſtat, nec eas eximit à juriſdictione Diœceſani.*

19 *Diœceſanus poteſt viſitare Capellas Confraternitatum ſitarum in Eccleſiis Regularium.*

20 *Cuinam competat deſſumere computa eleemoſinarum, quæ fiunt Imagini, habenti aliquam Congregationem, ſed non veram Confraternitatem.*

21 *Reſpondetur: competere utrique Vicario cumulativè, & traditur ratio.*

CONCORDAT. II.

22 *Reſtauratio Eccleſiarum eſt res gratiſsima Deo, & pietatis ac Religionis eximium opus.*

23 *Reparatio Eccleſiarum eſt cauſa pia & favorabilis.*

24 *Cauſa reparationis Eccleſiæ eſt popularis, cuilibet de populo competens.*

25 *Iudex poteſt ex officio procedere in cauſa reparationis Eccleſiæ.*

26 *Cauſam reſtaurationis Eccleſiæ Canones Epiſcopo committunt.*

27 *Epiſcopus cogere poteſt exemptos jure delegato, ad reparationem Eccleſiæ per fructuum ſequeſtrationem, nec tenetur deferre appellationi.*

28 *Cauſa reſtaurationis cur comprehendatur in juriſdictione delegata.*

29 *Quid comprehendat juriſdictio delegata conceſſa Archiepiſcopo in Eccleſiis Hieroſolymitanis.*

30 *Afferuntur S. Congregationis declarationes, quæ hanc delegatam juriſdictionem confirmant.*

31 *Diœceſano debent exhiberi libri fabricarum, ut ibi apponat mandata concernentia reparationem & decentiam Eccleſiarum.*

32 *Juriſdictio delegata extenditur ad ornamenta, & vaſa Sacra.*

33 *Omnes res Sacræ largè dicuntur* Sacramenta.

34 *Epiſcopo ratione muneris competit providere circa cultum, & ornatum Eccleſiarum.*

35 *Hoc ipſum confirmat in noſtris terminis S. Congregatio.*

36 *Diœceſanus poteſt providere circa cultum non ſolùm in Parochialibus, ſed etiam in Eremitoriis.*

37 *Eremitoria intelliguntur eſſe Capellæ Eccleſiæ Parochialis, in cujus diſtrictu conſiſtunt.*

38 *Eremitoria veniunt appellatione Eccleſiæ.*

39 *Eremitoria ſubduntur Diœceſano, quia in eis perſæpè Miſſæ ſacrificium celebratur.*

40 *Iuriſdictio delegata conceſſa Diœceſano circa reſtaurationem, & ornatum Eccleſiarum non ſolùm poteſt exerceri in viſitatione, ſed extra eam, & quare.*

CONCORDAT. III.

41 *Mandata pro exactione reddituum fabricæ Eccleſiarum expediri poſſunt æqualiter ab utroque Vicario ſine diſtinctione ſubditorum.*

42 *Quia utrique Vicario juriſdictio competit in Eccleſiis, licèt diverſis reſpectibus, hinc utrique plures actus juriſdictionales competunt cumulativè.*

43 *Rationum conflictus locum dedit cumulativæ juriſdictioni.*

44 *Diverſa ratio, quæ facit pro unoquoque Vicario provenit ex diverſo modo conſiderandi Eccleſias.*

45 *An Diœceſanus poſsit etiam hac juriſdictione procedere contra uſurpantes bona Eccleſiarum.*

46 *Reſolutio affirmativa Nuncij Hiſpaniarum.*

47 *Traditur ratio reſolutionis.*

48 *Vera eſt obligatio, quæ ex delicto deſcendit; & qui illa tenetur propriè eſt debitor.*

49 *Laudatur in propoſito doctrina Cardinalis de Luca.*

COMMENTARIUM.

1 POſita *in cap. præced.* regularitatē & exemptione Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium; ſimulque inſinuata licèt in genere juriſdictione, quæ utrique Dignitati reſpectivè in eiſdem convenit; rectus ordo exigit, ut ab hac principali declaratione & partium conventione, adhibita caſuum ſeparatione, ad utriuſque juriſdictionis exercitium diſcernēdum procedamus cum Concordantibus, qui claritatis cauſa tria in præſenti offerunt concordata, quorum explicationem aggredimur.

CONCORDAT. I.

INter ea, quæ à Prælatis Eccleſiaſticis magnopere curari debent ratione adminiſtrationis ſibi commiſſæ, locum vindicat reddituum Eccleſiaſticorum fidelis diſpenſatio, & diſtributio; quæ utique haud facilè obtinebitur, ſi ab œconomis & Adminiſtratoribus rationes non exiguntur, nam ut ait Klok. *de ærar. lib. 2. capit.* 128. præjudicialis eſt rationum neglectus, per quem fit tacita licentia furtorum, fidique etiam Miniſtri ad peculatum, & ſocordiam invitantur.

2 In re igitur adeò magni momenti neceſſe fuit, ut Eccleſiis cæteriſque locis piis Prioratuum provideretur, Judicem deſignando, qui ſuorum Jurium & reddituum computa deſumeret: aſt quia reſpectu eorumdem locorum, propter ſituationem in Diœceſi Toletana, jus fundatum ad ejuſmodi rationes deſumendas Ordinario Diœceſano competere videbatur, ex generali diſpoſitione S. Concilij Tridentini *in cap. 9. ſeſſ. 22. de reform.* & ex contrario idem jus proprium Magni Prioris apparebat attenta ipſorum locorum regularitate; hinc neceſſe fuit circa hoc dubium in hoc primo

3 mo concordato, quid tenendum eſſet declarare; itaque conventum fuit Dignitati Priorali, ejuſque Vicario privativè competere jus deſſumendi computa, ſeu rationes fabricarum Parochialium, & aliorum locorum Regularium, in Prioratibus Concordiæ tempore exiſtentium.

4 Hujus autem Concordati in promptu eſt ratio, quia ut *cap. præced.* vidimus, Magnus Prior in his Eccleſiis & locis, uti Regularibus, ex tranſactione facta in eodem Capite, eſt Judex Ordinarius, licèt non abſolutè, tamen ſecundumquid, & in materia adaptabili, ut in pluribus deciſionibus habetur firmatum ex Bulla Pij IV. *in ordine* 136. *num.*

num. 2. præſertim in illa *Tribunalis Vicarij Religionis die* 17. *Iunij* 1689. & ſuper *eodem* 16. *Iunij* 1690. *verſ. nec meretur*, & in alia *inhibitionis* 11. *Decembris* 1690. *coram Molines.* Et ſic firmata regularitate harum Eccleſiarum & locorum, impediri nequit Magnus Prior quominus auctoritate ordinaria hæc computa ab Adminiſtratoribus exigat. Nec tunc obſtat diſpoſitio S. Concilij
5 Tridentini *in d. cap.* 9. *ſeſſ.* 22. *de refor.* quæ præſcribit, Adminiſtratores cujuſvis fabricæ, confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum rationem ſuæ adminiſtrationis Ordinariis locorum reddere debere: quia ibi Concilium debet intelligi de locis Sæcularibus; non verò de Regularibus; præſertim in his habentibus Inferiorem Ordinarium, qui de adminiſtratione curet; & in hoc propoſito, hanc ſententiam confirmans adeſt quædam Sac. Congregationis Concilij declaratio, inhærens diſpoſitioni *Clement. quia cõtingit de Relig. domib.* quam refert Fagnan. *in cap. ad hæc de Rel. domib. à num.* 47.

6 Accedit in confirmationem; quod exigere ab Adminiſtratoribus ſuæ adminiſtrationis rationem, eſt actus viſitationis reſpiciens œconomicam adminiſtrationem Eccleſiarum; cùmque harum Eccleſiarum viſitatio jure ordinario competat Magno Priori, ut habetur *in deciſ.* 11. *Decembris* 1690. *verſ. quoad ſecundum cor. Molines*, & *in cap.* 9. & 10. *hujus Concord.* ubi latiùs de hoc agetur; hinc & conſequenter eidem Magno Priori jus deſſumendi computa concedendum venit.

7 Facit etiam, quod deſſumerẽ computa ſeu rationes fabricarum, percutit tantùm ipſas Eccleſias materiales ſine ulla relatione ad populum, & Parochialitatem; unde clare infertur privativè pertinere (juxta doctrinam traditam *cap. præced. num.* 34.) ad Dignitatem Prioralem, cui ſubjectæ ſunt omnino Eccleſiæ materialiter conſideratæ; non verò ad Dignitatem Archiepiſcopalem, cujus delegata juriſdictio tantùm percutit Eccleſias formaliter conſideratas, ideſt ratione Parochialitatis. Et ob
8 hanc rationem licèt Vicario Diœceſano concedatur in viſitatione Eccleſiarum Regularium, ut poſsit viſitare ea omnia, quæ ad curam populi reſpiciunt, ut videbimus infra in *cap.* 10. tamen ei denegatur, ut poſsit revidere computa fabricarum in Congregatione *diei* 23. *Auguſti* 1705. *verſ.* 3.

9 Ex hac ipſa doctrina excluditur juriſdictio Diœceſani, quoad computa & rationes Eremitoriorũ & Hoſpitalium Sacræ Religionis, cùm enim hæc ſint Regularia, & in eis deficiat ratio Parochialitatis, deficit omninò titulus, quo in hæc ſe ingerere poſsit Diœceſanus; & in propoſito Hoſpitalium Ordinum Militarium terminantem habemus diſpoſitionem *in Clem. quia contingit. §. præmiſſa de Relig. domib.*

10 Manet jam ex dictis plenè firmatum, pertinere ad Vicarium Prioralem, uti Ordinarium Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Hoſpitalium Regularium, exigere ab eorum Adminiſtratoribus, ſeu œconomis adminiſtrationis reddituum rationem. Sed cùm ei hæc juriſdictio tribuatur ex præciſa qualitate Regularitatis; hinc extendi non debet ad alias Eccleſias, Eremitoria, aut Hoſpitalia, quàm fundata & erecta uſque ad tempus Concordiæ, quæ utique in *præced. cap.* continentur, & nominãtur; nam quæ ab illo tempore ſunt fundata, vel in poſterum fundabuntur, uti Sæcularia (ex traditis *in cap. præced. num.* 36.) omninò & abſolutè ſubſunt Dignitati Archiepiſcopali, quin Dignitas Prioralis aliquo reſpectu poſsit aliquid in eis ſibi vindicare: quare in his Vicarius Archiepiſcopalis deſſumet computa, & de cætero providebit quæcumque ad regimen, & adminiſtratio-

nem œconomicam neceſſariam exiſtimaverit, juxta diſpoſitionem S. Concilij Tridentini *ſeſſ. 22. de reform. cap. 8. & 9.* Quæ utique doctrina hodie practicatur in Eremitoriis Sæcularibus (utpotè poſt hanc Concordiam fundatis) S. Antonij in Villafranca, & SS. Chriſti del Coloquio in Villa-Cañas, in quibus Vicarius Archiepiſcopalis computa deſumit privativè quoad Prioralem, & generaliter jure ordinario explet omnia concernentia conſervationem, & œconomicam bonorum adminiſtrationem.

11 Sed non ſolùm in Eccleſiis, Eremitoriis, & Hoſpitalibus poſt hanc tranſactionem fundatis ſuperior doctrina procedit; verùm generaliter eſt extendenda ad quæcumque opera pia Sæcularia etiamſi ſita, & fundata ſint in Eccleſiis Regularibus; ut ſunt exempli gratia, Capellaniæ, Patronatus, Memoriæ, Anniverſaria, & Confraternitates; ſiquidem earum Adminiſtratores Vicario Archiepiſcopali rationem reddere tenentur; & inſuper hic omne illud decernet jure Ordinario & privativè quoad Prioralem, quod conſervationem bonorum reſpicit, juxta ſuperiùs adductam diſpoſitionem Tridentini *in d. cap. 8. & 9.* quàm ſequuti fuere Concordantes *infra in cap. 9.* ubi tanquam in propria ſede latiùs de hoc agetur.

12 Dubium tamen eſt, cuinam ex Vicariis competat rationes exigere eleemoſinarum, quæ offeruntur Sacris Imaginibus, ſitis in Eccleſiis Regularibus? Et in hoc dubio diſtinguendum eſt inter illas Imagines, quæ Confraternitates habent, & inter eas, quæ non habent. Si enim dubitatur in primo caſu, dicendum eſt, ad Vicarium Diœceſanum ſpectare rationes repoſcere eleemoſinarum à Confratribus collatarum.

13 Cùm enim oblationes, & eleemoſinæ illi Imagini factæ, ad Confraternitatem ſpectent, & Confratres illas poſsint percipere, & convertere in pios uſus, juxta ipſius Confraternitatis mores & inſtituta, ut in terminis tradit Mareſcot. *variar. lib. 2. cap. 42.* Riccius *4. part. deciſ. 170. num. 11.* Fagnan. *in cap. paſtoralis de his quæ fiunt num. 22.* Moſtazo *de cauſ. piis lib. 4. cap. 1. num. 11.* Hinc

14 eſt, ut rationem & diſtributionem hujuſmodi eleemoſinarum debeat requirere, qui in ipſam Confraternitatem juriſdictionem exercet: atqui ex traditis *num. ſuper.* & ex tradendis infra *in cap. 8. & 9. Concord.* conſtans ac firma eſt Vicarij Diœceſani juriſdictio in Confraternitates & earum bona; igitur juriſdictio in hoc caſu tribuenda eſt Diœceſano, ut Confratres cogere poſsit ad redditionem rationum oblationum, & eleemoſinarum; quæ hoc ipſo quod ad Confraternitatem ſpectant, ipſius bona debent intelligi.

15 Huic tamen reſolutioni adverſatur; quod cùm hujuſmodi eleemoſinæ, ſeu oblationes proponantur factæ Imagini in Eccleſia Regulari Parochiali exiſtenti, ad ipſam Eccleſiam & illius fabricam debent ſpectare, *cap. paſtoralis 9. de his quæ fiunt à maj. part. cap. dudum 31. cap. quoniam 13. de decim. cap. dilectus 18. de offic. Ordin.* & illarum adminiſtratio, & diſtributio Parocho Priori de jure competit, ex iis quæ tradit Mareſcot. *d. cap. 42.* Lother. *de re benefic. libr. 1. q. 30. num. 28.* Moſtazo *d. cap. 1. à num. 13.* quæ omnia locum faciunt juriſdictioni Vicarij Prioralis, cui obnoxiæ ſunt Eccleſiæ Regulares, fabricæ, & earum Parochi, & Adminiſtratores, ut ſatis ex ſuperioribus liquet.

16 Verùm huic conſiderationi facilè reſpondetur, prædicta jura & auctoritates, optimè procedere in terminis generalibus Imaginis, quæ Confraternitatem non habet; tunc enim eleemoſinæ, ſeu oblationes intuitu Eccleſiæ creduntur factæ, ut in terminis exiſ-

existimant Marescot. *d. cap.* 42. *num.* 9. Felin. *in cap. dilectus de offic. Ordin. num.* 1. Riccius *d. decis.* 170. *num.* 9. At cùm aliqua Confraternitas tenet Imaginem, ea offerentium creditur esse intentio & voluntas, ut oblatæ eleemosinæ Confraternitati acquirantur, & in ornatum illius Imaginis alioſque pios usus, pro quibus hæ Sodalitates institui solent, à Confratribus expendantur, ut ex ipsis Auctoribus citatis satis colligitur; unde Parochus in hujusmodi eleemosinis nihil juris habet, ut resolvit S. Rit. Congregatio 10. *Decembris* 1703. per hęc verba: *An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, & eleemosinarum in sæpè dictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere.* Respondit. *Negativè.* Refert Ursaya *tom.* 4. *part.* 2. *discept.* 17. *num.* 78.

18 Nec similiter excluditur jurisdictio Vicarij Diœcesani in hac parte ex eo, quod hujusmodi Confraternitates proponuntur fundatæ, & sitæ in Ecclesiis Regularibus; nam cùm Confraternitates sint corpora separata ab Ecclesia, & diversæ qualitatis; exemptio loci eas non afficit, nec situatio aliquid immutat de jurisdictione Diœcesani quoad visitationem, ut in individuo docent Genuens. *in prax. Archiep. cap.* 21. *in princ.* Riccius 4. *part. decis.* 209. *num.* 8. Gratian. *discept. for. cap.* 481. *num.* 25. Mostazo *de cauſ. piis. libr.* 4. *cap.* 12. *num.* 17. ubi refert terminantem Sacræ Congregationis declarationem 6. *Decembris* 1616. Et quod Episcopus possit visitare Capellas Confra-
19 ternitatum, quæ sunt in Ecclesiis Regularium, in respicientibus administrationem Confraternitatis, asserunt Riccius *d. decis.* 209. *num.* 8. Ciarlin. *lib.* 1. *controv.* 65. *num.* 8. Barbosa *in Summ. Apostol. decis.* 207. *numer.* 31. *& de offic. Episcopi* 3. *part. alleg.* 75. *numer.* 13. & de hoc plura videbimus infra *in capit.* 9.

20 Egimus de oblationibus factis Sacris Imaginibus in Ecclesiis Regularibus existentibus, quæ Confraternitates habent; nunc verò dubium occurit, cuinam competat exigere computa eleemosinarum, quæ fiunt Imaginibus veram, & propriam Confraternitatem non habentibus, sed aliquam fidelium devotam Congregationem, quæ in earum festivis diebus solet coadunari, quamdam militiæ exhibens speciem, apud nos *Soldadesca?* Propositum fuit hoc dubium in Congregatione Concordiæ *die* 18. *Decembris* 1700. *vers. lo quarto, & vers. lo segundo*, discordantibus verò Judicibus, ad Illust. Nuntium fuit dubium remissum. Discesserunt postea partes ab hac remissione, & pro bono pacis, pro illa tantùm vice, & sine præjudicio jurium utriusque Dignitatis in Congregat. 23. *Augusti* 1705. media quadam via electa, fuit concordatum, ut pro illis annis in quibus eleemosinæ quæstuarentur à fidelibus, hanc impropriam Confraternitatem formantibus, cumulativa esset utriùsque Vicarij jurisdictio ad rationes exigendas: pro illis verò annis, in quibus hujusmodi defuisset Congregatio, Vicario Priorali privativè jus desumendi computa tribueretur. Demùm de hac ipsa materia actum ple-
21 nè fuit in Congregat. 11. *Martij* 1716. *vers. lo tercero*, ubi concordatum extitit, ad utrumque Vicarium cumulativè spectare hujusmodi eleemosinarum, & oblationum rationem exigere. Ratio autem hujus resolutionis quoad Vicarium Prioralem clara est, si attendimus eleemosinas factas Imagini, in Ecclesia Regulari consistenti absque Confraternitate; in quibus terminis Parocho de jure competit administratio, & consequenter fundata est Vicarij Prioralis jurisdictio, ex iis quæ dicta manent *num.* 18. Quoad Vicarium Diœcesanum non minus clarè fundatur ejus jurisdictio attenta dispositione *cap.* 9. *Concord.* in quo

non modò in Confraternitates ei tribuitur juriſdictio, ſed in quamcumque fidelium Congregationem.

CONCORDAT. II.

22 PIetatis & Religionis eximium opus maximèque Deo gratum Eccleſiarum eſt inſtauratio; unde rectè judicant, qui Regibus & Principibus aliquibus, maximum honorem & potétiam hinc fuiſſe accerſitam opinantur, ut Beyerlinh. *in Theatr. vit. humanæ lit. R. pag.* 50. *& lit. T. pag.* 42. *&* 45. Caſſaneus *in Cathal. glor. mundi. part.* 5. *conſiderat.* 17. ibi: *Etiam Principes temporales majorem gloriæ honorificentiam, & excellentiam habere non poſſunt apud Creatorem, quàm Eccleſias contritas, atque conciſſas reſtaurare,* plura ad hoc notavit D. Solorzano *de jur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 23. *à num.* 1. Sozomen. *in Hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 2. Cùm ex adverſo *indignum ſit, juxta hiſtoriam Domino per Prophetam reprobante, nos in domibus laqueatis habitare, & domos Dei eſſe deſertas.* Concil. Tullenſe *cap.* 11.

23 Meritò ergo nedùm Canones, ſed & leges inter opera pia omnique favore digna reſtaurationem Eccleſiarum comprehendunt, ut *in Authent. de Eccleſiaſt. titul. §. ſi verò, & §. ſi autem hæres collat.* 9. *& in leg. illud* 19. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* ibi: *Quaſi pietatis jure ſubnixa.* Indubitataque eſt ſententia, quam, multos referens, exornat Pechius *de reparand. Eccleſ. cap.* 27. *à num.* 1. Unde reædificationis Eccleſiæ cauſa cuilibet de populo

24 competit, *arg. text. in leg. ſtipulatio iſta de verb. oblig.* ubi permittitur cuilibet *ſtipulari ædem Sacram fieri.* Cùm autem in ipſa lege conſtet neminem poſſe ſtipulari, quod ſuà non interſit; hinc ſequitur cauſam ædificationis, ſeu reparationis Sacrarum Ædium ad omnes pertinere, ut ratiocinatur Alciat. *Conſil.*

25 43. Et hinc etiam in eadem cauſa aliud ſingulare eſt, quod Religionis, publicæque utilitatis attenta ratione; quæ circa res ſacras verſatur, *leg.* 1. *§.* 2. *de juſt. & jur.* Judex ex officio procedere poteſt Alciat. *d. Conſil.* 43. Pech. *ubi ſup. num.* 6.

26 Ergo & cauſæ momentum & favor id effecit, ut Sacri Canones Epiſcoporum curæ rem hanc committerent, ut patet *in cap. decernimus* 10. *cap. Epiſcopum* 11. 10. *quæſt.* 1. *in Clement. quia contingit de Relig. domib.* & noviſsimè *in cap.* 7. *ſeſſ.* 21. *de reform.* Concilij Tridentini. Quibus in locis ampla tribuitur Epiſcopis poteſtas procedendi omnibus

27 remediis opportunis contra quoſcumque tam Seculares jure Ordinario, quàm Regulares, & exemptos jure delegato, non obſtantibus quibuſcumque exemptionibus, & conſuetudinibus, ut habetur *in cap.* 8. *ſeſſ.* 7. *de reform. & in cap.* 8. *ſeſſ.* 21. Ex quibus D. Salgado *de Reg. protect. part.* 3. *cap.* 5. *numer.* 17. tenet, Epiſcopum, non deferentem appellationi interpoſitæ à ſententia, quæ quis etiam exemptus ad refectionem Eccleſiæ compellitur, *vim non facere.* Unde Epiſcopus, in cujus Diœceſi beneficia ſunt erecta, ſi Eccleſiæ reparatione indigeant, poteſt fructus beneficiorum ſequeſtrare, etiamſi ſint Militum Hieroſolymitanorum, ut reſpondit S. Congregatio Concilij *in Hierarc.* 18. *Maij* 1590. *& in Narnienſi* 24. *Maij* 1657. & refert per extenſum Monacell. *in formul. leg. part.* 2. *titul.* 15. *num.* 28.

28 Congruenter ergo Conciliari diſpoſitioni, in noſtro Capite in hoc Secundo concordato conceditur Dignitati Archiepiſcopali, quod poſsit jure delegato præcipere reſtaurationem Eccleſiarum, & Eremitoriorum. Nec enim ea tantùm comprehendit juriſdictio delegata, quæ directè concernunt curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum; ſed ea etiam, quæ in horum conſequentiam veniunt, ut firmavit Rota in hac cauſa coram Molines *deciſ.*

11.

11. *Decembris* 1690. *verſ. hactenus*, & inſuper docent Doctores relati à Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg.* 74. *num.* 20. *& ad Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 11. *num.* 15. juncta *deciſ. Seraphini* 1667. *num. ult.* Conceditur igitur Dignitati Archiepiſcopali juriſdictio delegata circa reſtaurationem Eccleſiarum, tanquam quid veniens in ſequelam adminiſtrationis Sacramentorum, ut patet ex illis verbis noſtri Capitis: *Quoties ex eo, quod indecentes exiſtant pro adminiſtratione Sacramentorum.* Idcirco diſ-
29 putato dubio, *in Congregat.* 5. *Octobris* 1699. quid comprehenderet juriſdictio delegata Dignitati Archiepiſcopali conceſſa in Eccleſiis Sacræ Religionis? Diſcordantibus Judicibus, declaravit Illuſtriſsimus Nuncius *die* 9. *Ianuarij* 1700. in juriſdictione delegata comprehendi omnes caſus, de quibus agitur *in cap.* 2. 9. 10. *& 11. hujus Concordiæ*; cùm autem caſus reſtaurationis Eccleſiarũ expreſsè comprehendatur in hoc noſtro Capite; manet undique verum poſſe Diœceſanũ præcipere jure delegato hujuſmodi reſtaurationem.

30 Ceſſat etiam in propoſito omne dubium, attentis reſolutionibus Sacræ Congregationis Concilij, quæ in eiſdem terminis hanc delegatam juriſdicdictionem confirmat, in una ſiquidem *Vulturarienſi die* 24. *Februarij* 1652. loquendo de Eccleſia Parochiali Hieroſolymitanorum, conceditur Epiſcopo Diœceſano tanquam Delegato, ut poſsit edere decreta circa Eccleſiæ reſtaurationem, & generaliter in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Et in una *Peruſina* 11. *Ianuarij* 1578. etiam in terminis Parochialis Religionis Hieroſolymitanę id ipſum reſcriptum fuit Diœceſano, his verbis: *Puo anche V. S. far riſtaurare la Chieſa vedendo che non ſia decente, è commoda per la amminiſtratione ſuddeta, è le altre coſe che hanno dipendenza con eſſa amminiſtratione*, refert Jacob. Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 26. *n.* 31. *& 34.*

31 Juxta hæc patet rectè reſolutum fuiſſe à Judicibus Concordię in Congregat. 23. *Auguſti* 1705. *verſ. lo tercero*; poſſe Vicarium Archiepiſcopalem petere, ut ſibi exhibeantur libri Fabricarum Eccleſiarum Religionis, ut in eis apponat mandata, & decreta concernentia reparationem, & decentiam Eccleſiarum, ſicuti & alia reſpicientia juriſdictionem delegatam.

32 Fluit etiam ex jam dictis extendendam eſſe potiori ratione juriſdictionem delegatam ad ornamenta, vaſa Sacra, Eccleſiaſticam ſupellectilem, & alia hujuſmodi; quia licèt hæc non immediatè reſpiciant Sacramentorum adminiſtrationem, & curam animarum; tamẽ veniunt in ejus ſequelam per quandam dependentiam; & quidem propriùs quàm reſtauratio Eccleſiarum, quia ut
33 ait D. Salgado *de Reg. protect. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 81. licèt Sacramenta Eccleſiæ tantùm ſint ſeptem, tamen ultra dicuntur largè Sacramenta omnes res Sacræ. Unde Epiſcopis tanquam proprium munus committitur *in cap.* 8. *ſeſſ.*
3421. *de reform.* quod provideant, & curent circa hæc, quæ expedire judicaverint, his verbis: *Quæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant ab Ordinario diligenter, atque iis ubi opportuerit provideri æquum eſt*, juxta antiquam ordinationem *in cap. Altaria. cap. Vaſa de Conſecrat. diſt.* 1. *cap.* 1. *& 3. de conſecrat. Eccleſ. cap.* 1. *de cuſtod. Euchar. cap. ult. de celebrat. Miſſar.* & ad formam Rituali Romani *cap.* 18. *&* 19. Quod adeo inhæret juriſdictioni Epiſcoporum, ut in Eccleſiis immediatæ Regis protectioni commiſsis, eis non prohibeatur viſitatio quoad illa, quæ tendunt ad decorem, ornamenta, aliaque ſimilia, ad cultum divinum ſpectantia, Pereyra *de manu Regia part.* 1. *cap.* 17. *num.* 12.

Diana

Diana *reſol. moral. part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 100. Barboſa *in collect. ad cap.* 8. *ſeſſ.* 22. *num.* 30. *& de jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 61.

35 Et quod Epiſcopus poſsit jure delegato præcipere quidquid reſpiciat decentiam, & ornatum pro adminiſtratione Sacramentorum, reſponſum fuit in terminis Eccleſiæ Parochialis Religionis Hieroſolymitanæ à S. Congregatione Epiſcoporum in dicta Peruſina, quam refert Pignatell. *d. conſult.* 26. *à num.* 28. Unde eodem modo, quo Epiſcopus Diœceſanus propter reparationem Eccleſiarum fructus ſequeſtrare poteſt, ita pro conficiendis Sacris ſuppellectilibus, poterit ſequeſtrum decernere contra Beneficiatum, S. Congregatio *in d. Narnienſi*, & tradit Monacelli *ubi ſupra* in terminis Hieroſolymitanorum.

36 Jam ergo patet, cur in noſtro Capite, ſtatuatur Vicarium Archiepiſcopalem poſſe jure delegato mandata edere in concernentibus ornatum & decentiam adminiſtrationis Sacramentorum tam in Eccleſiis, quàm in Eremitoriis S. Religionis, & *in cap.* 10. *Concor.* quod poſsit viſitare *Sacraria, Fontes Baptiſmales, Olea Sancta, illorumque vaſa chriſmatis, Altaria, vaſa Sacra, ornamenta, & reliqua ſuppellectilia.*

37 Præcedentibus non convenire aliquis forſam putabit, quod Diœceſano concedatur, ut poſsit in Eremitoriis ea præcipere, quæ divinum cultum reſpiciunt: cùm Eremitoria Regularia ſint loca exempta, & in eis ceſſet ratio adminiſtrationis Sacramentorum. Sed ceſſat difficultas, ſi attendimus Eremitoria, uti publica Oratoria, eſſe, & intelligi Capellas illius Eccleſiæ Parochialis, intra cujus terminos conſiſtunt, *cap. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. Fagnan. *in cap. expoſuiſti de præbend. num.* 3. Ob quod veniunt appellatione Eccleſiæ, ut probant Cor-
38 tiada *tom.* 2. *deciſ.* 64. *num.* 5. Valenz. *conſ.* 18. *num.* 62. Et cùm in eis ſæpè
39 celebretur Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, hinc Diœceſano ſubiiciuntur in hac parte, vigore decretorum S. Concilij Tridentini *in cap.* 8. *ſeſſ.* 21. *de reform. & ſeſſ.* 22. *de obſerv. & vitand. in celebr. Miſſar.* in quibus conceditur Epiſcopis poſſe providere quæcumque ad Dei cultum ſpectant in omnibus locis ſuæ Diœceſis; & poteſtas prohibendi, mandandi, corrigendi, & ſtatuendi quæcumque ad debitum honorem, & cultum incruento Miſſæ Sacrificio debitum, & populi devotionem excitandam judicaverint expedire, *non obſtantibus privilegiis & exemptionibus*, de quo videndus Van-Eſpen *in repagul. can. part.* 2. §. 12.

40 Tandem in hoc ſecundo concordato conventum fuit, poſſe Vicarium Diœceſanum præcipere reparationem, decentiam, & ornatum Eccleſiarum non ſolùm in viſitatione, ſed extra eam: quod congruentiſsima fundatur ratione, nam, ut conſiderat Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 4. *num.* 5. abſurdum eſſet, quod Epiſcopus videns Sacramenta indecenter adminiſtrari, vel propter ruinam Eccleſiæ, vel ob defectum ornamentorum, providere non poſſet; ſed pati cogeretur expectando tempus viſitationis, quod ubi frequentiùs non ſolet eſſe niſi ſemel in anno. Certè abſonum eſſet exercitium juriſdictionis delegatæ, quæ res adeo magni momenti reſpicit, ad tempus, & actum viſitationis reſtringere; & hinc, propoſito dubio & diſputato in Sacra Rota ſuper hoc puncto, inſuperhabita contradictione Miniſtrorum Prioralium, favore Dignitatis Archiepiſcopalis reſolutum fuit *in deciſ.* 10. *Ianuarij* 1689. *num.* 5. *cor. Molines*, & *in deciſ.* 17. *Iulij* 1689. *à num.* 3. *cor. eod.* propter diſpoſitionem Bullæ Gregorij XIII. 67. *in ordine.* §. 2. ibi: *Etiam extra viſitationem*, & Bullæ Gregorij XV. 18. *in ordine* ibi: *Ita ut quoties, & quando*

opus

opus fuerit etiam extra visitationem; quibus in Bullis declarata fuit generica, & indistincta dispositio Concilij Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 11. in qua S. Religio Hierosolymitana comprehenditur, etiam ubi temporalem, & spiritualem jurisdictionem habet, ut statuit S. Pius V. *in suis Bullis* 77. *&* 136. §. 3. & novissimè Urbanus VII. *Bulla* 13. §. 10. & Innocentius X. *Bulla* 31. faciunt in idem *decis.* 391. *part.* 13. *& decis.* 120. *à num.* 10. *part.* 18. quæ in hac causa prodierunt.

CONCORDAT. III.

41 IN hoc tertio, & ultimo concordato nostri Capitis fuit conventum, posse æqualiter utrumque Vicarium expedire mandata exactionem redituum Fabricarum, Parochialium, Eremitoriorum, & Hospitalium Regularium concernentia; & hoc sive illi contra quos expediuntur, sint subditi Dignitatis Archiepiscopalis, sive Prioralis: arbitrio œconomorum, sive Administratorum relinquendo, ut pro hujusmodi mandatorum expeditione, coram quo maluerint Vicario compareant.

42 Hujus concordati non facilè stricta juris ratio potest assignari, ut ex ipso patet; sed tamen æquissima ratione procedit, nam suppositа utriusque Vicarij diversis respectibus jurisdictione in Ecclesias Regulares, ut vidimus in *cap. præced.* qua stante plurimi circa eas actus cumulativè, & simultaneè ab utroque expediuntur, ut accidit in mandatis circa recuperationem, & ornatum Ecclesiarum, & Eremitoriorum; conveniens, & Ecclesiis utile visum fuit Concordantibus, quod uterque Vicarius, licèt diverso respectu, in hac parte competens Judex esset: nam certè utile est plures Judices habere, coram quibus debitores conveniantur; siquidem œconomi, sive Administratores ob plurimas rationes velùti majorem proximitatem, aut minores sumptus forsam utiliùs judicabunt in uno potiùs, quàm in alio Tribunari agere. Sed hic etiam considerandum est, quod frequentissimè

43 personæ contra quas hæc mandata expediuntur, sunt de Populo, ac Clero Sæculari, ac per hoc subditæ Vicario Diœcesano: unde licèt Vicario Priorali attenta natura causæ, quæ temporalitatem Ecclesiarum respicit, concedatur jurisdictio hujusmodi mandata expediendi; concedenda etiam est Vicario Diœcesano ex vulgatis juris regulis ratione personarum, contra quas expediuntur. In quo rationum conflictu rectissimè statuitur in præsenti utrumque Vicarium absque distinctione subditorũ procedere posse.

44 Quod diximus, utrumque Vicarium procedere posse licèt diverso respectu, intelligendum est attenta illa separatione, & discretione, quam fecimus *cap. præced.* circa modum considerandi Ecclesias Regulares; ideſt, ut Vicarius Prioralis procedat ordinaria jurisdictione sibi in Ecclesiis Regularibus competente; Vicarius verò Diœcesanus procedat jurisdictione delegata contra exemptos, quæ ratione connexionis, vel dependentiæ cùm iis, quæ directè, sivè immediatè respiciunt administrationem Sacramentorum tribuitur, & comprehendit hunc casum, sicut reliquos in hoc *cap. & in cap.* 9. *Concord.* contentos, prout constat ex clara decisione Illust. Nuntij *die* 9. *Ianuarij* 1700. de qua supra diximus: quoad subditos verò de Clero, & Populo Sæculari hac delegata jurisdictione non eget, sed sua ordinaria procedet.

45 Nunc autem opportunè disquirendum venit, an Vicarius Diœcesanus cognoscere possit de bonis Ecclesiarum usurpatis, & contra usurpatores mandata expedire? Hoc dubium agitatum fuit in *Congregat.* 26. *Novembris* 1699. in qua Judices Priorales procedere non posse

poſſe ſentiebant fortè hac conſideratione moti; nimirùm talia mandata reſpicere temporalitatem Eccleſiarum, ac proinde nullo reſpectu poſſe referri ad curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, unde deficere videbatur fundamentum, in quo radicaretur juriſdictio delegata, quæ Vicario Diœceſano competit in Eccleſias Regulares, juxta theoricam deſuper traditam. Per contrarium verò Judices Archiepiſcopales judicabant, Vicarium Diœceſanum non minus in hoc caſu delegata juriſdictione procedere poſſe, quàm in caſu præcedenti pro exactione reddituum, relinquendo arbitrio œconomorum, ut coram quo maluerint Vicario compareāt. Diſcordantibus ita
46 Judicibus, prodiit reſolutio Apoſtolici Nuntij *die* 20. *Aprilis* 1700. votum Judicum Archiepiſcopalium confirmans.

47 Hujus autem reſolutionis ratio eadem eſt cum ea, quam ſupra dedi circa exactionem redituum, quia hic caſus ejuſdem ſpeciei, quoad hunc effectum, & à ſuperiori dependens debet conſiderari; nam ſi debitores Eccleſiarum Hoſpitalium, & Eremitoriorum ex contractu ab eis celebrato, coram utroque Vicario conveniri poſſunt, ut jam vidimus; cur conveniri non poterunt rerum Eccleſiæ uſurpatores, qui propter obligationem ortam ex ſuo delicto veri, & proprij ſunt debitores? Nam vera eſt obligatio, quæ ex delicto provenit, &
48 propriè etiam creditor, cui debetur, ut tenet Gædeus *in leg.* 12. *pr. de V. S.* Vaſq. 2. *illuſtr. controv.* 55. *num.* 1. Pinell. *in Auth. niſi C. de bon. mater. numer.* 32. Deinde ad fundandam in hac parte
49 juriſdictionem Vicarij Diœceſani facit perſpicua doctrina Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 17. *num.* 3. ubi agens de comprehenſione juriſdictionis delegatę, Epiſcopis per S. Concil. Tridentinum tributæ in Eccleſiis Curatis Regularium hunc caſum recenſet his verbis: Viſitatio autem per Sac. Concilium Tridentinum repetitis vicibus etiam in Eccleſiis, & locis exemptis injuncta, & commiſſa, non percutit ſolùm Eccleſiæ materialis viſitationem, ſed percutit finem ſeu effectum, ob quem illa fuit conceſſa, nedum ſcilicèt, ut ipſa Eccleſia materialis cum Altaribus, & Capellis decenter reſtaurata, & ornata retineatur; ſed & ut tollantur abuſus circa cultum, *ac detegantur intruſi, & uſurpatores beneficiorum, ac bonorum Eccleſiaſticorum.*

CAP. III.

Super ædificatione Eccleſiarum, earumque immunitate, necnon delictis, quæ in illis patrabuntur.

IN primis concordatum fuit, ſpectare ad Dignitatem Archiepiſcopalem, concedere licentias ad effectum fabricandi in Prioratibus, Monaſteria, Eccleſias, Hoſpitalia, & Eremitoria, quæ fabricari voluerint à quacumque Religione, Communitate, aut perſona particulari, & declaratur quod hæc licentia non debeat eſſe neceſſaria ad effectum reparandi, ſive reædificandi in totum Eccleſias, Conventus, Eremitoria,

ria, & Hoſpitalia jam fundata, cum conditione tamen, quòd reædificatio fiat in eiſdem ſitibus, quodque iſti non fuerint profanati, vel profanis uſibus addicti. Pariter concordatum fuit, quòd Eremitorium nuncupatum S. Chriſti Vallis de Tembleque, cujus ædificium ſub annis præteritis initium habuit, proſequi, & terminari poſsit. Secundò, concordatum fuit cognitionem cauſarum immunitatis reorum, ad Eccleſias Religionis Sancti Joannis confugientium, privativè ſpectare ad Dignitatem Archiepiſcopalem. Tertiò, quòd cognitio, & punitio delictorum, quæ patrabuntur intus Eccleſias, Eremitoria, & Hoſpitalia Religionis S. Joannis, debeant eſſe cumulativè, & ſimultaneè inter Vicarios ambarum Dignitatum pro eo, quòd concernet Curam Animarum quemadmodum explicatur in 12. capitulo, & pro eo quod non concernet Curam Animarum, cognitio debeat eſſe præventiva, & prævention facta intelligatur mediante mandato de perſonaliter comparendo, notificato reis; excipiendo ab hac præventione ſubditos Religionis tribus requiſitis à Concilio diſpoſitis ſuffultos, eò, quia de illis privativè cognoſcere debet Vicarius Dignitatis Prioralis, prout infra dicetur.

SUMMA CAPITIS.

Continuatio, & ſumma tractandorum in hoc capit.

CONCORDAT. I.

1 *Ad Eccleſiæ conſtructionem non privata, ſed publica requiritur auctoritas.*

2 *Ad Epiſcopum uti primum in ſua Diœceſi Sacerdotem ſpectat Sacrorum omnium cura & adminiſtratio.*

3 *Eccleſiæ variis nominibus deſignantur.*

4 *Omnis Eccleſia ædificari nequit abſque licentia Diœceſani.*

5 *De licentia requiſita ad Cathedrales & Collegiatas remiſsivè.*

6 *Parochialis Eccleſia erigi non poteſt abſque auctoritate Diœceſani.*

7 *Omnes Eccleſiæ à Cathedrali pendere exiſtimantur.*

8 *Ad Diœceſanum ſpectat deſignare locum pro extruenda Eccleſia.*

9 *Ad ipſum ſpectat inſpicere & judicare de dote requiſita.*

10 *Vbi non conſtat de dotis aſsignatione non creditur Epiſcopi licentiam præceſsiſſe.*

11 *Diœceſano competit inſpicere an ex nova Eccleſia antiquiori præjudicium reſultet.*

12 *Cùm urget neceſsitas poterit Diœceſanus erigere novam Eccleſiam, quæ vel ſit antiquæ adjutrix, vel ſeparata per diſmembrationem.*

13 *An hoc poſsit ex juſta cauſa in Eccleſiis exemptorum? Reſp. affimativè.*

14 *Quando creanda ſit nova & ſeparata Parochia, quando Eccleſia tantùm, adjutrix Diœceſani arbitrio committitur.*

15 *Parochi conſenſus ad Eccleſiæ ædificationem non exigitur ratione juriſdictionis, ſed ratione præjudicij & intereſſe.*

16 *Si alicui conceditur per privilegium, ut in ſuo diſtrictu non ædificentur Eccleſiæ abſque ejus licentia, non de licentia auctoritativa, ſed de prohibitiva eſt intelligendum.*

17 *Hujuſmodi privilegium reſtringi debet ad ſpeciem Eccleſiarum in eo expreſſam.*

18 *Prælati Inferiores* nullius *in his licentiis concedendis Diœceſanis comparantur.*

19 *An requiratur licentia Diœceſani ad conſtruenda Oratoria?*

Ora-

20 *Oratorium aliquando ſignificat Eccleſiam, aliquando locum orationi tantùm deſtinatum.*

21 *Antiquitus raræ erant Eccleſiæ, & propterea Oratoriorum uſus introductus, quorum varia fuere nomina.*

22 *Oratoria publica ſine auctoritate Diœceſani non poſſunt ædificari.*

23 *Oratoria publica Eccleſiis aſsimillantur, & earum appellatione comprehenduntur.*

24 *Oratoria privata à quovis erigi poſſunt abſque licentia Epiſcopi.*

25 *Oratoriorum privatorum differentia, ut alia ſint domeſtica, alia extra domos.*

26 *In Oratoriis extra domos poteſt Epiſcopus permittere Miſſæ celebrationem, in domeſticis requiritur licentia Papæ.*

27 *Oratoria extra domos ſubſunt Epiſcopi viſitationi, ſecus domeſtica.*

28 *Epiſcopus non concedet licentiam Miſſam celebrandi in Oratorijs extra domos, niſi emolumentum ante præficiatur.*

29 *Quiſnam comprehendatur appellatione Ordinarij in indultis Oratoriorum domeſticorũ, ad effectum illa viſitandi & approbandi.*

30 *Reſpondetur ſolum comprehendi Ordinarium Diœceſanum, non Inferiorem Ordinarium intra Diœceſim.*

31 *Refertur in individuo reſolutio* Congregationis Concordiæ.

32 *Diœceſani licentia requiritur ad Monaſteriorum fundationem.*

33 *Fundatio Monaſterij abſque licentia Diœceſani nulla erit.*

34 *An ad fundanda Monaſteria præter licentiam Diœceſani requiratur etiam licentia Papæ.*

35 *Proponitur & fundatur ſententia affirmativa.*

36 *Proponitur & amplexatur ſententia negativa.*

37 *Hoſpitia Regularium nequeunt fundari abſque Diœceſani licentia.*

38 *Limitatur hæc doctrina in Hoſpitiis, in quibus Religioſi tranſitoriè degunt.*

39 *Licentia Diœceſani, ad Monaſteria conſtruenda, debet eſſe expreſſa, ſed aliquando ſufficit tacita.*

40 *Hoſpitale à quocumque propria auctoritate poteſt ædificari.*

41 *Hoſpitale, ut ſit Eccleſiaſticum & Religioſum debet erigi de licentia Ordinarij.*

42 *Locus Religioſus de jure Civili fieri poteſt privata auctoritate, ſecus de jure Canonico.*

43 *Hoſpitalia omnia quatenus loca pia ſunt Epiſcopis ſubſunt.*

44 *Eccleſiæ de uno loco in alium tribus de cauſis transferri ſolent.*

45 *Eccleſiæ nequeunt transferri abſque Epiſcopi licentia.*

46 *Refelluntur, qui aſſerunt Monaſteria poſſe transferri ſine licentia Epiſcopi.*

47 *Concilium Tridentinum & Apoſtolicæ Conſtitutiones comprehendunt caſum tranſlationis Monaſterij.*

48 *Mens potiùs quàm verba in Conſtitutionibus debet attendi.*

49 *Diſtinguuntur & ſeparantur plures caſus & modi reædificationis.*

50 *Cum Eccleſia per partes reficitur neceſſaria non eſt licentia Diœceſani.*

51 *Qui prohibetur ædificare, non prohibetur reficere, quod pluribus exemplis oſtenditur.*

52 *Exponitur* text. in leg. Prætor 2. §. ſi quis 7. ne quid in loco publ.

53 *Si Eccleſia reædificatur, antiquis ſitibus & limitibus variatis, neceſſaria eſt licentia Diœceſani.*

54 *Cùm ædificium vetus ampliatur, novum opus fieri dicitur.*

55 *Si Eccleſia reædificatur, ſervatis antiquis ſitibus & limitibus, neceſſaria non eſt licentia Diœceſani.*

56 *Opponitur, quod domus deſtructa & in eodem loco ædificata, nova cenſetur domus.*

57 *Opponuntur exempla, in quibus qui prohibetur ædificare, reficere prohibetur.*

58 *Suſtinetur ſententia* num. 55. *& diluuntur oppoſita.*

59 *Exponitur* lex ſi ita legatum 65. §. fin. de leg. 1. & lex 83. §. ſacram de verb. obligat.

60 *Exponuntur exempla* num. 57. *& accipiuntur de ædificiis à jure improbatis.*

Licentia

61 *Licentia Diœcesani est necessaria, ut in Ecclesia reædificata functiones sacræ iterum fiant.*

62 *Vt Ecclesia reædificetur in eodem loco, necessaria erit Diœcesani licentia, si veteres situs prophanati fuerint.*

63 *Quando Ecclesia per destructionem amittat statum, & privilegia? Resolvitur sub distinctione.*

64 *Si Ecclesia destruitur cum auctoritate superioris, & sine spe refectionis, amittit antiquum statum, & jura.*

65 *Si Ecclesia destruatur sine auctoritate Superioris, & adsit spes reparationis, retinet statum & antiqua jura.*

66 *Ecclesia ad Missæ Sacrificium celebrandum, & Sacra officia obeunda, debet Deo dedicari & consecrari.*

67 *Consecratio Ecclesiarum tantùm pertinet ad Episcopum Diœcesanum.*

68 *Episcopus in aliena Diœcesi nequit Ecclesiam consecrare, etiamsi ipse eam fundaverit.*

69 *Applicatur præcedens doctrina particularibus terminis hujus Capitis.*

70 *Abbates & alij Prælati Inferiores non possunt consecrationes facere, neque benedictiones, in quibus unctio chrismatis intervenit.*

71 *Ea quæ sunt Ordinis Episcopalis hujusmodi Prælatis non competunt.*

72 *Exempti Episcopo subiiciuntur in iis, quæ pertinent ad ordinem Episcopalem.*

73 *Reconciliare Ecclesiam, quæ fuerat consecrata, pertinet ad Diœcesanum Episcopum.*

74 *Frequentior, faciliorque est benedictio, quàm consecratio Ecclesiarum.*

75 *Benedictio ita est actus jurisdictionis, ut inter privilegia Episcopalia censeatur, & pendeat à potestate Ordinis.*

76 *Benedictio Ecclesiarum reservatur Episcopis ex Ecclesiæ destinatione.*

77 *Refertur aliquorum sententia tenens Prælatos Inferiores posse facere simplices benedictiones ex consuetudine.*

78 *Verius est Prælatos Inferiores non posse præscribere jus faciendi has benedictiones.*

79 *Diœcesano privativè competit benedicere in Prioratibus Ecclesias Sæculares.*

80 *Idem dicendum de benedictione Ecclesiarum, de quarum sæcularitate controvertitur.*

81 *Idem dicendum de Ecclesiis Regularibus, & affertur resolutio Iudicum Concordiæ.*

82 *Vt Ecclesia destruatur & prophanetur necessaria est licentia Diœcesani.*

83 *Destructio & prophanatio Ecclesiæ permitti non debet nisi in casu magnæ necessitatis.*

84 *Indulta benedicendi Ecclesias, illasque reconciliandi rarò & difficulter Sedes Apostolica concedit Prælatis Inferioribus Episcopo.*

85 *Prior S. Mariæ del Monte hujusmodi indultum prætendit in Romana Curia, proposito exemplo Priorum Iacobæorum.*

86 *Romani Pontifices nonnisi magnis de causis recepto juri derogare velle creduntur.*

87 *Prælati Inferiores valde semper inhiarunt Pontificalium privilegia, quod reprehendit S. Bernardus.*

88 *Sacra Congregatio hujusmodi indulta denegare sæpè consuevit, & proponuntur aliquæ declarationes.*

89 *Peculiares causæ, quæ in præsenti indulti denegationem suadebant.*

90 *Dignitas Primatialis Archiepiscopi Toletani erat attendenda.*

91 *Indultum Pontificalium Priorum Iacobæorum non erat extensibile, nec adaptabile Priori S. Mariæ del Monte.*

92 *Conventus Vclensis, & Legionensis sunt Conventus Majores & Capita Ordinis S. Iacobi, & illorum Priores ampla jurisdictione gaudent.*

93 *Conveniens est, ut dignitates distinguantur peculiari vestitu & indumento.*

CONCORDAT. II.

94 *Causæ immunitatis reservantur Episcopis privativè ad alios per Gregorium XIV.*

95 *In causis immunitatis cognoscere non potest Prælatus* nullius *cum territorio separato, sed adeundus est Episcopus vicinior.*

96 *Episcopi cogr scunt de causis immunitatis privativè etiam quoad Nuncios seu Legatos.*

97 *Applicatur doctrina generalis propoſito noſtro particulari.*

98 *Ad Vicarium Diœceſanum ſpectat cognoſcere an caſus ſit de exceptis, & concedere Curiæ Sæculari licentiam extrahendi rerum ab Eccleſia.*

99 *Affertur caſus & deciſio valde ſimilis ex Cardinali de Luca.*

100 *Exempti frequenter credunt ipſis competere defenſionem immunitatis ſuarum Eccleſiarum.*

101 *An Vicario Priorali competat defenſio immunitatis Eccleſiarum Regularium, & contra violatores cenſuris procedere poſsit?*

102 *Proponitur ratio dubitandi favore Vicarij Prioralis tribus argumentis.*

103 *Principes Sæculares immunitatem defendere, & contra violatores procede e poſſunt.*

104 *Punitio delicti ſpectat ad Ordinarium loci, in quo eſt perpetratum.*

105 *Proponitur & amplexatur ſententia favore Diœceſani.*

106 *Cui reſervatur cognitio cauſæ ſuper immunitate, reſervatur etiam tanquam quid connexum defenſio judicialis ejuſdem immunitatis.*

107 *Per violentam extractionem rei offenditur juriſdictio Epiſcopi Diœceſani.*

108 *Vicarius Diœceſanus judicialiter, Priorales verò tantùm extrajudicialiter, poſſunt defendere immunitatem Eccleſiæ in caſu violentæ extractionis.*

109 *Affertur reſolutio Nuntij Apoſtolici.*

110 *Vicarius Prioralis poteſt defendere immunitatem extrajudicialiter & promulgare cenſuras per modum defenſionis.*

111 *Defenſio naturalis competit non ſolum cum injuria verſatur circa perſonam, ſed cum circa bona, & jura.*

112 *Excommunicatio eſt graviſsima pœna & remedium ſubſidiarium.*

113 *Cenſuris non eſt utendum in extrajudiciali defenſione, niſi cum aliud remedium non ſupereſt.*

114 *Prælatus Inferior contra violateres defenſionem extrajudicialem non exercebit, cum adiri poteſt Ordinarius Iudex.*

115 *Defenſio extrajudicialis immunitatis competit Prælato Inferiori in ipſo actu violationis, ſecus poſt eam.*

116 *Defenſio, qua vim vi repellatur, in continenti eſt facienda, non ex intervallo.*

117 *Laudatur in propoſito doctrina Cardinalis de Luca.*

118 *Solvuntur argumenta propoſita à* numer. 102.

119 *Iuriſdictio Ordinaria, quam tribuunt privilegia Hieroſolymitanorum cauſas immunitatis non comprehendit.*

120 *Exponitur* text. in cap. ad Epiſcopos 17. q. 4. *veraque lectione donatur.*

121 *Principibus Sæcularibus commendatur defenſio extrajudicialis immunitatis per viam ſupremæ protectionis.*

122 *Ordinarius loci delicti procedere poteſt contra delinquentes, ſi natura cauſæ non obſtat.*

123 *An in caſu, quo extrahendus ſit reus ab Eccleſia cum licentia Diœceſani, requiratur, quod Prioralis apponat in litteris ſuum* exequatur?

124 *Reſpondetur negativè.*

125 *Delegatus exercere poteſt ſuam juriſdictionem abſque requiſitione & licentia Ordinarij.*

126 *Delegatus major & dignior eſt Ordinario in materia delegata.*

127 *Adducitur pro hoc ipſo reſolutio Iudicum Concordiæ.*

128 *An ſi Vicarius Prioralis, aut alij exempti violaverint immunitatem Eccleſiæ poſsint à Diœceſano puniri?*

129 *Ratio dubitandi petita ex privilegiis exemptivis.*

130 *Par in parem non habet imperium.*

131 *Amplexatur ſententia affirmativa, & ratio traditur.*

132 *Conſtitutio Gregorij XIV. derogavit quibuſlibet privilegiis in contrarium.*

133 *Confirmatur hæc ſententia quamplurimis S. Congregationis decretis.*

134 *Epiſcopi in his cauſis procedunt privativè ad Nuncios Apoſtolicos.*

135 *Diſſolvitur ratio dubitandi.*

Con-

CONCORDAT. III.

136 *Cùm delicta commissa intra Ecclesias Regulares respiciunt curam animarum & administrationem Sacramentorum cumulativa & simultanea est jurisdictio utriusque Vicarij.*

137 *Impediri non debet per præventionem exercitium jurisdictionis delegatæ.*

138 *Expedit, ut delinquens circa curam animarum duplici correctioni subjaceat.*

139 *Si delicta non respiciunt curam animarũ est etiam cumulativa jurisdictio, sed locus est præventioni.*

140 *Præcipuus modus sortiendi forum est domicilium.*

141 *Alius modus sortiendi forum est locus delicti.*

142 *Cùm plures habent jurisdictionem in solidum circa aliquam causam, locus est præventioni.*

143 *Præventio fit vel per citationem verbalem, vel per realem.*

144 *Ad præventionem, & exclusionem alterius Iudicis sufficit citatio verbalis.*

145 *Cùm Servientes delinquunt intra Ecclesias, privativa est jurisdictio Vicarij Prioralis, si Servientes habeant tria requisita.*

146 *Limitatur conclusio* num. 139. *cum natura causæ resistit præventioni, ut in causa immunitatis, & clausuræ Monialium.*

147 *Traditur ratio limitationis.*

148 *Cùm actus inchoationis delicti est licitus, cognitio delicti spectabit ad Iudicem loci, ubi delictum est consumatum.*

149 *Aliqui judicant mandantem posse puniri à Iudice loci ubi mandavit & à Iudice loci ubi mandatum fuit exequutum.*

150 *Alij existimant mandantem solùm posse puniri à Iudice loci, in quo fuit delictum perpetratum.*

151 *Concordantur præcedentes sententiæ.*

152 *Cùm tam actus inchoationis, quam actus consumationis delicti punibilis est utriusque loci Iudici competit cognitio, attenta præventione inter eos.*

COMMENTARIUM.

AMplissima, & perquàm utilis materia nobis in *hoc capite* discutienda occurrit; in eo siquidem continuatur declaratio circa exercitium utriusque jurisdictionis in Ecclesiis Regularibus, tribus appositis Concordatis, quæ seorsim sunt explicanda. Sed ne ob rerum confusam congeriem confusio generetur, adhuc *in primo Concordato* tres Sectiones faciam, in quarum prima de ædificatione Ecclesiarum; in secunda de translatione, & reædificatione; & tandem in tertia de earumdem consecratione, & benedictione tractabitur.

CONCORDAT. I.

SECTIO I.

De ædificatione Ecclesiarum Monasteriorum & Hospitalium.

1 LIcèt Ecclesiarum constructio perquàm pium & Religiosissimum sit opus, non inde cuicumque statim concedendum, ut proprio arbitrio, privataque auctoritate Ecclesias ædificare possit: cùm sub specioso Templi construendi titulo malus, propriisque cupiditatibus serviens animus, soleat occultari, ut vel ipsi agnoverunt Ethnici *in leg. 2. de extraord. cognit.* ibi: *Sub prætextu Religionis, vel sub specie solvendi voti cœtus illicitos nec à veteranis tentare opportere.* Et inter Christianos Imperatores Justinianus *in Nov. 67. tit. de Eccles. §. 1.* ibi: *Multi etiam simulantes ædificare quasi Orationis domos suis medentur languoribus, non Orthodoxarum Ecclesiarũ ædificatores facti, sed speluncarum illicitarum*, & elegantissimè in Concilio Bracharensi II. relato *in cap. si quis Basylicam de consecr. dist. 1.* Ergo, ut malis hisce occursum iretur, Sacris Ecclesiæ legibus tum antiquis, tum modernis, illud semper cautum est, nullum posse Ecclesiam, exædificare

niſi Epiſcopi Diœceſani interveniat auctoritas & conſenſus, ut ſtatuitur in Concilio Aurelianenſi *can.* 33. relato *in cap. nemo de conſecrat. diſt.* 1. ibi: *Nemo Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, publicè atrium deſignet, & ante præfiniat, quæ ædificare vult, quæ ad luminaria & ad cuſtodiam & ad ſtipendia Cuſtodum ſufficiant, & oſtenſa donatione ſic domum ædificet & poſtquàm conſecrata fuerit, atrium ejuſdem Eccleſiæ ſancta aqua conſpergat.* Huic ſanctioni ſuam conformavit Juſtinianus *in d. Nov.* 67. *cap.* 1. cujus Rubrica habet: *Vt nullus fabricet Oratorij domos præter voluntatem Epiſcopi.* Cujus
2 rei illa princeps ratio ſtatim occurrit, quod cùm Epiſcopus ſit in ſua Diœceſi primus Antiſtes & Sacerdos, hinc ipſi prima & præcipua in ſuo diſtrictu Sacrorum cura, & ſuperintendentia incumbit, totaque Eccleſiaſticæ rei ſive faciendæ, ſive adminiſtrandæ ab ejus imperio eſt petenda, ut *ad cap. omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. notant Canoniſtæ. Unde non modò Inferior Prælatus, qui intra Diœceſim conſiſtat, præfatam auctoritatem ſibi vindicare non poterit, ſed nec alteriùs Diœceſis Epiſcopus, ut expreſsè habetur *in cap.* 1. 16. *q.* 5. ibi: *Et omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum in cujus Civitatis territorio Eccleſia ſurrexit pertinebit.*

3 Variæ apparent in Sacris Canonibus Eccleſiarum ſpecies, & juxta eas varia etiam, quibus deſignantur, nomina, ut *Oratoria, Capellæ, Baſilicæ, Tituli, Martyria*, & alia de quorum propria ſignificatione latè agunt Du-Gange *in Gloſſa verb. Oratorium, & verb. Capella.* Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *à cap.* 92.
4 Moſtazo *de cauſ. piis.* Sed in præſenti una generali Eccleſiæ appellatione omnes cujuſcumque generis ſint comprehenduntur ſub diſpoſitione *d. cap. nemo*, quæ princeps eſt in hac materia; atque ita ſive Eccleſia ſit cum cura, ſive ſine ea; ſive ſit Sæcularis, ſive Regularis, una hac comprehenditur firmiſsima regula; ut abſque Epiſcopi Diœceſani licentia conſtrui non poſsit. Verùm tamen, quia *in hoc capite* ſeparatim exprimuntur, ut opus erat, ad tollenda dubia ex *cap. quamquam diſt.* 23. ſigillatim de eis videbimus.

5 Loquendo igitur primùm de Eccleſiis ſtrictè dictis & ommiſſa inſpectione de licentia requiſita pro Cathedralium & Collegiatarum erectione, de quo videri poterunt Urrutigoiti *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 3. Rebuff. *tit. de erect. in Colleg.* Lother. *de re benef. lib.* 1. *q.* 14. *num.* 46. Moſtazo *d. lib.* 5. *cap.* 2. *à num.* 32. Ad Parochiales Eccleſias, quarum frequentior eſt uſus ſermo erit
6 coarctandus. Harum autem conſtructionem prohibitam eſſe abſque prævia Diœceſani licentia notiſsimum eſt ex *text. in d. cap. nemo. can. ſi quis etiam. can. placuit de conſecrat. diſt.* 1. *cap. quicumque* 16. *quæſt.* 1. Et meritò quidem: nam cùm omnes Eccleſiæ in Diœceſi ad
7 oſtendendam verificandamque unitatem, qua unum formale corpus, & unam veluti Parochiam cõſtituunt, credantur ab Eccleſia Cathedrali profectæ, & ex hinc ab ea pendere & quodammodo connecti videantur, ut *ex cap. dilectus de Capell. Monach.* tenent Canoniſtæ, & optimè Abbas *in cap. ad audientiam el* 1. *num.* 8. *de Eccleſ. ædif. verſ. item.* Hinc eſt ut Epiſcopi uti Parochi univerſalis, qui Eccleſiæ Cathedralis præeſt, fundata ſit intentio non modò quoad omnium Eccleſiarum Diœceſis regimen, ſed quoad earum erectionem & conſtitutionem: atque, ut in ejus arbitrio & poteſtate eſt, ut ipſe ſeligat Miniſtros, per quos univerſalis cura incumbens expleatur; ita ad eum pertinet loca etiam deſignare, ubi hæc cura ſit exercenda.

Occaſione

8 Occaſione autem hujus licentiæ, plura occurrunt, in quibus Epiſcopi Diœceſani juriſdictio exercetur; ut eſt in primis loci deſignatio; itaque ad eum ex eiſdem Canonibus ſpectat, cavere ut debitus ſtructuræ modus teneatur, ſervata quantùm fieri poſsit illa forma de qua Baron. *tom. 2. à num. 57. num. 103.* Durand. *in rational. divin. offic. lib. 1. cap. 1.* D. Gonzal. *in cap. 1. num. 10. de conſecrat. Eccleſ.* Urrutigoiti *de Eccleſ. Cathedr. cap. 5. per tot.* Ex hac cauſa ad ipſum pertinet ſoli libertatem perſcrutare, juxta tradita à D. Gonzal. *in cap. ſicut 8. num. 3. de conſecrat. Eccleſ.* necnon jubere, ut locus ab omni ſorde mundetur, & Infidelium, vel excommunicatorum corpora exhumentur, & alibi proiiciantur, *cap. Eccleſiam 27. & cap. ſeq. de conſecrat. diſt. 1.* P. Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 81. ſect. 4. §. 5.* D. Gonzal. *in cap. 7. num. 8. de conſecrat. Eccleſ.* Murga *tom. 1. diſquiſit. moral. tract. 2. diſquiſit. 4. & tract. 6. diſquiſit. 1.*

9 Inſuper Diœceſani juriſdictio locum habet, ut inſpiciat, an dotatio Eccleſiæ ædificandæ, competens ſit pro manutentione, ornatu, & cuſtodia ipſius Eccleſiæ; quamobrem ante impoſitionem primi lapidis diligenter examinare debebit proventuum aſsignatorum libertatem, & perpetuitatem, juxta *cap. 1. ubi DD. de cenſib. cap. 2. 20. q. 8. can. placuit 1. q. 2. cap. cum ſicut de conſecrat. Eccleſ.* Quod in tantùm procedit, ut ſi de nulla Eccleſiæ dote, vel
10 de inſufficienti conſtet, inde rectè arguatur Epiſcopi licentiam ad illius ædificationem non præceſiſſe, juxta *text. in cap. ſicut 8. de conſecrat. Eccleſ. cap. piæ mentis 16. q. 7.* Durand. *de ritibus Eccleſ. lib. 1. cap. 24. num. 9.* Pignatell. *tom. 1. conſ. 93. num. 5.*

11 Ulteriùs notandum eſt ad Diœceſanum privativè ſpectare, ut cognoſcat & judicet, an conſtructione novæ Eccleſiæ antiquiori præjudicium inferatur; illius quippè ſolius arbitrio res hæc commiſſa eſt, ut patet in *can. Eccleſia, can. quicumque 16. q. 1.* ibi: *Verùm tamen omninò providendum eſt Epiſcopis, ut aliæ Eccleſiæ antiquiores propter novas ſuam juſtitiam aut decimam non perdant. cap. in his 30. de privil. leg. 9. tit. 10. partit. 1.* Guid. Pap. *quæſt. 260.* Zerola *in prax. 1. part. verb. Eccleſia, q. 4. & 5.* Valenz. *conſ. 45. per tot.* Pax Jordan. *lib. 5. tit. 8. num. 39.* Card. Petra *tom. 1. ad conſt. 2. Paſchalis II. ſect. 1. num. 22.* Quin etiam in caſu, in quo reverà adſit præjudi-
12 cium, ipſi in vim ſuæ juriſdictionis competit deliberare, an adhuc ſubſit juſta & urgens cauſa, qualis de jure requiritur, quæ novæ Eccleſiæ conſtructionem ſuadeat; nam tunc ſervata forma præſcripta ab Alexandro III. in *cap. ad audientiam de Eccleſ. ædificand.* quæ confirmatur à Sacro Concilio Tridentino in *cap. 4. ſeſſ. 21. de reform.* poterit pro facti qualitate, & prout neceſsitas exegerit, unum è duobus remediis adhibere, vel cogendi Rectorem, ut conſtituat unam vel plures Eccleſias adjutrices, Eccleſiæ Parochialis unitate non reſciſſa nec immutata; vel erigendi novam Parochiam, prævia diſmembratione partis populi ac territorij cum decimis & obventionibus reſpondentibus; ita Proſper. Fagnan. *in d. cap. ad audientiam à numer. 10.* ex Lapo *allegat. 66.* Card. de Luca *in annot. ad Conc. diſc. 16. num. 1.*

13 Quod ſi forſam aliquis dubitaverit, an prædictis remediis poſsit uti Epiſcopus in Eccleſiis exemptorum, quæ intra ſuam ſunt Diœceſim? Reſpondetur poſſe ſine dubio ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Fagnan. *in d. cap. ad audientiam num. 21.* & Pignatell. *tom. 4. conſ. ult. num. 5.* Ex quibus habetur hanc doctrinam procedere etiam in Eccleſiis Ordinum Militarium: & laudatus Fagnan. *ibidem num. 29.* loquitur in terminis Eccleſiarum Sac.

Religionis Hieroſolymitanæ. Quando verò erigenda ſit Eccleſia adjutrix;
14 quando verò nova ſit Parochia creanda, antiqua diſmembrata; nec eſt hujus loci, nec generali regula præſcribi poteſt; hoc enim ex cauſarum gravitate regulabit æſtimabitque Epiſcopus, cujus arbitrio hoc commiſit Sac. Concilium, Cardin. de Luca *d. diſc.* 16. *per tot.* Plura tamen circa has cauſas & ſolemnitates requiſitas tradit Fagnan. *in d. cap. ad audientiam, & ibidem communiter Repetentes.*

15 Unum tamen eſt, quod obiici poſſe videtur, contra id quod diximus, Diœceſano videlicèt privativè competere licentiam & conſenſum præſtare ad conſtruendam novam Eccleſiam: nam, ut eſt plurium ſententia, in hoc caſu ultra licentiam Epiſcopi debet intervenire conſenſus Parochi Ricc. *part.* 4. *reſol.* 297. *num.* 2. *& collect.* 2350. Cardin. de Luca *de Paroch. diſc.* 29. *numer.* 9. Ventrigl. *rer. notabil. tom.* 2. *annot.* 17. §. 1. *num.* 8. *& tom.* 1. *annot.* 18. *num.* 21. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 26. *num.* 5. Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 177. *num.* 52. Carol. Anton. de Luca *ad Gratian. diſcept.* 517. *num.* 6. Rota *deciſ.* 124. *& deciſ.* 309. *part.* 12. *recent. & deciſ.* 165. *part.* 16. *recent.* Sed hoc reverà minimè obſtat, nam ommiſſo examine quæſtionis, an ad erectionem novæ Eccleſiæ ſit neceſſarius pro forma conſenſus Parochi; quàm quæſtionem latè pertractat, negativa amplexa ſententia, Cardin. Petra *d. ſect.* 1. *à numer.* 15. Adhuc tamen certum eſt, quod ſi aliquo caſu deſideratur Parochi conſenſus, hic non procedit ex juriſdictione, quam certè non habet, ſed ratione præjudicij, & poſsibilis ipſius contradictionis, ut oſtendit Murga *ad Conſtit. Apoſtol. conſt.* 2. *num.* 27. Rota *deciſ.* 131. *num.* 5. *in fin. cor. Mantica.* Cardin. Petra *ubi proximè num.* 23. *& ſeq.* diſtinguenda eſt enim licentia auctoritativa & juriſdictionalis à licentia prohibitivâ: illa eſt, quam Sacri Canones Epiſcopo attribuunt, ut veniat ad locum Eccleſiæ conſtruendæ, Crucem figat, atrium deſignet, & examinet dotem, ut *in d. cap. nemo*: prohibitiva eſt ea, ſine qua habet quis jus prohibēdi ut intra limites proprij circuitus alia Eccleſia cōſtruatur ratione præjudicij; quæ certè nihil commune cùm alia habet. Panimol. *deciſ.* 11. *num.* 1. Riccius. *in prax. part.* 3. *reſol.* 490. *numer.* 2.

16 Hinc jam ex his inferre licet, quod ſi alicui Ordini concedatur privilegium, quod in ſuo diſtrictu non poſsit nova Eccleſia ædificari abſque illius licentia & conſenſu; cujuſmodi privilegium Caſsinenſibus conceſſum refert Card. Petra *d. ſect.* 1. *num.* 64. & illo gaudent Ordines Militares noſtræ Hiſpaniæ: tunc inquam, non ita erit interpretandum, ut licentia Epiſcopi non ſit neceſſaria; aut quod Prælatus Inferior licentiam auctoritativam ſeu juriſdictionalem præſtare poſsit: hoc enim manifeſte eſſet contra Canones; ſed commoda interpretatione erit accipiendum de concurſu ſimultaneo & compatibili, ita ut Prælatus Ordinis privilegiati licentiam ſeu conſenſum præſtet ratione præjudicij; Epiſcopus verò Diœceſanus ratione juriſdictionis. Et hanc doctrinam expreſsè confirmat Piton. *de controv. Patron. alleg.* 100. *in ſuplem. num.* 14. Rota *in deciſ.* 17. *num.* 1. *& 4. impreſſa poſt Antonelū de jur. & oner. Clericor.* Quod quidem obſervatur in
17 territoriis Ordinum Militarium: ubi Diœceſanus & Ordinum Conſilium his diverſis reſpectibus ſuam præſtant licentiam. Illud tamen monendum, quod hujuſmodi privilegiorum verba propriè & ſtrictè accipi debent, nec ultra præciſum caſum in eiſdem contentum extendi; ut in terminis Rota *deciſ.* 165. *n.* 11. 12. *&* 13. *part.* 16. itaque inſpiciendum erit, an loquantur ſolùm de

Eccle-

Ecclesiis, vel etiam de Capellis & Oratoriis; licèt enim Ecclesia latè accepta Capellas & Oratoria comprehendat, tamen, verbis strictè & propriè acceptis inter se differunt, ut practicè observat idem Eminent. Petra *d. sect.* 1. *num.* 65. *& 2. seqq.*

Extra hunc verò casum privilegij, in quo Prælato Inferiori intra Dioecesim competit prestare consensum ad Ecclesiæ ædificationem ratione præjudicij; nullus est casus, in quo illius licentia & consensus ratione jurisdictionis desideretur, quippè hoc jus tantummodò tribuitur Dioecesano per Sacros Canones, nec contrarium poterat induci absque manifesta implicantia. Si verò
18 agerctur de Prælatis *nullius*, tũc cum isti vera Ordinarij & Dioecesani appellatione veniant in suis territoriis separatis juxta dicta *in cap.* 4. *n.* 101. *part.* 1. indubitatũ est ad illos privativè spectare ratione jurisdictionis territorialis licentiam concedere ad ædificandas Ecclesias, Capellas, Oratoria, & Monasteria in suo distrietu; nã ut sæpè diximus, una excepta potestate Ordinis, eis applicari debent omnia illa, quæ Episcopis Dioecesanis per Canones attribuuntur.

19 Nunc verò succedit, ut videamus, an necessaria sit licentia Dioecesani ad extruenda Oratoria? Et ommissis, quæ circa eorum originem latè examinant Pignatell. *tom.* 6. *cons.* 98. Mostazo *de causis piis lib.* 5. *cap.* 10. & prę omnibus Thomasin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *à cap.* 92. Sciendum est pro resolutione quęstionis
20 & jurium de hoc loquentium intellectu: verbum hoc *Oratorium* aut latè, aut stricte accipi posse. Primo quidem modo denotat quamcumque Ecclesiam, non modò orationi destinatam, sed Sacrificio Missæ, aliisque officiis Ecclesiasticis peragendis; quo in sensu accipitur in *d. can. placuit* 10. 18. *q.* 2. *& in d. Novell.* 67. Justiniani. Secundo verò modo Oratorium significat locum orationi tantùm dicatum, ut notat Du-Gange *in gloss. verb. Oratorium.* Et ita accipitur in quamplurimis juribus: quas significationes expedit secernere, nam in prima Oratoria Ecclesiis annumerantur, eisdemque censentur regulis; in secunda verò diversa est consideratio. Deinde sciendum est,
21 quod cùm antiquitus raræ admodùm essent Ecclesiæ, eæque non nisi in Majoribus Urbibus, ut eruditè observat Thomasin. *d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. temporum decursu usus exegit, ut complures Sacrę ædes exædificarentur tum in Vicis, tùm in Castellis & sæpè in agris, quò fidelium devotioni & necessitatibus consuleretur; quæ quidem ædes variis nominibus appellabantur, ut *Capellæ, Sacella, Basilicæ, Martyria*, & frequentiùs *Oratoria.* Quorum quidem nominum ratio petenda est, tum ex diverso fine institutionis, tum ex loco; atque ideo in nostro *cap. Eremitoria* vocantur, quia frequenter ruri, sive in Eremo ædificantur. Sed tandem Oratoria, quocumque nomine appellentur, ad tres classes reducuntur, quoad varios juris effectus. Ita ut quædam sint publica, alia privata, & ex his quædam extra domos, quędam in domibus erigantur.

22 Huic ergo distinctioni inhærendo, dicendum est, ad erectionem & constitutionem publici Oratorij, sive Eremitorij, necessariam esse licentiam & consensum Dioecesani. Quod patet, nam Oratorium publicum illud est, quod publica interveniente auctoritate divino cultui perpetuo dicatur, intercedente Episcopi consecratione, aut benedictione. Hæc autem consecratio, benedictio, seu dedicatio non ab alio, quàm à Dioecesano expleri potest *ex cap. Missarum de consecr. dist.* 1. *cap. quidam* 18. *q.* 2. *d. Auth. ut null. fabric. Orator. dom.* Manet ergo Oratorium publicum existere non posse, quin præcedat licentia & consensus Dioecesani. Accedit, quod

hæc

hæc Oratoria ejus naturæ ſunt ex ſua inſtitutione, ut in eis Miſſæ Sacrificium offerri poſsit: qua vel ſola ratione Epiſcopi licentia requireretur, ut præter antiqua jura habetur in Tridentina Synodo *ſeſſ. 22. de obſerv. & evit. cap. un.* ibi: *Neve patiantur privatis in domibus, & omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab Epiſcopis viſitanda, & approbada Sacrificium Miſſæ peragi.* Itaque hæc Oratoria pu-
23 blica in omnibus aſsimillantur Eccleſiis, & ipſarum appellatione veniunt, ut ad propoſitum notat Italia *de immun. cap. 4. §. 4. num. 3.* Fagnan. *in cap. auctoritate de cenſib. num. 5. & in diſcept. de Grangiis num. 21.* Cardin. Petra *in d. Conſtit. Paſchalis II. ſect. 1. num. 92. & 94.* ac per conſequens litteraliter comprehenduntur *in d. cap. nemo de conſecrat. diſt. 1.* Et de eis expreſsè loquitur Concilium Aurelianenſe *cap. 33.* Bracharenſe II. *cap. 6.* relato *in can. ſi quis baſilicam 10. de conſecrat. diſt. 1.* Africanum anni 424. relato *in can. placuit ead. diſt.*

24 Per contrarium verò ad privata conſtruenda Oratoria, neceſſaria non eſt Dicœceſani licentia; cùm enim ex ſua inſtitutione divino cultui perpetuò non dedicentur; nec ad Miſſam celebrandam, ſed ad orandum tantùm conſtruantur; hinc ceſſant rationes ad requirendam licentiam Epiſcopi, & cuivis privato illa habere & erigere debet permitti, ut habetur *in Nov. 58.* Juſtiniani ibi: *Orationis ſolius gratia & nullo celebrando penitùs eorum, quæ Sacri ſunt Myſterij hoc eis permittimus.* Et *in can. 33. de conſecrat. diſt. 1.* ibi: *Vnicuique fidelium in domo ſua Oratorium licet habere, & ibi orare; Miſſas autem celebrare non licet.* Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 2. cap. 8. num. 10.* Fagnan. *in d. cap. auctoritate num. 6.* D. Gonzal. *ibidem.* Ventrigl. *part. 2. annot. 19. §. un. num. 2. & ſeq.* ubi Carol. Ant. de Luca, P. Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 15. num. 39. & ſeq.* Quod ſi quandoque Canones requirunt licentiam Epiſcopi, ad conſtruenda Oratoria, ut *in cap. quidam 18. quæſt. 2.* & aliis, de Oratoriis publicis intelligendi ſunt, ut notant iidem AA.

25 Differentia tamen eſt inter Oratoria privata, quæ extra domos in ruribus, ſeu locis publicis, & ea quæ in domibus ſunt: ut in illis, cauſa exigente, Epiſcopus permittere poſsit Miſſæ celebrationem; quæ tunc utique ibi cele-
26 brabitur, non propter naturam Oratorij, cùm deficiat publica erectio, ſed diſpenſativè, ut eſt caſus *in cap. ſicut 11. cap. Miſſarum 12. de conſecr. diſt. 1.* In Oratoriis verò domeſticis Epiſcopus nequit præſtare licentiam celebrandi, ut habetur *in d. cap. Miſſarum*, ſed reſervatur Summo Pontifici hujuſmodi licentiam concedere, juxta Sac. Conc. Trid. *d. cap. un. Seſſ. 22.* & Breve Pauli V. quod refert Nicol. *in floſcul. tit. 33. n. 7. verſ. limita tertio.* Ex qua differentia promanat, quod Oratoria extra domos quandoque publica appellantur; non quia talia ſint, ſed ad differentiam domeſticorum, ut notat Fagn. *in d. cap. auctoritate num. 23. & num. 27. verſ. undè de cenſib.* Et hinc etiam procedit, quod oratoria domeſtica viſitari à Dicœceſano non poſſunt; ſed quæ ſunt extra do-
27 mos obnoxia ſunt viſitationi, quamvis ab eis procuratio non exigatur, ad diſtinctionem Oratoriorū, quæ ſimplicitèr ſunt publica; & ratio eſt, quia iſta ex ſua inſtitutione dotata eſſe debent; non verò illa, ut optimè D. Gonzal. *in d. cap. auctoritate de cenſib.* & ex eo Cardin. Petra *d. ſect. 1. num. 94.* Benè tamen verum eſt, quod priùs quàm Epiſ-
28 copus concedat licentiam celebrandi in his Oratoriis extra domos, præſertim ſi ferant onera Miſſarum, curare debet ut deſignentur redditus pro tali onere, etſi temporali; ne deinde, devotione frigeſcente, remaneant ſine cultu & paramentis, Ventrigl. *cit. annot. 19. num. 24.* Petra *d. ſect. 1. n. 93.*

Circa

29 Circa Oratoria verò domeſtica pulchrum dubium in propoſito ſe offert. Cùm enim in eorum indultis ex conſueto Curiæ ſtylo illa clauſula adiiciatur: *Per Ordinarium loci priùs viſitando, & approbando.* Dubitari poteſt, quiſnam ſit Ordinarius in hac clauſula comprehenſus; àn videlicèt intelligatur etiam Ordinarius Inferior intra Diœceſim, vel tantùm Ordinarius Diœceſanus? Cui dubio reſpondendum eſt, Ordinarium in hujuſmodi conceſsionibus
30 intelligi, qui juriſdictionem habet in illo loco, ſive (ut dici ſolet) juriſdictionem territorialem; qualis profectò ſolùm eſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, aut Prælatus *nullius* in ſuo diſtrictu, Mendo *in Bull. Cruc. diſp.* 16. *cap.* 1. *num.* 7. Bardi *in ead. Bull. part.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 6. Chokier *de juriſd. in exempt.* 1. *part. quæſt.* 1. *num.* 9. Paſqualig. *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 619. *num.* 4. cum aliis, quos refert Moſtazo *d. cap.* 2. *num.* 68. & in terminis Pignatell. *tom.* 6. *conſ.* 98. *num.* 75. Unde in noſtris terminis, cùm in Oppidis & locis Prioratuum Archiepiſcopus Toletanus territorialem Ordinariam univerſam juriſdictionem habeat, ut conſtat ex ſententiis Rotalibus; hinc ipſi competet privatorum Oratoriorum juxta præfatam clauſulam viſitatio & approbatio; non verò Magno Priori, qui licèt in materia adaptabili & in privilegiis contenta, Ordinarius dicatur, non eſt abſolutè Ordinarius, nec appellatione *loci Ordinarij* venit, ut in eiſdem terminis Cardin. de Luca *de juriſd. diſcurſ.* 1. *num.* 20. *& diſc.* 14. *num.* 5. & optimè Lother. *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 24. *num.* 100. expreſsè D. Salgado *de ſupl. ad Sanctiſs. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 55. Et nos dicemus *infra in cap.* 24. Sed
31 in propoſito ceſſat quæcumque hæſitatio propter expreſſam declarationem Judicum Concordiæ *in Congregat.* 3. *Junij* 1703. *verſ. lo tercero.* his verbis: *Se diſputò ſi el Vicario de la Religion puede viſitar los Oratorios privados, en que por Breve Apoſtolico ſe concede licencia de celebrar el Santo Sacrificio de la Miſſa en Caſas Particulares, y ſe acordò, que no lo puede hazer por venir cometida en los Breves al Ordinario Dioceſano la facultad de viſitarlos, y dar licencia para que en ellos ſe pueda celebrar. Y que por eſta razon el Vicario de la Religion no debiò paſſar à las viſitas, que hizo de diferentes Oratorios, ſegun ha conſtado por teſtimonio.* Huic declarationi affinis eſt alia Apoſtolici Nuncij *die* 31. *Octobris* 1701. in qua declaratur Ordinarium, de quo in Brevi, quod dicimus *de Millones*, eſſe Ordinarium Dieceſanum; ſed de hoc alibi.

Poſt Eccleſias, & Oratoria de Monaſteriis tractare opportet, ut videamus qualiter per Sacros Canones Diœceſani auctoritas requiratur, ad illa ædificanda. Et quidē tam ſtricta, quàm
32 antiqua eſt prohibitio, ut nonniſi Epiſcopo volente Monaſteria extruantur. In Concilio Chalcedonenſi *can.* 4. primùm de hoc agitur; cùm enim ſuper hoc quorumdam Monachorum irrepſiſſet abuſus, & hinc eorumdem cum Epiſcopis concordia tepeſceret, ut jam inſinuavimus *in cap.* 3. *num.* 25. *part.* 1. Rei huic ita conſultum eſt, ut Monachi Epiſcopis ſpeciali hac ratione ſubiicierentur, dicitur enim *in Canone* relato *in cap. quidam* 18. *quæſt.* 2. *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſteria, aut Oratorij domum ſine conſcientia ipſius Civitatis Epiſcopi.* Poſteriora quæ fuere Concilia hanc normam ſunt ſequuta, ut Aurelianenſe *can.* 22. Agathenſe *can.* 27. relato *in can. de Monachis cit. C. & q.* ibi: *De Monachis Monaſterium novum (niſi Epiſcopo aut permittente, aut approbante) nullus incipere, aut fundare præſumat.* Et ex eodem Concilio *in cap. ſeq.* ita habetur: *Cellulas novas aut Congregatiunculas Monachorum abſque Epiſcopi notitia prohibemus inſtitui.* Et quamvis poſtea aliqua à Romanis

Pon-

Pontificibus tributa fuerint indulta, quibus Monaſteria abſque Epiſcopi licentia erigi permittebatur, in Sacro Concilio Tridentino optimum judicatum eſt, veteri Canonum repetita norma, privilegia hujuſmodi reformare *in cap. 3. ſeſſ. 25. de Regular.* ibi: *Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* Subſequutæ etiam ſunt, exactiſsimam formam præſcribētes, plures Apoſtolicæ Conſtitutiones, quales ſunt illa Clementis VIII. in ordine *Bull.* 99. quæ incipit *Quoniam ad inſtitutam*, edita *Romæ ſub die* 23. *Iulij* 1603. alia Gregorij XV. *die* 17. *Auguſti* 1621. alia Urbani VIII. *in ordine* 25. quæ incipit: *Romanus Pontifex. ſub data* 28. *Auguſti* 1624. & tandem alia Innocentij X. quæ incipit *inſtauranda. Sub data* 22. *Octobris* 1652.

33 Hæc Canonum & Conſtitutionum copioſa ſeries, eò præcipuè reſpicit, ut auctoritas Epiſcopi pro forma interveniat in novi cujuſvis Monaſterij fundatione; unde ſi aliter fundatio fiat, nulla erit propter clauſulas irritantes dictarum Conſtitutionum, Rota *in Cæſaraugustana fundationis Monaſterij* 1649 *cor. Celſo.* Gratian. *dicept.* 517. *num.* 72. Fagnan. *in cap. non amplius num.* 71. *in fin. de inſtitut.* Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 179. *num.* 72. & alij innumeri. Quod indubitatiſsimè procedit ſtante *cit. conſt.* 25. Urbani VIII. quæ penitùs revocavit omnia indulta, nova erigendi Monaſteria abſque licentia Diœceſani; cui etiam Regulares contra facientes ſubduntur, uti Sedis Apoſtolicæ delegato, ut ipſos cenſuris aliiſque pœnis exemptione non obſtante poſsit corrigere.

34 Illud tamen ab Scribentibus in hac materia ſolet controverti, an nimirùm ad fundationem Monaſterij ſufficiat ſola Diœceſani licentia; vel requiratur etiam licentia Sedis Apoſtolicæ? In quo

35 dubio variæ ſunt opiniones, nam aliqui ut Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 26. *num.* 4. Zerola *in prax. Epiſcop. part.* 1. *verbo Monachi §.* 2. Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 46. Card. de Luca *in annot. ad cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* & Pignatell. *d. conſ.* 179. *num.* 19. exiſtimant ſolam Diœceſani licentiam non ſufficere, ſed opus eſſe ut inſuper interveniat altera Sedis Apoſtolicæ; moti tum ſupracitatis Apoſtolicis Conſtitutionibus, præcipuè illa Innocentij X. Tum quia hanc cauſam graviorem judicant, & conſequenter Romano Pontifici reſervatam, *cap. majores de baptiſ.* Ac tandem in hujus ſententiæ defenſionem plures S. Congregationis declarationes, & Rotæ deciſiones refert Pignat. *ubi ſupra num.* 19.

36 Alij verò, ut Rodriguez *quæſt. Regular. tom.* 2. *q.* 49. Valenzuela *conſ.* 177. *num.* 3. P. Sanchez *conſil. Moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 7. PP. Salmantic. *in curſ. moral. tract. de priv. cap.* 3. *punct.* 4. *§.* 1. *num.* 136. & omnium latiùs Urrutigoiti *variar. reſol. cap.* 27. *dub.* 2. *per tot*, aſſerunt ſolam Epiſcopi licentiam ad Monaſterij fundationem ſufficere. Quorum præcipuum fandamentum hoc eſt; quod tam de jure antiquo *in d. can. quidam* 18. *q.* 2. *& aliis ſupra citatis*, quàm novo S. Concilij Tridentini *in d. cap.* 3. ſola Epiſcopi licentia & auctoritas requiritur. Conſentit in idem Proſper. Fagnan. *in cap. non amplius de inſtit. à num.* 51. ubi re latè diſcuſſa, concludit, Monaſteria cujuſque Ordinis approbati de ſola Ordinarij licentia erigi poſſe; quod & uſu comprobantum ſe vidiſſe teſtatur *num.* 66. & de noſtri Regni praxi teſtantur PP. Salmantic. *ubi ſupra* Garcia *in polit. Regular. tract.* 11. *diffic.* 1. *dub.* 2. *num.* 5. Urrutigoiti *ubi ſupra.* Ac proinde hæc ſententia erit tenenda & ſequenda: quin obſtet *cit. conſt.* Innocentij X. nam ut Fagn. *ubi proximè* teſtatur, loquitur ſolùm de Monaſteriis Italiæ, cujus fines non eſt eggreſſa.

Hæc

37 Hæc quæ de licentia Diœceſani diximus, non modò obtinent in novis Monaſteriis, ſed etiam comprehendunt Hoſpitia, in quibus permanenter aliqui habitant Religioſi. Quod ſatis oſtenditur in antiquis Canonibus ſupra relatis, in quibus æquè Epiſcopi auctoritas deſideratur ad conſtruendas Cellulas, Monaſteriola, Prioratus & alia loca Regularia, quæ parùm, aut nihil differunt ab Hoſpitiis. Sed comprehenſa etiam ſunt in laudatis Urbani, & Innocentij Conſtitutionibus, quæ generaliter loquuntur de domibus & aliis quibuſcumque locis Regularium. Et ita etiam diſponitur *in cap. un. de exceſsib. Prælator. in 6.* Quamobrem hanc ſententiam ſequuntur Laurent. de Franch. *de controv. inter Epiſcop. & exempt. num.* 414. Cardin. de Luca *de Regular. diſc.* 1. *num.* 77. *& diſc.* 33. *num.* 11. Pignatell. *d. conſ.* 179. *num.* 33. Rota *deciſ.* 87. *num.* 5. *part.* 4. *& deciſ.* 337. *part.* 10. *recent.*

38 Sed hæc quidem accipienda ſunt de illis Hoſpitiis, in quibus, ut diximus, permanenter Religioſi habitant; non verò de illis, in quibus tranſitoriè degunt; nam hoc modo non dicuntur propriè habitare, *text. in leg.* 1. *§. habitatores ff. de his qui dejec. leg. pen. §. deinde factum ff. naut. caupon.* Ulteriùs quia cùm in his Hoſpitiis nec Crux elevetur, nec publicum habeatur Oratorium, ut tenet Bordon. *controv.* 36. *de erect. novor. Convent. num.* 20. ceſſat utique præcipua ratio *in citat.* juribus & Conſtitutionibus conſiderata, præjudicium videlicèt Parochiæ & aliorum Conventuum, Card. de Luca *d. diſc.* 1. *num.* 77. Unde rectè poterunt hujuſmodi ædificari Hoſpitia abſque Diœceſani licentia, ut declarant Pignatell. *ubi ſupra* Moſtazo *d. cap.* 2. *num.* 45. Cortiada *tom.* 2. *deciſ.* 42. *num.* 18. 24. & 30.

39 Si verò quæritur qualis in propoſito debeat eſſe licentia, communis eſt ſententia debere eſſe expreſſam propter *d. Conſtit.* Urbani VIII. in illis verbis: *Niſi de expreſſa Ordinariorum licentia.* Quapropter Pignatell. *d. conſ.* 179. *num.* 48. ait, poſt dictam Urbani Conſtitutionem, contrarium tenentes & falli & fallere. Eamdemque ſententiam ſequitur Moſtazo *d. cap.* 2. *num.* 28. Sed tamen attentis circunſtantiis, aliquando ſufficiet licentia tacita, veluti in caſu *deciſ.* 982. *cor. Dunozeto*, quem refert Cardin. de Luca *de Regular. diſc.* 30. *num.* 6. quia in illis terminis clarè apparebat conſenſus & ſcientia Epiſcopi, præcipuè ex ejus aſsiſtentia in proceſſione, & ſolemnibus actibus geſtis in introductione Monachorum; quæ cùm præceſsiſſent, injuſta & malitioſa eſſet, ſi quæ poſtea moveretur, oppoſitio: nam nihil refert licentia verbis, an rebus ipſis & factis concedatur, ut in ſimili dixit Conſultus *in leg. de quibus* 31. *§.* 1. *de legib.*

Reſtat nunc, ut de erectione Hoſpitalium agamus: & hæc quidem, licèt in hoc capite cum Eccleſiis & Monaſteriis conjungantur, diverſimodè ſunt conſideranda. Non enim ſicut prohibitum eſt Eccleſias abſque licentia Epiſcopi ædificare, ita & Hoſpitalia conſtruere: Eccleſia enim ex ſua inſtitutione locus Sacer, & Religioſus non
40 eſſe nequit; Hoſpitalia verò prophana eſſe poſſunt; & à privatis propria auctoritate poſſunt ædificari, ut tenet Fagnan. *in cap. ad hæc* 4. *de Relig. domib. num.* 2. 52. *& ſeq.* Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 114. *num.* 20. Quamobrem ſi quandoque, ut in præſenti, ad extruenda Hoſpitalia
41 Epiſcopi licentia deſideratur, ideo eſt, ut hujuſmodi auctoritate interveniente, fiat Hoſpitale Religioſum, & Eccleſiaſticum; ac exinde gaudeat privilegio immunitatis, & aliis, dequibus *in Nov.* 131. *§. penult. leg. omnia in fine C. de Epiſc. & Cleric. leg. illud* 16. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* D. Covarr. *in regul. poſſeſſor.* 2. *part. num.* 3. Tiraquell. *de privil. cauſæ piæ privil.*

privil. 142. D. Gonzal. Tellez *in cap. ad hæc de Relig. domib. num.* 11.

42 Aſt prædictis obſtare videtur, quod locus Religioſus privata auctoritate conſtitui poteſt; dum habemus, quod ex ſola illatione mortui à privato facta, licèt locus ſacer non fiat, fit tamen Religioſus, *leg.* 2. *C. de Relig. & ſumpt. funer. §. Religioſum inſtit. de rer. diviſ.* Ex quo videtur neceſſariam non eſſe Epiſcopi auctoritatem, ut Hoſpitale Religioſum fiat. Reſpondeo tamen breviter cum Fagnan. *ubi ſupra num.* 4. præfata procedere jure civili attento, ſecus verò jure Canonico, adducto *text. in cap. in Eccleſiaſt. cauſ.* 13. *quæſt.* 2. *& ibi Gloſſ. fin.*

43 Verùm hic obiter advertendum duxi, quod licèt Hoſpitalia ſine Diœceſani auctoritate conſtructa, Religioſa non ſint, neque immunitate Eccleſiaſtica gaudeant, nec inter loca Eccleſiaſtica computentur; ſed inter prophana, ſive laicalia; tamen quia ad opera pietatis exercenda eriguntur, dicuntur loca pia, quod ſufficit, ut Ordinarij viſitationi ſubiiciantur, juxta diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini *in cap.* 8. *ſeſſ.* 22. de quo infra erit latè agendum, interimque videndus Fagnan. *in d. cap. ad hæc de Relig. domib.* Van-Eſpen. *in jus Eccleſ. vniverſ. part.* 2. *tit.* 37. *cap.* 2.

SECTIO II.

De tranſlatione & reædificatione Eccleſiarum.

44 PRoximus caſus ædificationi Eccleſiarum eſt cùm Eccleſiæ de uno loco in alium transferuntur, qui quandoque ſolet contingere tribus præcipuè de cauſis, quæ exprimuntur *in can. tribus de conſecrat. diſt.* 1. his verbis: *Tribus ex cauſis loca Sanctorum tranſmuttanda ſunt. Prima cùm neceſsitas perſecutorum loca eorum gravaverit. Secunda cùm difficultas locorum fuerit. Tertia cùm malorum ſocietate gravantur.* Quæ cauſæ explanantur per Gloſſam ibi: *Difficultas, ut per aeris intemperiem*, ut *in cap. quorumdam* 74. *diſt.* Et propter malitiam populi transferuntur Sedes, ut *in cap. ita nos* 25. *quæſt.* 2. Solet hic quarta addi cauſa tranſlationis cùm fit ad meliorandum Monaſterium, ut *in cap. ſi quis vult* 16. *q.* 1. ſed ſanè hæc cauſa *in d. can. tribus* comprehenditur.

45 Ergo cùm legitimis de cauſis tranſlatio ſit facienda, poterat dubitari, an tunc licentia & auctoritas Epiſcopi ad eam eſſet requirenda; quamobrem opportunè de ea ſeorſim agemus. Et quidem ad ſenſum patet, quod ubi Eccleſia, aut Monaſterium in alium locum transfertur, novum opus, novaque ædificatio verificatur, ut etiam conſtat *arg. text. in leg.* 1. *§. ſi quis ædificium*, ubi Bartholus *ff. de nov. oper. nunt.* Ac propterea tranſlationis, & novæ ædificationis caſum pariformiter judicare debemus, atque cum communi & recepta opinione aſſerere, licentiam Epiſcopi Diœceſani indiſtinctè requirendam eſſe in caſu tranſlationis, ſicut in caſu ædificationis, ut tenet Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 26. *num.* 8. *&* 9. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt. Regular. q.* 24. *art.* 7. *in fin.* Thamburin. *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *num.* 1. D. Larrea *deciſ. Granatenſ. deciſ.* 97. *à num.* 15. Urrutigoiti *in Paſtoral. interno part.* 3. *voto* 7. *à num.* 3. Pax Jordan. *de re Sacra tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 47. *& ſeq.* Moſtazo *d. cap.* 2. *à num.* 48. Pignatell. *d. conſult.* 179. *à num.* 22.

46 Nec ab hac generali concluſione excipienda Monaſteria erunt, ut voluerunt aliqui Morales, qui manifeſtè refelluntur I. *ex d. cap. ſi quis vult.* ibi: *Si quis vult Monaſterium ſuum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum conſilio Epiſcopi, & fratrum ſuorum, & dimittat Presbyterum in priori loco ad miniſteria Eccleſiæ.* Ubi illud verbum *Conſilio* pro licentia

licentia, ſeu auctoritate Epiſcopi eſt accipiendum, quæ ſignificatio inſolens non eſt, ut *in leg. 4. §. 2. de manum. vindicta, & in §. eadem inſtit. quib. ex cauſ. manum.* & in præſenti ita accipiunt Ceſpedes *de exempt. Regular. cap. 1. num. 5.* Urrutigoiti *ubi ſupra.* II. ex expreſſiſsimis juribus *in cap. un. de exceſſib. Prælator. in 6.* ibi : *Seu hactenus recepta mutare.* Et *ex Clement. Cupientes de pœnis* ibi: *Vel loca quæcumque de novo recipere, recepta mutare.* III. quia in caſu tranſlationis novus locus occupatur, atque hinc juris ratio dictat, ut Epiſcopi adhibeatur auctoritas, juxta *d. cap. nemo,* ut loci congruitatem inſpiciat, ut tenet Pax Jordan. ex Goffred. *ubi ſupra num. 47.* Deinde præcipuè intervenire debet Epiſcopus, ne quod damnum ex illa tranſlatione aliis Eccleſiis, aut Monaſteriis vicinis conſequatur, in quo profectò verſatur finis dictarum Clementis, & Urbani Conſtitutionum; quæ proinde caſum tranſlationis comprehendunt; nam, ut tritum eſt, diſpoſitio facta contemplatione alicujus cauſæ finalis tandiù durat, quàndiù durat illa cauſa finalis *leg. ſervus ſi dominorum 6. C. de Epiſcop. & Cler.*

47 Nec jam perinde quidquam obſtat, quod tam S. Concilium Tridentinum, quàm poſteriores Apoſtolicæ Conſtitutiones ſolùm efflagitant licentiam Epiſcopi ad novam erectionem, non verò ad tranſlationem; nam cùm ex dictis pateat in tranſlatione novam erectionem verificari, & utriùſque caſus quoad ſubjectam materiam eamdem rationem eſſe, uterque profectò caſus in Concilio & Conſtitutionibus debet dici comprehenſus : rebus quippè non verbis leges ſunt ſcriptæ *leg. 2. C. com. de legat.* Et quidquid ſonent verba, mens
48 ſemper eſt attendenda, *cap. ad aures de reſcrip. cap. ex multiplici de decim.* Fagn. *in cap. ſuper ſpecula ne Cler. vel Monachi.* Deinde coadjuvatur hæc interpretativa extenſio dictarum Conſtitutionum, ex ipſarum natura; nam cùm ſint correctoriæ, & per eas reditus fiat ad jus commune, quod extat *in d. cap. nemo, & d. cap. ſi quis vult*, ex ipſo jure communi debet ſuppleri, ſi quid in eis minùs expreſſum aut obſcurum eſt, ut docet Canoniſtarum Princeps Fangnan. *in cap. nullus num. 41. de Regular.* & hanc etiam interpretationem ſequuntur Moſtazo *d. cap. 2. num. 19.* Urrutigoiti *d. voto 7. num. 5.* & S. Rota *in una Cæſaraugustana domus 22. Iunij 1615. cor. Manzanedo,* quæ habetur *in tom. 2. recent. deciſ. 745. num. 1.*

49 Videamus nunc de reædificatione Eccleſiarum, & Monaſteriorum; circa quam, ut jura in ſpeciem oppoſita, & diſcordantes AA. opiniones concilientur, plures caſus diſtinguere opportet. Poteſt enim reædificatio fieri veteri permanente ædificio, aliqua tantùm ejus parte collapſa vel deſtructa, quæ propriè dicitur refectio *ex text. in leg. inde etiam 3. §. reficere de itin. actuq. privil. leg. 1. §. deinde de rivis*: & hoc caſu neceſſaria non eſt licentia Diœceſani. Vel reſtituitur Eccleſia, quæ penitùs & funditùs erat deſtructa : & in hoc caſu ſub diſtinguendum eſt, nam vel reſtauratur in diverſo loco, & tunc non tam reædificatio, quàm tranſlatio erit appellanda, & abſdubio neceſſaria eſt licentia Epiſcopi, ut jam vidimus : vel reſtituitur in loco veteris ædificij, & tunc iterum ſubdiſtinguendum, nam vel reædificatio fit antiquis ſitibus variatis, aliquo augmento vel extenſione, quæ propriè dicitur ampliatio, & tunc etiam licentia Diœceſani erit neceſſaria; vel fit in iiſdem ſitibus, & tunc licentia non erit neceſſaria, niſi fortè illi ſitus prophanati fuerint. Hæc ſint velut ſumma dicendorum, quę accuratiùs examinare præſtat.

50 Ex caſibus propoſitis primus occurrit caſus refectionis, quæ fit collapſa, vel

deſtructa parte aliqua ædificij, & in eo indubitatum eſt licentiam Diœceſani non requiri, nam tunc ceſſant rationes, quæ militant in ædificatione : nec enim qui reficit ædificat, cùm novum opus non faciat, nec priſtinum ſtatum, & formam operis mutet; ſed hoc tantùm agit, ut munitam, & incorruptam rem ſervet, *leg.* 1. *de via publ. d. leg.* 3. §. *reficere de itin. actuq. privil.* Unde qui pro-
51 hibetur ædificare, reficere non prohibetur, *text. in leg. intra* 5. *leg. omnes* 11. *leg. nemo* 13. *leg. fin. C. de oper. publ.* Math. de Afflict. *in Conſtit. Siciliæ lib.* 3. *rubr.* 29. *de nov. ædif. num.* 5. Boer. *quæſt.* 44. Sic igitur novi operis nuntiato non admittitur, ubi de opere reficiendo tantùm agitur, *leg.* 1. §. *ſi quis ædificium de nov. op. nunt. leg.* 1. *tit.* 32. *part.* 3. Et ob eamdem rationem uſufructuarius, qui ædificare prohibetur, reficere ſuo jure poteſt, *leg. uſufructuarius* 44. & *leg.* 61. *ff. de uſufr. & quemadm.* Et pariter licèt Judæi novas Synagogas conſtruere nequeant, antiquas tamen reparare non prohibentur; *leg. ult.* §. *illud C. de Iudæis, cap. conſuluit* 7. *eod. tit.* Quibus affine eſt juris noſtri exemplum petitum *ex leg.* 46. *Tauri* ubi nova Fortalitiorum ædificatio interdicitur, & tamen veterum refectio toleratur, Ant. Gomez *in d. leg.* 46. *num.* 15. & 16. addendus Bobadilla *libr.* 3. *politic. cap.* 5. *num.* 13.

52 Nec dictis obſtat *text. in leg. Prætor* 2. §. *ſi quis* 7. *nequid in loco publ.* ubi interdictum, quo quis arcetur, ut in loco publico ædificet, competere aſſeritur, cùm, quod in loco publico erat conſtructum, reficere quis conatur. Nam *d.* §. 7. intelligi debet eo in caſu, quo ex opere in loco publico erecto, damnum Reipublicæ derivatur: Tunc enim non tantùm reparatio prohibetur, ſed nec ipſum ædificium ſtare permittitur; atque ita diruendum erit, ſi hoc prætulerit Magiſtratus: licèt enim prohibitorium tantùm ſit hoc interdictum cum privato competit, ut patet *in leg.* 1. *eod. tit.* Tamen cùm publicæ cauſæ præjudicatur, prohibitorium, & reſtitutorium eſt, Donell. *lib.* 4. *comment. cap.* 4. Et inde opera ita facta diruuntur & aliquando publicantur, ut apud Romanos fieri teſtatur Dioniſ. Alicarnas *lib.* 10. *antiquit.*

53 Venit nunc juxta partitionem ſupra poſitam conſiderandus alter caſus, cùm nimirùm Eccleſia aut Monaſterium funditùs diruitur & agitur de ea reædificanda in loco veteris ædificij, aliqua extenſione & augmento. Et hoc quidem caſu aſſerimus neceſſariam eſſe licentiam Diœceſani ad hujuſmodi reædificationem. Quod particularitèr in propoſito noſtro probatur; nam *in hoc cap.* eo tantùm caſu Diœceſani licentia non neceſſaria dicitur, cùm ita in loco veteris ædificij Eccleſia inſtauratur, ut iidem ſitus ſerventur. Igitur à contrario ſenſu Diœceſani licentiam neceſſariam eſſe fatendum eſt, cùm, ut in hoc caſu antiqui ſitus & limites variantur. Deinde generalitèr ſuadetur, nam in hoc caſu evenit, ut illa ampliatione ſeu extenſione Eccleſiæ occupetur locus prophanus, & ab Epiſcopo non deſignatus, ac perinde intrat diſpoſitio *d. cap. nemo de conſecrat. diſt.* 1. Et inſuper Diœceſano incumbit conſiderare, an ædificij extenſione antiquioribus Eccleſiis præjudicium generetur. Quamobrem tenendum eſt ampliationem Eccleſiarum ſine licentia Diœceſani prohibitam cenſeri in illis juribus & Conſtitutionibus, in
54 quibus earum ædificatio abſque tali licentia prohibetur; quia quoties ædificium funditus deſtructum reſtituitur, non ſervata menſura, altitudine, vel latitudine antiqua, nova conſtructio dicitur, ut probat Novar. *in Prag. Regni Neap. collect.* 78. *num.* 3. & 4. Et in puncto ampliationis Monaſteriorum tenet Pignatell. *d. conſ.* 179. *num.* 24. Bordon. *d.*

con-

controv. 36. *de Erect. nov. Monaſt. num.* 21. & 22. Lezana. *quæſt. regul. verbo Monaſteria num* 46. & Barboſa *ad d. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de regular.* Quare tunc ſolùm licet loca jam cum licentia legitima Epiſcopi poſſeſſa augere, ſeu extendere, quando talis extenſio veteres limites conſideratos in prima licentia non egreditur, juxta Decretum Gregorij XV. aliàs enim fieri poſſet novum præjudicium aliis Religioſorum locis. Ex quibus interpretanda venit doctrina aliàs difficilis Hoſtienſis *in ſumma tit. de ædif. Eccleſ. in fine, & Gloſſæ in cap. de Monach.* 18. *quæſt.* 2. aſſerentium in caſu reædificationis Eccleſiæ, aut Monaſterij penitùs deſtructi, Epiſcopi licentiam eſſe neceſſariam.

55 Reſtat nunc alter caſus propriæ reædificationis propoſitus in noſtro Capite; nimirùm cùm funditus diruta Eccleſia agitur de ea reſtituenda in loco veteris ædificij, antiquis ſitibus & limitibus ſervatis. In quo caſu expreſsè habetur in hoc Capite licentiam Diœceſani neceſſariam non eſſe, & probatur à contrario ſenſu ex iis, quæ diximus in caſu præcedenti. Sed rationem dubitandi præſtat, quod hic caſus æquiparandus videtur cum caſu ædificationis, & tranſlationis: eſt enim differentia inter hunc caſum, & alterum ſupra poſitum refectionis, ut quando res per partes reficitur non nova, ſed eadem intelligatur; quando verò res penitùs deſtructa reſtituitur, vel ædificium uſque ad aream dirutum reædificatur, licèt eadem materia reſtituatur, aliud erit, ut variis exemplis oſtenditur *in leg. proponebatur* 76. *de judic. leg. quid tamen* 10. *§. navis* 7. *quib. mod. uſusfruct. amit. leg. inter* 83. *§. ſacram de verb. oblig.* & in noſtris terminis, hac ſeparatione facta, loquitur *text. in leg. ſi ita legatum* 65. *§. fin. de legat.* 1. ibi: *Si domus fuerit legata licèt particulatim ita refecta ſit, ut nihil ex priſtina materia ſuperſit; tamen dicemus utile manere legatum; at ſi ea domus deſtructa aliam eodem loco teſtator ædificaverit, dicemus interire legatum.* Unde ille qui ædificium funditùs diru-

57 tum reædificat (ad modum, quo antea diximus de illo, qui transfer) dicitur reædificare, & talis reædificatio prohibita cenſeri debet, cùm prohibetur ædificatio, ut patet *ex text. in leg. ſacra loca §. muros de rer. diviſ. leg.* 1. *verſ. fin. de mort. infer. & d. leg.* 46. *Tauri*, quæ jura licèt loquantur de refectione accipienda ſunt de reædificatione in his terminis, ut ea accipit, & concordat Ant. Gomez *in d. leg.* 46. *num.* 16. Aviles *in cap. Prætorum. cap.* 22. *gloſſ.* 1. *num.* 30. Camill. Borrell. *de præſtant. Regis Cathol. cap.* 37. *à num.* 10. ubi plura adducit ad hoc propoſitum. Quibus poſitis dicendum videbatur in noſtris terminis neceſſariam eſſe licentiam Diœceſani, ac exinde contra juris rationem Concordantes in præſenri conveniſſe.

58 Verùm tamen à præjacta aſſertione recedendum non eſt; quamvis enim Monaſterium, aut Eccleſiam reædificantes, dici poſsint, ſtrictè & materialiter loquendo, novum opus facere; tamen, ſi res formaliter inſpicitur, & præcipuè quoad ſubjectam materiam, non novum opus, ſed antiquum eſt cenſendum. Ceſſant utique in propoſito rationes, ob quas antiqua jura & citatæ Conſtitutiones hujuſmodi licentiam expoſcunt; nam in hoc caſu de dote & loco, ante primæ licentiæ conceſsionem, ſufficienter à Diœceſano proſpectum ſupponitur; ſicut etiam cautum ab eo creditur, ne quod antiquis Eccleſiis ſeu Monaſteriis detrimentum ſequatur. Nec tunc obſtant jura,

59 quæ adducta manent *in d. leg.* 83. *§. ſacram, & d. leg. ſi ita legatum* 65. *§. fin.* quorum certè diſtincta eſt ratio, nam Conſulti non ideo præcisè navem, aut domum novam eſſe dicunt, quia navis penitùs fuiſſet diſſoluta, aut domus

uſque ad aream depoſita; hoc enim ſi ita eſſet in caſu omnimodæ deſtructionis, nunquam navis ſtipulatori, aut domus legatario deberetur, quod falſum eſt ex eiſdem *ll.* Ratio ergo cur Conſulti domum ac navem ibi novam dicunt ea eſt, quia ex omnimoda deſtructione, dùm aliud non conſtat, oſtenditur animus perimendi rem promiſſam ſeu legatam; ideoque ſi vel tabulæ omnes navis refixæ, aut domus deſtructa eo animo fuerit, ut reſtituatur, & reponatur eadem navis & domus cenſebitur, ut diſtinctione facta innuit Paulus *in d. §. ſacram, verſ. ſed hæc in fin.* Quin & obſervandum eſt *in d. §. ſacram*, ut nova navis cenſeatur, & perinde promiſſor liberetur, ſpecialem eſſe rationem ex ipſa ſtipulationis natura, quæ favore promiſſoris ſtrictiſsimè eſt accipienda, *leg. quidquid 99. eod. tit.* Pariter *in d. §. ſi ita legatum* ad liberandum hæredem illud facit, quod in legatis ea ſemper capienda eſt interpretatio, quæ minùs gravet hæredem *leg. unum ex familia 67. §. 8. de leg. 2.*

60 Nec etiam obſtant jura & auctoritates, quæ licentiam Superioris deſiderant in caſu reædificationis ſicut in caſu novæ conſtructionis; nam procedunt in illis ædificiis, quæ ſimplicitèr & propter ſe prohibita, & improbata ſunt à Jure, & quorum ratio prohibitiva tam reædificationem, quàm novam conſtructionem comprehendit; ut evenit in fortalitiis & turribus, quæ ideo ædificari prohibentur, quia ad Principis æmulationem, vel cum animo ab eo ſe rebellandi conſtrui judicantur, ut conſiderat Camill. Borrell. *ubi ſupra num.* 1. & facit *text. in leg. 8. tit. 7. lib. 4. ordinam. Reg.* ubi de eis agens, ita ait: *Muchos males è daños que ſe han hecho, è hacen è ſe podrian hacer en nueſtros Reynos.* Et in idem *text. in leg. 2. C. de fund. limitroph.* Bodin. *de Republ. libr. 5. cap. 5.*

61 Sed licèt in tẽrminis *hujus cap.* Diœceſani licentia in hoc caſu reædificationis Eccleſiæ neceſſaria non ſit, ad hujuſmodi reædificationem explendam; tamen ubi facta fuerit, Diœceſani licentia & auctoritas erit exquirenda, ut functiones Sacræ in Eccleſia ſic reſtituta denuò peragi poſsint, inſpecto priùs loci ornatu atque decentia ex iis, quæ diximus *in cap. 2. concordat. 2.* Et ita in individuo reſolutum habemus à Judicibus Concordiæ *in Congregat. 3. Februarij 1706. verſ. lo tercero in fin.* Ubi cùm ageretur de Eccleſia S. Joannis de Conſuegra impetu aquarum diruta, & quæ tunc dicebatur in eodem ſitu reſtaurata, proviſum fuit, his verbis: *Y que no ſe reſtituyan eſtas funciones Sagradas à la Parroquia, haſta que eſtè para ello decente, y bien reparada, interviniendo la aprobacion, y conſentimiento de ambas juriſdiciones.*

62 Additur etiam *in noſtro Capite* hujus caſus & ſtatutæ doctrinæ quædam limitatio per modum conditionis: videlicèt quod in caſu reædificationis in eiſdem ſitibus licentia Diœceſani neceſſaria non ſit, dummodò hi ſitus *prophanati non ſint, aut prophanis uſibus addicti.* Et ratio eſt, quia quando locus ubi fuit Eccleſia prophanatur, extinguitur veteris Eccleſiæ conceptus, ita ut ſit neceſſaria nova dedicatio, ad terminos *d. cap. nemo*, & nova omninò creditur Eccleſia, *arg. text. in leg. qui res 98. §. aream de ſolut. leg. Mævius. §. duobus de leg. 2.*

63 Quando autem Eccleſia deſtructa perdat ſtatum & ammittat ſua jura & privilegia, videndum eſt. In quo quidem dubio diſtinguendum eſt: vel enim locus deſtructus fuit auctoritate Superioris, ſine ſpe refectionis, nullis remanentibus reliquiis: vel fuit deſtructus fatali caſu, ſeu à non habente juriſdictionem illum deſtruendi: vel fuit dirutum ædificium, ut iterum ædificetur

&

& reparetur. Priori ſanè caſu ita antiquæ Eccleſiæ conceptus perimitur, ut extinguantur & non reviviſcant illius jura & privilegia, Abbas *in cap. Abbatem num.* 16. *de verb. ſignific.* Innocent. *in cap. cùm ex injuncto de oper. nov. nunt.* Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 61. *num.* 4. Barboſa *in cap. ligneis num.* 4. *de conſecr. Eccleſ.* D. Solorzan. *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 16. *&* 17. *& in polit. lib.* 4. *cap.* 23. videndus Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 15. *num.* 37. Unde ſi ita deſtrueretur Eccleſia Regularis & exempta, licèt poſtea reſtitueretur, eſſet Sæcularis & Epiſcopo ſubjecta *arg. leg. in tantum, & leg. ariſto de rer. diviſ.* & faciunt, quæ tradit Tamburin. *d. diſp.* 5. *quæſ.* 9. *num.* 1. latè Albertus Brunus *in tract. de interit. & perempt. concl.* 6. *num.* 23. *& ſeqq.* Petr. de Peruſ. *de mut. ſtat. Eccleſ. & Eccleſiaſt. perſon.* Reliquis verò caſi-

65 bus, cùm nimirùm evenit deſtructio ſine auctoritate Superioris, ſi tamen ſubeſt ſpes reſtaurandæ Eccleſiæ, nec ſtatus mutatur, nec perdit Eccleſia ſua jura exemptiones & privilegia, ut tenent *citati AA.* & Azor *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 11. Salas *de legib. diſp.* 17. *ſect.* 2. *num.* 8. Chochier *tom.* 1. *de juriſd. in exempt. part.* 3. *q.* 20. *num.* 5. Et ratio eſt, quia hujuſmodi locus propter ſpem refectionis habitu durat, licèt non actu; ita ut dici poſsit quod abſque ullo corpore materiali, ille locus in intellectu ſubſiſtat, & omnia jura ſua retineat, *arg. text. in leg. mortuo ff. de fide-juſ. leg. hæreditas ff. de petit. hæred.*

SECTIO III.

De conſecratione ſeu benedictione Eccleſiarum.

66 POſtquam Eccleſia publica Epiſcopi auctoritate fuerit extructa, ut locus ab omni poſſeſsione & poteſtate inſidiiſque Dœmonis expurgetur, & Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, Sacriſque officiijs idoneus reddatur, Deo dedicandus conſecranduſque eſt, ut etiam habetur in *d. cap. nemo de conſecr. diſt.* 1. Quia Miſſæ Sacrificium non niſi in locis Deo Sacratis celebrare fas eſt *cap.* 1. *cap. hic ergo* 14. *cap. nullus* 15. *cap. Miſſarum; & aliis de conſecr. diſt.* 1. Sac. Conc. Tridentinum *ſeſs.* 22. *de Sacrif. Miſſæ cap.* 8. junctis, quæ tradit Anaſt. Germon. *de Sacror. immun. lib.* 3. *cap.* 2. *à num.* 1. & lata manu D. Gonzalez *in cap.* 1. *de conſ. Eccleſ.* Pax Jordan. *de re Sacra tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 10. Quæ quidem conſecratio vel fit ritu ſolemni & unctione Chriſmatis, quæ propriè & ſtrictè dicitur conſecratio, vel ſimplici benedictione, ut *in cap.* 32. *de conſecr. diſt.* 1. ibi: *Altaria placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari.*

67 Loquendo igitur de conſecratione propriè dicta, & ommiſſa quæſtione, an hæc antiquitus à dedicatione differret, de qua Anaſt. Germon. *de jur. ſacr. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 17. quatenus ad noſtrum argumentum ſpectat, aſſerimus omni jure ratum fixumque fuiſſe & eſſe, conſecrationes Eccleſiarum ad Epiſcopum uti ordinarium Miniſtrum ſpectaſſe: nam ut vetus jus Ethnicorum mittamus de quo Gutherus *lib.* 3. *de vet. jur. Pontif. cap.* 12. *&* 13. Germon. *lib.* 3. *de jur. Sacror. cap.* 8. *num.* 17. In jure Canonico ſæpè ſæpiùs hoc Epiſcoporum jus firmatur, ut *in cit. cap. nemo, cap. hic* 14. *de conſecr. diſt.* 1. *cap. propoſuiſti, & cap. aqua de conſecr. Eccleſ. cap. conſtitutus de relig. domib.* & hic jungenda erunt, quæ diximus *in cap.* 1. *à num.* 5. *part.* 1.

68 Verùm non cujuſvis Epiſcopi eſt quaſcumque Eccleſias conſecrare; ut enim conſecratio recte & rite fiat expediri debet ab Epiſcopo Diœceſano, in cujus territorio ſita eſt Eccleſia, ut pluribus teſtimoniis ommiſsis conſtat ex ſæpiùs *cit. cap. nemo cap. his ergo* 14. *cap. nullus* 25. *de conſecr. diſt.* 1. *cap.* 2. *extra de conſecr. Eccleſ.* ibi: *in tua Diœceſi.* Bar-

boſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 27. *num.* 1. Azor *inſtit. Moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 1. *& part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæſt.* 1. Pax Jordan. *d. tit.* 10. *num.* 6. D. Gonzal. *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſ. num.* 11. & omnes tam Canoniſtæ, quàm Theologi. Et ratio eſt, quia conſecratio, ut maximè ad ordinis poteſtatem directè referatur; tamen in quantum ad exercitium in loco reſpicit juriſdictionem, proinde in alieno non poteſt exerceri territorio, ut docet Gloſſa *in Clement. Archiepiſcopo in verbo etiam celebrare verſ. ſed ſi juriſdictione*, ibique Canoniſtæ ſignanter Zabarell. *ſub n.* 5. Imola *num.* 4. ut eſt caſus comprehenſus in S. Concilio Tridentino *in cap.* 5. *ſeſſ.* 6. *de reform.* & videri poſſunt ea, quæ latè expoſuimus *in cap.* 1. *à num.* 77. Qua in re adeo ſtrictè Canones providerunt, ut Epiſcopo in aliena Diœceſi propriis ſumptibus Eccleſiã fundanti, illã conſecrare non liceat, niſi Diœceſis Epiſcopo permittente *cap.* 1. 16. *q.* 2.

69 Quæ cùm ita ſint aptiſsimè peculiari huic argumento applicantur, ut dicamus in Oppidis Prioratuum, ſi quæ Eccleſia conſecranda eſſet, ab Archiepiſcopo Toletano tantùm uti Diœceſano conſecrari poſſe; nec alium Epiſcopum eo irrequiſito, etſi Magni Prioris licentia intercederet, functionem hujuſmodi poſſet explere ex iis, quæ generaliter loquendo de uſu Pontificalium diximus *ſupra in d. cap.* 1. propter ſpecificum Breve Clementis VIII. Et in ſimili idem tradit Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 53. *q.* 8. *num.* 1. ubi conſequenter ad *d. cap.* 5. *Concilij*, ita ait: *Ex quo loco conſtat non valere amplius privilegia Monachis conceſſa, quibus poterant abſque Diœceſani licentia Epiſcopos quoſcumque ad eorum Eccleſias conſecrandas vocare.*

70 Quod ſi aliquis dubitaverit, an Prælati Inferiores præcipuè Abbates benedicti, & alij Prælati, quibus ex ptivilegio Pontificio competit uſus Pontificalium valeant ſuas Eccleſias & Altaria conſecrare? Reſpondendum non valere hujuſmodi conſecrationem facere, ſicuti neque benedictiones illas, in quibus unctio Chriſmatis interveniat, ut ſæpè reſolvit S. Congregatio, & tenent P. Suarez *d. Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 3. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 64. Ricc. *in prax. rer. for. Eccleſ. collect.* 539. Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 154. *num.* 3. Novar. *in lucerna Regular. verbo benedicere num.* 4. Qui concludunt ad has benedictiones, ut potè ad Ordinem Epiſcopalem ſpectantes, non ſufficere generalia privilegia, ſed ſpecialia requiri, quæ etiam ut odioſa ſtrictè ſunt interpretanda, ut *ad cap. Apoſtolicæ, & cap. Abbates de privil. in* 6. notant Canoniſtæ. Atque præjacta ſententia eo fundatur, quia ea, quæ ſunt Ordinis
71 Epiſcopalis Prælatis Inferioribus non competunt, ut tenet Mendo *de ordin. Militar. diſq.* 7. *num.* 140. Tum etiam, quia ut fatetur Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 7. *num* 42. exempti Epiſcopis ſubijciuntur in iis, quæ ad
72 ordinem Epiſcopalem ſpectant, ut in conſecratione Eccleſiarum & receptione Oleorum, *Can. omni tempore de conſecr. diſt.* 4. *can. Presbyteri* 96. *diſt. cap. veniens*, ubi Abbas *notab.* 1. *de præſcript.* Gloſſa *in cap. Abbatibus* 17. *q.* 2. latè & noviſsimè Card. Petra *tom.* 3. *ad conſt.* 5. *Innocentij IV. à num.* 25.

73 Hic ittidem ſimiliter tenendum eſt, quod reconciliare Eccleſiam, quæ conſecrata fuerat, ſolùm poteſt Epiſcopus Diœceſanus, vel alius de ejus licentia, *text. expreſſ. in d. cap. aqua, cap. propoſuiſti de conſecr. Eccleſ.* quibus concordat Rubrica Pontificalis *de Eccleſ. vel cæment. conſ.* Azor *d. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *q.* 5. Pax Jordan. *d. lib.* 5. *tit.* 12. *ex num.* 157. & cum pluribus Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 28. *num.* 55. & quod hujuſmodi reconciliatio ab Epiſcopo

copo non poſsit delegari etiam ſub prætextu conſuetudinis, communis eſt ſententia *ex cit. cap. aqua*, ubi eſt expreſsè deciſum : & inſuper reſolvit S. Congregatio Concilij *in una Placentina* 3. *Februarij* 1652. prout refert Pignat. *tom.* 1. *conſ.* 156. *num.* 1. ubi latè de hoc agit.

74 Hæc ſufficiant de conſecratione Eccleſiarum, circa quam ampliùs immorari eſſet ſupervacuum; cùm hodie nonniſi rariſsimæ Eccleſiæ ſolemni conſecrationis ritu dedicentur, & frequentior ſit benedictio, ut quæ faciliùs expeditur, ut patet ex Pontificali Clementis VIII. & Rituali Pauli V. cùm aliàs conſecratio res ſit valde operoſa propter plures & exquiſitas ejus cæremonias, quas refert D. Gonzal. *in d. cap.* 1. *de conſecr. Eccleſ.* Loquendo igitur de benedictione Eccleſiarum, quatenus ad
75 noſtrum ſpectat propoſitum, dicimus, quod licèt munus benedicendi ad juriſdictionem pertineat; tamen ita eſt actus juriſdictionis, ut inter privilegia Epiſcopalia numeretur; quia licèt non immediatè, ut conſecratio pertineat ad Ordinis poteſtatem, tamen ab ea pendet, & ad eam reducitur; omnis enim quippè actio, per quam res Sacra efficitur & Deo dicatur, Pontificij juris propria cenſetur, *ex §. ſacræ de rer. div.* junctis iis, quæ dicemus *infra in cap.* 8. ex doctrina Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 45. *&* 52. Sic ergo in juribus de hoc agentibus pariter Epiſcopis tribuitur Eccleſiarum benedictio ac conſecratio. Et in Rituali Pauli V. (quod legis habet vigorem Pax Jordan. *d. tit.* 12. *num* 165.) Epiſcopo ſolùm attribuitur munus Eccleſias benedicendi.
76 Quibus rectè intelligemus doctrinam illorum, qui aſſerunt, hujuſmodi benedictiones licèt non ſint Epiſcopalis Ordinis; tamen ratione dignitatis Epiſcopis ex Eccleſiæ deſtinatione reſervari; quoniam laudabili Eccleſiæ conſuetudine id dicunt receptum, ut eas Epiſcopi peragant, utpotè qui eminentiori jure, ad ea ſibi vindicanda, potiuntur Andr. Sauſay *in panopl. Sace dot. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *art.* 1. *& part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *art.* 22. *§. forma hujus*, & cum eo Card. Petra *tom.* 3. *ad conſt.* 6. *Vrbani IV. num.* 18. *& ſeq.*

77 Sed licèt hoc benedicendi munus proprium Epiſcoporum cenſeatur, Prælatis tamen Inferioribus privilegio poteſt cõpetere, quod eſt in dubitatum. Fuerunt etiam aliqui, qui judicarunt ſimilitèr per præſcriptionem hoc benedicendi jus hujuſmodi Prælatis acquiri poſſe. Cujus ſententiæ fuerunt ſylveſter *verbo benedictio*, *& alios refert* Tamburin. *tom.* 1. *de jur. Abbat. diſp.* 22. *quæſt.* 1. *num.* 3. Sauſay *in panopl. Sacerdot. d. cap.* 10. *artic.* 1. *§. cui opinioni.* Sed ta-
78 men contraria ſententia, ut nimirùm Abbates & alij Prælati Inferiores in propoſito præſcriptione juvari ſe non poſſint, verior eſt, eamque defendunt Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 62. *& ſeqq.* & pluribus relatis P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tractat.* 8. *lib.* 2. *cap. ult. num.* 2. Lezana *in ſum. cap.* 18. *num.* 58. Cardin. Petra *in d. conſt.* 6. *Vrbani IV. num.* 24. Ratio autem præcipua ea eſt, quia cùm hujuſmodi benedictiones ſaltem ex deſtinatione Eccleſiæ ad ordinem Epiſcopalem referantur; hinc ſub præſcriptione cadere nequeunt ex vulgari regula *in cap. quanto de conſuet.* ubi Abbas *num.* 2. & Fagnan. *num.* 32. Ita ut quæcumque ſuper hoc proponeretur conſuetudo, corruptela eſſet nominanda, prout eam appellat Pontifex *in cit. cap. aqua de conſecr. Eccleſ.*

79 Præfata autem terminis noſtri Capitis applicando dicimus, quod ſi agatur de Eccleſiis Sæcularibus (ut ſunt poſt hanc Concordiam in Prioratibus fundatæ ex dictis *in cap.* 1.) nullum dubium eſt competere Archiepiſcopo uti Diœceſano earum benedictionem.

Quam-

Quamobrem ejus Vicarius abſque ulla contradictione benedixit Eremitorium S. Antonij Abbatis in Villafranca, quod Sæculare & Archiepiſcopo ſubjectum fuerat declaratum *in Congregat.* 10. *Decembris* 1721. Atque idem dicendum eſt cùm agitur de benedicendis illis Eccleſiis, de quarum ſtatu controvertitur;
80 in dubio ſiquidem fundata eſt intentio Epiſcopi Diœceſani propter clara jura jam expenſa, & faciunt traddita in *cap.* 1. *num.* 7. Itaque cùm Vicarius Prioralis benedixiſſet Eremitorium SS. Chriſti del Colloquio in Villacañas, ſuper cujus Sæcularitate dubium pendet, Diœceſanus non rectè factam benedictionē declaravit ob defectum juriſdictionis, ipſeque benedixit idem Eremitorium: cumque ſuper hoc inſtitueretur controverſia coram Nuncio Apoſtolico, hic *ſub die* 5. *Novembris* 1717. benedictionē à Diœceſano rectè factam declaravit, & eidem cauſam remiſit, ut in ſuo Tribunali partes audiret ſuper articulo Regularitatis, aut Sæcularitatis præfati Eremitorij.

81 Major ergo difficultas ſtare poterat, ſi ageretur de benedicendis Eccleſiis ad Sacram Religionem pertinentibus; quæ ſanè videbantur benedicendæ eſſe à Vicario Priorali, utpote earum Ordinario Prælato. Sed tamen contrarium eſt tenendum, quia, ut ſupra diximus, actus benedictionis, non cujuſque Ordinarij proprius eſt, ſed Diœceſani: atque illis tantùm Prælatis Inferioribus (ſecluſo ſpeciali indulto, quod in præſenti non datur) competens, quibus competit juriſdictio quaſi Epiſcopalis cum territorio ſeparato & uſu inſignium Pontificalium, ut latiùs *in cap.* 8. dicemus. Et in propoſito expreſsè eſt deciſum. Cùm enim dubium eſſet, àn Eccleſia Parochialis D. Joannis de Conſuegra (quam ſupra illuvie dirutam, & poſt reparatam diximus) benedicenda eſſet; & in caſu benedictionis cuinam Vicario benedictio competeret? Reſolutum fuit à Judicibus Concordiæ *in congregat.* 11. *Octobris* 1723. prædictam Eccleſiam & fore benedicendam, benedictionemque peragi debere à Vicario Diœceſano, qui cum effectu eam benedixit *die* 20. *Novembris* ejuſdem anni.

82 Illud tandem ut præjactis affine notamus, quod ſicut proprium eſt Epiſcopi Diœceſani erigendam Eccleſiam auctorizare, & erectam benedicere; ita & ipſi competit licentiam præſtare, ut Eccleſia deſtruatur, & profanetur, ut tenet Pax Jordan *d. lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 49. Cùm enim in qualibet materia ejus ſit tollere, cujus eſt condere Fagnan. *in cap. ex parte de Cler. non reſid.* hinc ſicut creatio aut erectio rei ſpiritualis ſeu Eccleſiaſticæ ad Epiſcopum pertinet; ita ad ipſum debet ſpectare rem ipſam Religione exuere, & ad antiquam temporalitatem reducere. Et ſicut in erectione auctoritas Epiſcopi deſideratur, ut ipſe cauſas ad illam conſideret; ita in deſtructione; nam non
83 niſi in caſu magnæ neceſsitatis eſt permittendum, quod Eccleſia Deo dicata, fiat habitaculum Sæculare & in prophanos uſus convertatur *cap. quæ ſemel* 19. *quæſt.* 3. *cap. quod ſemel de reg. Iur. in* 6. Lezana *tom.* 1. *ſum. quæſt. Regular. par.* 1. *cap.* 9. *num.* 36. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæſt.* 34. *art.* 2. Quid autem fieri debeat de bonis & materia Monaſterij deſerti tradit Emman. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regular. quæſt.* 49. *ab artic.* 4.

84 Illud etiam hic opportunè notandum eſt, nonniſi rarò magniſque de cauſis Sedem Apoſtolicam hanc poteſtatem benedicendi & reconciliandi Eccleſias Inferioribus Prælatis concedere, in præjudicium Epiſcopi Diœceſani. Quod ut pateat memoriæ revocare opportet prætenſionem Hieroſolymitanorum, quam retulimus *in cap.* 9. *num.*

16.

16. *part.* 1. ut nimirùm Priori Conventus S. Mariæ del Monte poteſtas indulgeretur Eccleſias benedicendi & reconciliandi, Minores Ordines conferendi
85 cum uſu Pontificalium inſignium: propoſito ſimilis indulti exemplo ex Brevi Clementis VII. ſub data Romæ VI. Nonas Martij 1670. In quo Uclenſibus Legionenſibuſque Prioribus Ordinis S. Jacobi Pontificalium harum functionum & inſignium uſus conceditur. Quamvis enim Romano Pontifici, ut Summo Eccleſiæ Hierarchæ, ad has
86 conceſsiones & indulta ampliſsima aſsiſtat poteſtas; hanc tamen Summi Præſules ita temperant, ut quàm minimùm Epiſcoporum juri lædere vellint *cap. pervenit* 39. 11. *quæſt.* 1. Cardin. de Luca *de canon. diſc.* 39. *num.* 3. Et Canonicis antiquis legibus nonniſi urgentiſsimis de cauſis derogent, juxta monitum Bern. *lib.* 3. *de conſid. ad Eug.* dicentis *Vbi neceſitas urget excuſabilis diſpenſatio eſt. Vbi utilitas provocat diſpenſatio laudabilis eſt. Vtilitas dico communis non propria.* Quę ſanè Ponti-
87 ficum circunſpectio ſemper commendabilis, in hujuſmodi indultis elargiendis longè commendabilior eò videtur, quò enixiùs illa moliuntur Prælati Inferiores, ut acuto ſtylo reprehendit Bernardus *in Epiſt.* 42. *ſub fin. ad Henric. Senonenſ. Abbates aperte indicant quid cogitent, dum multo tempore, ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis per ipſa ſibi vindicant inſignia temporalia, utentes, & ipſi more Pontificum mitra, annullo, atque Sandaliis. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſsio. Si miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus: profectò eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt, meritoque non queunt Epiſcopis eſſe ſubjecti, quibus jam ſe comparant deſiderio. Quid ſi & nomen eis conferre poſſet privilegiorum auctoritas, quanto putas auro redimerent, ut appellarentur Pontifices? Quo iſta, ò Monachi? Vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis umquam probatorum Monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo?* Ita Bernardus Santiſsimus Abbas.

88 His forſam rationibus, repugnante Pragenſi Archiepiſcopo Bohemiæ Primate, hujuſmodi indulti conceſsionem, quam ſibi fieri expoſcebat Abbas Breznovienſis, Sacra Rituum Congregatio *die* 31. *Auguſti* 1715. reſpondit: *In omnibus negativè.* Sic etiam inſtantiæ Magiſtri Cruciferorum pro facultate benedicendi Eccleſias reſpondit Sacra Congregatio *negativè*, ſeu *lectum*, *in Vraſtislavienſi* 21. *Aprilis* 1714. ut refert Urſaya *d. diſcept.* 10. *num.* 8. & 9. qui etiam *num.* 40. aliam adducit Sac. Congregationis Concilij notabiliorem reſolutionem *in Amalphitana* 27. *Ianuarij* 1714. in qua agebatur de Abbate ſeu Præpoſito ſæculari, qui ſupra duo retro ſæcula, videntibus & tacentibus Archiepiſcopis Amalphitanis, ea omnia exercuerat, quæ ſibi concedi expoſcebat; & nihilo magis negativum emanavit reſponſum.

89 Ergo haud mirùm ſi paribus rationibus haud diſpar nec auſpicatior extitit Prioris S. Mariæ del Monte ſimilis prætenſio. Quin & peculiares erant cauſæ, quæ difficilem redebant conceſsionem: Nec enim res agebatur
90 cum ſimplici Epiſcopo, ſed cum Hiſpaniæ Primate, quod utique in ſimili Archiepiſcopi Pragenſis ponderavit idem Urſaya *d. num.* 9. Inſuper nec tempeſtiva potuit judicari prætenſio; nam cùm de litibus recentèr terminatis omninò ſopiendis tunc ageretur; incongruentiſſimum erat, novum aliquid admittere, quod jurgia poſſet reſuſcitare, ut eſt novarum rerum indoles, juxta D. Chriſoſtomum *in Epiſt.* 1. *ad Corinth. homil.* 7. Nec exemplum ſimilis indulti, Prioribus
91 Jacobæis competentis urgebat; præterquam enim ſingularis juris natura ea eſt, ut in exemplum non trahatur *leg.* 14. 15. & 16. *ff. de Legibus* §. 5. *inſtit. de jur. nat.*

nat. gent. & civ. præterea inquam diſparerat conſideratio, nam Conventus S. Jacobi de Ucles, & S. Marci Legionenſis
92 illius ordinis ſunt Conventus Majores & Capita; unde præfatum exemplum adaptari tantùm poterat in Religione Hieroſolymitana Priori Conventus & Eccleſiæ Majoris Inſulæ Melitenſis; non verò huic S. Mariæ del Monte, qui tantùm eſt Fratrum Capellanorum Conventus, Melitenſi ſubditus, ut vidimus cum Eſcaño *in cap. 9. num. 16. part. 1.* Tandem etiam occurrit Priores illos Jacobæos antiquorum privilegiorum virtute illud ſibi antea vindicaſſe, ut Eccleſias reconciliarent, ornamenta & vaſa benedicerent, & minores ordines conferrent; quare ſi res perpenditur, hoc unum ipſis Clemens VII. indulſit, ut poteſtati congruo decentique uterentur
93 veſtitu & ornatu, ut juris ratio eflagitabat *in leg. 1. C. nulli licer. in fræn. lib. 11.* Althuſ. *in polit. cap. 7. num. 42.* D. Caſtro *alleg. can. alleg. 7. num. 67.* Hæc autem congruentiæ ratio in Priore S. Mariæ del Monte omninò deficiebat, quippè ut inſinuavimus in *d. cap. 9. num. 16.* hic Prior tantùm eſt Prælatus Conventualis juriſdictionis ſivè ſpiritualis ſivè temporalis in oppidis Prioratum omninò expertis, & ſubjecti Magno Priori.

CONCORDAT. II.

Ad quem ſpectet cognitio cauſarum immunitatis reorum confugientium ad Eccleſias Regulares.

94 INter varias limitationes, & reſtrictiones, quas patitur juriſdictio Prælatorum Inferiorum, celebris eſt illa circa cauſas immunitatis, quæ à Gregorio XIV. Epiſcopi tantùm examini, & juriſdicdictioni reſervatæ fuerunr. Sicut enim cauſæ matrimoniales, & criminales, ob earum gravitatem, conſideratam *in cap. ex litteris 1. de conſang. & affin.* Epiſcoporum cognitioni S. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 10. de reform.* reſervavit: ita memoratus Summus Pontifex Gregorius in ſua conſtitutione cavit, ne alius, quàm Epiſcopus cauſas immu-
95 nitatis tractare poſſet; ſed ſtrictiùs, quàm in cauſis matrimonialibus; nam harum cognitio ſublata non eſt in Tridentino Prælatis Inferioribus cum territorio ſeparato verè *nullius*, ſed tantùm Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*; cauſarum verò immunitatis cognitionem etiam Prælatis, juriſdictionem Ordinariam habentibus cum territorio ſeparato, ſuſtulit Gregorius; quamobrem occurrente caſu, & cauſa immunitatis in loco *nullius Diœceſis* ad viciniorem Epiſcopum, juxta præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis, recurrendum erit, ut de cauſa judicet. Voluit enim Gregorius in ſua conſtitutione hanc juriſdictionem ad ſolos Epiſcopos ſpectare in illis ver-
96 bis: *Ad quos ſolos, & non ad alios*, derogando omnibus indultis, & privilegiis Apoſtolicis in contrarium; unde, quod hæc juriſdictio in caſibus violatæ immunitatis pertineat ad ſolos Epiſcopos, etiam privativè ad Nuntios, ſeu Legatos Apoſtolicos, reſolvit S. Congregatio *in Bononienſ. 19. Auguſti 1650. & 8. Aprilis 1632.* teſtibus Monacel. *in formul. part. 1. tit. 6. formul. 8. num. 10.* Ricc. *in Synopſi decret. S. Congr. verbo Prolegatus num. 1. & verb. Extractio. n. 26.* ubi quod etiam in locis *nullius Diœceſis* Nuncius procedere non poteſt niſi in defectum Epiſcopi vicinioris, juxta reſolutionem S. Congregat. *in Toletana 28. Februarij 1677.* Nicolius *in floſcul. verb. immunitas num. 1.* Et generaliter hanc privativam Epiſcoporum, ad quoſcumque alios, juriſdictionem fatentur Pax Jordan. *tom. 2. lucubrat. lib. 11. text. 3. num. 294. & ſeqq.* Rodrig. *quæſt. regul. tom. 2. q. 50. art. 3. verſ. circa quam.* Pellizar. *in manual. tom. 2. tract. 8. cap. 5. ſect. 1. num. 40. & ſeqq.* Ambroſin. *de immunit. cap. 11. ſub n. 1.*

Mo-

Monacell. *ubi ſupra*, & ratio eſt, quia Conſtitutio Gregoriana in hac, ut ita dicam, delicata materia tuendi immunitatem Eccleſiarum, noluit confidere, niſi de Epiſcopis, ut obſervat Panimol. *deciſ.* 84. *num.* 22.

97 Unde jam apparet quàm rectè *in hoc* 2. *Concord.* ſtatutum ſit cauſas immunitatis, reorum confugientium ad Eccleſias Regulares, tantùm ſpectare ad Archiepiſcopum, non ad Magnum Priorem; licèt hic juriſdictionem Ordinariam habeat in ſuas Eccleſias Regulares; nam etſi haberet territorium ſeparatum verè *nullius*, adhuc à ſimilibus cauſis ſe abſtinere deberet, & ad Archiepiſcopum Toletanum, tanquam viciniorem pertineret earum cognitio. Et quoad noſtrum propoſitum præter diſpoſitionem *hujus cap.* quæ ita clarè concepta eſt, habemus etiam reſolutionem Judicum Concordiæ *in Congregat.* 26. *Septembris* 1699. *verſ. el tercero*, & *in Congregat.* 20. *Auguſti* 1705. *verſ. lo ſegundo*, ubi declaratur, quod attenta Bulla Gregorij XIV. in qua fundatur diſpoſitio noſtri Capitis, pertinet ad Vicarium Archiepiſcopalem privativè, quoad Prioralem cauſarum immunitatis cognitio, & examen. Sic ergo ad Vicarium Archiepiſcopalem ſpectat cognoſcere, an reus ad Eccleſiam confu-
98 giens, ejus immunitate gaudeat, vel non, quia fortè adſit caſus exceptus in *dict. Conſtitutione*; ſimiliter ad eum privativè pertinet, concedere facultatem, & licentiam Curiæ Sæculari, ejuſque Judicibus capiendi, extrahendi, & in carceres coniiciendi reum in aliquo ex caſibus in Conſtitutione exceptis. Quæ omnia clariſsimè procedunt ex iis, quæ
99 tradunt Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 144. *num.* 1. & 8. & præcipuè Cardin. de Luca *in Miſcell. diſc.* 13. qui per totum diſcurſum ſolide, & in noſtris terminis rem hanc diſcutit; in eo ſiquidem agit de Vicario Priorali Hieroſolymitano, juriſdictionem habente in Eccleſia exempta ſuæ Religionis, cum Tribunali erecto intra Diœceſim Meſſanenſem, qui contra Judices Sæculares cenſuris proceſit, ob id quod reum ab Eccleſia extraxerint, & carceraverit, immunitatem ſuæ Eccleſiæ violando. In his igitur terminis (qui iidem ſunt cum noſtris) totus eſt ille Eminentiſſimus Auctor in demonſtrando, in illo caſu nulliter proceſsiſſe Vicarium Prioratus, cum ſe ingerere non potuiſſet in cauſa immunitatis.

100 Sed licèt hic punctus ita ſit clarus favore Diœceſani, tamen *quoniam ubique Regulares exempti* (verba ſunt Card. de Luca *in Miſcellana diſc.* 13. *num.* 3. qui acriùs idem repetit *in diſc.* 2. *n.* 14.) *præſertim verò, ac omnium magis Milites, aliique miniſtri hujus inſignis Hieroſolymitanæ Religionis hanc erroneam retinent opinionem, ſeu prætenſionem, ut defenſio immunitatis ſuarum Eccleſiarum eis incumbat, quodque Ordinarius tanquam in Eccleſia exempta ſe ingerere non poſsit*: Aliqua ſunt exorta dubia, quæ hic leviter attingenda ſunt, ut examuſsim appareat, has cauſas omninò Epiſcopis reſervatas eſſe cum excluſione Prælatorum Inferiorum.

101 Primum ergo dubium eſt, an Vicarius Prioralis caſu, quo intentetur à Judicibus Sæcularibus cum violentia, & defacto extractio rei ab Eccleſia Regulari, poſsit ut talis Vicarius immunitatem defendere, & contra violantes immunitatem, cenſuris pro-
102 cedere? Ratio dubitandi, & quæ pro parte affirmativa facit, deſumitur ex ampliſsimis privilegiis hujus inſignis, Sacræque Religionis, præſertim ex *Bulla Pij IV. quæ incipit circunſpecta Kal. Iulij* 1560. *apud Laert. Cherubin. tom.* 2. *fol.* 9. veterum privilegiorum comprehenſiva, in qua Prioribus, & Commendatariis tribuitur juriſdictio Ordinaria in perſonas exemptas, & ſuas

Ec-

Eccleſias Regulares ; ob quod Mag. Priorem Ordinarium fatetur Sac. Rota in pene omnibus deciſionibus hujus cauſæ, ut *in deciſ.* 70. *à num.* 53. *ad* 55. *& deciſ.* 390. *num.* 9. *part.* 13. & ut talem, Tribunal erectum poſſe habere cenſuit in duabus deciſionibus coram Molines, prima *die* 17. *Iunij* 1689. & ſecunda *die* 16. *Iunij* 1690. & habetur *in cap.* 16. *huj. Concord.* Quibus poſitis, nihil videbatur poſſe obſtare Vicario Magn. Prioris, ut tanquam Ordinarius ſuarum Eccleſiarum, immunitatem earum defenderet, & contra earum violatores cenſuris procederet; nam ſuppoſita in eo juriſdictione Ordinaria talis defenſio ei competere videtur ex ſequentibus. I. ex *text. in cap. ad Epiſcopos* 17. *q.* 4. ubi non ſolùm Epiſcopis, ſed omnibus Ordinariis defenſio immunitatis, & animadverſio in violatores conceditur his verbis : *Ad Epiſcopos cæteroſque direximus juſſionem, ut eos qui Eccleſias violaſſe perhibentur acceſſu earũ judicent eſſe indignos* : hic enim illa dictio *cæteroſque* ad Prælatos Epiſcopo Inferiores referri poteſt, prout cum *Farinacio de immunit. num.* 367. refert Pignatell. *ubi ſupra.* II. ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 20. Ubi cùm concedatur facultas procedendi con-
103 tra Eccleſiæ violatores Principibus, & Judicibus Laicis ; Prælatis Epiſcopo Inferioribus ſimilis facultas aufferri non debet. III. Quia cùm Judices Sæculares perpetrent delictum in ipſa Eccleſia Regulari in injuſta rei extrac-
104 tione, qua Eccleſiæ jus, & immunitas violatur ; animadverſio, & punitio delinquentium ſpectat ad Ordinarium loci, in quo commiſſum eſt delictum, *cap.* 1. *in fin.* 3. *quæſt.* 6. *leg. ſi cui*, §. *idem Imperator ubi Gloſſ. ff. de acuſat. leg.* 1. *& Auth. qua in Provincia C. ubi de crimin. agi oport. Menoch. conſ.* 466. *num.* 17. quod maximè ſuadetur ex *noſtro cap. in Concord.* 3. in quo conceditur Priorali Vicario, ut de delictis in Eccleſia Regulari commiſsis, præventivè cognoſcere poſsit ; quare igitur in caſu violationis omninò excludetur? Quibus fundamentis movetur Pignatell. *d. conſult.* 144. *ex num.* 5. ut aſſerat Prælatos Epiſcopo Inferiores ſuarum Eccleſiarum immunitatem poſſe defendere, & eis facultatem competere contra violatores Eccleſiæ procedendi.

105 Sed his non obſtantibus, tenendum eſt ad Vicarium Prioralem non pertinere immunitatem Eccleſiarum judicialiter defendere, nec procedere poſſe cenſuris contra immunitatem ſuæ Eccleſiæ violantes; ad quod probandum nihil aliud requiritur præter citatam Conſtitutionem Gregorij, in hac materia regulatricem ; nam cùm in ea Epiſcopis reſerventur cauſæ im-
106 munitatis, & à Prælatis Inferioribus auferantur, ſimiliter tanquam quid connexum reſervari debet defenſio judicialis immunitatis, & animadverſio in violatores, nec ratio eſt, cur ſeparetur, ut colligitur ex Felin. *in cap. ſuper litteris num.* 20. *de reſcript.* Marſil. *ſingul.* 251. *ad med. & conſ.* 84. *num.* 10. Mandel. *conſ.* 322. *numer.* 24. *&* 45. quos refert Pignatell. *cit. loco num.* 4. nam caſus defenſionis, & violationis dependet à pronuntiatione in cauſa principali, nimirùm, an reus ille gaudeat, vel non immunitate ; ſi enim non gaudet ceſſat violatio, & defenſio, & conſequenter cùm ad Epiſcopum pertineat cognoſcere, an reus immunitate gaudeat, ita debet pertinere defenſio immunitatis, & in violatores animadverſio ; ut in fortioribus terminis, quod etiam in locis *nullius Diœceſis* Epiſcopo viciniori pertineat defendere immunitatem reſolvit S. Congregatio immunitatis in *nullius Luculi.* 9. *Auguſti* 1670. apud Riccium *in Synopſi verb. Epiſcopus quoad immunitatem numer.* 6. ibi : *Ad*

Epiſ-

Epiſcopum viciniorem ſpectat tueri immunitatem Eccleſiaſticam violatam in territorio nullius, & probat de Luca *de juriſd. diſc.* 29. *num.* 6. Quibus accedit,
107 quod cùm ad Epiſcopum privativè pertineat, concedere licentiam extrahendi reos, ad quaſcumque Eccleſias confugientes; hinc caſu, quo ſine ejus licentia vi, & de facto extrahantur, ejus majeſtas, & juriſdictio offenditur, & læditur; & tunc ad eum ſpectat animadverſio Boer. *deciſ.* 9. *n.* 14. quod procedit, ut docet Pignatell. *ubi ſupra num.* 2. ex Lancell. *de attent. part.* 3. *cap.* 27. *num.* 51. *&* 57. *& ex Rota coram Gregorio deciſ.* 486. *n.* 7. etiamſi Judicis majeſtas, & juriſdictio in alieno territorio offendatur, & quamvis Judex, cui fit injuria aliàs eſſet incompetens.

108 Itaque in præſenti firmiter tenendum eſt, quod ſi Judex Sæcularis Eccleſię immunitatem violaverit, reum ab ea extrahendo; ad Vicarium Archiepiſcopalem pertinebit immunitatem defendere, & in violatores animadvertere; & Vicarius Prioralis tantùm poterit, eam defendere extrajudicialiter, & hoc modo ſuas proteſtationes, & monitiones facere, non verò judicialiter. Quæ ſententia, præterquam veriſima eſt, & contraria erronea, & fabuloſa, ut dicit & probat in eiſdem terminis Religionis Hieroſolymitanæ Cardin. de Luca *in Miſcellan. diſc.* 2.
109 *num.* 14. *& dict. diſc.* 13. *& de juriſd. diſc.* 29. fundatur etiam in reſolutione Apoſt. Nuncij, nam cùm in *Congregat.* 26. *Septembris* 1699. *verſ. el quarto*, hoc ipſo dubio propoſito, Judices diſcordes extitiſſent, volentibus Judicibus à Religione deputatis, poſſe Vicarium Prioralem immunitatem defendere judicialiter; remiſſum fuit hoc dubium pro reſolutione ad Nuncium, qui *die* 9. *Ianuarij* 1700. reſolutionem Judicum à Dignitate Archiepiſcopali deputatorum comprobavit omninò: reſolutio Judicum hæc erat: *Convinieron, en que extrajudicialmente aſsi el Vicario, como el Prior de la Igleſia pueden hazer ſus proteſtas, y requirimientos, pero no judicialmente.*

110 Ergo ex hac reſolutione jam illud ſtatuere poſſumus ad concordiam utriuſque Dignitatis, quod nimirùm Vicarius Diœceſanus contra violantes immunitatem judicialiter poſsit procedere, & cenſuris uti tanquam Judex; Vicarius verò Prioralis poſsit extrajudicialiter procedere, factis monitionibus & proteſtationibus, quin & in caſu præciſæ violentiæ cenſuris uti per modum defenſionis; quod fundatur in
111 illa æquiſsima ratione juris naturalis, qua vim vi repellere omnibus licet, *leg.* 3. *de juſt. & jur.* Quæ ratio militat non ſolùm cùm vis, & injuria verſatur circa perſonam, ſed etiam circa bona, & jura, ut eſt expreſſus *text. in cap. dilecto de ſent. excom. in* 6. & ibi Gloſſa *verb. bonis*, cui conſonat *text. in cap.* 2. *de privil.* ibi: *Violentos itaque laicos coercere, non contra legem eſt agere, ſed legi facere ſubſidium, & cap. venerabili de cenſib.* & ad propoſitum D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. *in reſponſ. ad* 4. *argum.* Butr. *in cap. venerabili num.* 10. *verſ.* 8. *caſu* 4. Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 47. *à num.* 4. *& diſc.* 48. *num.* 6. & plenè S. Rota *deciſ.* 122. *n.* 1. *& ſeqq. part.* 15. *recent.*

112 Sed non ſtatim & in quocumque caſu permiſſa erit Vicario Priorali promulgatio cenſurarum per viam defenſionis; cùm enim excommunicatio graviſsima ſit pœna, & non niſi in ſubſidium ea ſit utendum, *can. corripiantur* 24. *q.* 3. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 4. hinc non intrat caſus naturalis defenſionis in uſu cenſurarum, niſi cùm jam alia arma, aliaque remedia non ſuppetunt; unde poſita violentia, ſi arma temporalia

non ſint prompta, requiſitionibus &
113 proteſtationibus erit utendum, & poſtmodùm ſi in violentia perſiſtant ad cenſuras deveniri poteſt: ad quod etiam requiritur, ut violentia & periculum extractionis ſit adeo imminens,
& inſtans, ut non patiatur recurſum
114 ad Diœceſanum, pro hujuſmodi violentia compeſcenda: & ratio eſt, quia cùm de natura cujuſcumque remedij ſubſidiarij ſit, ut ad illud non deveniatur, niſi cùm auxilium deficit ordinarium ex vulgari regula *text. in leg. in cauſæ* 16. *ff. de minor.* hinc utendum non eſt extrajudiciali defenſione & promulgatione cenſurarum (in qua Prælatus Inferior ſe gerit extraordinariè tanquam privatus *d. cap. dilecto*, ubi Canoniſtæ) cùm adhiberi poteſt judicialis cognitio, & judicialis uſus cenſurarum, qui in hac materia privativè competit Diœceſano *ex d. Bulla* Gregorij. Hinc etiam deſcendit extrajudicialem hanc defenſionem &
115 uſum cenſurarum ſolùm competere Vicario Priorali in ipſo actu violentæ extractionis, non verò poſt eam: & ratio eſt, quia naturalis defenſio eò reſpicit, ne quid fiat, non autem, ut factum reddatur infectum, quod impoſsibile eſt, *leg.* 3. *ff. de damn. infec.*
116 unde generale eſt in omni defenſione permiſſa, vim vi repellendo, quod in continenti fieri debeat *ad text. in leg.* 3. §. *eum igitur.* ibi: *Sed hoc confeſtim non ex intervallo ff. de vi & vi arm.* & Gloſſ. *in leg.* 1. *verſ. moderamine C. unde vi*, & in terminis ita explicant DD. citatum textum *in cap. dilecto.* Alex. *conſ.* 76. *vol.* 1. Bellet. *diſquiſit. Cleric. part.* 1. §. 5. *num.* 118. Rota *in d. deciſ.* 122. *num.* 13. *part.* 15. *recent.* Itaque Vicarius Prioralis, ut ſiſtat intra terminos inculpatæ tutelæ, id ſolùm efficiet, ut compeſcat & impediat violare volentem immunitatem; non verò partes ſuſcipiet, ut is, qui jam violavit reſipiſcat, aut reum Eccleſiæ reſtituat; quia tunc jam non de damno inſtanti celeriter præcavendo agitur; ſed de damno dato, pro quo reparando commodè adiri poteſt Diœceſanus.

117 Ne autem præjactæ doctrinæ quis confirmationem, aut illuſtrationem deſideret, lubentiſsimè hic tranſcribo; ſententiam Cardinalis de Luca *in diſc.* 13. *num.* 20. *in Miſcell. Eccleſ.* ubi de ſimillimo caſu egit, ait enim: Et quoad aliam concluſionem, de qua *in diſc.* 47. & 48. *tit. de juriſdictione*, (tradiderat enim in eis poſſe adhiberi cenſuras, tanquam arma ſpiritualia contra non ſubditos per viam defenſionis propriorum jurium) admittebam pariter ejus veritatem in ſuo caſu, ubi ſcilicèt aliquis de facto injuriam, ſeu moleſtias Eccleſiæ, ejuſque Prælato inferret, aut ſuorum jurium, vel bonorum poſſeſsionem impediret, neque Prælato alia ſuppeterent arma, cum quibus illam vim repellere poſſet, cùm tunc jure defenſionis, quæ de jure naturæ permiſſa eſt, ita vim vi repellendo, id liceat, in forma tamen extrajudiciali, tanquam in re notoria, ac de facto, non autem ubi forma judicij requiratur, puta quia in illo actu, in quo quis Eccleſiaſticam immunitatem violare tentet, atque refugiatum extrahere, ille Prælatus localis, quando caſus non patiatur moras recurrendi ad Ordinarium, id agat, ut impediret, & compeſceret violare volentem, ne id agat, ſive ad compeſcendum, qui jam violationis actum fecit, ut reſipiſcat, atque Eccleſiam reintegret; cùm tunc Vicario jure Ordinarij, ad quem pertinet in illa urgentia id agere poſſe permittitur, ſecus autem ubi hujuſmodi circunſtantiæ non accedant, quoniam cùm Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicæ, cuſtodiam, ac defenſionem Eccleſiaſticæ immunitatis Epiſcopis commiſſerint, ita Inferiores

Præ-

Prælati ſe ingererent in eo, quod non eſt ſuum, ac propterea alienam juriſdictionem uſurpare dicerentur. Hucuſque Eminent. de Luca.

118 Jam verò nihil contra hanc ſententiam faciunt, quæ ſupra retulimus pro ratione dubitandi, quæ præſertim conſiſtit in ponderata amplitudine privilegiorum hujus Sacræ Religionis, tribuentium Prioribus, Commendatariis, & eorum Vicariis juriſdictionem Ordinariam; nam præterquã quod hujuſmodi juriſdictio Ordinaria ſolùm comprehendit Religioſos, & ſervientes cum requiſitis Bull. Greg. XIII. nõ autem Sęculares de Populo, & Clero, ut ſæpiſsimè declaravit Rota in hac

119 cauſa præſertim *in deciſ.* 70. *part.* 13. & explicat latè de Luca *diſc.* 1. *& ſeqq. de juriſdict. & in Miſcellan. d. diſc.* 13. *à n.* 10. Nihil relevat quoad hunc caſum illa juriſdictio Ordinaria; quia, ut ſupra vidimus, non Judices Ordinarij utcumque, ſed ſolùm Epiſcopi de his cauſis cognoſcere poſſunt; reliqui verò Ordinarij Epiſcopo Inferiores, etiam cum territorio ſeparato verè *nullius* excluduntur ab earum cognitione.

120 Nec hoc modo, ſuppoſita juriſdictione Ordinaria, quidquam obſtant argumenta Pignatelli, non primum ex *d. cap. ad Epiſcopos* 17. *quæſt.* 4. nam in primis talem lectionem, qualem refert Pignatellus illius textus non inveni, ſed imò contrariam. In exemplari enim excuſſo Antuerpiæ, anno 1573. ante Romanam correctionem, juſſu Gregorij XIII. factam ita legitur: *ad Epiſcopos cunctos direximus juſsionem &c.* In alio exemplari Coloniæ Munatianæ, impreſſo anno 1696. poſt dictam Romanam correctionem ſic legitur: *Ad Epiſcopos cæteros direximus juſsionem &c.* & ita etiam legitur in noviſsima editione Decreti Cardinalis Turrecrematæ à Juſto Fontanino illuſtrata. Quæ lectiones licèt diverſæ, faciunt eumdem ſenſum, ſuperiori lectioni Pignatelli contrarium; itaque illa dictio conjunctiva *que* reiici debet, qua ſublata, congruentiorem ſenſum textus ille habebit. Verùm adhuc, lectione illa retenta, poſſet reſponderi, I. quod etſi in dictione illa *cæteroſque* comprehenderentur alij Ordinarij Prælati Epiſcopo Inferiores; tamen hujuſmodi textus antiqui diſpoſitio hodie nullum vigorem haberet, cùm per citatam Conſtitutionem Gregorij XIV. in hac materia regulatricem, abrogata dici deberet. II. Violentum non eſſet, ſi diceremus illam dictionem *cæteroſque* referri poſſe ad alios Prælatos ejuſdem Ordinis Epiſcopalis, prout ſunt Metropolitani, Primates, ſeu Patriarchæ; præcipuè attentis illis temporibus, in quibus aut nullus, aut rarus horum Prælatorum Inferiorum uſus erat.

121 Nec magis favet Prælatis Inferioribus ſecundum fundamentum deductum ex diſpoſitione Concilij Tridentini *d. Seſs.* 25. *de reform. cap.* 20. nam ex eo quod Principibus, & Judicibus Laicis commendetur extrajudicialis jurium Eccleſiæ defenſio per viam Supremę protectionis; non infertur quod Prælatus Inferior immunitatẽ defendere poſsit, vel non; quia quod attinet ad juriſdictionem Eccleſiaſticam (qua neceſſariò Prælati Inferiores in hac defenſione, ſi eis concederetur, uti deberent) pròviſum habemus in prædicta Conſtitutione, ſolùm Epiſcopis medio juriſdictionis Eccleſiaſticę competere immunitatis defenſionem. Itaque ex præfato Conciliari decreto ſolùm poſſent prætendere extrajudicialem defenſionem, quæ in præſenti eis non negatur, ſicuti nec negatur Parochis, & Clericis Eccleſiarum, & Fratribus cujuslibet Conventus, debita moderatione ſervata.

Nec tandem obſtat ultimum motivum; quia illa regula, quæ dictat poſſe Ordinarium loci delicti contra

delinquẽntes in loco, etſi non ſubditos procedere. Debet intelligi cùm cauſæ natura non repugnat prorogationi
122 juriſdictionis, ut in præſenti evenit; nam præterquam quod Judices, & Miniſtri Sæculares ſubjecti ſunt Archiepiſcopo, uti de Populo & territorio ejus; aliunde cauſa immunitatis Vicario Priorali non competit ob reſervationem Conſtitutionis. Sed de hoc fuſsiùs agetur *in 3. Concor. noſtri capitis*, & interim pro confirmatione videndus Card. de Luca *diſc. 99. de juriſd.* ubi agit de delicto commiſſo in loco exempto, & Prælato Inferiori ſubjecto, & cauſa Epiſcopo reſervata.

123 Secundum dubium eſt, an caſu, in quo reus refugiatus extrahi debeat ab Eccleſia Regulari, vel ab ipſo Vicario Diœceſano, vel à judicibus Sæcularibus de ejus licentia; neceſſarium ſit requiſitoriales litteras expedire, ut Vicarius Prioralis ejus licentiam in ſcriptis præſtet pro extractione facienda? In hoc ergo dubio dicendum eſt, nullomodo neceſſa-
124 riam eſſe licentiam in ſcriptis Vicarij Prioralis, nec quod ei ulla requiſitio fiat; nam poſito, quod, Vicario Diœceſano ex præfata Conſtitutione Gregorij XIV. competit privativè cognitio in cauſa immunitatis; ad eum privativè pertinet reum ab Eccleſia extrahere; quia actus extractionis conſequens, & annexus eſt cognitioni cauſæ principalis immunitatis; unde cùm hanc examinare pertineat virtute delegationis dictę Conſtitutionis ad Vicarium Diœceſanum abſque ulla dependentia à Vicario Priorali; ita actus extractionis à ſolo Vicario Diœceſano expediri poteſt.

Quibus non obſtat quod Vicarius Prioralis Eccleſiarum Regularium ſit Ordinarius, unde neceſſaria videbatur litterarum requiſitorialium expeditio, pro exercendo actu extractionis in Eccleſia ſibi ſubjecta, juxta communem, & univerſalem praxim expediendi litteras requiſitoriales ab Ordinariis, pro exercitio alicujus actus juriſdictionalis in alieno territorio, de quo teſtantur Card. de Luca *diſc. 98. de juriſd. num. 13.* Carleval *de judic. tit. 1. diſp. 2. à num. 17.* ubi latè de his litteris requiſitoriis agit. Quia cùm in hac extractione, & cauſa immunitatis Vicarius Diœceſanus pocedat cum juriſdictione ſibi delegata à Sede Apoſtolica *in dict. Conſt.* ipſe in juriſ-
125 dictione delegata explere valet ea omnia, quæ eam tangunt abſque requiſitione & licentia Ordinarij, ut in hac cauſa ex Felino *in cap. fin. de for. comp. num. 2.* Januenſi *in praxi cap. 70. num. 15. verſ. nec in Civitate* Roſa *de execut. part. 2. cap. 3. num. 19. in fin.* Pax. Jordan. *de re juditiali lib. 13. tit. 6. num. 84.* Ripoll. *var. cap. 1. num. 454.* declaravit Sacra Rota coram Molines *die 11. Decemb. 1690.* ubi & illa aſsignatur ratio, quod nempè Vicarius Diœceſanus, dùm procedit in Eccle-
126 ſiis Regularibus uti Delegatus Apoſtolicus, in eo quod juriſdictionem delegatam reſpicit, dignior, & major eſt Ordinario *cap. Paſtoralis 10. §. præterea de offic. jud. Ordin. cap. ſane 11.* ubi Gonzalez *num. 3. & 9. de offic. jud. deleg.* Roſa *de Execut. part. 2. cap. 1. num. 7.* Gambacur. *de immun. Eccleſ. lib. 6. cap. 8. ſub num. 5.* Gutierr. *de matrim. cap. 63. num. 29.* Urrutigoiti *in Paſtoral. Regular. part. 2. q. 1. num. 20. & q. 16. num. 16.* & latè *de intruſ. q. 74. à num. 3.* Cancer. *var. part. 3. cap. 10. num. 88.* Cortiada *deciſ. 34. num. 3.* Et ſanè incongruum eſſet, ut qui per delegationem Miniſtrus Apoſtolicus efficitur, & ipſi ſoli deleganti ſubditus; in iis, quę delegationem concernunt Ordinario Eccleſiæ ſubjaceret, deſiderando ejus licentiam, &

exe-

exequatur pro exercitio jurisdictionis delegatæ : quare mandata circa extractionem reorum, sicuti alia quævis, in quibus Vicarius Diœcesanus procedit cum jurisdictione delegata, executioni demandanda erunt, quin necessaria sit licentia, aut *exequatur* Dignitatis Prioralis, illiusque Ministrorum; prout consentaneè *d. decis. S. Rotæ* 11. *Decembris* 1690. disponitur litteraliter in *cap.* 13. *Concord.* ubi latiùs de hoc, Deo dante, agemus.

127 Nec in hoc jam dubitari licet; nam ita resolutum habemus à Judicibus Concordiæ : cùm enim hoc ipsum dubium propositum fuisset in *Congreg. 2. Septembris* 1703. *vers. lo tercero*, & Judices discordes extitissent, dubium Apostolico Nuncio remisserunt; at iidem Judices à remissione discedentes in *Congregat. 20. Augusti* 1705. *vers. lo segundo* declararunt, *que en conformidad de la Bulla de Gregorio XIV. y de lo dispuesto en el cap. 3. vers. tertio* (propositus enim fuit casus patrati delicti in Hospitali Regulari) *y en el cap. 13. de la Concordia no sea necessaria licencia in scriptis del Vicario Priorà, ni que se le despache para ello requisitoria* : at ex urbanitate pacis studio addiderunt; *sino es que para que le conste el motivo de no permanecer el refugiado en las Iglesias de la Religion, preceda el embiarle recado, estando en el mismo lugar el Vicario Arzobispal, ò le de aviso extrajudicial estando ausente, participandole como la extraccion se haze de su orden; y que sin otro requisito pueda passar à executarla.*

128 Tertium dubium est, an in casu, quo Vicarius Religionis, vel alij Hierosolymitani, & exempti, immunitatem violaverint, quia fortè injustè, & violentæ extractioni opem præstent, vel consensum, portas aperiendo, vel alio modo extractioni cooperando; Diœcesanus possit contra eos procedere censuris, & aliis pœnis? Ratio dubitandi cõsistit in privilegiis exemptivis generalibus, & specialibus, quæ

129 Regulares liberant à jurisdictione Episcoporum, & censuris, atque eos subiiciunt immediatè Sedi Apostolicæ; unde videbatur ab ipsa Sede, vel ab ejus Nuncio, eos in hoc casu puniendos esse, sicuti in aliis delictis, non verò à Diœcesano. Et respectu Vicarij Prioralis delinquentis crescit dubitatio, quia cùm ipse, ut jam vidimus, sit

130 Judex Ordinarius, non videtur posse puniri à Diœcesano ex vulgari regula, quod par in parem non habet imperium *cap. denique* 21. *dist. cap. innotuit.* 20. *§. quamvis de elect. leg. nam & Magistratus ff. de recept. arbitr.* de quo plura Barbos. *axiomat.* 174. *n.* 1.

131 Hac tamen dubitandi ratione non obstante, tenendum est, Diœcesanum in casu violatæ immunitatis procedere posse contra Vicarium Prioralem, Hierosolymitanos, & alios quoscumque exemptos; quia, ut vidimus *num. præced.* Episcopi, præterquam in casibus violatæ immunitatis habent pro se juris assistentiam, juxta *text. in cap. cùm pro causa de sent. excommun. cap. definivit* 17. *q.* 4. *& in Extravag. inter cunctas de privil.* Insuper *ex dicta Constitutione* Gregorij XIV. constituuntur Judices in his causis privativè ad quoscumque alios, qui non sint Episcopi; unde solùm eis, & non aliis competit contra quoscumque violatores immunitatis procedere.

132 Nec hæc jurisdictio Episcoporum aliquo privilegio exemptionis impediri potest; quia præfata Constitutio derogavit omnibus privilegiis in contrarium in hac materia violatæ immunitatis; ideòque omnes Regulares, etiam, ampliſsima, privilegia habentes, ex hac causa Episcopis subsunt; dicitur enim in dicta Constitutione. *Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pij V. quàm aliorum*

quorumcumque Prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis, &c. quavis Dignitate, & auctoritate fulgentibus, &c. tam illorum intuitu, & contemplatione, ſive ad eorum preces, & inſtantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam in vim contractus, &c. ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis præſervatibis, reſtitutibis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſsimis, efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis, &c. & alias quomodolibet conceſsis.

133 Aſt omne circa hoc dubium ceſſat ex repetitis S. Congregationis declarationibus. Et in ſpecie, quod Epiſcopus habeat facultatem procedendi contra quoſcumque Regulares exemptos, declaratum reperitur in *una Vilnen. 25. Martij* 1696. apud Ricium *in d. Synopſi verbo Regularis delinquens num.* 43. ibi: *Dicti Regulares declarati fuere excomunicati à Curia Epiſcopali ob contumaciam erga ordines ejuſdem Curiæ, concernentes defenſionem immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ.* Idemque deciſum fuit *in una Feretrana 22. Septembris* 1671. ubi, quod Epiſcopus benè proceſsit ad excommunicationem Superioris Regularis, qui ex licentia ſui Provincialis permiſerat fieri recognitionem corporis delicti in Conventu immuni, ut refert *d.* Riccius *ubi proximè verb. Regularis delinquens num.* 20. *& verb. privilegium num.* 3. ubi pariter refert deciſum, quod non obſtante privilegio militari, Epiſcopus procedit contra violatorem immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, ut *in una Senagalien. 3. Ianuarij* 1667. *& Ayacen. 28. Februarij* 1673. ubi quod procedit contra Regulares cooperatores, & *in Maceraten. 27. Novembris* 1666. *& in Caven. 15. Octobris* 1667. *& in Monopolitana 15. Ianuarij* 1667. ubi de facultate Archiepiſcopi procedendi contra Equitem Hieroſolymitanum in caſibus violatæ immunitatis, & *in Aſculana*, ſeu *Spoletana 27. Iunij* 1703. & *in Lycien. 17. Februarij* 1680. ubi de facultate procedendi contra Equites Calatravæ in his caſibus violatæ immunitatis, ut relatis hujuſmodi decretis, tranſcribit Riccius ubi ſupra *verbo Epiſcopus quoad immunitatem num. 5. & verbo. Equites S. Ioannis Hieroſolymitani num.* 16. & 19. & *verbo. Equites Militiæ Chriſti ſub num.* 5. & in ſimili puncto refert noviſsimè Dominicus Urſaya *tom. 2. part. 1. diſcept. 19. à num.* 15. qui *num.* 73. *& ſeqq.* refert aliam declarationem Sac. Congregationis 27. *Auguſti* 1709. favore Archiepiſcopi Neapolitani, qui cenſuris proceſsit ob violatam immunitatem, contra Presbyteros inſervientes exemptos Eccleſiæ S. Jacobi Neapolis, & *num.* 75. aliam ſimilem *diei 22. Iunij* 1717.

134 Nec in præſenti admittendum eſt, quod juriſdictio pertineat ad Nuncium Apoſtolicum, tanquam Judicem exemptorum, quia Epiſcopi habent jus procedendi contra exemptos, privativè etiam ad Nuncium Apoſtolicum propter litteralem tenorem Conſtitutionis Gregorij volentis hanc juriſdictionem ſpectare ad ſolos Epiſcopos: ibi: *Ad quos ſolos, & non alios*: derogatis privilegiis, & indultis contrariis quibuſcumque; quapropter Sacra Congregatio Immunitatis, ut ſupra *num.* 128. vidimus, cenſuit, Epiſcopum in his caſibus procedere privativè ad Nũcios, ſeu Legatos Apoſtolicos & quod in locis nullius Diœceſis Nuncius procedere non poteſt niſi in defectum Epiſcopi vicinioris.

135 Ex his diluta manet ratio dubitandi, quæ ex privilegiis exemptivis ſuſcitatur favore exemp-

to-

torum. Atque pariter reſpectu Vicarij Prioralis nihil ei ſufragatur, quod juriſdictionem Ordinariam habeat, & quod par in parem non habeat imperium; hæc enim regula rectè procederet, ſi Diœceſanus in hoc caſu tanquam Ordinarius ſe gereret; ſed cùm in his cauſis immunitatis procedat tanquam delegatus, nullomodò locum habet; quia delegatus Apoſtolicus non par, ſed major quolibet Ordinario dici debet, ut fundatum manet: & conſequenter contra eum pœnis, & cenſuris procedere poteſt, ut in caſu ſimili factum dicit & probat Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 29.

CONCORDAT. III.

Ad quem ſpectet cognitio delictorum, quæ patrabuntur intus Eccleſias Eremitoria, & Hoſpitalia Religionis.

IN hoc ultimo concordato noſtri Capitis, proſequendo actus, qui ipſas Eccleſias Regulares reſpiciunt, agunt Concordantes de delictis in eis commiſsis; ſed pro reſolutione diſtinguunt caſum, in quo delicta intus Eccleſias comiſſa curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum reſpiciant, & caſum, in quo delicta non verſantur circa curam animarum, ſed aliò reſpiciunt: Primo in caſu, fuit

136 concordatum de delicto poſſe cognoſcere ambos Vicarios cumulativè, & ſimultaneè; quod quidem fundatur in deciſionibus declaratoriis executorialium, prima *die* 10. *Ianuarij* 1689. ſecunda *die* 17. *Iunij* 1689. & tertia *die* 11. *Decembris* 1690. in quibus Rota poſtquam declaravit, juriſdictionem delegatam in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, competere Archiepiſcopis tam in viſitatione, quàm extra eam; quodque hæc juriſdictio delegata non impediat Magno Priori exercitium ſuæ juriſdictionis Ordinariæ, quia juriſdictio delegata concurrit cumulativè cum juriſdictione Ordinaria: cenſuit, Archiepiſcopum impediri non poſſe in uſu talis juriſdictionis delegatæ, etiam ſub prætextu, quod Magnus Prior virtute juriſdictionis Ordinariæ in Eccleſias, & perſonas exemptas prævenerit; nam hæc cumulativa intelligenda eſt non de alternativa; ita ut unus præveniendo, alterum impediat; ſed de compatibili, & ſimultanea, nempè quod uterque ſive priùs, ſive poſteriùs ſua juriſdictione uti poſ-

137 ſit: quia ferendum non eſt, ut impediatur exercitium juriſdictionis delegatæ, Diœceſanis profideli ſervitio adminiſtrationis Sacramentorum commiſſæ *in cap.* 20. *Act. Apoſtol. cap. cùm Capella* 16. *de privileg.* S. Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 11. & etiam *in Bullis Apoſtolicis* cùm ad Epiſcopum ſpectet inſpicere, an ovibus ſibi commiſsis divina pabula rectè miniſtrentur per inferiores Miniſtros, quibus cura miniſtrandi incumbit, Cardin. de Luca *diſc.* 4. *de juriſd. num.* 4. *& de Paroch. diſc.* 13. *num.* 4. Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 58. *num.* 5. Rota *deciſ.* 391. *num.* 4. *& 5. part.* 13. *& deciſ.* 120. *num.* 7. *part.* 18. Et juxta hæc declarata eſt cumulativa utriuſque juriſdictionis infra *in cap.* 12. *Concord.* ubi de hoc tanquam in propria ſede ex profeſſo agemus.

138 Nec præjudicat Archiepiſcopo, quod Magnus Prior puniat, & corrigat ſuum Subditum, qui deliquit circa curam, & adminiſtrationem ei commiſſam; nam ut in ſimili conſiderat Luca *d. diſc.* 4. *num.* 4. *verſ. ſi verò*; hoc potiùs expedit, ut malè ſe gerens duplici ſuperiori, & correctioni ſubiaceat, & hoc modo pinguiùs conſulatur ſaluti animarum, & fideli ſervitio curę, de quo etiam infra in *d. cap.* 12.

Si

139 Si verò, prout erat alter caſus, delictum commiſſum in Eccleſia non verſatur circa curam animarum; tunc dicendum eſt, quod uterque Vicarius procedere poteſt licèt non ſimultaneè, ut in caſu præcedenti; ſed præventivè. Quod uterq; Vicarius cognoſcere poſsit patet, quia cùm delinquentes de Populo, ſive Clero Sæculari ſubjecti ſint Vicario Diœceſano, tanquam habitantes in ejus territorio, in quo omnimodam juriſdictionem exercet, hinc eſt, quod Vicarius Diœceſanus tanquam Judex domicilij de illorum delictis etiam commiſsis in loco exempto cognoſcere poterit cùm præcipuus, verus, & naturalis modus ſortiendi forum ſit ratione domi-
140 cilij *cap. ex parte de for. compet. leg. Cives C. de incolis lib.* 10. juncto Innocentio *in cap. licet de for. compet. num.* 1. *&* 3. Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 94. *num.* 12. & cum pluribus Carleval *de judic. tit.* 1. *diſp.* 2. *num.* 13. 56. *&* 735. & præcipuè in noſtris terminis, in quibus delinquens, dum delictum commitit, non eſt abſens à Diœceſi, quippè locus delicti ſcilicet Eccleſia eſt intra Diœceſim, & in Diœceſi; ob quod etiam, non propriè, ſed fictè tantùm ratione exemptionis loci poteſt dici extra territorium deliquiſſe.

141 Vicarius verò Prioralis etiam cognoſcere poteſt, quia cùm proponamus delictum commiſſum in Eccleſia quæ ei Ordinaria juriſdictione ſubeſt, & ſic in loco exempto; licèt delinquentes ſui ſubditi non ſint, ratione commiſsi delicti in ejus Eccleſia, ei ſubiiciuntur tanquam loci Ordinario, ut patet ex *text. in cap. poſtulaſti* 14. & ibi Canoniſtæ, quorum plures refert D. Gonzalez *num.* 3. *de for. compet. leg.* 1. *& Auth. qua in Provincia C. ubi de crimin. ag. oport.* latè Carleval *ubi ſupra à numer.* 716. ubi plures quæſtiones circa utrumque forum, domicilij videlicet, & loci delicti, veluti illam de prævalentia inter utrumque forum, videri poſſunt, quas in præſenti tractare extra rem eſſet.

142 Poſito, quod uterque Vicarius de delictis in Eccleſia Regulari commiſsis cognoſcere poteſt cum cumulativa juriſdictione: dicendum eſt attento jure Canonico, locum eſſe præventioni, quodque ille de delicto cognoſcet, alterum excludendo, qui prævenerit; nam in conflictu duorum Judicum, quorum ſinguli habent parem juriſdictionem in ſolidum competentem circa cauſam aliquam, locus eſt præventioni, juxta veram naturam cumulatiuæ juriſdictionis, *text. in cap. cùm plures* 8. *de offic. delegat. in* 6. *leg. ſi quis poſteaquam* 7. *de judic.* Covarr. *pract. cap. fin. in princ.* Tondutus *de prævent. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. *&* 9. *& cap.* 45. *num.* 2. Cancer. *variar. reſol. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 204. Giurba *conſil.* 48. *num.* 41. Carleval *de judic. d. diſp.* 2. *num.* 872. Salgado *in Laberinth. Credit. part.* 1. *cap.* 4. *§.* 1. *per tot.* Pignat. *tom.* 6. *conſult.* 94. *num.* 10. quod ipſum probavit Rota *deciſ.* 254. *num.* 27. *&* 28. *part.* 19. *recent.* his jungendus Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 57. *num.* 7. & in hoc puncto ita habemus reſolutum à Judicibus Concordiæ *in Congreg.* 2. *Septemb. verſ. lo tercero* 1703. *& die* 18. *Aprilis verſ. lo ſegundo* 1707. ubi in una cauſa Vicario Archiepiſcopali, & in altera Vicario Priorali cognitio commiſsi delicti in loco Regulari conceditur, attenta ſola prævention is ratione.

143 Ex quibus verò actibus inducatur prævention, noſtri non eſt inſtituti; ſolùmque hic notandum duximus, quod prævention regulaliter fit vel per citationem verbalem legitimam, quæ dicitur prævention verbalis ex *text. in leg. cum quædam in princ. de juriſd. omn. jud. leg. ſi quis poſteaquam* 7. *de judic.*

cap.

cap. propoſuiſti de for. compet. vel per citationem realem, ſeu capturam perſonæ, quæ dicitur præventio realis, ut cum multis tenet Azevedus *in leg.* 10. *tit.* 13. *lib.* 8. *Recopil. num.* 6. 7. *&* 8. Carleval *ubi ſupra num.* 879. *&* 881. Quæ autem ex his prævaleat, & quæ ſufficiat, ut unus Judex alterum excludat, magnopere ventilatur apud DD. ut colligitur ex iis quæ tradit Carleval *à num.* 883. Sed in præſenti dicendum eſt, quod ad preveniendum unum
144 Vicarium, & à cauſa excludendum, ſufficit alterum verbaliter prævenisſe, citatione verbali tantùm facta; nam data æquali competentia inter duos Judices, dummodò præventio ſit legitima, ſufficit verbalis, ut is qui prævenit, alterum excludat Card. de Luca *diſc.* 3. *de judic. num.* 41. *& diſc.* 83. *de juriſdict. num.* 3. Barboſa *in leg. ſi quis poſteaquam* 7. *num.* 79. *cum ſeqq. ff. de judic.*

145 Quod verò diximus utrùmque Vicarium ſervata inter eos prævention e, cognoſcere poſſe de delictis in Eccleſiis Regularibus perpetratis dupliciter limitandũ eſt; primo, ut non procedat cùm delinquẽtes ſunt ſubditi Religionis, tribus requiſitis à Concilio diſpoſitis ſuffulti; quia cùm in his non ſolùm ratione loci delicti, ſed ratione perſonæ locum habeat ordinaria juriſdictio Vicarij Prioralis, ad eum privativè pertinere debet eorum punitio pro delicto in Eccleſia Regulari commiſſo; hoc tamen intelligendum eſt dummodò habeant tria requiſita eo modo, quo *in cap.* 16. dicemus. Secunda limitatio eſt, quam ſupra in 2. *concord. num.* 122. tetigimus
146 videlicet, cùm aliàs natura cauſæ repugnat; ut in caſu ibi propoſito, nempè cùm Judices Sæculares violant immunitatem Eccleſiæ Regularis ab ea reum extrahendo de facto, & cum violentia; quia tunc licèt delictum violationis commiſſum ſit in Eccleſia, & loco exempto, tamen, quia extrahentes, ſeu delinquentes ſubditi ſunt Diœceſani, & aliunde cauſa immunitatis per Gregorium XIV. commiſſa tantum eſt Epiſcopis cum excluſione Prælatorum Inferiorum; hinc Diœceſanus privativè cognoſcet de illo delicto, excluſſo omninò Vicario Priorali, & in hoc ipſum facit caſus, quem refert Cardin. de Luca in *diſc.* 99. *de juriſd.* ibi enim agebatur de Sæcularibus delinquentibus ante crates cujuſdam Monaſterij Monialium ab Ordinario exempti ſub juriſdictione cujuſdam Abbatis, qui cùm prævenire vellet juriſdictionem Archiepiſcopi Neapolitani Diœceſani, Eccleſiam Monaſterij interdicto ſubjecit; Archiepiſcopus verò invalidum, & attentatum declaravit, quod ab Abbate geſtum erat, & ſimul tam contra Moniales, quæ ex parte interiori, exterioribus Sæcularium levitatibus aſtiterunt; quàm contra Sæculares proceſsit, ac Abbatem citavit ad dicendum cauſam, quare non deberet contra eum procedi ad pœnas in jure ſtatutas pro Epiſcopalis juriſdictionis turbatione, & uſurpatione, ob dicti interdicti appoſitionem: in his igitur terminis recurrente Abbate ad S. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, fuit in ea declaratum Abbatem malè proceſsiſſe; & Archiepiſcopi zelus fuit laudatus.

147 Rationem autem hujus reſolutionis præſtat idem de Luca *in d. diſc.* 99. *num.* 4. per hæc verba: tum quia cum illis Sæcularibus utpotè de populo, & territorio Ordinarij, ipſe Prælatus nullam habebat, nec exercere poterat juriſdictionem; tum etiam quoniam hic actus, juxta ponderationes, de quibus ſupra *diſc.* 18. reſpicit quoque clauſuram, cujus cuſtodia, & cura, etiam in Monaſteriis exemptis per Apoſtolicas Conſtitutiones Ordinario

nario ſaltem jure delegato eſt commiſſa, ut pluries in præcedentibus advertitur, & infra *diſc.* 102. Hucuſque de Luca, ex cujus doctrina luculenter confirmatur ſuperior limitatio.

148 Dubitari tamen poterat de illis delictis, quæ ſimul patrata dici poſſunt in Eccleſiis Regularibus, & in territorio Diœceſani, ut ſi in Eccleſia inchoantur, & extra eam perficiuntur. Et quidem ſi caſus inchoationis fuiſſet licitus ſeu non punibilis, tunc Diœceſano, privativè competet illius delicti cognitio, & animadverſio, ex doctrina Farinacij *in prax. quæſt.* 7. *num.* 45. Antonell. *de loco legali lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. quia in ſuo territorio tantùm commiſſum eſt delictum; non verò Prælato Regulari Eccleſiæ Ordinario, quia in terminis hujus caſus nullum delictum commiſſum fuit in Eccleſia: & ſic delictum commiſſum non fuit in loco ſuæ juriſdictionis, quæ non excedit ambitum Eccleſiarum. Per contrarium verò, ſi extra Eccleſiam inchoatum ſit delictum, & in Eccleſia fuerit conſummatum; Prælato Regulari privativè cognitio competet, quia contrariorum eadem eſt ratio *leg.* 1. *ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.*

149 Alius caſus eſt, cùm actus inchoationis, licèt ſit illicitus, dependet à concluſione delicti, quoad punitionem; veluti cùm quis in uno loco mandat, ut delictum fiat in alio loco: Et in his terminis certum eſt, quod ubi pervenit caſus conſummationis ſolus Judex loci commiſſi delicti poterit mandatarium punire. Difficultas verò eſt quoad mandantem, quem aliqui AA. prout ſunt Decianus *tract. crimin. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 7. Farinac. *in d. q.* 7. *num.* 48. *verſ. verum his non obſtantibus.* Bajard. *ad clarum §. fin. q.* 38. *num.* 11. *& ſeq.* Vicent. *de Franch. deciſ.* 37. *num.* 5. & cum plurib. Carleval *dict. diſp.* 2. *q.* 7. *ſect.* 1. *num.* 733. *& ſeq.* Antonell. *ubi ſupra num.* 2. volunt puniri poſſe tam à judice loci, ubi mandavit, quàm à judice loci, ubi delictum fuit executum, data inter Judices prævention; cujus ſententiæ ratio eſt, quia cùm mandatum, etiam ſeorſim conſideratum, ſit punibile, & qui in aliquo loco mandat delictum fieri, revera delinquat, & offendat Rempublicam ubi degit, ibi conſequens eſt, ut forum ſortiatur. Aliunde verò ſequuto effectu, offendit etiam Rempublicam, in qua delictum eſt patratum, ex illo vulgari, quod cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati; & quia dùm ob ſuum mandatum, effectus eſt ſequutus, in cenſura juris haberi debet, ac ſi ipſe mandans feciſſet; unde etiam ſortietur forum loci, ubi delictum perpetratum eſt.

150 Alij verò AA. prout ſunt Barthol. *in leg. ſi ut proponitur* 62. *ex num.* 2. *de fidejuſſor.* juncto Alexandro *ibi in additione* Panormit. *in cap. licèt ratione num.* 27. *de for. compet.* Jul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. fin. q.* 38. *n.* 6. Fachineus *lib.* 8. *controv. cap.* 25. Barboſa *in leg. hæres abſens §. apud Labeonem num.* 21. *ff. de judic.* & alij, quos refert Carleval *ubi ſupra num.* 732. tenent, mandantem delictum fieri in alio territorio, puniri ſolùm debere à Judice illius loci, ubi delictum fuit patratum. Horum ratio eſt, quia ibi deſtinatus eſt effectus delicti. Tum etiam, quia ex ſolo mandato quis non punitur, ſed ratione facti ex mandato ſequuti, ut probat *text. in leg. qui ſervo* 36. *in princ. & §. item placuit, & in leg. ſi quis uxori* 52. *§. nec verbo ff. de furt.* & tenet Barthol. *in leg. non ſolùm* 11. *§. ſi mandato num.* 9. *& in leg. ſed etſi unius* 17. *§. ſervus meus num.* 5. *& 6. de injur.* Dueñas *reg.* 378. *ampliat.* 3. Joan. Baptiſta Spada *relat. inter Conſil. Farinac. conſil.* 203. *num.* 1. *& ſeq.* ubi ait, quod Baro fabricans falſam monetam in ſuo

Caſtro,

Caſtro, ſi mandet, illam expendi in ſtatu Eccleſiaſtico, ſequuto effectu, ſortitur forum in dicto ſtatu Eccleſiaſtico ratione hujus delicti, etiamſi Caſtrum, in quo moneta cudebatur, ſit Feudum Imperiale: & ideo poteſt in ſtatu Eccleſiaſtico citari, & condemnari, dummodò repertus fuerit in loco, ubi delictum fuit conſummatum, per *text. in Clement. Paſtoralis, verſ. quod ſi punitio de re judic. leg. 1. & Auth. qua in Provincia C. ubi de crimin. ag. oport. cap. fin. de for. compet.* Ulteriùs, quia cùm mandator, & mandatarius ex uno facto teneantur, & utriuſque delictum habeant inter ſe connexionem; & cùm mandatarius ſubiiciatur Judici, in cujus territorio delictum fuit ſequutum; eidem Judici debet mandans ſubiici, ne aliàs hæc connexio dividatur *leg. 1. ff. de quib. verb. ad eund. judic. eat. leg. nulli C. de judic.*

151 In hac ergo opinionum varietate, exiſtimarem mediam poſſe viam ſeligi qua diſcordantes concilientur opiniones; itaque diſtinguendus eſt caſus, in quo ex mandato ſequatur effectus delicti à caſu, in quo effectus ſequutus non eſt; primo in caſu legitimè locum habent rationes, & fundamenta eorum, qui tenent judicem loci, ubi delictum eſt conſummatum mandantem ſolùm punire poſſe, unde hæc ſententia tenenda eſt in hoc caſu. In altero verò, nempe cùm mandati nullus fuit effectus, locum habet prima ſententia, quia cùm in illo caſu mandans non offenderit Rempublicam alteriùs Judicis, quàm illius, in cujus territorio delictum mandatum eſt, meritò ab illo tantùm puniri debet.

152 Tertius caſus eſt, cùm tam actus inchoactionis, quàm actus perfectionis illicitus, & punibilis eſt; veluti ſi quis in uno territorio vulneret & fugientem inſequatur, & in alio territorio occidat; vel in uno loco rapiat puellam, in alio eam violaverit; vel ſi quis in uno territorio ſagitam, aut ſclopum emittat, qua emiſsione aliquem in alio territorio occidat. In hoc igitur caſu, & in his exemplis, dicendum eſt, Judicem utriuſque territorij competentem eſſe, & ab utroque poſſe delicti cognitionem aſſumi, & reo pœnam imponi, ſervata inter eos prævention is prærogativa: cujus ſententiæ ea, eſt ratio, quia delictum in terminis poſitis, ob continuationem ejuſdem actus ſucceſsivi, in utroque loco videtur comiſſum, & ſic videtur offenſa Reſpublica utriuſque Judicis, quamobrem tam Judex loci, ubi delictum fuit inchoatum, quàm Judex loci, ubi fuit perfectum competens erit punitioni delicti, *argum. text. in leg. eum qui nocentem 18. §. ſi nupta de injur. leg. 1. ubi de crimin. ag. oport.* Farinac. *in prax. d. quæſt. 7. num.* 45. Decian. *tract. crimin. lib. 4. cap.* 17. Molina *de brachio Sæculari lib. 3. cap. 49. ex num.* 5. Antonell. *d. cap.* 5. *num.* 1. & alij apud Carleval *d. diſp. 2. num. 729.* qui etiam addit *num. ſeqq.* quod ſicut æquitas, quæ exigit delictorum punitionem ſuadet, ut delictum plures perſonas tangens, unicuique in ſolidum attribuatur, *leg. vulneratus in fin. leg. vulgaris 21. §. ſi duo ff. de furt.* ita etiam ſuadet, ut delictum tangens plura loca, unicuique in ſolidum attribuatur *d. leg. 1. C. ubi de crimin. ag. oport.* Panormitan. *in cap. ult. num. 25. de for. compet.* Nunc verò hæc doctrina facile propoſito noſtro aplicabitur; ſive enim delictum inchoetur in Eccleſia Regulari & conſummetur extra Eccleſiam in territorio Diœceſani; ſive per contrarium inchoetur extra Eccleſiam, & perficiatur in Eccleſia; cognitio, & punitio delicti utrique Vicario tam Diœceſano, quàm Priorali competet, data inter eos prævention e.

CAP.

CAP. IV.

Super nominatione Collectorum, & exactione Collectoriarum Eccleſiarum Parochialium.

CONCORDATUM fuit, nominationem Collectorum Miſſarum, & jurium Parochialium ſpectare debere, & ſpectare ad quemlibet ex Parochis Prioribus Parochiarum, & in abſentiam, ſeu defectum illorum ad Locumtenentem, ſivè œconomum, qui exercebit Curam Animarum. Quò verò ad exactionem eleemoſynæ Miſſarum, & obventionum, quæ debebuntur Collectoriis cujuſlibet Eccleſiæ Parochialis, concordatum fuit, quòd Collectores debeant recurſum habere præcisè ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis pro expeditionibus neceſſariis ad illas exigendum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Collector quis ſit, & illius nomina.*
2 *Deputatio Collectoris ad Parochum ſpectat.*
3 *Abſente Parocho aut impedito ad Vice-Curatum, ſeu œconomum.*
4 *Debitores Iurium Collectoriæ coram Diœceſano ſunt conveniendi.*
5 *Epiſcopis ſpecialiter Canones demandarunt, ut laicos ad ſolutionem Iurium Parochialium compellant.*

COMMENTARIUM.

1 INter officia Eccleſiaſtica ad Sacri patrimonij adminiſtrationem inſtituta Collectoris officiū invenitur, ita dictus ab ipſo munere colligendi eleemoſinas & oblationes, quæ vel devotè & ultro à fidelibus præſtantur, vel de jure ab eiſdem Eccleſiis debentur. Qui nunc Collector, antiquitus *Obituarius* dicebatur, ut ex Petro Gregorio *lib.* 15. *Syntagm. cap.* 30. *num.* 2. tenet D. Petrus Salcedo *in percelebri allegatione impreſſa in lib.* 2. *polit. cap.* 9. *num.* 172. atque etiam attento officio, quandoque *Matricularius* dicebatur; nam ut oſtendit Alteſſerra *de juriſd. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 7. Matricularij Clerici erant, qui ex albo ſeu Matricula Eccleſiæ ſeligebantur, ut oblationes reciperent, quas poſtea in Miſſas erogarent. Collectoris officium deſcribitur in Synodo Toletana *anni* 1682. *lib.* 3. *tit.* 6. *de teſtam.*

2 Quod autem Collectoris electio ad Parochum ſpectet, ut in præſenti concordatur, juri conſonum eſt; nam cùm Parocho potiſsimùm incumbat propriæ Eccleſiæ regimen, & jurium Parochialium adminiſtratio; conſequens eſt, ut ipſi tantùm competat miniſtros ſeligere, qui partem ejuſdem adminiſtrationis gerendæ ſuſcipiant, *ex cap. quia & ſeqq. diſt.* 89. *cap. imperatorem* ubi Gloſſa *Verbo œconomum de juram. calumn.* in quod etiam facit Bulla Urbani IV. *quæ eſt la* 45. *in ordine*, juncto Moſtazo *de cauſ. piis tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.*

num. 4. & expreſsè D. Salzedo *d. allegat. num.* 173. Ac tandem ita diſpoſuit *cit.* Toletana Synodus *d. tit.* 3. *Conſtitut.* 1. ibi : *El qual elijan, y nombren los Curas cada uno en ſu Igleſia por ſu quenta y rieſgo, y lo confirme, y apruebe el Viſitador del partido.*

3 Parocho autem impedito aut abſente, electionem Collectoris ad Vice-Curatum ſpectare rectè in præſenti concordatur; quippè hic in Parochi locum plenè ſubrogatur ad regimen Eccleſiæ ſpirituale & temporale. Quod etiam confirmatur ex traditis à Barboſa *de Offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 25. *num.* 20. nam ſicut quarta funeralis de jure debetur Rectoribus Eccleſiarum *ex Clem. dudum de ſepultur.* Ita ubi Parochus non eſt, debetur Vicario perpetuo, vel temporali, & etiam Sacerdoti ſtipendiario & habenti curam Parochianorum, *cap. requiſiſti de teſtam. cap. cum ex eo de elect.* Aloyſ. Ric. *in prax. part.* 4. *reſol.* 299. *num.* 4.

4 Reſtat altera pars *huj. cap.* in qua concordatur Collectorem præcisè adire debere Diœceſanum ad exigenda jura Parochialia. Quod utique eo fundatur, quòd conveniendæ ſunt perſonæ de populo & Clero Sæculari, quarum Judex tantùm eſt Diœceſanus; & ita militat vulgaris regula, quod actor forum rei ſequi tenetur *leg.* 2. *leg. in crimin. C. de juriſd. omn. jud. cap. cum ſit generale de for. comp.* Quin & peculiaris ratio in propoſito adeſt, cùm Canones Epiſcopis privativè juriſdictionem tribuant, ad compellendos laicos, ut quartam mortuariorum & alias oblationes præſtent, *ex cap. ad Apoſtolicam de ſimon.* juncto ibi Abbate *num.* 3. D. Covarr. *lib.* 1. *pract. cap.* 12. *num.* 3. D. Salzedo *in dict. alleg.* §. 1. præcipuè *à num.* 30. *uſque ad* 32.

CAP. V.

Super publicatione Eccleſiaſtici interdicti in Parochialibus Prioratuum.

CONCORDATUM fuit, Ordinarium Dignitatis Archiepiſcopalis, vigore juriſdictionis delegatæ, ponere poſſe interdictum generale, ſeu particulare in Eccleſiis Religionis, cum conditione tamen, quòd illo non obſtante, in eiſdem Eccleſiis celebrari poſsint Officia Divina ſubmiſſa voce, necnon adminiſtrari Sancta Sacramenta, admittendo in eaſdem Eccleſias, januis clauſis, perſonas, quæ cauſam non præbuerunt interdicto juxta modum, & formam diſpoſitam per Bullam Pij IV. quæ incipit : *Circunſpecta, §. is, verſ. necnon Capellanis.* Et Vicarius Religionis poterit tantummodò ponere perſonale interdictum contra ſuos ſubditos juxta formam, quà contra illos poteſt cenſuras fulminare.

SUMMA CAPITIS.

1 *Sacra Hieroſolymitana Religio, & aliæ Religiones fruuntur ſpeciali privilegio, ne eorum Profeſſores & Eccleſiæ ab Epiſcopis cenſuris innodentur.*

2 *Quid ſit interdictum.*

3 *Dividitur interdictum in locale, & perſonale, rurſus hoc in generale, & particulare.*

4 *Quid & quotuplex ſit interdictum locale.*

5 *Quamvis interdictum locale locum directè reſpiciat; tamen profertur in pœnam perſonarum.*

6 *Provincia aut Civitas ſolet interdici in pœnam Magiſtratus ſeu Rectoris.*

7 *Interdictum poteſt apponi ob alienam culpam ad differentiam excommunicationis.*

8 *Speciale eſt in interdicto, quod innocentes afficiat.*

9 *Interdictum ferri poteſt contra corpora inanimata, & contra corpora univerſalia, ſeu intellectualia compoſita ex perſonis animatis.*

10 *Qualis fuerit olim rigor interdicti oſtenditur.*

11 *Ab Innocentio III. & poſterioribus Pontificibus rigor antiquus interdicti moderatur plurimùm, & præcipuè à Bonifacio VIII. in* cap. alma mater de ſent. excom. in 6.

12 Cap. alma mater *procedit in interdicto generali, ſecus in ſpeciali.*

13 *An Diœceſanus Eccleſias exemptas & privilegiatas poſsit interdicere?*

14 *Ratio dubitandi, quia cenſuræ nullæ ſunt ubi adeſt defectus juriſdictionis, ut in præſenti.*

15 *Quod præcipuè procedit in Eccleſiis Hieroſolymitanorum.*

16 *Plurimorum eſt ſententia, Ordinarium uti non poſſe cenſuris contra exemptos, etiam cum hi à Concilio & Apoſtolicis Conſtitutionibus Ordinario ſubiiciuntur.*

17 *Amplexatur & defenditur contraria ſententia.*

18 *Antiquo etiam jure Epiſcopi generale interdictum ſervandum erat in quibuſlibet Eccleſiis ſuæ Diœceſis.*

19 *Pariter de jure novo non ſolùm Sæculares Eccleſiæ, ſed etiam Monaſteriales generali interdicto comprehenduntur, privilegiis non obſtantibus.*

20 *Etſi daretur privilegium eximens ab obſervantia interdicti generalis non ſubſiſteret, ut contrarium Tridentino.*

21 *Non datur privilegium liberans Hieroſolymitanos, ſeu alios Regulares ab obſervando interdicto generali.*

22 *Quod moderatur non deſtruitur.*

23 *Suadetur privilegia in hac parte conceſſa ſolùm eſſe moderatoria.*

24 *Licèt jus Civile ampliſsimum Parentum jus in filios moderavit, non tamen, patriam poteſtatem ſuſtullit.*

25 *Privilegia moderatoria interdicti per Concilium Tridentinum ſublata non ſunt.*

26 *Refellitur doctrina Ferdinandi de Eſcaño.*

27 *Exponitur privilegium Pij IV. relatum in noſtro Capite.*

28 *Quam utilitatem afferant privilegia moderatoria interdicti, ſtante mitigatione* d. cap. alma mater.

29 *An Ordinarius poſsit declarare exemptos incurſos in cenſuras à Iure latas?*

30 *Proponitur ſententia negativa.*

31 *Duo fundamenta ſententiæ negativæ.*

32 *Declaratio nequit fieri abſque prævia citatione.*

33 *Citatio eſt actus juriſdictionis, & decretum interloquutorium.*

34 *Tertium fundamentum deſumptum ex quadam S. Congregationis declaratione.*

35 *Proponitur ſententia affirmativa, ejuſque AA. referuntur.*

36 *Fuddamenta hujus ſententiæ.*

37 *Declaratio non eſt actus juriſdictionis, & exerceri poteſt à non habente juriſdictionem.*

38 *Qui declarat nihil de novo facit, neque addit.*

39 *Qui non poteſt judicare, poteſt declarare præcipuè in facto notorio.*

Sententia

40 *Sententia affirmativa non absolutè placet.*

41 *Distinguitur denuntiatio à declaratione, ita ut prima non sit actus jurisdictionis, secus secunda.*

42 *Conclusio* : Si incursio in censuras sit publica, & non notoria tunc Episcopus poterit exemptum denuntiare incursum, sed declarare talem non poterit.

43 *Denuntiare non est actum jurisdictionis exercere, sed pœnam incursam indicare.*

44 *Exponitur S. Congregat. resolutio relata* num. 34.

45 *Refellitur Escaño, & laudatur Lezana.*

46 *Cùm factum tantùm est publicum, necesse est ad declaratoriam, ut declarans assumat partes Iudicis.*

47 *Cùm factum est notorium, opus non est ad declarationem judicialiter procedere.*

48 *Confirmatur Conclusio* numer. 42. *quoad primam partem.*

49 *Confirmatur quoad secundam partem.*

50 *Quando in declaratione censurarum procedatur judicialiter, vel extrajudicialiter, judicandum ex qualitate facti.*

51 *Agitur de censuris ab homine ferendis contra exemptos.*

52 *In casibus, in quibus viget exemptio, nequit Episcopus contra exemptos censuris procedere.*

53 *Excipitur casus, cùm ob pœnam populi Ecclesia exempta interdicitur.*

54 *In casibus, in quibus jure communi, aut ex Concilio exempti subiiciuntur Episcopis, si his ultra jurisdictionem tribuatur facultas censurandi nullum est dubium, posse Episcopum contra eos censuris uti.*

55 *In casibus, in quibus tantùm subiiciuntur exempti, & non exprimitur facultas censurandi, putant aliqui Morales Episcopum ad censuras non posse procedere.*

56 *Amplexatur contraria sententia, ut communis Canonistarum.*

57 *Fundatur hæc sententia.*

58 *Nativa Diœcesani jurisdictio in exemptos expeditur, & ad actum reducitur, quoties removetur obex exemptionis.*

59 *Cui conceditur jurisdictio, conceduntur etiam ea sine quibus jurisdictio nequit stare, & exerceri.*

60 *Iurisdictio in exemptos exerceri non posset, si Episcopis denegaretur usus censurarum.*

61 *Nulla est jurisdictio, quæ non habet coercionem.*

62 *Prædicta sententia post Constitutionem Gregorij XV. indubita est, & communiter recepta etiam apud Morales.*

63 *Exponitur* text. in cap. volentes, §. in eos de privil. in 6.

64 *Quare Concilium aliquando expresserit facultatem procedendi censuris contra exemptos, aliquando non.*

65 *Expressum intelligitur, quidquid virtualiter inest.*

66 *Applicatur præcedens doctrina Ecclesiis Hierosolymitanorum.*

67 *Prælati Inferiores intra Diœcesim locale interdictum in suis Ecclesiis ponere non possunt.*

68 *Refellitur quorumdam ratio.*

69 *Assignatur vera ratio.*

70 *In dispositione terminus ad quem, & non in quo, debet attendi.*

71 *Quamplures actus prohibentur facere Prælati Inferiores in suis Ecclesiis, quia illi actus dicunt relationem ad Populum Diœcesano subjectum.*

COMMENTARIUM.

1 INter plura eximiaque privilegia, quibus Sedes Apostolica optimè de se meritam Sac. Hierosolymitanam Religionem ornavit, illud adest in *Constitut.* 9. Pij IV. quæ in nostro capite citatur, ne ejus Professores excommunicari, aut eorum Ecclesiæ interdici ab Ordinariis locorum valeant, de quo privilegio meminit Card. de Luca *in Miscell. Eccles. disc.* 4. *num.* 3. & de similibus privilegiis aliis Ordinibus concessis, aut de illis quæ saltem per communicationem potiuntur omnes Mendicantes, latè Passerin. *de stat. homin. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 10.

quæſt. 11. *num.* 770. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſ.* 9. Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 33. *num.* 23. Fagnan. *in cap. tuarum num.* 18. *de privil.* quorum privilegiorum amplitudine ſtante, plures inter Epiſcopos, & Prælatos Inferiores controverſiæ exiterunt ſuper exemptione in hac parte Eccleſiarum & perſonarum. His ut occurrerent Concordantes de interdicto in Eccleſiis Prioratuum ponendo agunt; ſed nos hic locus invitat, ut generalitèr de cenſuris ab Ordinario infligendis tam locis, quàm perſonis tractemus ſuo ordine; eiſdem ſiquidem regulis interdictum & cenſuræ perſonales in propoſito judicantur.

2 Antequam ad principalem noſtri Capitis concluſionem deveniamus, libet quædam notare, ne quis in terminos impingat; atque ita noto, interdictum eſſe cenſuram Eccleſiaſticam, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ *cap. non eſt vobis de ſponſal. cap. quod in te de pœnitent. & remiſſ.* & ibidem DD. & Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 164. *& ſeqq.* Sunt qui velint interdictum dividere in perſonale, locale, & mixtum, ut fecit Antonell. *de loco legali lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 17. Sed magis placet

3 cum communi ſententia illud dividere in perſonale, & locale tantùm. Perſonale interdictum eſt, quod in perſonas profertur, locis non inſpectis, ſed ipſis tantùm perſonis: & hoc dividitur in generale, & particulare. Generale eſt cùm interdicitur Populus *cap. ſi ſententia de ſent. excom. in* 6. Particulare eſt, quod in aliquam perſonam profertur ſpecialitèr, vel in plures *d. cap. ſi ſententia.*

4 Locale verò interdictum illud eſt, quo directè & principalitèr locus interdicitur, ne in eo Divina officia audiantur ab Incolis, vel extraneis *d. cap. ſi ſententia, & cap. ſi Civitas de ſentent. excom. in* 6. Hoc interdictum locale dividitur, ſicut perſonale, in generale, & particulare. Generale eſt, cùm locus univerſalis interdicitur, veluti Regnum, Provincia, Diœceſis, Civitas, de quo habetur *in d. cap. Si Civitas & in cap. cùm inter vos* 5. *de conſuet. in cap. cùm in partibus de verb. ſign. & in cap. præſenti de ſent. excom.* Particulare eſt, cùm particularis locus interdicitur, veluti aliqua Eccleſia, aut Parochia.

Jam igitur, omiſſo pro

5 nunc interdicto perſonali, de interdicto locali erit agendum; circa quod etiam expedit notare, quod ut maximè locale interdictum Eccleſiam, ſive locum directè reſpiciat, tamen illud profertur in pœnam perſonarum: cùm enim materialis locus incapax ſit delicti, pœnæ etiam expers cenſeri debet; atque ita Eccleſia frequenter interdicto ſubiicitur in pœnam perſonarum, ſub quarum regimine conſiſtit, veluti Parochi, & Clericorum ipſius Eccleſiæ, vel in pœnam populi, in eadem Eccleſia Sacramenta & Divina recipientis, Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 29. *num.* 8. Pignatell. *tom.* 9. *conſ.* 52. *num.* 13. Sic enim ob delictum Magiſtratus, vel Principis interdicitur

6 univerſa Provincia, ſeu Civitas, licèt innocens ſit; ut univerſa plebs pœna, & dolore interdictionis Eccleſiæ concitata in malefactorem proclamet, ipſumque à flagitiis deterreat, Fagn. *in c. ſanè el* 2. *n.* 10. *de offic. deleg. & in c. reſponſo n.* 41. *de ſentent. excom* D. Gonzal. *in cap. cùm inter vos* 5. *num.* 19. *de conſuet.* ex Jureto *in not. ad Carnotenſ. Epiſt.* 266. Licèt enim cauſa finalis interdicti culpa eſſe debeat, non tamen exigitur, quod ſit culpa propria, unde pro peccatis Regis Regnum interdicitur, *d. cap. non eſt vobis.* Civitas pro peccatis Epiſcopi, *cap. ſane de offic. deleg.* vel Domini aut Rectoris *d. cap. ſi ſententia*, & Monaſterium pro culpa Abbatis, *cap. dilectus de relig. dom.* ad differentiam pœnæ excommunicationis

tionis, qua quis plecti non debet pro peccatis alienis, ut eggregiè probat D. Auguſtinus *in cap. ſi habes* 24. *quæſt.* 3.

8 Speciale eſt igitur in interdicto, ut innocentes etiam comprehendat, non quidem quà tales, ſed quatenus interdictæ communitatis partes ſunt. Non aliter ac ob delictum Rectorum alicujus Civitatis omnibus illius incolis etiam innocentibus negantur à Principe privilegia, & plura bona, quæ aliàs ipſis tribueret, PP. Salmantic. Moral. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 6. *punct.* 1. *num.* 12.

9 Ex quibus apparet, quàm rectè citat. de Luca *in d. diſc.* 29. *& in diſc.* 100. *&* 104. *de juriſd.* rejecerit allegationem quorumdam Hieroſolymitanorum, qui ut probarent nullitatem interdicti à Diœceſano appoſiti in ſua Eccleſia proponebant, eam eſſe innocentem, & incapacem delicti, conſequenterque pœnæ; nam ut ipſe ratiocinatur *d. diſc.* 100. *num.* 18. hoc rectè procedit quoad pœnas, ſeu cenſuras perſonales, quæ animam illaqueant, ſeu corpus affligunt, ut excommunicatio, quæ propterea contra corpora inanimata, politica, ſive intellectualia fulminari non poteſt; ſecus verò in interdicto, & ſuſpenſione, quia non ſolùm Eccleſiæ materiales inanimatæ ob delictum Prælati, & Miniſtrorum, aut etiam populi, vel Magiſtratuum interdicto ſupponuntur, ſed idem fit in univerſalibus, & intellectualibus corporibus animatis, utpotè conſtitutis ex perſonis animatis, quamvis aliquæ iſtarum eſſent innocentes, quin imò benemerentes, ut contingit in Capitulis & Collegiis, aliiſque ſimilibus corporibus ex deductis *ſub tit. de benef. diſc.* 23. *& ſub tit. de Reg. diſc.* 125. quæ doctrina mirè confirmatur ex Angelico Doctore *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 2. *ad ſecundum*, & ex iis, quæ tradit Fagnan. *in d. cap. reſponſo num.* 42. *& ſeq.*

10 Inſuper notandum venit, maximum olim fuiſſe interdicti rigorem, qui poſtea & generalibus ſanctionibus, & particularibus privilegiis plurimùm fuit temperatus: antiquitus enim interdicti publicatione omnis divini officij actio erat prohibita; ſic enim Oldericus familiæ Beati Martialis pater, à Synodo de contumacia Principum militiæ Lemovicenſis ſententiam rogatus, Patribus iſtiuſmodi conſilium dedit, ex quo praxis interdicti illis temporibus vigens detegitur, ſimulque quanta ſit moderatio poſtea à jure, & privilegiis inducta: ait enim: *Niſi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicenſem publica excommunicatione, eo videlicèt modo, ut nemo niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu, & infra in toto Lemovicinio ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur: Divinum officium per omnes Eccleſias lattenter agatur, ſed baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant: Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur: Altaria per omnes Eccleſias ſicut in Paraſceve nudentur, & Cruces, & ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus, & triſtitiæ omnibus eſt: Ad Miſſas tamen, quas unuſquiſque Sacerdotum januis Eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur, & iterum poſt Miſſas nudentur: Nemo in ipſa excommunicatione uxorem ducat: Nemo alteri oſculum det: Nemo Clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel tranſeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat neque alios cibos, quam illos, quibus in Quadrageſima veſci licitum eſt. Nemo laicorum, aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes, & Capita populorum per omnia Sancto Concilio obediant. Si quis verò probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur, niſi cum digna pœnitentia.* Refert teſtimonium hoc eruditus Morinus *lib.* 2. *Exercitat. Eccleſ. exercit.* 29. Ex quo habemus veterem Eccleſiæ praxim in

interdictis, ad terrorem, & horrorrem populis incutiendum maximè fuiſſe comparatam; hocque fine adeo ſeverè res agebatur, ut exceptis morientium pœnitentiis, & parvulorum baptiſmo, univerſa Divina officia interdicerentur, quo ſenſu Juo *Epiſt.* 111. interdictum appellat, *à Divino ſervitio ſuſpenſionem.*

11 Ducentis annis hunc morem ſeverè obſervavit Eccleſia, ut colligitur *ex d. cap. non eſt vobis de ſponſ.* ſed de hoc rigore poſteriora ſæcula (ut eſt in omnibus rebus temporum conditio) plurimùm remiſerunt, ut ex Decretalibus Gregorij IX. Bonifacij VIII. elucet. Innocentius III. qui anno 1200. floruit, ſemel in hebdomada prædicare, & baptizatos confirmare licitum eſſe declaravit *in cap. reſponſo deſent. excom.* Præterea Clericis, qui interdictum obſervaverant in cæmenterio cùm ſilentio ſpeliri; in Conventualibus Eccleſiis voce remiſſa, januis clauſis, non pulſatis Campanis horas Canonicas binos vel trinos recitare, conceſsit *cap. quod in te de pœnit. & remiſ.* Gregorius IX. circa annum 1230. addidit, ut moribundis Viaticum miniſtraretur: quodque ſemel in hebdomada pari cùm ſilentio Miſſa celebraretur, *cap. permittimus de ſent. excom.* Plura Innocentius IV. qui Pontificatum iniit anno 1245. Sed omnium maximè interdicti rigorem temperavit Bonifacius VIII. *in cap. Alma mater* 24. *de ſentent. excom. in* 6. ubi conſiderans, quod *ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum excreſcit indebotio populi, pullulant hæreſes, & infinita penè pericula animarum inſurgunt ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubtrahuntur*; permiſsit, ut omnes admitti poſſent ad pœnitentiæ Sacramentum, ſi non eſſent excommunicati; vel culpabiles de tali interdicto, vel ſpecialiter interdicti; & quod officia Divina poſſent januis clauſis celebrari, ſubmiſſa voce, laicis excluſis, ac ſine ſonitu Campanarum: Sed & quinquies in anno ideſt Natali Domini, Paſchatē, Penthecoſte, Aſſumptione Beatę Mariæ, & feſto Corporis Chriſti, januis apertis, excluſis excommunicatis, & iis qui interdicto cauſam dederunt, cæteros, ad communionem Euchariſticam, ad oblationem, & ad Divina officia permiſsit admiti. Hanc tamen moderationem de

12 interdicto locali generali, non de ſpeciali accipiunt Gloſſa *ibidem verb. Eccleſiis* Præſes D. Covarr. *in relect. ad ipſum cap.* 2. *part.* 2. §. 4. *numer.* 1. & §. 5. *n.* 2. *verſ.* 3. P. Suarez *de cenſur. diſp.* 34. *ſect.* 2. *num.* 1. & cum aliis Moralibus Salmanticenſ. *ubi ſupra num.* 54. Ulterius cùm idem Bonifacius intemperatum hujus cenſuræ uſum, multa incommoda in Eccleſiam invehere experiretur, ipſe *in Extravag. providè de ſent. excom.* multis in cauſis interdixit Epiſcopis fulmen interdicti detorquere.

13 His poſitis pro aliquali materiæ informatione, & protheoria ut principalem concluſionem ſtabiliamus, inquirendum venit: An Epiſcopus Diœceſanus in Eccleſiis Regularibus, & privilegiatis ne interdicantur, poſsit interdictum publicare? Et quidem abſolutè dicendum videtur, Epiſcopum non poſſe hujuſmodi Eccleſias interdicto ſupponere, ob defectum juriſdictio-

14 nis, ſine qua interdictum & generaliter quæcumque cenſura viribus deſtituitur Gloſſa *in cap. ad quorundam verb. non tenere in princ. de exceſsib. Prælator.* P. Suarez *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 7. *num.* 1. Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 162. Defectus autem juriſdictionis manifeſtior eſt, quàm ut probari indigeat; pluſquam notum enim eſt, per privilegia exemptiva Regularibus conceſſa, non modò perſonas; ſed Eccleſias etiam ab Ordinariorum poteſtate, & juriſdictione fuiſſe exemptas, ita ut in èis Epiſcopus nullam juriſdictionem poſsit exercere; unde cenſuræ contra perſonas & Eccleſias ſic exemptas prolatæ nullæ erunt

ipſo

ipſo jure, ob inſanabilem juriſdictionis defectum, *cap. grave* ubi Gloſſ. *verb. relaxationes de offic. Ordin.* Abbas *in cap. cum dilectus num. 3. de Relig. domib.* Gigas *de penſion. quæſt. 60. num. 1.* Chochier *de juriſd. in exempt. part. 2. quæſt. 7. num. 11. & quæſt. 40. num. 2.* D. Salgado *de retent. Bullar. part. 2. cap. 24. num. 43. & 48.* Martha *de juriſd. cap. 14. à num. 11.* Fagnan. *in cap. tuarum num. 45. & ſeqq. de privil.* quod adeo procedit, ut non ſit ab exemptis neceſſario allegandum tale privilegium, ut docet Murga *diſquiſ. moral. 10. num. 35. & ſeqq. tom. 2.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 33. num. 23. verſ. quod quantum ad hoc.* Et talis cenſura, lata contra hujuſmodi privilegia, nec etiam in foro externo videtur ſervanda; quod ſecus eſſet, ſi ageretur de privilegiis privatorum quia tunc ſervari deberet, quouſque plenè conſtaret de privilegio, Gibalin. *diſq. 4. q. 3. num. 7.*

15 Quod præcipuè procedere debet in terminis perſonarum, & Eccleſiarum S. Religionis Hieroſolymitanæ; nam hæc in primis habet ampliſsima generalia privilegia Martini V. Julij II. Pij II. Alexandri VI. Clementis VIII. & Pij IV. in Conſtitutione relata in *noſtro Capite*, in quibus hujus Sacræ Militiæ profeſſores, & Eccleſiæ ab Ordinariorum juriſdictione, & poteſtate eximuntur, ut hanc exemptionem propugnans tradit Eſcaño *in ſuo propugnac. Relig. Hieroſolym. diſcept. 13. cap. 1. num. 9.* ubi ingentem catervam AA. qui hanc exemptionem agnoverunt, prolixè congerit. Deinde ſpeciale privilegium habet, ut conſtat ex *citat. Conſtit. Pij IV.* ne ejus profeſſores cenſuris, nec ejus Eccleſiæ interdicto ſubiici valeant: unde idem Eſcaño *d. diſcept. 13. cap. 10. per tot.* defendit, Hieroſolymitanos excommunicari non poſſe, nec declarari excommunicatos ab Ordinario Diœceſano; & *diſcept. 14. cap. 4. per tot.* aſſerit, interdictum ab Epiſcopo poſitum in Eccleſiis S. Religionis obſervandum non eſſe, & inobſervantiæ adducit aliqua exempla in Eccleſiis Hieroſolymitanis Civitatis Hiſpallenſis.

16 Nec magis facultas cenſuras proferendi contra perſonas, & Eccleſias ſic exemptas competere poſſe Diœceſano videtur in illis caſibus, in quibus ex Concilio Tridentino, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus, Regulares, exemptione ceſſante, Ordinariis ſubiiciuntur; ut ſunt (exempli gratia) acceſſus ad publicas proceſsiones, feſtorum obſervantia, & ſimilia; & ex jure communi caſus turbatæ juriſdictionis; nam adhuc in his caſibus, Ordinarium non poſſe cenſuris procedere tenent Rodrig. *in ſum. tom. 1. cap. 74. num. 4.* Diana *tom. 5. part. 2. tract. 2. reſol. 76.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 33. num. 23. & ad præcepta Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 1. num. 14.* Lezana *in ſum. tom. 1. cap. 11. num. 14.* Laurent. de Franch. *contaoverſ. Regular. quæſt. 17.* Delbene *de immunit. Eccleſ. part. 2. cap. 14. dub. 3. num. 4.* Eſcaño *d. diſcept. 14. cap. 2. num. 13. & ſeq.* qui alios referunt. Ex quibus omnibus juri conſona non videtur reſolutio *in hoc cap.* concordata, qua Archiepiſcopo Toletano conceditur, ut in Eccleſiis Parochialibus S. Religionis Hieroſolymitanæ interdictum generale, ſeu particulare fulminare poſsit juriſdictione delegata.

17 His tamen non obſtantibus, ut juri maximè conformis diſpoſitio noſtri Capitis tenenda erit; & pro majori claritate diſtinguere opportet interdictum generale à particulari. Certum ſiquidem eſt, omni in tempore potuiſſe Epiſcopos Diœceſanos in-

18 terdictum generale promulgare in ſua Diœceſi, eo effectu, ut non modò Sæculares Eccleſiæ, ſed Monaſteria etiam illo comprehenderentur: ſic enim *in Chronicis Altiſſidorenſibus ad annum* 1200.

dum

dùm refertur interdictum generale appoſitum ob ſuperinductam pellicem à Rege Chriſtianiſsimo, ita legitur : *Nec modò in Eccleſiis, ſed & in Monaſteriis ceſſatum eſt à Divinis.* Et loquendo de alio Angliæ interdicto dicitur : *Tota Angliæ graviſsimo interdicto ſubiicitur, & tam in Monaſteriis, quàm in Eccleſiis, ceſſantibus privilegiis, Organa lætitiæ divinæ ſuſpenſa ſunt ſilentio.* Refert D. Gonzal. *in d. cap. 5. de conſuet. num.* 20. Quæ utique generalis interdicti obſervantia etiam hodie viget, ne aliàs ſequatur inconveniens, quod claves Eccleſiæ contemnantur, eluſa vel infirmata Epiſcopi ſententia; cùm actus eo ſemper modo ſit interpretandus, quo magis ſubſiſtat, *cap. Abbate de verb. ſignif. leg. quoties ff. de reb. dub.* Unde ſi hodie (exemp. gr.) Civitas per interdictum locale generale interdicatur, non ſolùm interdicto ſubjacebunt Eccleſiæ Sæculares Epiſcopo ſubjectæ : Sed ad vitandum ſuperiùs inconveniens, & optatum interdicti finem
19 obtinendum, fit extenſio ad quaſcumque Eccleſias etiam Monaſteriales & privilegiatas, etiam Religionis Hieroſolymitanæ *ex d. cap. ſi ſententia, & c. ſi Civitas de ſent. excom. in 6. cap. ne aliqui & cap. Epiſcoporum de privil. in 6.* & ex expreſſo S. Concilij Tridentini decreto *in cap. 12. ſeſſ. 25. de Regular.* ubi præcipitur quod Regulares Sæcularibus in hoc conformentur his verbis : *Cenſuræ & interdicta nedum à Sede Apoſtolica, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur.* In quo decreto comprehenduntur Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſicuti quælibet aliæ Regulares, quibuſcumque non obſtantibus privilegiis, prout apparet ex eodem Tridentino *d. ſeſſ. cap. 22.* Salmantic. Morales *d. cap. 6. punct. 1. n. 9.* Pignat. *tom. 8. conſ. 53. per tot*, qui etiam aſſeruit *in conſ. 1. num. 15. tom. 10.* quod Regulares, etiam exempti interdictum generale non ſervantes, cùm illud obſervatur in Cathedrali, ſive Matrice, ſive Parochiali incidunt in excommunicationem latam *in Clement. 1. de ſent. excom.* quibuſlibet privilegiis non obſtantibus; & in puncto ita tenent Navarr. *in man. cap. 27. num. 190. & conſ. 7. de privil. in nov.* Garcia *de benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 278.* Caſtropal. *de cenſur. diſp. 5. punct. 4. num. 18.* noviſsimè Eminentiſ. D. Cardinalis Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom. 2. in conſtit. Anaſtaſij IV. ſect. 3. num. 3.* Et in terminis noſtris decrevit ita S. Congregatio Concilij *in Cæſarauguſtana interdicti 11. Iunij 1695.* apud eumdem Cardinalē Petra in hæc verba: *Primo an ſtante interdicto generali locali Milites Hieroſolymitani teneantur illud obſervare in eorum Eccleſiis? Et quatenus affirmativè, an obſtet conſuetudo immemorabilis in contrarium allegata? Reſpondit: ad primum affirmativè; ad ſecundum negativè.* Et in alia Cæſarauguſtana, quàm refert Pignatell. *d. conſ. 53. num. 8.* ſic cenſuit : *Rector Parochialis Eccleſiæ Religionis Hieroſolymitanæ, ſi nolit publicare edictum, ſeu cenſuras, aut alia mandata Epiſcopi, poteſt ab eo puniri.*

20 Ex proximè dictis, hæc firmiſsima, & univerſalis Concluſio ſtabilienda eſt, quod nempè interdictum locale generale ab Epiſcopo Diœceſano poſitum, debet ab omnibus ſervari, etiam à Regularibus quomodocumque exemptis, & etiam à Hieroſolymitanis, quin contra hoc aliquod poſsit privilegium ſuffragari; nam caſu, quo daretur aliquod privilegium (quale non datur) concedens Hieroſolymitanis expreſsè, quod non tenerentur ſervare interdictum generale ab Epiſcopo Diœceſano promulgatum, ejuſmodi ſanè privilegium, utpotè directè contrarium Conciliari diſpoſitioni, ſublatum & revocatum dici deberet per Conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *In tanta rerum, & negotiorum mole,*

Pignat.

Pignatell. *d. conſ.* 1. *num.* 20. *tom.* 10. qui plures Morales refert; qui etiam *in ead. conſult. num.* 19. tenet privilegia, quorũ vigore Hieroſolymitani prætendebant, nullo modo teneri ad interdicti obſervantiam revocata eſſe per S. Concilium: *in d. cap.* 12. Dixi *quale non da-*
21 *tur*, nam privilegia omnia, quæ Hieroſolimitani, & alij Regulares ſuper hoc puncto in medium proferunt, ſi attentè conſiderentur, tam longe abſunt, ut eos eximant & liberent ab obſervantia Epiſcopalis interdicti, ut potiùs in eildem obſervandi neceſsitas conſignetur. In eis ſiquidem conceſsio eò ſolùm reſpicit, ut in Eccleſiis Regularibus interdictum mitiùs, quàm in Eccleſiis Sæcularibus, Epiſcopo ſubiectis, obſervetur; adhibitis nimirùm aliquibus moderationibus, veluti, quod Divina officia poſsint celebrari januis clauſis, ſubmiſſa voce, & aliis circunſtantiis, de quibus poſtea, ex quo infertur quod in hujuſmodi privilegiis, quæ moderatoria dici debent, potiùs firmatur; quàm tollitur neceſsitas ſervandi interdictum; nam quod moderatur non deſtruitur, licèt
22 diminuatur Abbas *in cap. fin. de verb. ſignif.* & ibi Gloſſa *in verb. moderationis* Chochier *de juriſd. in exempt. tom. 2. part. 1. §. 1. num.* 29. Quod etiam evincitur ex iis, quæ diximus *ſupra num.* 11. nam ſicut per privilegia Regularium moderatur rigor interdicti generalis, quoad ſuas Eccleſias, ſic per diſpoſitionem Juris *in d. cap. Alma mater*, moderatus fuit generaliter rigor Juris antiqui in univerſum: Nunc verò, ſicut nullus di-
23 cet, per diſpoſitionem *d. cap.* ſublatam eſſe neceſsitatem obſervãdi interdictum ſed tantùm aſſeret, mitiorem per eam injungi obſervantiam; ita nemo rectè poteſt dicere, per privilegia Regularibus conceſſa, liberari eos, aut eorum Eccleſias, ab obſervando interdicto; quamvis rectè quis affirmabit, ſuaviorem obſervantiam in Eccleſiis Regularibus per privilegia requiri, quàm requiritur in Eccleſiis non exemptis per jus commune. Quod & pulchro illuſtra-
24 ri poteſt petito ex Jure Civili exemplo, nam licèt poſterioribus piis Imperatorum Conſtitutionibus *in leg. ſi filius* 3. *& in leg. libertati fin. C. de patr. poteſt.* illud rigidum jus vitæ neciſque ita fuerit temperatum, ut modica tantùm caſtigatio, excluſa ſævitia, patribus permitteretur; nemo tamen ex hac moderatione inferet patriam poteſtatem in filios à natura, jureque tributam ſublatam. Quin quod rigor interdicti per pri-
25 vilegia relata moderetur, mitigeturque, defendi ſolùm poterit, admiſſa opinione illorum, qui exiſtimant, hæc moderatoria privilegia per S. Concilium *in d. cap.* 12. non fuiſſe revocata, quàm opinionem ſequendam in præſenti cenſeo, quamvis contraria probabilis etiam ſit, videndus Card. Petra *in d. conſtit.* 2. *Anaſthaſij IV. ſect.* 3. *à num.* 7.

26 Hæc ita exponere duxi propter ea, quæ tradit Eſcaño *dict. diſcept.* 14. *cap.* 4. ubi ex ſolo moderatorio privilegio Pij IV. relato in noſtro Capite, non timuit abſolutè affirmare, interdictum generale ab Epiſcopo emanatum, obſervandum non eſſe in Eccleſiis Hieroſolymitanis: Quæ doctrina ita abſolutè concepta, ex iis quæ proximè diximus, & ex iis quæ ipſe Eſcaño tradit *in eod. cap.* 4. falſa eſt, & implicatoria: In primis eſt falſa; quia abſolutè affirmare, interdictum generale ab Epiſcopo poſitum, obſervandum non eſſe in hujuſmodi Eccleſiis, eſt idem ac dicere, poſſe omnibus diebus, apertis januis, alta voce & ſolemnitèr Divina officia celebrari, omnibus indiſtinctè admiſsis, & denique quod in talibus Eccleſiis Divina miniſtrentur abſque ulla reſtrictione, non ſecus ac eo tempore, in quo interdictum non intervenit; quod utique falſiſsimum eſt;

tùm

tum quia privilegium talia concedens non adeſt, & ſi adeſſet non ſubſiſteret, ut directè, & ex diametro oppoſitum diſpoſitioni Conciliari *in d. cap.* 12. ut ſupra dixi : tum quia privilegium Pij IV. in quo renovantur aliorum Pontifi-
27 cum privilegia, & in quo ſolo ſe fundat Eſcaño contrarium ſtatuit, ut apparet ex ejus verbis, quæ ipſe regiſtrat in hunc tenorem : *Tempore interdicti (dummodò illi cauſam non dediſſent) excommunicatis & interdictis excluſis, clauſis januis, & ſubmiſſa voce, Miſſas, & alia Divina officia celebrandi*, quæ moderationes & limitationes falſum reddunt illum abſolutum loquendi modum. Deinde eſt implicatoria, quia quod interdictum ſervetur his cum moderationibus, & quod aliquibus diebus, ſuſpenſo interdicto, ſolemniter poſsint Divina officia celebrari, ut ipſe Eſcaño intendit *d. cap.* 4. *num.* 6. manifeſtè implicat cum illo abſoluto loquendi modo, quod nempè interdictum non obſervetur; nam quoties datur & admittitur aliquis etiam minimus, & exiguus effectus interdicti, verificatur illius obſervantia, licèt moderata & reſtricta. Nec ſi admittamus, prout admittimus, dictum privilegium Pij IV. per Concilium revocatum non fuiſſe, in qua opinione fundanda ipſe laborat *num.* 3. prædicta enervantur; nam privilegium non eſt deſtructivum interdicti, ſed moderatorium. Nec ampliùs operatur contraria conſuetudo, & inveterata inobſervantia, quàm ipſe ponderat *à num.* 5. hæc ſiquidem contraria conſuetudo in hac materia, etſi probaretur eſſet reiicienda, prout eam rejecit S. Congregatio *in d. Cæſaraugustana* apud Card. Petra.

28 His tamen poſitis, quædam occurrit primo adſpectu difficillima conſideratio, nam ſtantibus moderationibus adhibitis à Jure *in d. cap. alma mater*, inutilia videntur privilegia Regularibus tributa, de quibus hucuſque, quia moderationes, quæ in ipſis indulgentur comprehenſæ jam erant *in d. cap.* Ergo ne ſuperflua aut inutilia privilegia dicamus, abſolutè dicemus cum Eſcaño, Eccleſias Regulares, præſertim Hieroſolymitanas, interdicto Epiſcopi generali non comprehendi nec ligari. Huic tamen difficultati reſpondemus in primis : adhuc poſt *d. cap. alma mater* utilia cenſeri hæc privilegia, quatenus fortè in eis addantur aliqui dies, in quibus ſuſpenſo interdicto Divina officia celebrari permittantur. Deinde reſpondetur, quod licèt ſtante diſpoſitione *d. cap.* inutilia remaneant privilegia reſpectu interdicti localis generalis, non tamen ſic reſpectu ſpecialis interdicti, quod ſi privilegia non adeſſent, ſervari deberet juxta juris antiqui formam rigoroſam; & ratio eſt, quia moderatio & diſpoſitio *d. cap. alma mater*, ſolùm procedit in Eccleſiis generaliter interdictis ex doctrina ſupra poſita D. Covarruvias, & P. Suarez. Igitur pro eo caſu, in quo Epiſcopus poſsit hujuſmodi Eccleſias ſpecialiter interdicere utilia, & proficua conſiderari debent talia privilegia.

29 Ut verò ea, quæ ſupra oppoſuimus diluantur, & ſimul eniteat, quid tenendum ſit in univerſum circa poteſtatem Diœceſanorũ in hac materia cenſurarum diſtinguendæ ſunt cenſuræ à Jure latæ ab iis, quæ feruntur ab homine : & quoad primas dubitare ſæpè contingit de illarum declaratione; an nimirùm, Ordinarius Diœceſanus non obſtantibus privilegiis exemptivis jus poſsit declarare Regulares incurſos in cenſuras à Jure latas; veluti illa, quàm *ex canone ſi quis ſuadente Diabolo* incurrit, qui violentas manus in Clericos, vel perſonas Eccleſiaſticas intulerit; vel interdictum à Jure impoſitum *in cap. cùm & plantare* 3. §. *Excomunicatos* & §. *fin. de privil.* cui ſubiacent Eccleſiæ illorum Regularium, qui admiſerunt ad Divi-

na,

ria, nominatim interdictos, vel excommunicatos ab Episcopo.

30 In quo dubio duplex est extremè oppositа sententia: prima est negativa, quam generaliter tenent Pelliz. *in man. Regular. tom. 2. tract. 8.* Hieronim. Garcia *in polit. Regular. tom. 1. tract. 8. dif. 3. dub. 2. punct. 2. num. 14.* Bordon. *in consil. regul. resol. 7. quæst. 7. n. 10.* Lezana *in sum. verb. exemptio num. 9.* & alij Morales, & in præcisis Hierosolymitanorum terminis Thoro *in compend. decis. 2. par. verb. Milites Hierosolymitani.* Et ex professo Ferdinand. Escaño *in propugn. Relig. discept. 13. cap. 10. per tot.* quàm sententiam propugnant etiam in casu notoriæ incursionis.

31 Hujus atem sententiæ tria sunt præcipua fundamenta; primum est, quod supra posuimus in principali ratione dubitandi ex privilegiis exemptivis petitum. Secundum est huic consequens, & in eo consistit, quod declaratio, seu publicatio censurarum fie-

32 ri nequit absque prævia citatione illius, qui declarandus est, Glossa *in Clem. præsenti verb. constiterit de censib. & in Clem. 2. eod. verb. de pœn.* D. Salgad. *de retent. Bullar. 2. part. cap. 24. num. 11.* Cùm autem citatio sit actus jurisdictionis, ab Episcopo contra exemptum fieri nequit

33 quia judex illius competens non est *cap. Silvester, & cap. Faustinus 11. quæst. 1. cap. de illicita 24. quæst. 3. cap. ex parte de rescript.* Est enim citatio decretum interlocutorium, ut probatur *in leg. cùm clericis* ibi: *Sententiarum tuarum auctoritate pulsantur*: & ibi Gloss. & Bald. *C. de Episcop. & Cleric.* Unde Episcopus ad declarationem procedere in ipso velut limine impeditur.

34 Tertium fundamentum desumitur ex quadam terminanti S. Congregationis declaratione, quam referunt AA. de hoc agentes, & allegat Escaño *d. cap. 10. num. 25.* velut maximum hujus sententiæ suffragium in hæc verba: *Carolus Cajetus Eques Hierosolymitanus suum Parochum publicè alapâ percussit, & citatus ab Ordinario sua privilegia opposuit, ideoque etsi ipso Iure esset excomunicatus cùm omnibus conversabatur; quamobrem cùm Episcopus laudes Congregationi Concilij detulliſſet; Congregatio censuit non posse Ordinarium exercere ullam Iurisdictionem, neque excommunicando, neque declarando excomunicatum, quia privilegio exemptus est ex Concilio cap. 11. Sess. 24. tamen ex quo ipse ob talem percursionem incidit in excommunicationem cap. Si quis suadente, posse Episcopum præcipere omnibus Parochis & Canonicis, & aliis Sacerdotibus, ne eum admittant intra Ecclesias ipso Episcopo subditas.*

35 Secunda sententia affirmat, Ordinarium Diœcesanum posse declarare personas exemptas, excõmunicatas & Ecclesias etiam exemptas interdictas, cui sententiæ per *text. in Clem. 1. de Privil.* adhærent communiter Canonistæ, & ex professo ita tenent Genuens. *in praxi cap. 59. num. 1. impress. Venet.* ubi ita decisum refert in Curia Archiepiscopali Neapolitana Ricc. *decis. Cur. Neapol. 50. & collect. decis. part. 3. collect. 591.* Ventriglia *in praxi tom. 1. annot. 48. §. unic. numer. 34.* & ibi Carol. de Luca *num. 5. §. Ordinarius potest.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 105. n. 73.* Fagn. *in cap. non potest. num. 12. & seqq. de re jud.* Cardin. de Luca *de Regular. disc. 1. num. 29. disc. 65. num. 14. & seqq. & in annot. ad Conc. disc. 43. num. 7. & de jurisdict. disc. 29. num. 2. & seqq. & disc. 100. num. 12.* Pignatell. *tom. 9. cons. 52. num. 7.* Et in terminis declarationis interdicti in Ecclesiis exemptis ab Ordinario faciendæ, ad terminos *text. in cap. cùm & plantare*, ob turbationem Jurium Episcopalium, vel ob admissionem illorum, qui ab Episcopo sunt excommunicati, aut nominatim interdicti, Abbas *in d. cap. cùm & plantare num. 7.* Barbos. *de potest. Episcop. d. alleg. 105. num. 63.* Tambur. *de jur. Abbat. disp. 15. quæs.*

quæs. 7. num. 34. Pignatell. *cons. 1. num. 13. tom. 10. & cons. 44. num. 35. tom. 7.* ubi hanc sententiam hodie receptam dicit, & contrariam vetus appellat commentum, à Tribunalibus explosſum.

36 Fundant autem hanc sententiam cit. AA. tam in repetitis S. Congregationis declarationibus, de quibus postea; quàm in ea ratione, quod nempè Episcopus, dum aliquem in censuras Juris incursum, vel Ecclesiam interdicto suppositam declarat, non excommunicat, neque interdicit, sed tantùm denuntiat censuras ex Juris dispositione incursas. Denuntiatio autem, uti inducta favore animarum, est actus, qui
37 exerceri potest à non habente jurisdictionem, prout *ex text. in d. Clement. 1. de privil.* tenent omnes supra relati. Nec talis denuntiatio seu declaratio reputari potest actus jurisdictionalis quoad exemptos, cùm non fiat à Judice, uti Judice, sed tanquam denuntiatore; & potiùs respicit actum necessarium respectu Populi Ordinario subjecti, quem monere debet, ut oves morbidas sciat, & exitiale earum commertium evitet, ut notat Cardin. de Luca *de jurisd. d. disc. 29. num. 2.* Et aliàs,
38 qui declarat, nihil de novo facit, neque addit; sed tantùm id quod erat factum detegit, *text. in leg. adeo §. cum quis de adq. rer. dom.* D. Salgado *de Reg. protect. part. 1. cap. 1. num. 24.* Unde provenit, quod qui judicare nequit, declarare potest, Card. *in Clement. fin. quæst. 6. de*
39 *pœnit. & remiss.* Felin. *in cap. non potest de sent. & re jud.* Quæ doctrina & sententia de plano procedit, ubi factum est notorium, ita ut nulla defensio esse possit tam in facto, quàm in jure; quia tunc non requiritur formalis causæ cognitio, nec Ordinarius assumit partes Judicis, Cardin. de Luca *de jurisd. d. disc. 100. num. 12. & in Miscell. Eccles. disc. 14. num. 6.* & hac ipsa doctrina, & distinctione facta inter factum notorium, & non notorium, respondent cit. AA. fundamentis contrariæ sententiæ.

40 Inter has duas sententias, magis placet secunda; sed adhuc inficiari nequit illius AA. in æquivocum incidisse, confundendo passim terminos denuntiationis, & declarationis, ut ex eorum lectura apparebit, & novissimè advertit Cardin. Petra *ad Constit. Apostol. tom. 3. in Constit. 11. Alexandri IV. sect. un. num. 11.* Et hinc provenit AA. hujus secundæ sententiæ, primæ fundamentis, præcipuè S. Congregationis declarationibus plenè non satisfacere.

41 Ergo ut res hæc universa pateat & illustretur, juxta doctrinam hujus Eminentissimi nostri Sæculi Scriptoris, terminos denuntiationis, & declarationis, qui revera sunt diversi, distinguere opportet; & rursus huic distinctioni aliam annectere inter factum publicum & notorium. Denuntiatio igitur incursionis in censuras à Jure latas est actus merè extrajudicialis, qui non nisi indirectè respicit excommunicatum, directè verò respicit populum ipsi Episcopo subjectum, cujus finis ille est, ut populus medio actu denuntiationis cautus reddatur, in morbida pecude vitanda, ad terminos *text. in cap. curæ sit 20. 11. quæst. 3.* ubi Episcopis injungitur, propter munus Pastorale eis commissum, ut eorum curæ sit, excommunicatorum nomina suis Parochianis indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus demonstrare. Declaratio verò incursionis in censuras importat actum judicialem, exercendum in ipsum excommunicatum; tum eum citando, seu monendo, in efformando processu; tum in elidenda aliqua exceptione sive juris, sive facti, quæ forsam opponi potest, ex quo fit, ut talis actus exerceri non possit, nisi suppositа jurisdictione in eum, erga quem exercetur, præsertim

si

si hic habeat privilegium, ne possit excommunicari.

42 His positis hæc prima Conclusio venit stabilienda; ut *si incursio in censuras sit publica & non notoria, tunc Episcopus poterit exemptum denuntiare incursum, sed declarare talem non poterit.* Ratio autem primæ partis illa est, quòd denuntiare ex dictis, non est actum jurisdictionis in
43 exemptum exercere, sed solùm pœnam jam incursam indicare, *leg. hæredi palam §. quod verò de testam.* & benè Felin. *in cit. cap. non potest num. 5. vers. facit.* Campanil. *in diversor. Iur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 16. *num.* 42. & in hoc sensu rectè procedit doctrina Cardin. de Luca *d. disc.* 29. *num.* 12. supra relata. Nec sic obstant privilegia exemptiva; quia cùm hic actus denuntiationis directè respiciat populum ipsi, Episcopo subjectum, ex eo non possunt dici violata. Quin pro hac parte facit illa S. Congrega-
44 tionis resolutio, quam refert Escaño, & posuimus in tertio fundamento primæ sententiæ, quia in ea cùm publica & non notoria esset incursio illius Equitis, permisit S. Congregatio Episcopo, ut illum posset excommunicatum denuntiare in Ecclesiis sibi subjectis, & simul S. Congregatio agnovit actum denuntiationis non esse jurisdictionalem, cùm ibidem censuisset in præfatum Equitem *non posse Ordinarium exercere ullam jurisdictionem.* Atque hinc apparet miserè
45 lapsum Escaño, qui in *d. cap.* 10. *n.* 40. licèt distinctionem faciat inter denuntiationem, & declarationem, in eo sistit, ut asserat denuntiationi locum non esse, si exemptus notoriè non delinquat. Meliùs sanè judicavit Lezana in illis verbis, quæ ibidem transcribit Escaño, & sic se habent: *Possunt tamen Ordinarij Religiosum exemptum excommunicatum vitandũ, vel quia est* (nota) *publicus percussor Clerici, vel quia à suo Prælato est denuntiatus, ut talis denuntiare illum suis subditis: at hoc non est exercere jurisdictionem in illum, sed monere suos subditos de obligatione, quã habent, sic excommunicatum vitandi.*

46 Redimus ad secundam partem Conclusionis suprapositæ, in qua diximus, quod si factum & incursio sit publica, & non notoria, Episcopus tunc incursum declarare non poterit; & ratio est, quia tunc cùm factum sit solùm publicum, necesse est, ut Ordinarius ad declarationem assumat partes formales Judicis, decernendo citationem, & alios actus jurisdictionales, ut ex Glossa, & D. Salgado diximus in secundo fundamento sententiæ negativæ, & hoc modo violarentur privilegia exemptiva, quia tunc Episcopus in ipsum exemptum jurisdictionem exerceret, ut agnovit S. Congregatio in supra expensa declaratione in illis verbis: *Non posse Ordinarium exercere ullam jurisdictionem neque excommunicando, neque declarando excommunitatum.* Et pro hac parte stant etiam AA. secundæ sententiæ affirmativæ, & rectè in hoc sensu procedit prima sententia, & illius fundamenta, nimirùm si loquatur de incursione tantùm publica & non notoria.

47 Si verò incursio notoria fuerit, tunc erit secunda Conclusio, quæ defendi debet, *quod possit Episcopus declarare incursum exemptum.* Ratio est, quia tunc cessat qualitas illa judicialis considerata in casu præcedenti, quæque non permittitur contra exemptum, cùm in casu veri notorij non requiratur citatio, nec processus, neque opponi possit aliqua exceptio; & juxta hunc sensum reiici debet prima sententia negativa, & juxta eumdem intelligendi AA. affirmativæ, remota ab eis illa æquivocatione, qua aliquando recipiunt denuntiationem pro declaratione; ita ut sicuti ista non datur contra exemptum nisi in casu notorio, ita nec illa possit fieri nisi in eodem casu, prout confundere videtur Cardin. de Luca *d. disc.* 29. *de jurisd.* ubi asserit posse declarari, sive denuntiari.

48 Quæ ſanè diſtinctio inter denuntiationem, & declarationem, & inter factum publicum, & notorium deſumitur ex pluribus Sac. Congregationis Concilij decretis. Quod enim dum incurſio in cenſuras eſt ſolùm publica, non notoria, poſsit Epiſcopus denuntiare tantùm, non verò declarare exemptum excommunicatum, reſolutum fuit in Motuelen. *Iuriſdictionis* 13. *Septembris* 1675. *libr.* 39. *Decretor. pag.* 147. *à tergo.* Ubi ad dubium: *An Epiſcopus potuerit declarare incurſum in cenſuras contentas in can. ſi quis ſuadente Diabolo* 17. *quæſt.* 1. *Sacerdotem N. Subcollectorem, qui læthale vulnus publicè intulit alteri Sacerdoti.* Reſpondit: *Negativè quoad declarationem, poſſe autem denuntiare, juxta declarationem aliàs editam die* 21. *Iulij* 1663. *Sequentis tenoris. Marſicien. Iuriſdictionis: Vt ſubditos ſuos à commercio, & communione cum iis, qui excommunicationis titulo ſunt obſtricti, legitimè retrahere poſsit, prout Eccleſiaſtica diſciplina poſtulare videtur, ſuplex quærit Epiſcopus: An ſibi liceat Collectores Nuncij Apoſtolici publicos, & notorios Clericorum percuſsores, quamvis ab Ordinarij juriſdictione exemptos excommunicatos denuntiare.* Sac. Congregatio cenſuit: *Licere*: Similiter in Eyſteten. 28. *Aprilis* 1649. *libr.* 18. *Decretor. pag.* 667. cenſuit Commendatorem Oppidi Eliagani Ordinis Theutonici unà cum complicibus incidiſſe ipſo jure in cenſuras ob retentionem, & carcerationem Sacerdotis N. illoſque potuiſſe ab Epiſcopo nedum moneri, verùm etiam denuntiari, ut ab aliis vitentur. Idque clariùs deſumitur ex reſolutione adducta ſuprain fundamento tertio negativæ ſententiæ, quam ibi etiam expendimus.

49 Quod autem dum incurſio in cenſuras ſit notoria, poſsit Epiſcopus etiam declarare exemptos excommunicatos, reſolutum fuit in Meliten. *Synodi* 27. *Novembris* 1694. in qua cùm Epiſcopus in Synodo edidiſſet decretum his verbis: *Vbi verò caſus ferat, ut Regulares propter eorum delicta extra Conventus, & Monaſteria incurrerunt cenſuras à Sede Apoſtolica latas, declarentur per Curiam noſtram.* Sac. Congregatio reſpondit: *Affirmativè ſi delicta ſint notoria*; & in Neapolitana 18. *Aprilis* 1693. ubi cùm Abbas S. Mariæ patientiæ nuncupatæ de Cæſarea alapa percuſsiſſet Sacerdotem Sæcularem, atque à Curia Archiepiſcopali declaratus fuiſſet, incidiſſe in cenſuras latas *in can. ſi quis ſuadente Diabolo.* Quiquidem Abbas erat exemptus, diſputato dubio: *An Abbas à juriſdictione Ordinaria exemptus potuerit ab Eminentiſsimo Archiepiſcopo declarari incidiſſe in cenſuras latas à Iure.* Sac. Congregatio reſpondit: *Affirmativè ſtante facti notorietate.* Ex quibus firma manet diſtinctio caſuum à nobis adducta, ut poſsit quidem incurſus denuntiari, quotieſcumque vera ſit incurſio, & vitandus ſit excommunicatus; non poſsit tamen fieri declaratio, quem incurriſſe in cenſuras, niſi factum ſit notorium, ut procedit Card. de Luca *cit. diſc.* 29. *de juriſd.* in caſibus ibi relatis. Et *in Meſſanenſ. anno* 1653. Sacra Congregatio immunitatis contra Equitem Hieroſolymitanum, habentem privilegium, ne poſſet excommunicari reſcripſit, validam fuiſſe declarationem factam ab Archiepiſcopo, quia agebatur de facto notorio percuſionis Promotoris Fiſcalis, in Sacris conſtituti, ut notat Cardin. de Luca *ibidem num.* 3. *in fin. & in citat. diſc.* 100. *de juriſdict. num.* 12. §. *ſuper hoc.*

50 Tota ergo difficultas verſatur in inſpiciendo, quatenus Ordinarius in declaratoria cenſeatur procedere judicialitèr, ſivè potiùs abſque figura judicij, ut juriſdictionem exercere non judicetur. In quo articulo reſolutio petenda eſt à qualitate facti; ſi enim hoc notorium eſt, certum erit, Judicem procedenden-

dentem ad declaratoriam, extrajudicialitèr procedere, ac per consequens jurisdictionem non exercere, sivè, attendamus sententiam illorum, qui asserunt in declaratione censuræ à jure inflictæ citationem non requiri, Roman. *cons.* 484. *à num.* 5. *usque in finem.* quam sententiam verisimam dicit Fagnan. *in d. cap. non potest num.* 17. quia licèt in discussione facti, propter quod quis pœnam incurrit, requiratur citatio; hoc tamen non habet locum cùm factum est notorium, & sic circa illud deficit dubiũ & defensio, ita Geminian. & Franc. *in cap. Episcoporum de privil. in 6.* Alex. *cons. 6. col. fin. lib. 3.* Sive illorum sequamur opinionem, qui adhuc hoc casu citationem requirunt, ut apud citat. Fagnan. *num.* 23. Felin. *d. num.* 3. quia nihilominus veritas potiùs, quàm formalitas est attendenda, itaque in terminis facti notorij, certi, & nulla exceptione elidibilis, non diceretur adhuc, ob decretam citationem, quem judicialiter procedere; tum quia ejusmodi citatio non arctaret comparentem ad deducendas exceptiones, quas dari in facto notorio negamus, sed ut resipiscat, & sic non dicitur actus judicialis; prout si fiat aliquis processus pro instructione animi Judicantium, non autem pro forma judiciali. Si verò factum non sit notorium, ita ut requiratur probatio judicialis, & processus, vel possit adesse justa exceptio censuræ, vel ob testes deponentes; vel ex jure, ut eveniret in casu *Canonis si quis suadente Diabolo*, si fuerit adhibita justa moderatio inculpatæ tutelæ: tunc omnes prædicti actus, qui vel ex urbanitate, vel pro extrajudiciali actu haberi possunt, dicuntur necessarij & judiciales, & ob hoc non permissibiles contra privilegiatos, ut latè præ cæteris examinat Cardin. de Luca *in Miscell. Eccles. d. disc.* 14. *num.* 4. & 6. ubi de annullatione censurarum ab Episcopo inflictarum per viam declarationis contra Equitem Hierosolymitanum, qui bona cujusdam Ecclesiæ occupaverat, quia verè dubitabatur de incursione ob delictum, & ibi benè casum à casu distinguit, & *disc.* 21. *numer.* 6. & 9.

51 Restat nunc, ut de censuris, quæ ab homine per sententiam proferuntur videamus; & hic ittidem alij sunt distinguendi casus, nam vel loquimur de illis, in quibus viget privilegiatorum libertas & exemptio, utpotè non imminuta per S. Concilium Tridentinum, nec posteriores Apostolicas Constitutiones; &

52 tunc incunctanter dicere debemus, Ordinarium in personas & loca exempta censuras proferre non posse ex defectu jurisdictionis, ut supra in principali ratione dubitandi firmavimus, & in puncto tradunt Sanchez *de matrim. lib. 7. disp.* 33. *num.* 25. & *ad præcepta Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. Lezana *in sum. tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. Laurent. de Franch. *controv. regular. quæst.* 17. & est conclusio indubitata apud omnes Canonistas. Aliquis tamen casus poterit considerari, in quo vigente exemp-

53 tione, & sic præcisivè a jurisdictione Episcopi in ipsas personas exemptorum, possit Ecclesia exempta locali subiici interdicto; quod utique evenit quoties in ea scandalum, aut aliquod delictum patratur ab iis, qui sunt de populo, etiam sine facto ipsorũ exemptorum; tunc enim talis pœna solùm percutit & dirigitur in punitionem populi ibi audientis Divina, cujus cura Episcopo est commissa. Quin per hoc in aliquo vulneretur exemptio; nam interdictum hoc casu non respicit punitionem exemptorum, quibus licet tunc Divina peragere, januis clausis, & temperato rigore interdicti, juxta modetionem *cit. cap. alma mater*, & suorum privilegiorum; unde tota pœna videtur inesse respectu populi, ut optimè loquendo in terminis Hierosolymitanorũ

ratiocinatur Cardin. de Luca *de juriſd. cit. diſc.* 29. *num.*8. *& diſc.* 104. *num.* 8. & Card. Petra *in d. Conſtit. Alexandri IV. ſect.*3. *num.*14.

54 Aut verò agimus de illis caſibus, in quibus vel ex jure communi, privilegiis non immutato, vel ex Tridentino, aliiſve Apoſtolicis Conſtitutionibus exempti Ordinariis ſubiiciuntur, quorum caſuum prolixam congeriem faciunt Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 105. Fagnan. *in cap. grave de offic. ordinar.* Et iterum opportet diſtinguere, nam vel tunc præter juriſdictionem tributam Ordinario pro illis caſibus, tribuitur etiam facultas cenſuras infligendi, non obſtante privilegio; vel tantummodò datur Epiſcopo facultas cogendi exemptos in certis cauſis, ſed mentione non facta cenſurarum. Si primum, omni propſus dubio caret, Ordinarium in ſic ſubditos, cenſuris uti poſſe, ut eſt caſus *in cit. Clement.* 1. *de privil.* & in Concilio Tridentino *in ſeſſ.* 22. *in Decreto de vitand. & obſervand. in ſacrif. Miſſæ in ſeſſ.* 25. *de Regular. in cap.* 5. *& cap.* 16. in Conſtitutione Gregorij XIV. quæ incipit: *Cum aliàs*, & in Conſtitutione Gregorij XV. quæ incipit: *Inſcrutabili.*

55 Si verò Concilium, vel aliqua Apoſtolica Conſtitutio, ſine expreſsione cenſurarum, concedat facultatem Epiſcopo in aliquo caſu cogendi exemptos; prout eſt ſecundus caſus ſupra poſitus; dubitari poteſt, an Ordinarius in eo caſu cenſuris uti poſsit? In quo articulo aliqui AA. præſertim Morales, quos lata manu congerit Eſcaño *in cit. diſcept.* 14. *cap.* 2. *num.* 12. contendunt, Ordinarium in his caſibus cenſuris procedere non poſſe, ex illo præcipuè fundamento; quod ſi Concilium, vel poſterior Conſtitutio voluiſſet, ut Epiſcopo competeret facultas cenſurandi, id utique expreſsiſſet, prout expreſsit in locis *ſuperiori num.* citatis; cùm igitur in his caſibus non expreſſerit, niſi exemptorum ſubjectionem, ad facultatem cenſurandi extendere non debemus; ſtat enim ſimul, ut Epiſcopus poſsit exemptorum cauſas cognoſcere, eoſque punire intra certam ſphæram, non autem per cenſuras contra eoſdem procedere, ut evenit *in text. in cap. volentes §. in eos*, & notat ibi Gloſſa *verb. quantum ad iſta de privil. in* 6.

56 Sed tamen contrarium eſt tenendum cum communi receptaque ſententia, circa quam libet hic tranſcribere judicium Cardin. de Luca *in diſc.* 100. *num.* 12. *verſ. in altera de juriſd.* ubi de hoc ipſo agens in terminis Hieroſolymitanorum rem omnem ſic abſolvit: Quamvis, inquit, aliqui præſertim Morales, excuſabiliter quidem utpotè cauſam propriam agentes, indefinitè hanc poteſtatem negent, etiam in illis caſibus, in quibus exemptione non obſtante intret Ordinarij juriſdictio, ſaltim delegata, quaſi quod exempti contravenientes, remitti debeant puniendi propriis Superioribus; vel quod deveniri poſsit ad alias pœnas, non autem ad cenſuras, quando circa eas dictum peculiare privilegium adſit; contrarium tamen veriùs, magiſque receptum eſt per Sacram Congregationem, potiſsimè poſt Conſtitutionem Gregorij XV. quæ nuncupatur *de exemptorum privilegiis*, per quam ſublata remanent fundamenta eorum, qui ante ipſam ſcripſerunt; atque de conſequenti manifeſtiùs convincitur error aliorum, qui innixi antiquorum auctoritati pro conſueto tranſcriptorio ſtylo idem hodie afirmāt. Hucuſque de Luca, qui eamdem ſententiam expreſsit *in cit. diſc.* 29. *à num.* 4. *& diſc.* 104. *n.* 4. *de juriſd. & de Regular. diſc.* 1. *num.* 29.

57 Ratio autem hujus ſententiæ ea eſt, quia quoties ſublata, ſeu limitata exemptione, in caſibus in Concilio & Apoſtolicis Conſtitutionibus expreſsis, exempti

exempti ſubiiciuntur Epiſcoporum ordinariæ, aut delegatę jurisdictioni, tunc nihil eſt, quod impediat quominus Ordinarius ſicuti in reliquos ſubditos de Populo, & Clero cenſuras & alias pœnas ſtatuat: & quidem non impedit incompetentia, quia nulla adeſt in Ordinario, cui in ejuſmodi caſibus non tam de novo tribuitur, quàm ſuſcitatur antiqua jurisdictio; ſiquidem illa univerſalis, nativaque jurisdictio, quam antea in
58 omnes perſonas ſuæ Diœceſis habebat, & quæ ob ſuperventas exemptiones latens & ſopita eſt; remota exemptione, detegitur, & ſuſcitatur, qualis erat ante exemptionem, & illa jurisdictio habitualis, ſive mavis dicere, obumbrata, quam omnes Canoniſtæ apud Farinac. *quæſt.* 114. *num.* 67. *ac ſeqq.* concedunt Epiſcopo reſpectu exemptorum, fit actualis, & ſublato impedimento, ſeu velamine exemptionum, ad actum & exercitium reducitur, ut vidimus *in cap.* 4. *num.* 74. *part.* 1. atque ita in his caſibus remanent Regulares, ſeu quivis alii privilegiati partialiter proprio Epiſcopo ſubjecti, ut notat Paſſerin. *de ſtat. homin. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *inſpect.* 10. *num.* 763. Non impediunt privilegia, quia Concilium Tridentinum in his caſibus ampliſsimam poteſtatem dedit Epiſcopis cum revocatione omnium privilegiorum Genuenſ. *in prax. Archiep. cap.* 59. *num.* 9. Ventrigl. *citat. cap.* 48. *num.* 135. Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. Frances *in Paſtor. part.* 2. *q.* 10. Barboſa *ad Concil. in d. cap.* 12. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Luca *d. diſc.* 29. *num.* 7.

59 Accedit alia haud minor ratio, nam ſi conceditur, ut ſupponimus, exemptos Epiſcopis ſubiici in ejuſmodi caſibus, neceſſariò concedendum venit, quod ex principali cauſa reſultat, ut patet *ex text. in leg.* 2. *ff. de juriſd. omn. jud. & ex cap. præterea* 5. *de offic. & poteſt. deleg.* ibi: *Quia ex eo quod cauſa ſibi committitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem*, quod pluribus exornat Barboſa *in tract. var. axiom.* 4. *num.* 9. præcipuè cùm hoc jus ſit inſeparabile a cauſa principali, quo caſu, juriſdictioni cohæret, quidquid ſine illa ſtare non poteſt, licèt veniat in conſequentiam, ut cum Baldo notat Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 5. *cap.* 839. *num.* 25. Quod utique obtinet in propoſito, nam Epiſcopi non poſſent exequi in exemptos ſuam juriſdictionem in caſibus, in quibus illis ſubiiciuntur, ſi cenſuras in eos in ſubſidium comminare non poſſent: Sunt enim cenſuræ arma canonica, quibus utuntur Præſules Eccleſiaſtici, &
60 ſine quibus eorum juriſdictio effectum habere non poteſt, ut conſiderat Rota *in deciſ.* 253. *num.* 1. *& ſeqq. part.* 6. *recent. & in Hiſpallenſi viſitationis* 30. *Aprilis* 1700. §. *cæterum cor. Molines.* Defacile ſiquidem contemnitur, qui non timetur, ut ait Div. Thomas *in* 5. *polit. lect.* 12. & Gloſſa *in cap. ſignificaſti verb. reſiſtentibus de offic. jud. deleg.* ibi: *Quos poſſit excommunicare cum habeat coercionem, aliàs talis executio deluſoria videretur, & in cap. ex litteris* 29. *eod. tit.* Murga *ad Conſtit. Apoſtol. conſtit.* 2. *Cæleſtini III.* §. 8. *num.* 35. In aliis ſanè pœnis difficilis eſt executio, nam quoad pœnas pecuniarias, nequeunt eis imponi: quoad privationem ab officiis & muneribus, eam non facile Regulares exequuntur; & quoad carcerationem, eam faciliùs eliderent: remanet ergo in conſequentiam juriſdictionis Epiſcopis tributæ, atque in ejus executionem efficaciori cenſurarum medio privari non
61 debere; nulla eſt enim juriſdictio, quæ ſecum coercionem non habet, *leg. ult. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd.* plura proſequitur Frances *d. part.* 2. *quæſt.* 22. *per tot.* ubi *à num.* 6. alia adducit fundamenta, & contrariæ ſententiæ argumentis ſatisfacit.

62 Poſſem hic alia fundamenta latè proſequi, & plures S. Congregationis declarationes pro hac ſententia referre, ſed conſultò ommitto, cùm hodie indubitata praxique recepta ſit hæc ſententia; & licèt contraria de jure communi aliquo defendi poſſet fundamento propter Conſtitutionem Innocentij IV. *in cit. cap. volentes §. in eos de privil. in 6.* tamen cùm ſupervenerit Conſtitutio Gregorij XV. omne dubium, & altercationis motivum in hac parte ceſſavit; unde ipſi AA. Regulares ea moti, hanc ſententiam ſequuntur, ut videri poteſt apud Ceſpedes *in ſuo tract. de exempt. cap.* 18. *dub.* 278. *num.* 4. & apud Bordon. *in ſuis conſil. tom.* 1. *reſol.* 7. *q.* 13. *num.* 21. Et hinc mirandum non eſt, ſi contraria ſententia apud quamplures firmata inveniatur, quia illiante dictam Conſtitutionem ſcripſerunt, ut conſiderat Frances *d. quæſt.* 22. *numer.* 40. Nec ſi poſt eam inveniantur aliqui AA. Morales in ea perſiſtentes ſententia, curandum eſt, quia ut ait Card. de Luca *d. diſc.* 29. *num.* 7. Moralium auctoritati in propoſito deferendum non eſt, quamvis aliàs doctis & probatis, utpotè teſtibus in cauſa propria, & decertantibus pro ſuis aris & focis, ut dixit Pignatell. de hoc ipſo agens *conſ.* 52. *num.* 6. *tom.* 9. Monacell. *in formul. tit.* 3. *form.* 6. *num.* 13. *& ſeq.*

63 Non tamen ommittimus reſpondere potiſsimo contrariæ ſententiæ fundamento ſupra poſito; & quidem quoad *cit. cap. volentes* illud non obſtat, cùm ejus diſpoſitio reſtringi debeat ad caſus in eo expreſſos, in quibus exempti de jure communi poterant coram Ordinariis conveniri; non verò eſt extendenda ad caſus, in quibus poſteriora Jura Sac. Concilij Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum Regulares Epiſcopis ſubjecerunt. Quin etiam diverſa ratio adeſt, nam tempore Innocentij IV. auctoris *d. cap. volentes*, qui ſedit ſæculo 13. non ita ampla conſpiciebatur Regularium exemptio, ut poſtea variis privilegiis eſt effecta, etiam cùm derogatione *d. cap. volentes*. Unde cùm poſita majori exemptione, non ſit ita facilè Epiſcopis in eos animadvertere, mirum non eſt, ſi in caſibus permiſsis uti valeant cenſuris, utpotè magis proficuis. Nec ſimiliter obſtat, quod Concilium aliquando

64 ſpecialiter expreſsit, ut exempti per Ordinarios aliquibus caſibus cenſuris plecti poſsint, quia non exinde infertur excluſio, aut prohibitio in reliquis caſibus: talis enim expreſsio in illis caſibus fieri valuit ad oſtendendam enixam voluntatem Concilij, cupientis omnimodam executionem eorum, quæ ibi præcipiebantur; vel ut Epiſcopi cenſuris uti poſſent directè: quemadmodum idem Concilium paſsim expreſsit, contra Eccleſiaſticos Sæculares procedi poſſe per cenſuras, ut eſt *in ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* contra Parochos, & alios non reſidentes, ubi liberum eſſe Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, vel per ſubtractionem fructuum procedere, & *in cap.* 18. *ead. ſeſſ.* ubi de cogendo ad contributionem Seminarij per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia; quod factum eſt, ut intelligatur, non eſſe his caſibus neceſſariò ſervandam formam ſubſidiariam in Concilio præſcriptam, in excommunicatione ferenda, juxta *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* de qua forma Cardin. Petra *tom.* 1. *ad Conſtit.* 1. *Leonis X. ſect.* 3. *num.* 68. *cum ſeqq.* Ulteriùs illa non expreſsio cenſurarum nihil officit, cùm ex juris ratione

65 ſupra inſinuata, quando aliquid juriſdictioni tacitè ineſt, & ei quidquam eſt annexum per neceſſarium antecedens, non ponit quidquam ſubſtantiale in eſſe rei, ut exprimatur, vel non; ex regula Juris, quod expreſſum dicitur quidquid virtualiter ineſt, Seſsè *deciſ.* 65. *numer.* 22. Frances *dict. quæſt.* 22. *numer.* 18.

Ex

66 Ex his igitur, quoad noſtrum propoſitum dicendum venit, poſſe Archiepiſcopum contra Hieroſolymitanos cenſuris perſonalibus procedere in caſibus, in quibus eidem ſubiiciuntur, quod etiam expreſsè fuit conventum in *cap.* 12. *hujus Concord.* Atque non minùs in eiſdem caſibus poſſe Sac. Religionis Eccleſias interdicto particulari ſubiicere; quia Eccleſia in illis caſibus, in quibus exempti Ordinario ſubiiciuntur, etiam ipſa ſubiicitur; & ideo in pœnam exemptorum, ſub quorum regimine eſt, vel in pœnam populi in eadem Eccleſia Sacramenta, & Divina recipientis, interdicto particulari ſupponi poteſt: quin tunc obſtet Eccleſiæ exemptio, quia hæc non competit Eccleſiæ materialiter conſideratæ, qua in conſideratione, ſicut incapax eſt delicti & pœnæ, ita & privilegij; ſed ratione miniſtrantium; cumque ponamus, in illis caſibus ceſſare miniſtrantium exemptionem, & exemptio Eccleſiæ ceſſare debet. Tum etiam, quia difficiliùs eſt cenſuris perſonalibus innodare perſonas exemptas, quibus immediatè exemptio tribuitur, quàm cenſuris localibus Eccleſias, non propter ſe, ſed ratione perſonarum exemptas; atqui, ut ſupra vidimus, perſonæ exemptæ in caſibus, in quibus Ordinario ſubiiciuntur, poſſunt excommunicari; ergo in eiſdem caſibus Eccleſiæ exemptæ poterunt interdicto particulari ſupponi, ut argumentatur in eiſdem terminis Cardin. de Luca *cit. diſc.* 104. *num.* 8. *de juriſd.* unde Sacra Congregatio in caſu *cit. diſc.* 29. & 104. probavit interdictum promulgatum ab Archiepiſcopo Meſſanenſi in Eccleſia S. Religionis Hieroſolymitanæ.

67 Cognita jam poteſtate Diœceſani circa promulgationem interdicti generalis & particularis in Eccleſiis exemptis, & in individuo, in Eccleſiis Magni Prioratus, prout concordatur *in noſtro cap.* Reſtat ad ejus abſolutam elucubrationem diſquirere, & examinare, an Vicarius Prioralis interdicto eaſdem Eccleſias poſsit ſubiicere? Et dicendum venit, juxta id quod in ultima parte *noſtri capit.* concordatum perſpicitur, tantummodò poſſe promulgare perſonale interdictum contra ſuos ſubditos, ea forma, qua in ipſos decernere poteſt excommunicationem: locale verò interdictum fulminare non poterit. Et quidem hoc firmatur doctrina generali ab ipſis etiam Moralibus tradita & recepta; quod Prælati Regulares quamvis poſsint ſibi ſubditos interdicere, non tamen interdictum ponere locale in ſuis Eccleſiis, niſi habeant juriſdictionem in populum; quia eorum juriſdictio potiùs eſt in perſonas, quàm in loca, ita Salmant. Morales *d. tract.* 10. *cap.* 4. *punct.* 2. *num.* 20. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſ.* 5. Caſtro Palao *tom.* 6. *diſp.* 5. *part.* 3. §. 1. *numer.* 4. P. Suarez *de cenſur. diſp.* 36. *ſect.* 1. *n.* 2. & *ſeq.*

68 Sed tamen aliquis forſam dicet hanc rationem plenè non ſatisfacere, nec adaptari Vicario Priorali, cùm ejus ordinaria & contentioſa juriſdictio comprehendat non modò perſonas & profeſſores ſui Ordinis, ſed etiam Eccleſias, ſtante diſpoſitione *capit.* 1. *Concord.* quamobrem hæ non dicuntur de Diœceſi Toletana, licèt ſint in ea, & conſequenter, quodam velut conſtituunt territorium ſeparatum, ut ſæpè diximus ex Rota *deciſ.* 207. *num.* 5. & 8. *part.* 2. *diverſ.* Intra quarum ambitum jus territoriale habere dicitur Vicarius Prioralis, ſicut de Monaſteriis tam virorum, quàm mulierum conſideravit Rota *deciſ.* 348. & *deciſ.* 373. *part.* 11. *recent.* reſpectu Superiorum ſuorum Regularium.

69 Quamobrem alia ratio præſtanda eſt in hunc modum; ideo nimirùm Vicarium Prioralem, aliumve Prælatum Inferiorem intra Diœceſim interdictum locale ponere non poſſe, quia licèt ordinariam juriſ-

juriſdictionēm habeat in Eccleſia, tamen illa juriſdictio, ita debet contineri & exerceri intra ambitum Eccleſiæ, ut ejus exercitium non percutiat, nec ſe referat ad eos, qui ſunt de populo, & Clero Sæculari, in territorio Diœceſani viventes, aliàs uſurpabitur, & offendetur Diœceſani juriſdictio; nunc verò, cùm interdicti appoſitio ſit actus juriſdictionis, qui licèt in Eccleſia exerceatur, principaliter tamen percutit & refertur ad populum & Clerum, quos privat Sacramentorum perceptione, Divinorumque aſsiſtentia & celebratione; hinc meritò hujuſmodi Prælatis Inferioribus intra Diœceſim, Eccleſiam etſi ſibi ſubjectam interdicere, non permittitur, & ſi interdixerint, turbare & offendere dicuntur juriſdictionem Diœceſani, quia in ipſa Eccleſiæ interdictione ſubditos Diœceſani interdicunt, ac vi ipſa juriſdictionem ad eos extendunt, contra illam regulam, qua docemur limitatam cauſam, limitatum producere effectum *leg. in agris* 17. *ff. de adq. rer. domin.* & illam, quæ dictat in diſpoſitione terminum ad quem, & non in quo attendi debere *leg. quod ſponſa C. de donat. ante nupt.* Quod quidem pulchrè quidem illuſtratur *ex text. in*
70 *cap. quanto de privil.* ubi Honorius III. cùm ageret de privilegio Cluniacenſibus conceſſo, ne ab Ordinario poſſent excommunicari, violatorem hujus privilegij judicat Ordinarium, qui licèt Monachos non excommunicet, in eos tamen qui in Monachorum molendinis molunt, vel in eorum furnis coquunt, ſententiam excommunicationis proferunt, quod ea ratione procedit, juxta DD. ad eum textum repetentes, quod nimirùm, attento effectu, talis excommunicatio exemptos principaliter reſpicit, licèt verba ad alios dirigantur, ut exponit Fagnan. *in cit. cap. quanto num.* 6. Ergo pariformiter in præſenti judicare debemus, non eſſe ſubſtinendum interdictum Prælati Inferioris in ſua Eccleſia, quia licèt ex parte termini in quo, rectè procedat & cum juriſdictione; ex parte termini ad quem reſpicit principaliter, & qui principaliter in diſpoſitione debet attendi, deficit hujuſmodi Prælato juriſdictio, unde actus exerceri non poterat abſque fraude & præjudicio Diœceſani.

71 Ex hac doctrina obſervare licet, prohiberi perſæpè Prælatis Inferioribus quamplures actus juriſdictionales in ſuis Eccleſiis exercere, licèt Eccleſiæ exemptæ & privilegiatæ ſint, ex eo quod ad populum Diœceſano ſubjectum referuntur; ut eſt affixio cedulorum, in quibus aliqui excommunicati nuntiantur, licèt cedulones in ipſis Eccleſiæ exemptæ januis, vel parietibus affigantur, de quo Card. de Luca *in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 13. *num.* 23. Et ob eamdem rationem in caſu *diſc.* 99. *de juriſd.* quem ſupra *in cap. 3. concord.* 3. retulimus, idem Eminentiſſ. de Luca refert interdictum particulare poſitum ab Abbate in Eccleſia ſibi ſubjecta, nullum fuiſſe declaratum à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium, & in propoſito ex eadem ratione ita tenent P. Suarez *de cenſur. diſp.* 36. *ſect.* 1. *num.* 2. & 3. Caſtro Palao *eod. tract. part.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 3. §. 1. *num.* 4. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 8. *verſ. ſimiliter.* Cardin. Petra *in d. Conſtit. Anaſtaſij IV. ſect.* 3. *num.* 14.

CAP.

CAP. VI.

Super collatione Beneficiorum Curatorum, examine & approbatione Parochorum Priorum.

CONCORDATUM fuit collationem, & canonicam inſtitutionem ad beneficia Curata exiſtentia in Prioratibus, & comprehenſa in litteris executorialibus manutentionis emanatis ad favorem Religionis, ſpectare ad D. Mag. Priorem, ſive ad ipſius vices gerentem, ad quem effectum expediet litteras patentes ad favorem proviſi, adjecta conditione, quod illarum virtute accedat proviſus ad D. Archiepiſcopum ſive ad ejus Gubernationis Conſilium Toletanum, ad hoc ut ipſum examinet, eoque habili reperto det eidem licentiam, ac neceſſariam facultatem ad effectum exercendi Curam Animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem in illa Parochiali, eo quia hoc privativè ſpectat ad Dignitatem Archiepiſcopalem; & poſſeſsionem non capiat niſi priùs hoc requiſitum & licentia præcedat, cum qua, & virtute ſuarum patentium litterarum eamdem poſſeſsionem capiet, abſque eo, quod indigeat accedere ad unum, ſive ad alium Vicarium. Secundo concordatum fuit, Parochos Priores Religionis peragere debere profeſſionem Fidei coram Vicario Generali Toleti, quando accedent ad examen, ſive poſt illud infra terminum à Sancto Concilio Tridentino deſignatum. Tertio concordatum fuit, quod Religioſi Parochi Priores Ordinis S. Joannis tranſlati ab uno beneficio Curato ad aliud à Dignitate Priorali, debeant accedere ad examen, & pro facultate, & licentia exercendi Curam Animarum ad D. Archiepiſcopum, ſive ejus Conſilium, aut ad Vicarium Dignitatis ſuæ Archiepiſcopalis reſidentem in Prioratibus, dummodò in illis Examinatores Synodales exiſtant; & attento, quod ad præſens non adſint, concordatum fuit, quod pars Dignitatis Prioralis procuret, ſi ipſi benè viſum fuerit, diſpenſationem à Sancta Sede, ad hoc ut ſupradictus Vicarius nominare poſsit examinatores, quamvis non ſint Synodales. Et declaratur, quod Religioſi noviter proviſi de primo Beneficio Curato debeant accedere præcisè Toletum ad examen, & in utroque caſu, eis habilibus repertis, dari debet licentia exercendi Curam Animarum in Eccleſia, ad quam quilibet ex ipſis fuerit promotus.

SUM-

SUMMA CAPITIS.

1 *Donatio non extenditur ultra jus & facultatem dantis.*
2 *Collatio Canonica etiam ſine poſſeſsione dat jus in beneficio.*
3 *Vtilitas materiæ ſuadetur.*
4 *Præſentare, nominare, conferre, inſtituere, ſæpè confunduntur, & pro eodem uſurpantur, ſed revera differunt.*
5 *Præſentatio & nominatio à laico, quin & fœmina poteſt expediri.*
6 *Dividitur inſtitutio in corporalem, collativam, & auctorizabilem.*
7 *Quid ſit inſtitutio corporalis.*
8 *Archidiacono competit de jure communi corporaliter inſtituere.*
9 *Quid ſit collativa inſtitutio.*
10 *Hæc collatio præſtat titulum proviſo, & variis nominibus deſignatur.*
11 *Quid ſit auctorizabilis inſtitutio.*
12 *Hæc inſtitutio importat licentiam Epiſcopi ad curam animarum exercendam.*

CONCORDAT. I.

13 *Antiquiſsimæ ſunt controverſiæ inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores ſuper jure conferendi & inſtituendi.*
14 *Inſtitutio collativa de jure communi ſpectat ad Diœceſanum.*
15 *Inſtitutio collativa poteſt competere Prælatis Inferioribus ex privilegio, vel ex conſuetudine.*
16 *Prælatis Hieroſolymitanis competit jus conferendi beneficia Curata ſuarum Commendarum.*
17 *An Abbatiſſæ conferre valeant beneficia exiſtentia in propriis Eccleſiis?*
18 *Amplexatur ſententia negativa, propter incapacitatem fœminarum de jure communi.*
19 *Ius conferendi nequit à fundatoribus Abbatiſsis reſervari, quod ſecus eſt in aliis collatoribus.*
20 *Abbatiſſa rectè poteſt præſentare, & ita exponitur* text. in cap. dilecta de maj. & obed.
21 *Licèt Abbatiſſa jure communi ſit incapax juris conferendi, illud tamen poterit obtinere privilegio vel præſcriptione.*
22 *In Regula 8. Chancellariæ conſiderantur fœminæ collatrices.*
23 *Concilium* in cap. 12. & 13. ſeſſ. 14. de reform. *non derogavit juri eorum, qui illud legitimè haberent.*
24 *Plures ſunt Abbatiſſæ, quæ ex Papæ privilegio jure conferendi fruuntur.*
25 *Sed in caſu hujuſmodi privilegij, Papa videtur conferre.*
26 *Si Abbatiſſa habeat Eccleſias pleno jure ſubjectas & unitas Monaſterio, poterit nominare Vicarios amovibiles, per Epiſcopum approbandos.*
27 *Nemo poteſt Eccleſiæ Parochiali etiam exemptæ præfici abſque prævia Diœceſani inſtitutione auctorizabili.*
28 *Soli Epiſcopo ſuæ Diœceſis cura eſt commendata, & ab eo ſeparari nequit.*
29 *Soli Epiſcopo competit curam ſui gregis aliis impartire.*
30 *Abſurdum à Sacris Canonibus judicatur, quod quis abſque conſenſu Diœceſani curam animarum aſſumat.*
31 *Quod alius præter Diœceſanum curam in Diœceſi deleget, ſpeciem monſtri præſefert.*
32 *Hoc ipſum ſuadet ratio Hierarchici Ordinis, quo Eccleſia regitur.*
33 *Communis apud Canoniſtas eſt Concluſio, inſtitutionem auctorizabilem avelli non poſſe ab Epiſcopo.*
34 *Ampliſsima privilegia Prælatorum Inferiorum intra Diœceſim ad ſummum inſtitutionem collativam comprehendunt non verò auctorizabilem.*
35 *Traditur diſtinctio inter Eccleſiam Parochialem formaliter, aut materialiter conſideratam.*
36 *Si Eccleſiæ materialiter & prout ſunt bona exemptorum conſiderantur, à Prælatis Inferioribus conferri poſſunt.*

Si

37 *Si Eccleſiæ formaliter conſiderantur, ideſt ratione Parochialitatis, ſolum ſubſunt Epiſcopo & ab eo conferuntur.*

38 *Inſtitutio collativa habet pro ſubjecto beneficium, auctorizabilis curam populi.*

39 *Hac diſtinctione ad concordandos Epiſcopos & Prælatos Inferiores utitur Vrbanus II. in controverſiis cum Monachis Cluniacenſibus.*

40 *Eadem via Innocentius III. Epiſcopos cum Templariis concordavit.*

41 *Pariter Innocentius IV. terminavit controverſiam Archiepiſcopi Toletani cum Iacobæis.*

42 *Ex eo quod Eccleſia concedatur* pleno jure, *non ſpectat inſtitutio auctorizabilis ad Prælatum Inferiorem.*

43 *Si Eccleſia concedatur Prælato Inferiori cum populo ſive pleniſſimo jure, ad eum ſpectat inſtitutio auctorizabilis, & ita exponitur* text. in cap. cum & plantare §. in Eccleſiis de privil. *rejecta doctrina Barboſæ.*

44 *Punctus harum controverſiarum ſtat in ſubjectione populi, & applicatur tradita doctrina noſtro Capiti.*

45 *An Prælati Inferiores per præſcriptionem poſſint obtinere inſtitutionem auctorizabilem?*

46 *Amplexatur ſententia negativa & fundatur.*

47 *Quæcumque in hoc conſuetudo contra Epiſcopum improbatur à SS. Canonibus, ut abſurda, & irrationabilis.*

48 *Et ut monſtrum duorum Capitum in uno corpore.*

49 *Solum admitti poteſt, quod Prælatus Inferior inſtituat ſimultaneè & ſub Epiſcopo.*

50 *Privilegio effici non poteſt, ut Prælatus Inferior intra Diœceſim inſtitutionem auctorizabilem donet.*

51 *Si privilegium concederet inſtitutionem auctorizabilem, conſtitueret Eccleſiam extra Diœceſim, & ſic* nullius.

52 *Impoſſibile eſt jus hoc inſtituendi per ſe & ſeparatum ab aliis juribus Epiſcopalibus præſcribere, etiam per immemorabilem.*

53 *Inſtitutio auctorizabilis unà cum tota juriſdictione Epiſcopi rectè acquiritur per immemorabilem; at tunc non acquiritur à Prælato intra Diœceſim, ſed* nullius.

54 *Quadragenaria in præſenti non ſufficit, ſive agatur de præſcribendo jure inſtituendi ſolo, ſive cum tota Epiſcopi juriſdictione.*

55 *Si qui textus opponi videntur intelliguntur de inſtitutione collativa, non de auctorizabili.*

56 *Proviſus à Prælato Inferiori, tenetur coram Epiſcopo perſonaliter comparere.*

57 *Proviſi ideo debent comparere, ut examinentur.*

58 *Sacri Canones maximè cavent, ut nonniſi idonei, prævio Epiſcopi examine, ad curam animarum aſſumantur.*

59 *Etiamſi ad inferiores collatio ſpectet, neceſſarium erit examen Epiſcopi.*

60 *Examen & approbatio non eſt ipſa inſtitutio auctorizabilis; ſed prævia ad eam diſpoſitio, & conditio ſine qua non.*

61 *Inſtitutio auctorizabilis ex ſuo concepta nihil aliud importat niſi commiſſionem Curæ & facultatem exercendi illam.*

62 *Licèt repugnet in Iure, quod alius quàm Epiſcopus curam committat, non ita repugnat, ut alius præter eum examinet.*

63 *Confirmantur prædicta in Iure communi exemplo Archidiaconi* in cap. ad hæc de offic. Archid.

64 *Forma capiendi poſſeſſionem Eccleſiarum Parochialium.*

CONCORDAT. II.

65 *Parochi fidei profeſſionem facere tenentur in manibus Diœceſani ad obtinenda beneficia Curata.*

66 *Parochi Hieroſolymitani comprehenduntur* in cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. Concil. Tridentini.

67 *Parochus tenetur emittere fidei profeſſionem intra duos menſes à tempore adeptæ poſſeſſionis.*

68 *Et ſi lapſus fuerit terminus, non perinde liberatur.*

69 *Omittens fidei poſſeſſionem, læthaliter peccat, & fructus ſive decurſos, ſive futuros non lucratur.*

Con-

CONCORDAT. III.

70 *An tranſlatus de una Eccleſia ad aliam denuò examinari & approbari debeat?*

71 *Amplexatur & fundatur ſententia affirmativa.*

72 *Laudatur doctrina Cardinalis de Luca.*

73 *Metus novi examinis Parochos diligentiores facit.*

74 *Applicatur præcedens doctrina propoſito noſtro.*

75 *Beneficia permutari non poſſunt abſque auctoritate Diœceſani.*

76 *Canones antiqui Epiſcopis ſolis committunt, ut permutationes confirment.*

77 *Aliqui putant Epiſcopis privativè quoad omnes Prælatos Inferiores competere permutationes auctorizare.*

78 *Alij judicant competere etiam Prælatis* nullius.

79 *Alij tandem hoc extendunt ad Prælatos Inferiores* intra Diœceſim.

80 *Confirmare permutationes pertinet ad juriſdictionem Epiſcopalem.*

81 *Admittitur ſecunda ſententia & tertia impugnatur.*

82 *Aliquando Prælatus Inferior* intra Diœceſim *poterit permutationes certo reſpectu confirmare.*

COMMENTARIUM.

1 IN collatione beneficiorum maximè conſideranda eſt perſona ejus, qui confert; nemo enim poteſt dare, quod non habet *cap. perfectionem, & cap. ventum eſt* 1. *q.* 1. *cap. quomodò de conſecrat. diſt.* 4. *leg. univerſæ C. de legat.* & donatio nihil poteſt transferre ultra poteſtatem & facultatem ſeu jus dantis *leg. traditio* 20. *de adq. rer. domin.* Si ergo collatio Canonica fiat ab habente
2 poteſtatem ipſa ſola, etiam ſine poſſeſſionis adeptione, dat jus in beneficio, *cap. ſi tibi abſenti, & cap. quorumdam in fin. de præbend. in* 6. *cap. execrabilis, §. porro eod. tit. in Extravag. Ioann.* 22. Unde tota controverſia ſtat in deſignando Superiore, cui hoc jus conferendi, & inſtituendi competat, prout in præſenti eveniebat reſpectu Parochialium exemptarum. Cujus rei deci-
3 ſio plurimùm intereſt, ſive collationem tituli, ſive examen, & approbationem conſideres; tùm ut beneficium licitè teneatur, & Sacramenta pœnitentiæ & matrimonij validè miniſtrentur; tum ut idonei probatique tantùm viri, ad celſiſſimum regendarum animarum munus admittantur. Ut autem rectè procedamus, opportet aliqua pro materię informatione prænotare; & in primis ani-
4 madvertimus, hos terminos præſentare, nominare, conferre, inſtituere, frequenter confundi, unumque pro alio accipi ſolere, cùm generaliter loquitur, ut notavit Rota *deciſ.* 163. *num.* 6. *cor. Emerix Iun.* Sed ſi propriè, & in ſpecie accipiantur, magnopere inter ſe diſtant,
5 nam præſentatio & nominatio non dat titulum, ſeu poſſeſſionem, prout inſtitutio & collatio, nec quidquam juriſdictionis ſpiritualis importat, unde à quolibet laico quin & fœmina præſtari poteſt, ut docet Lambertin. *de jur. patr.* 2. *art.* 7. *quæſt. princip.* 1. *part.* 1. *lib. pag.* 61. unde paſſim videmus Abbatiſſas habere jus præſentandi in pluribus beneficiis, ut *in Ianuenſ. Abbatiæ* 27. *Iunij* 1689. *cor. Manuel, & in ejus confirmatoriis.* Quare omniſſa pura præſentatione, ad collationem ſive inſtitutionem, quæ uſum juriſdictionis ſpiritualis importat, ſermo erit coarctandus.

6 Animadvertimus igitur ſecundo, inſtitutionem generaliter acceptam cõmuniter dividi in corporalem, collativam, & auctorizabilem; quas in ſumma ita licet deſcribere, ut prima reſpiciat poſſeſſionem; ſecunda titulum; tertia poteſtatem ſpiritualem; ſed de ſingulis
7 ſigillatim videamus. Inſtitutio corporalis eſt deductio ſeu immiſsio in poſſeſ-

poſſeſsionem corporalem ipſius beneficij, quæ ſubſequitur ipſius collationem, & nominibus *inveſtituræ*, & *inſtallationis* denotari ſolet : de hac ergo inſtitutione intelligendi ſunt *text. in cap. ad hæc. cap. ut noſtrum de offi. Archid. & in Rubric. tit. de inſtit.* ut per Hoſtienſ. Abbat. & Cuj. notat Lother. *de re benefic. lib. 2. q. 45. à num. 28. uſque ad 31.* Hanc inſtitutionem præſtare ſpectat de jure communi ad Archidiaconum, ut
8 litteraliter habetur *in dd. cap. ad hæc, & ut noſtrum, & ex cap. ſi pluribus 63. diſt. & ex leg. 4. tit. 6. part. 1.* probantque præter antiquos D. Covarr. *libr. 3. var. cap. 16. verſ. tertius caſus.* Valboa *in cap. cum Bertholdus num. 15. de ſent. & re jud.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 72. num. 173.* D. Gonzalez *in cap. cum ſit abſurdum num. 3. de offic. Archid.* P. Murga *tract. de benefic. q. 3. ſect. 3. n. 106.* Et an hæc inſtitutio aliis competere poſsit, infra videbimus.

9 Collativa inſtitutio (quam mediam inter corporalem & auctorizabilem dicit Fagnan. *in cap. cùm Eccleſia Sutrina num. 32. de cauſa poſſeſſ.*) eſt illa, quæ præſtat titulum proviſo ad poſſeſſionem beneficij; ſic enim *in cap. 1. de reg. jur. in 6.* loquendo de hac inſtitutione dicitur, quod beneficium Eccleſiaſticum obtineri non poteſt ſine Canonica inſtitutione, quod Gloſſa ult. *circa med.* explicat, ideſt *ſine titulo.* Hæc inſtitutio aliquando nomine *donationis* ex-
10 primitur, ut *in cap. 3. de ſuplend. neglig. Prælator. cap. propoſuiſti in princ. verſ. ſed cum præbenda de conceſſ. præbendæ.* Aliquando & quidem frequentiùs (ſtante æquali ſignificatione donandi & conferendi *ex leg. filiæ tuæ. C. de donat. ante nupt.*) *collatio* appellatur, ut *in cap. dilectus el 3. de præbend.* Quæ voces in uſu juris titulum præſeferunt, quo interveniente, etiam ubi poſſeſsio nondum acceſsit, jus proviſo quæſitum in beneficio clarum eſt, *ex d. cap. ſi tibi abſenti de præbend. in 6.*

11 Auctorizabilis inſtitutio eſt illa, per quam Epiſcopus aliquem approbat ad curam animarum, eique dictam curam committit, poſtquam collatio facta eſt ab eo, qui poteſtatem conferendi habet, de qua inſtitutione accipiendi ſunt *text. in cap. cum ſatis 4. de offic. Archid. cap. 2. de ætat. & qual. cap. 52. de elect.* Barboſa & D. Gonzalez *in d. cap. cum ſatis.* Petr. Gregor. *in cap. conquerente de offic. Ordin.* Murga *in quæſt. Paſtor. part. 1. q. 3. §. 1.* Rota *deciſ. 1304. apud Seraphin. & in Pampilonenſ. 13. Maij 1669.* Hæc inſtitutio idem importat ac licencia Epiſcopi, qua
12 pervenire poſsit proviſus ad poteſtatem conferendi Sacramenta, curamque exercendi, ſine qua hæc obtinere non poſſet, ut *ex cap. Lateranenſi de præbend. cap. un. de Capell. Monach. in 6.* tenet D. Gonzalez *ubi ſupra* Lother. *de re benefic. libr. 1. quæſt. 25. numer. 13.*

CONCORDAT. I.

13 HAC ſuppoſita theorica, punctus in eo verſatur, ut appareat cuinam has inſtitutiones præſtare competat, ſuper quo frequentiſsimæ ſunt controverſiæ, inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores, præſertim Hieroſolymitanos, ut appareret *in cap. cùm & plantare 3. de privil. & in cap. 1. de verb. ſignific. in 6.* ut autem ad Concordiam redigantur, & plenè eniteat diſpoſitum *in hoc 1. Concordat.* de unaquaque inſtitutione ſeparatim eſt diſpiciendum; & quidem primò de collativa videamus. Hæc ergo inſtitutio licèt de Jure communi ſpectet ad Epiſcopum, ex eo, quod intentionem fun-
14 datam habet quoad juriſdictionem regimen, & adminiſtrationem omnium Eccleſiarum ſuæ Diœceſis *ex reg. cap. omnes Baſilicæ 16. q. 7. cap. ex injuncto in fin. de hæret. & ex cap. conquerente de offic. Ordin.* prout in propoſito firmant Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg. 72.*

Lother. *de re benefic. lib. 2. q. 12. num. 7.* Murga *in quæſt. Paſtoral. part. 1. q. 3. §. 1. num. 291. & tract. de benefic. q. 3. num. 86.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. §. 1. Proœm. num. 21.* Fagnan. *in d. cap. cùm Eccleſia num. 32. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Tamen adhuc certum eſt, eam ex privilegio, vel conſuetudine competere
15 poſſe Prælatis Inferioribus, ut *ex cap. cùm veniſſent ubi Gloſſ. de inſtit.* tenent communiter DD. Actus ſiquidem collationis, ſeu proviſionis beneficij compatibilis eſt in Prælato Inferiori, quia non eſt de illis actibus, qui ita præciſsè ſunt affixi territorio, ut ſine illo exerceri non poſsint, Cardin. de Luca *de juriſd. diſc. 15. in ſupplem. num. 9.* nec ulla eſt repugnantia, ut Prælatus Inferior, cujus eſt beneficium id conferat, & de eo diſponat, juxta terminos *text. in cap. 1. de Capell. Monach.*

16 Unde fluit rectè in præſenti fuiſſe ab utraque Dignitate conventum, quod Magnus Prior Parochis Prioribus conferat beneficia Curata Prioratuum; nam cùm ejuſmodi Eccleſiæ, & Beneficia ex tranſactione facta *in cap. 1. Concor.* hodie ad Sacram Religionem pertineãt, & propria illius conſiderentur, locum habet privilegium Hieroſolymitanis conceſſum à Pio IV. & Gregorio XIII. *Quod Priores intra limites ſuarum Iuriſdictionum, & adminiſtrationum ſint verè Ordinarij, & quod iidem in ſuis Prioratibus, & Commendatarij in ſuis Commendis habeant proviſionem, vel præſentationem beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura animarum, vel ſine à ſuis Commendis dependentium.* De cujus privilegij intelligentia videndus Pignatell. *tom. 3. conſ. 58. num. 7.*

17 Quod de Prælatis Inferioribus generaliter diximus occaſionem præſtat, ut de Abbatiſsis diſputemus; an nimirùm hæ conferre poſsint beneficia exiſtentia in propriis Eccleſiis? Et quidem videtur reſpondendum eſſe affirmativè, propter Gloſſam *in cap. dilecta verſ. juriſdictionis de maj. & obed.* ubi *Abbas n. 5.* D. Gonzalez *num. 8. verſ. fin.* & alij apud Barboſ. *num. 2.* Rota *deciſ. 504. num. 4. cor. Dunoz. Iun.* Sed tamen vera ſententia in propoſita quæſtione eſt,
18 Abbatiſſam jus conferendi in vim ſui officij & adminiſtrationis non habere; cùm certum ſit fœminis de jure communi prohibitum eſſe beneficia conferre, & quamcumque juriſdictionem exercere, *text. in leg. 2. de reg. jur. cap. mulierem 33. q. 5. cap. 2.* ubi notant omnes *de judiciis.* Qua ſtante de jure communi incapacitate evenit, ut invalidè Abbatiſsis re-
19 ſervetur à fundatoribus jus conferendi; in quo equidem à cæteris collatoribus diſtinguuntur, nam hi de jure communi ſunt capaces, ut ad ipſorum favorem validè dicatur reſervatum jus conferendi, abſque alia auctoritate Eccleſiaſtica, ut advertit Gonzalez *in regul. 8. Cancell. gloſſ. 23. num. 12. & 13.* & cum eo Cardin. Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom. 3. in Conſtit. 7. Vrbani IV. num. 25.* Quin
20 obſtet Gloſſa *in d. cap. dilecta*, cùm enim hæc fundamentum habeat *in cap. ea noſcitur de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. cap.* intelligenda eſt de pura præſentatione, non de collatione, quos terminos frequenter confundi, diximus ſupra, & in terminis Abbatiſſarum notat Rota *in Leodienſ. Iuriſdictionis 11. Aprilis 1698. §. pariter cor. Molines, & 4. Februarij 1699. §. nec in comprobationem cor. Priolo.*

21 Sed licèt Abbatiſſa de jure communi incapax ſit juris conferendi, tamen in hac materia, quæ ſubjecta eſt privilegio, & præſcriptioni, ut non pendente à poteſtate ordinis, verè aſſeritur, Abbatiſſam jus hoc conferendi poſſe acquirere vel privilegio, vel legitima præſcriptione 40. annorum cùm titulo putativo, vel immemorabili, quæ æquipollet privilegio, ita ut dicatur vera collatrix Lother. *de re benefic. q. 12.*

num.

num. 33. *& ſeq. lib.* 2. Miranda *in manual. Prælator. de Sacris Monialib. q.* 6. *art.* 5. *concluſ.* 4. Tamburin. *de jur. Abbatiſſ. diſp.* 32. *q.* 12. *num.* 1. Lambertin. *de jur. patron.* 5. *art.* 5. *quæſt. princ.* 1. *part.* 2. *lib. pag.* 41. *num.* 3. Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 72. *num.* 185. Card. Petra *in d. conſtit.* 7. *num.* 28. unde in
22 regula 8. Cancellariæ aliàs 9. conſiderantur fœminæ collatrices, Gonzalez *in ea gloſſ.* 22. *num.* 12. *& ſeq.* Quin obſtet Sacrum Concilium Tridentinum *in*
23 *ſeſſ.* 14. *cap.* 12. *&* 13. *de reform.* nam ibi Concilium nullomodo derogavit juri eorum, qui illud legitimè habuerant, Maceratenſ. *reſol.* 12. *num.* 4. Barboſa *ad Concil. num.* 2. *in cit. cap.* 12. Cardin. de Luca *de benefic. diſc.* 11. *num.* 29. & in terminis Corrad. *in prax. benef. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 96. *& ſeq.* Et de Abbatiſsis cum hujuſmodi conferendi privilegio plura occurrunt apud Scriptoresres exempla; ut eſt illud conceſſum Abbatiſſæ de Cuperſano, ſeu de Converſano, de qua Corrad. *in d. cap.* 4. *numer.* 99. Et in Germania adeſt Abbatiſſa Eſſendienſ. & de aliis agitur *in Barchinonenſ. Iuriſdictionis cit. deciſ.* 504. *cor. Dunoz. Iun. & cor. Bichio deciſ.* 194. *& in Monaſterienſ. Vicariæ* 2. *Iulij* 1706. *§. fin. cor. Scoto, &* 12. *Martij* 1706. *&* 18. *Martij* 1707. *cor. Omaña.* Benè tamen tenendum eſt, quod in caſu privi-
25 legij Abbatiſſæ conceſsi, Papa qui privilegium indulſit, conferre videtur, ut agnovit Corrad. *d. cap.* 4. *num.* 83. Atque hoc ipſum erit dicendum, ſi hujuſmodi privilegium laicus obtineat, ut notat Cardin. de Luca *de benefic. diſc.* 9. *num.* 12. & ſic non eſt qualitas naturalis, ſed ſuperinducta ex privilegio, ut innuit Rota *deciſ.* 44. *num.* 13. *& ſeq. part.* 10. *recent.*

26 Alius etiam caſus eſt, in quo Abbatiſſa jus nominandi, ſeu providendi beneficia habere poteſt, cùm nimirùm habet Eccleſias pleno jure ſubjectas & unitas Monaſterio; tunc enim cùm propter vim & efficaciam plenariæ unionis titulus beneficij extinguatur, & fiat membrum ejuſdem Monaſterij, Petr. Gregor. *de benef. cap.* 20. *num.* 1. junctis iis, quæ diximus ſupra *in cap.* 1. *num.* 30. poterit tunc providere ad inſtar manualium, & ſervitoriorum officiorum, quia per dictam unionem cenſetur Papa omnia jura in Monaſterium tranſtuliſſe; & ſic poterit Abbatiſſa nominare Vicarios amovibiles, inſtituendos tamen ab Epiſcopis, inſtitutione tantùm auctorizabili, quæ non importat titulum & poſſeſsionem, ſed approbationem reſpectu populi, ut generaliter de Abbate, cui fuit facta unio Eccleſiæ, Rota *deciſ.* 93. *num.* 6. *& ſeq. part.* 16. *recent.* & de Abbatiſſa *in Leodienſ. Iuriſdictionis* 11. *Aprilis* 1698. *cor. Molines, &* 4. *Februarij* 1699. *§. nec ad probandum cor. Priolo.*

27 Sequitur, ut agamus de inſtitutione auctorizabili: & quidem ſi loquimur de Eccleſiis ſitis in Diœceſi, licèt Regularibus & exemptis, certum eſt Epiſcopi jus fundatum eſſe, ut nemo curam animarum arripiat, nec Parrochiali Eccleſiæ præficiatur, non intercedente Epiſcopi Diœceſani auctorizabili inſtitutione; quia cùm ſoli Epiſcopo univerſæ
28 Diœceſeos cura ſit commendata, & in eo ita ſit radicata, ut ab eo avelli non poſsit, ut *ex cap.* 20. *Act. Apoſtolor.* ibi: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo,* tenet Gemin. *in cap.* 1. *num.* 2. *de Capell. Monach.* Lother. *d. quæſt.* 12. *num.* 7. ejus debet eſſe probare, & eligere Paſtores ſubalternos, quos idoneos cenſuerit, ut Eccleſiis præficiantur, & ampliſsimæ curæ partem ſuſcipiant; atque ita ſoli Epiſcopo tanquam Summo
29 Paſtori reſervatum eſt, curam ſui gregis aliis juriſdictione Canonica impartire, ut habetur *in cap. nullus* 16. *quæſt.* 7. ibi: *Nullus omnino Archidiaconus, aut Archi-*

presbyter, ſive Præpoſitus, vel Decanus animarum curam, vel Præbendas Eccleſiæ ſuæ ſine judicio, vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat: imò, ſicut ſanctis canonibus conſtitutum eſt, animarum cura, & pecuniarum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio, & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hoc facere, aut poteſtatem, quæ ad Epiſcopum pertinet, ſibi vindicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur. Cui conſonat diſpoſitio Tridentini *in cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reform.* de quo videri poteſt Ludov. Thomaſin. *de veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 36.

30 Hinc etiam Spiritus Sacrorum Canonum abſurdum duxit, ſi alieni gregis quiſquam immediatam curam, & directionem arripiat abſque Supremi Paſtoris conſenſu, & approbatione, ut ait Pontifex *in cap. cum ſatis* 4. *de offic. Archidiac.* ibi: *Cùm ſatis ſit abſurdum, & à Sanctorum Patrum inſtitutionibus alienum, ut Archidiaconus auctoritate propria debeat cuilibet Eccleſiarum curam committere; ægrè ferimus, quod tu ſinè mandato Epiſcopi tui, perſonis curam animarum committis.* Nec mirandum, tales

31 quippè ſeparationes Ovium ab uno Grege, & illarum delegatio alteri tradita Inferiori Prælato independenter à Superiore Ordinario Paſtore, illam adeo à Sacris Canonibus exoſam præſefert monſtroſitatem, quod in una Diœceſi, & Civitate duo præemineant capita contra omnes boni, ac perfecti regiminis regulas, nequaquam Superiorum multiplicitatem patientes, ut ad propoſitum benè notat Gloſſ. *in cap. cùm perſonæ verb. cauſa de privileg. in* 6. Hoſtienſ. *in cap. cum contingat num.* 1. *de for. compet. & in cap.* 4. *numer.* 13. *de offic. Ordin.* Gratian. *diſcept.* 212. *num.* 16. *& ſeq.*

32 Tum & hoc ipſum fortiter ſuadet ratio Hierarchici ordinis, quo Eccleſia regitur; nam præter univerſalem Eccleſiæ Hierarchiam, cujus Caput, ac centrum eſt Romanus Pontifex, *alia eſt in Eccleſia Catholica Hierarchia* (ait Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 6.) *Divina ordinatione conſtituta, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.* Nunc verò ſicut univerſalis ſtare non poſſet, nec eſſet, *ut Caſtrorum acies ordinata*, ſed *Regnum in ſe diviſum*, ſi unus omnibus, tanquam Caput & unitatis centrum, non præponeretur, cui cæteri inferiores eſſent ſubjecti, & ſubordinati, & à quo ſuarum functionum originem agnoſcerent; ſic inferior & particularis Hierarchia ſtare non poteſt, quin potiùs confundetur, & diſſolvetur, ſi Presbyteri Paſtores ſubalterni, Epiſcopo, qui primum gradum in inferiori Hierarchia tenet ex Trident. *ibidem cap.* 4. non eſſent ſubordinati, & ab illo non reciperent poteſtatem exercendi regimen animarum & cæteras functiones Hierarchichas; maximumque profectò eſſet abſurdum, ut alterum recognoſcerent Superiorem, à quo per conſequens recipere deberent inſtructiones, monita, vel correctionem pro regimine animarum, illius curæ non commiſſarum, quæ irregularitas produxiſſet Sacri Regni diviſionem, & deſolationem, ut exponunt Joan. Feder. Karg. *in pace Relig. decad.* 4. *cap.* 1. *per tot.* Van-Eſpen *in repagul. canon. regul.* 9. & ex eis advertit Rota *in Brixienſ. Iuriſdictionis* 14. *Martij* 1689. §. *præterea cor. Caprara, & in Firmana Iuriſdictionis* 13. *Martij* 1702. §. *majuſque coram Molines.*

33 Ex hucuſque dictis communis apud AA. Canoniſtas eſt concluſio, & velut proverbium, inſtitutionem auctorizabilem, numquam cenſeri peremptam è renibus Epiſcopi, cujus eſt Populus in Diœceſi ſibi præfinita, ut pluribus ommiſsis tenent Butr. *in cap. un. de Capell. Monach. in* 6. *num.* 16. *& ibidem.* Imol. *num.* 7. Abb. *num.* 15. Soccin. *in cap. cùm & plantare num.* 8. *de privileg.*

Fagn.

Fagnan. *in cap. cùm Eccleſiam num. 32. de cauſ. poſſ. & propriet.* Gonzalez *in cap. cùm ſatis num. 3. & ſeq. de offic. Archid.* Bellamer. *conſ. 89. num. 12.* Murga *de benef. q. 2. num. 183. & q. 3. num. 100. & ſeqq.* Lother. *de re benef. lib. 2. q. 31. num. 61.* Urſaya *tom. 2. part. 1. diſcept. 5. num. 30.* & in particularibus caſibus dixit Rota *deciſ. 14. num. 3. poſt Murg. quæſt. Paſtoral. & in Burgenſ. Iuris inſtituendi 23. Iunij 1690. §. & revera cor. Molines, & in alia Burgenſ. Iuriſdictionis 11. Iunij 1706. §. neque cor. Anſaldo, & in alia 23. Februarij 1714. §. a ſupra firmatis cor. Falconerio.*

34 Solent autem Prælati Inferiores, ut hujuſmodi auctorizabilem inſtitutionem ſibi vendicent ampliſsima privilegia, pro Eccleſiarum exemptione, & ipſis reſpectivè Prælatis plenaria ſubjectione, adducere : ſed hac Eccleſiarum exemptione, & reſpectivè ſubjectione non obſtante, adhuc fundatum eſt jus Epiſcopi Diœceſani, quia cùm Eccleſiæ exemptio Populi exemptionem non concludat, *diſſert. text. in cap. per exemptionem de privileg.* nec privilegia exemptiva Epiſcopo adimant individuum Diœceſani & Supremi in ſua Diœceſi Paſtoris conceptum, juxta dicta *in cap. 4. num. 65. part. 1.* hinc, privilegiis non obſtantibus, Epiſcopo competit univerſalis ſuperintendentia, & ordinaria Juriſdictio in his, quæ pertinent ad regimen & curam animarum, ut latiùs videbimus *infra in cap. 10. Concord.* & conſequenter ſubſiſtit inelluctabilis ratio, quæ Epiſcopo auctorizabilem inſtitutionem tribuit; ejuſmodique privilegia, attenta ſua natura, & comprehenſione, ad ſummum tribuent Prælato Inferiori *intra Diœceſim* inſtitutionem tituli collativam.

35 Hoc ut pleniùs pateat, & ſimul appareat via concordandi Epiſcopos & hujuſmodi Prælatos, repetenda eſt illa celebris jam alibi tradita diſtinctio inter Eccleſiam Regularem formaliter, ſeu materialiter conſideratam, quæ diſtinctio ex ipſa privilegiorum introductione & conceſsione orta eſt; antea enim indiſtincta ac generalis erat Epiſcopi poteſtas & omnimoda ordinaria Juriſdictio in Monaſteria & quaſcumque ſuæ Diœceſis Eccleſias, ut *ex cap. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* tenent Canoniſtæ & latè vidimus *in cap. 2. & 3. part. 1.* Privilegiis verò ſupervenientibus, Eccleſiæ Parochiales Regularibus concedi ac incorporari cæperunt jam *quoad temporalia* tantùm, jam *quoad temporalia & ſpiritualia*, & quidem addita clauſula *pleno jure.* Quibus ſtantibus, ex mente Canonum, congrua adhibita privilegiorum interpretatione, ut Epiſcopis, & Prælatis Inferioribus ſua cuique jura reſpectivè ſervarentur, adinventa eſt à Canoniſtis hæc diſtinctio Eccleſiarum, ſive potiùs diverſus conſiderandi modus.

36 Si enim conſideramus Eccleſias, prout ſunt bona illius Religionis, vel Monaſterij, ad quam pertinent, quarum conceſsione & incorporatione ſpectat ad Religionem, ſive Monaſterium non ſolùm reditus & fructus, ſed & jus Parochiale; tunc certum eſt, Eccleſias Prælatis Regularibus ſubiici, & optimè hos poſſe illas præſentare & conferre, ut jam vidimus, loquendo de inſtitutione collativa; ſiquidem hoc ſenſu Eccleſiæ in privilegiis comprehenduntur. Si verò Eccleſiæ formaliter conſiderentur,
37 ideſt ratione Parochialitatis, quatenus hæc influit in Populum Epiſcopi ſubjectum, cujus cura exercetur in illis, in eiſdemque Sacramenta miniſtrantur; tunc Eccleſiæ Epiſcopo debent cenſeri ſubjectæ, non obſtantibus privilegiis, quæ hoc reſpectu Epiſcopi juriſdictionem non immutarunt, ut latius demonſtramus infra *in cap. 10. concord.* & hac ratione inſtitutio auctorizabilis ad Diœceſanum ſpectat : itaque ut rem hanc

38 in ſumma complectar : inſtitutio collativa habet pro ſubjecto ipſum beneficium, & reſpicit ſolùm Eccleſiam materialem ; inſtitutio verò auctorizabilis habet pro ſubjecto curam animarum, & percutit ſeu reſpicit Eccleſiam formalem, ſive jus Parochiale, facta relatione ad Populum, & Clerum Sæcularem, ut confirmant Barboſa *d. allegat.* 72. *num.* 175. Lother. *lib.* 2. *q.* 12. *num.* 6. *& 7. & lib.* 1. *q.* 33. *num.* 99. Card. de Luca *diſc.* 13. *num.* 4. *de Paroch.*

39 Diſtinctionem hanc, qua Epiſcopi Diœceſani, Prælatique Inferiores ad concordiam rediguntur, eſſe ex mente Canonum unus plenè probat diſſertus textus *in cap. ſane quia* 6. *cauſ.* 16. *q.* 2. ubi Urbanus II. Monachos Cluniacenſes, è quorum gremio ipſe fuit, cum Epiſcopis contendentes ſuper hac re, ut eos concordaret, ipſa diſtinctione apertè utitur his verbis : *Ne in Parochialibus Eccleſiis, quas tenent abſque Epiſcoporum conſenſu Presbyteros collocent, ſed Epiſcopi Parochiæ curam cum Abbatum conſenſu committant.* En ut Urbanus in Eccleſiis Regularium jus conferendi, ſeu, ut ipſe ait collocandi tribuit Abbatibus, ſed incolumen ſervat conſilium Epiſcopi : En ut Epiſcopis tribuit auctorizabilem inſtitutionem, ſeu curæ commiſsionem ; ſed integrum conſervat conſenſum Abbatis. Proſequitur Urbanus, & ut præjactæ declarationis, ſeu diſtinctionis exhibeat fundamentum, aliam adducit, ex diverſo fine, ſive conſideratione Eccleſiarum ſumptam, diſtinctionem : *Vt ejuſmodi Sacerdotes* (ait Pontifex) *de Populi quidem cura Epiſcopis rationem reddant ; Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſteria pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet ; his Eccleſiis, formaliter conſideratis, præſit Epiſcopus, Presbyteroſque præficiat ; hoc enim reſpicit ad Populi ſibi commiſsi curam. Sed, earumdem Eccleſiarum materialitate attenta, conferat ac collocet Presbyterum Abbas ; hoc enim ipſum beneficium, redditus, ac fructus temporales reſpicit. Ac tandem concludens Urbanus, finem hujus diſtinctionis juſtiſsimum declarat, ut qui eò tendit, ut inter Epiſcopos & Abbates diſſentiendi præcidatur occaſio, ſuo cuique jure reſpectivè conſervato : *Vt ſic ſua cuique jura ſerventur.*

40 In eamdem ſententiam ivit, eodemque fine Alexander III. in Concilio Lateranenſi anni 1179. controverſias jam tunc emergentes inter Epiſcopos & Fratres Templi, & Hoſpitalis ſedaturus, hac eadem Concordiæ via fuit uſus, ut refertur *in cap. cum & plantare* 3. *§. in Eccleſiis de privil.* ibi : *In Eccleſiis verò ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, inſtituendos Epiſcopis Presbyteros repræſentent : ut eis de plebis cura reſpondeant. Ipſis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos etiam inconſultis Epiſcopis non audeant removere.* Quibus in verbis confirmata elucet tradita diſtinctio, & jurium diſcretio. Sed in propoſito noſtro termi-
41 nanter hoc ipſum declaravit Innocentius IV. anno 1252. *in cap. venienſ.* 1. *de verb. ſignif. in* 6. ubi ad conſultationem Archiepiſcopi Toletani reſpondens, & agens de comprehenſione privilegiorum Militum Ordinis D. Jacobi de Spatha, fatetur Pontifex, Eccleſiis eorumdem in terris deſertis fundatis, Clericos à Militibus præſentari propter privilegia poſſe, ſed tamen ratione plebium, ideſt ratione Parochialitatis & curæ animarum, hujuſmodi præſentatos ab Epiſcopis debere examinari, ait enim Pontifex : *Eaſque cum ſuis plebibus per ſuos Clericos idoneos gubernent, qui ratione plebium examinandi Epiſcopis præſententur* : (nota nunc finem & rationem inſtitutionis auctorizabilis) *ut ab eis curam recipiant animarum, cum plebes Epiſcopis ſint ſubjectæ*, & ad pleniorem *d. cap. veniens*

niens intelligentiam videri poſſunt, quæ dicta manent *ſupra in* 1. *part. cap.* 5.

42 Ex hucuſque traditis clarè deprehenditur, inſtitutionis auctorizabilis potiſsimam rationem in populi conſiſtere ſubjectione, quæ ubi favore Epiſcopi verificatur, ab eo eſt inabdicabilis, quacumque etiamſi ampliſsima Eccleſia exemptione fruatur: quin etiam ſi addatur clauſula *pleno jure*; quæ tantùm importare poteſt, ut Prælatus Inferior præſtet inſtitutionem collativam, non verò auctorizabilem, ut eſt clara doctrina Abbatis *in cap. cùm & plantare num. 6. de privil.* ibi: *Eccleſia pleno jure ſubjecta, ſed non populus, tunc Religioſi habent ibi inſtitutionem collatoriam tituli; ſed inſtitutio auctorizabilis quoad curam Populi ſpectat ad Epiſcopum*, quem ſequitur Tamburin. *de jur. Abbatiſſ. diſp.* 32. *q.* 12. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regular. q.* 17. *art.* 12. & optimè Lother. *lib.* 2. *q.* 31. *num.* 61. Aliter verò erit, cùm

43 non ſolùm conceditur Eccleſia *pleno jure*, ſed etiam Populus, quæ conceſsio ad diſtinctionem ſolet dici facta *pleniſsimo jure*, ſive ſimpliciter & abſolutè, ut oſtendimus *in cap. 6. num.* 27. *part.* 1. Tunc enim non modò collativam, ſed & auctorizabilem inſtitutionem præſtabit Prælatus Inferior, ad quem Eccleſia cum populo pertinet, & ita interpretandus eſt *text. in cap. cùm & plantare* 3. *§. in Eccleſiis de privil.* ex citata doctrina Abb. & doctiſsimi Fagnani *ibidem n.* 6. Et ratio eſt manifeſta, nam Canones, & auctoritates, quæ adeo proprium & inabdicabile ab Epiſcopo faciunt jus inſtitutionis auctorizabilis, militant in Eccleſiis quæ, ut ſituatæ in Diœceſi, ſubſunt legi territoriali Epiſcopi, & quarum reſpectu durat in Epiſcopo conceptus Supremi Paſtoris, ratione populi ſibi ſubjecti, ut conſtat ex antedictis: atqui hæc omnia ceſſant, cùm Eccleſia pleno jure ſimpliciter & abſolutè, ſive pleniſsimo jure ad Prælatum Inferiorem ſpectat; quia tunc ſolvitur Eccleſia à lege territoriali Epiſcopi, & in eo ceſſat conceptus Supremi Paſtoris, totaque cura reſidet in Prælato Inferiori, cùm populus eidem ſupponatur ſubjectus; ad hunc ergo & non ad Epiſcopum ſpectabit curam animarum proviſo committere, ſive inſtitutionem auctorizabilem dare. Quamobrem admittenda non eſt opinio Barboſæ *in collect. ad cap. quoniam* 21. *num.* 2. *in fin. de privil.* ubi rejecta ſuperiore theorica Abbatis & aliorum Canoniſtarum, contendit, inſtitutionem auctorizabilem competere Epiſcopo adhuc in caſu, quo Eccleſia cum populo, ſive pleniſsimo jure Prælato Inferiori ſit ſubjecta.

44 Ergo, ad has controverſias ſuper jure inſtituendi inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores decidendas, illud tandem quæri debet; an nimirùm Eccleſia, de qua agitur, ſit Prælato Inferiori ſine populo ſubjecta, vel ſit etiam cum populo; ita ut hoc ultimo caſu Prælatus Inferior inſtituat & animarum curam committat; in primo verò caſu inabdicabile ſit ab Epiſcopo jus inſtituendi, hac, de qua loquimur, inſtitutione auctorizabili; licèt inſtitutio collativa ad Prælatum Inferiorem ſpectet. Unde patet, quàm rectè in noſtro Capite fuerit concordatum, ut pro obtinendis Eccleſiis Prioratuum, ſitis in Archidiœceſi Toletana, collatio & canonica inſtitutio præſtari debeat à Magno Priore; facultas verò & auctoritas exercendi curam animarum, & adminiſtrandi Sacramenta, prævio examine & approbatione, danda ſit ab Archiepiſcopo, cui populus eſt ſubjectus, pro quo in terminis habemus reſolutionem Sac. Congregationis in una Cæſarauguſtana, qua ita edicitur: *Rectores præſentati ad Parochiales Religionis Hieroſolymitanæ, non ſunt admittendi, niſi ab Ordinario examinentur & approbentur*, refert Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 170. *num.* 9. & de hoc latè

pro-

proſequentes videri poſſunt Cardin. de Luca *de Paroch. diſc.* 12. *num.* 3. *& de juriſd. diſc.* 14. *&* 15. Clericat. *de benef. diſc.* 75. *num.* 20.

45 Proprius eſt hic locus, ut examinemus quæſtionem illam famoſam, an nimirùm Prælati Inferiores inſtitutionem auctorizabilem præſcriptione acquirere poſsint? In qua quæſtione, ſi litteræ & menti, quotquot ſunt dehac
46 re, Canonum, inhærere volumus, negativam partem tenebimus. In *d.* enim *cap. cùm ſatis de offic. Archid.* contrariam conſuetudinem reprobat Alexander III. innuens eam abſurdam eſſe & contra
47 Sanctorum Patrum ſtatuta; in quo manifeſtè ſe refert *ad can. nullus* 16. *q.* 7. ubi expreſſisſime habetur ſolidam animarum curam in univerſa Diœceſi à Sanctis Canonibus Epiſcopo elargiri, in eoque velut in fonte, centro, & radice reſidere, ut non niſi ab eo in ſubalternos Paſtores derivetur. Unde patet ratio excluſiva cujuſcumque ſuper hoc conſuetudinis & præſcriptionis, quæ injuſta & irrationabilis eſſet, utpotè offendens publicam Eccleſiæ auctoritatem, *arg. leg. præſcriptionem C. de operib. publ.* & contra Eccleſiæ diſciplinam *arg. cap. cùm inter de conſuet.* D. Gonzal. Tellez *in d. cap. cùm ſatis num.* 4. Quin etiam aliam addimus rationem, quæ
48 hujuſmodi conſuetudinem, & præſcriptionem irrationabilem, & abſurdam convincit; nam cùm inſtitutio auctorizabilis ex ſuo præciſo conceptu dicat commiſsionem curæ ab eo faciendam, qui in Diœceſi univerſalem curam & adminiſtrationem obtinet, ut patet ex dictis, & vidimus in *cap.* 1. *part.* 1. ſi hæc præſtari vel acquiri poſſet ab aliquo Prælato Inferiori intra Diœceſim, illud neceſſariò reſultaret abſurdum, ut in eadem Diœceſi duo eſſent Suprema Capita, Summique Paſtores, quibus ex æquo cura competeret, & populus æqualiter ſubeſſet; quod abſdubio monſtrum eſt deteſtabile, juxta doctrinam Hoſtienſis & Joan. Andreæ in *cap. cùm contingat de for. compet.* quæ optimè in his terminis procedit *ex cap. quanto & cap. quoniam de offic. Ordin.* Solùmque hæc monſtroſitas ceſſaret, ubi Prælatus Inferior hoc jus inſtituendi ſibi vellet
49 acquirere non privativè, ſed ſimultaneè cum Epiſcopo, & quaſi ſub eo, ita ut hanc præſtando inſtitutionem, vices illius expleret, ut eſt caſus ab omnibus Canoniſtis admiſſus *in d. cap. cùm ſatis* ad illa verba *ſine mandato Epiſcopi.* Privativè verò, ſeu cum excluſione Epiſcopi nulla eſt via, qua Prælatus Inferior *intra Diœceſim* auctorizabiliter poſsit inſtituere, quod patet hac inductione: non enim jure communi, hoc ettenim vehementiſsimè reſiſtit, ut alij quàm Epiſcopo hoc jus elargiatur, *d. cap. nullus* 16. *q.* 7. *& d. cap. cùm ſatis* & ibi Canoniſtæ: Non privilegio, nam ſi quod propone-
50 retur, tribuens Prælato Inferiori inſtitutionem auctorizabilem in aliqua Eccleſia Diœceſis, neceſſe erat, ut hujuſmodi privilegium totam Epiſcopi po-
51 teſtatem reſolveret, uſque ad ipſam animarum curam, quæ vi ipſa cum populo in Prælatum Inferiorem tranſlata dici deberet, ut termini habiles ad inſtitutionem ponantur; quo caſu juriſdictio quaſi Epiſcopalis transfertur in Prælatum, & ejuſmodi Eccleſia ſingulare territorium extra Diœceſim conſtituet, Gloſſ. *in Clem.* 1. *in verb. proprij. verſ. quod videtur fieri poſſe de reb. Eccleſ. alien. vel non.* Mantica *deciſ.* 361. *num.* 2. Sicque tunc verificari non poſſet, tale jus inſtituendi competere Prælato Inferiori *intra Diœceſim*, cùm ex ipſo privilegio extra Diœceſim & *nullius* efficeretur, ex iis quæ manent dicta *in cap.* 6. *part.* 1. *& infra in cap.* 10. *Concord.*

52 Tandem ad complementum inductionis, nec per viam conſuetudinis aut præſcriptionis inſtitutionem auctorizabilem vindicare ſibi poterit Prælatus

In-

Inferior intra Diœceſim; nam vel agitur de ipſa inſtitutione ſola acquirenda independenter ab aliis juribus Epiſcopalibus, & tunc, etiamſi allegetur conſuetudo ſive præſcriptio immemorabilis, acquiri non poteſt, ob generalem prohibitionem, & conſuetudinis improbationem, *in d. cap. cùm ſatis.* ibi: *Obtentu alicujus conſuetudinis*, arg. etiam *text. in cap. licèt in regulis* 16. *q.* 3. Vel agitur de acquirendo hoc jure inſtituendi per immemorabilem ſimul cum tota juriſdictione Epiſcopi, & territorio ad modum, quo ſupra diximus in *cap.* 7. *par.* 1. & tunc utique verum eſt, inſtitutionem acquiri poſſe, ut incluſſam in illa univerſali acquiſitione, ita ut jus inſtituendi veniat in ſequelam ſub territorio ſeparato & ſtatu *nullius*; non ſecus ac cauſæ criminales & matrimoniales, quæ licèt per ſe ſe effugiant quamlibet præſcriptionem, etiam immemorabilem ex S. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 20. Fagnan. *in cap. accidentibus à num.* 20. *de exceſsib. Prælator.* tamen ſub univerſali juriſdictionis & territorij præſcriptione immemorabili veniunt, idem Fagnan. *ibidem.* Card. Petra *in comment. ad Conſtit. Apoſt. tom.* 2. *fol.* 147. *num.* 5. *& ſeqq.* Aſt nec hoc caſu quidquam contra ſupra firmatam concluſionem verificatur, cùm mediante ipſa univerſali acquiſitione, jus inſtitutionis auctorizabilis tunc non Prælato Inferiori intra Diœceſim, ſed *nullius* competat.

54 Nec alia demum minori præſcriptione, ut puta quadragenaria, jus hoc inſtituendi quæri poteſt; quin hæc præſcriptio omnino quoad propoſitum venit reiicienda; ſive enim agamus de acquirendo jure inſtituendi per ſe, & principaliter; ſive de eo acquirendo ſimul cum aliis actibus & juribus, collectivè ſumptis, juriſdictionis Epiſcopalis, & ita in ſequelam territorij ſeparati & ſub involucro univerſalis juriſdictionis, inutilis & inefficax erit utroque caſu quadragenaria. Et quoad primum probant manifeſtè jura & rationes expenſæ; & aliundè nonniſi abſurdè admitti poterat, ut hoc jus per ſe & principaliter quadragenaria acquireretur, cùm illud hoc modo immemorabilis non tribuat: Quoad ſecundum verò nulla eſt difficultas ex iis, quæ dicta manent *ſupra in cap.* 7. *part.* 1. ubi firmavimus, totam juriſdictionem Epiſcopalem cum territorio ſeparato præſcriptione quadragenaria acquiri non poſſe. Quibus poſitis clarè evincitur, textus ſi qui ſunt, qui

55 Prælatis Inferioribus jus inſtituendi præſcriptione acquiri poſſe dicunt, ut certè ſunt *text. in cap. cùm olim, & cap. auditis de præſcript.* intelligendos ac interpretandos eſſe de inſtitutione tituli collativa, quæ optimè Prælatis Inferioribus poteſt competere ſive privilegio, ſive præſcriptione, *cap. cùm veniſſent de inſt. cap.* 2. *de exceſsib. Prælator. cap. referente de præbend.* neutiquam verò accipiendi ſunt de inſtitutione auctorizabili, D. Gonzalez *in d. cap. cùm ſatis numer.* 6. Fagnan. *in cap. cùm olim num.* 12. *de præſcript.* ubi meritò non acquieſcit opinioni Abbatis, qui in eo *text. & in d. cap. auditis*, quod dicitur de jure inſtituendi intellexit contra Hoſtienſem de inſtitutione auctorizabili; quæ Abbatis opinio inde provenit, quod putavit, juriſdictionem Epiſcopi univerſalem cum territorio per quadragenariam poſſe acquiri, quod ſubſtinendum non eſt, ex ſæpè dictis.

56 His igitur generaliter traditis de utraque inſtitutione, ad particularem noſtri capitis diſpoſitionem explicandam revertamur, ex qua praxis in hoc ſervanda depromitur: In primis ergo diſponitur, quod in litteris patentibus collationis Dignitas Prioralis illam neceſſariò exprimat conditionem, ut proviſus accedat ad Archiepiſcopum, ſive ejus Gubernationis Conſilium Toletanum, ut ab eodem examinetur & appro-

approbetur ad curam animarum exercendam. Ex quo illud infertur, proviſum nimirùm perſonaliter debere præſentari, & comparere, non autem per litteras, aut per procuratorem, hoc enim ſignificat propriè illud verbum *accedat*, quo utuntur Concordantes; quod utique æquivalet verbo *repræſentare*, quo in propoſito utuntur Canones, ut in *cap. cùm & plantare verſ. in Eccleſiis de privil.* ibi *repræſentent*, quod propriè ſignificat præſentiam ſui facere, *leg. maritus §. 1. ad leg. jul. de adult.* melior *text. in leg. conſentaneum quom. & quan. jud.* cum multis, quæ adducit Briſſon. *de verb. jur. ſignific. verbo repræſentare.* Unde certum eſt, Epiſcopum non teneri admittere proviſum, qui perſonaliter non compareat, ut eſt doctrina Abbatis *conſ. 76. num. 2. part. 2.* Lambertin. *de jure patron. lib. 2. part. 1. q. 1. art. 1. & q. 11. art. 1.* Lother. *de re benef. lib. 2. q. 6. ex num. 35.* Rota *in Regienſ. Prioratus 26. Junij 1587. cor. Pamphilio.* quod, præter alias à DD. adductas rationes, illa manifeſtè nittitur, quia præ-
57 ſentati, ſive proviſi ab Inferiore debent ab Ordinario examinari, an ſint idonei, quod procedit tam in Parochialibus & Curatis, quàm in ſimplicibus ex Conc. Trident. *ſeſſ. 7. de reform. cap. 13.* quod examen cum perſonale ſit, & per procuratorem fieri non poſsit, neceſſariò inde fluit præſentatos & proviſos ab Inferiore, coram Ordinario perſonaliter ſe debere exhiberi.

58 Hæc autem proviſi præſentatio ſeu comparitio eò præcipuè ſpectat, ut ab Epiſcopo examinetur; inter cætera enim, quæ Sacris Canonibus & præcipuè œcumenico Tridentino Concilio pro fidei catholicæ conſervatione, ac animarum ſalute, magis cordi fuerunt, meritò fuit proviſio Parochialium prævio examine, ut ita ovibus boni præberentur Paſtores, & auguſtum curæ animarum munus, quod ars artium dici debet, nonniſi impensè doctis, & piis hominibus committeretur Cardin. de Luca *de Paroch. diſc. 37. num. 2.* Rota *deciſ. 426. ad fin. part. 1. diverſ.* Hæc autem cura S. Concil. Tridentini ſuper examine, & approbatione Ordinarij manifeſtè ennituit tam in *ſeſſ. 7. de ref. cap. 13.* ubi generaliter loquitur de nominatis & electis ad quævis beneficia Eccleſiaſtica, quàm in *ſeſſ. 24. de refor. cap. 18.* ubi particulariter loquens de Parochialibus formam examinis præſcripſit. Quibus in locis, eam liquidò apparet fuiſſe Sacri Concilij mentem, ut nemo ad quævis beneficia & præcipuè curata admitteretur, niſi Epiſcopi Diœceſani examen & approbatio intercederet, quovis ſuper hoc remoto privilegio & conſuetudine: quod quidem & materiæ gravitas, & manifeſta ratio efflagitabat; nam cùm Epiſcopo, ut
59 Summo in Diœceſi Paſtori, privativè competat, ut vidimus, committere aliis curam animarum, de quibus ipſe Deo rationem eſt rediturus; rationi conſentaneum valdè eſt, ut ipſe examinet ac probet hos ſubalternos ovium ſuarum Paſtores, etiamſi ad alios eorum nominatio & electio ſpectet; & licèt ipſa materialis Eccleſia Prælato Inferiori ſit ſubdita; cujus rei elegantem de more rationem præſtitit Cardin. de Luca *de Paroch. diſc. 12. num. 3.* ibi: *Quando agitur de providendis Eccleſiis Parochialibus, punctus non eſt in proviſione ipſius Eccleſiæ materialis pro ejus cultu ac adminiſtratione; ſed eſt in providendo populum de Paſtore, ac Rectore; ideoque cùm populus ſit ſub cura & gubernio ſpirituali Epiſcopi, ad iſtum tanquam primum Paſtorem cognoſcere pertinet, an ſibi commiſsis ovibus, congruus eſſet ille inferior vel ſubordinatus Paſtor, qui præficitur.*

60 Adeo autem, ex dictis, proprium Epiſcopi hoc examen, & approbatio conſideratur, ut plerique in hoc examine & approbatione inſtitutionem

auc-

auctorizabilem verſari putent, unde ſicut inevitabiliter auctorizabilis inſtitutio privativè competit Epiſcopo, ita nec examen ab alio peragi, nec approbationem ab alio præſtari poſſe ullo caſu judicant; aſt in hoc cautè eſt procedendum: ſeparatum enim quid eſt inſtitutio auctorizabilis ab examine & approbatione, unde illa ſtricta & generalis Canonum prohibitio de non præſtanda, inſtitutione auctorizabili ab alio quàm ab Epiſcopo, ad examen & approbationem abſolutè extendenda non eſt: examen enim & approbatio proviſi non eſt ipſa inſtitutio, ſed quid prævium, & conditio ſine qua non, poſt Concilium Tridentinum, quod illud pro forma requirit, Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *num.* 120. Pax Jordan. *de re benef. lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 385. Gonzalez *ad reg.* 8. *gloſſ.* 4. *num.* 90. Garcia *de benef. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 103. Inſtitutio verò auctorizabilis ex ſuo præciſo
61 & formali conceptu ſolùm dicit commiſsionem curæ animarum, & facultatem illam exercendi, ex dictis *ſupra numer.* 11. *&* 12. & licèt valdè repugnet, ut alius, quàm Epiſcopus curam ani-
62 marum committat, quia in nullo præter eum in Diœceſi cura animarum reſidet, & nemo dat, quod non habet, vulgata regula *in leg. nemo plus juris de reg. jur.* non ita repugnat, ut alius poſsit de ſufficientia & idoneitate proviſi judicare medio examine; hoc enim optimè poterit per alios expediri, præſertim per eos, quorum munus ſeu dignitas confidere facit, diligenter in actu examinis & approbationis ſe geſturos fore; cujus rei in jure communi illuſtre & propoſito noſtro accomodatiſsimum habemus
63 exemplum & munimentum: videmus ettenim in ipſo jure communi, quod inabdicabilem facit inſtitutionem auctorizabilem ab Epiſcopo, & eam ab Archidiacono præſtari abſolutè prohibet, *d. cap. cùm ſatis, & cap. ad hæc* 7. *de offic. Archid.* concedi ipſi Archidiacono, ut ipſe eos examinet & præſentet Epiſcopo, qui ab eodem ſunt inſtituendi; dicitur enim *in d. cap. ad hæc: Examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad Sacros Ordines promovendi; & hoc idem in collationibus beneficiorum credimus obſervandum, ut qui beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo prius examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur.* En igitur ubi de jure communi repugnat, ut Archidiaconus inſtitutionem præſtet auctorizabilem, atque ideo Epiſcopo privativè ſervatur: En ubi cùm hoc ipſo jure Epiſcopi compatibile apparet jus examinandi in Archidiacono. Ergo examen & approbatio non ita præcisè & perpetuò cohæret inſtitutioni auctorizabili ex mente Canonum, ut quandoque, abſque ulla repugnantia, ab ea ſeparari non poſsit, ita ut illæſo jure Epiſcopi quoad inſtitutionem, examinatio & approbatio poſsit competere alij, de quo ratione muneris confidatur, quo ſanè numero ponendi ſunt Archidiaconi, hi enim officij ſui intuitu *Oculi Epiſcoporum* dicebantur *d. cap. ad hæc.* Evariſtus *in cap. Diaconi qui quaſi* 93. *diſt.* Fulbert. Carnot. *Epiſtol.* 34. Atque toties hoc jus examinandi cùm aliis juribus eis fuit conſervatum, quouſque in eis mira morum probitas, & ſingularis ſcientia permanſit, quibus dotibus priſci Archidiaconi maximè clareſcebant, Ludovic. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccl. diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *à num.* 9.

64 Redeundo ad expoſitionem noſtri Capitis, dicimus, quod proviſus in noſtris terminis poſtquam collationem obtinuerit à Magno Priore, & approbationem cum licentia exercendi à Dignitate Archiepiſcopali, ſtatim abſque alio requiſito poterit poſſeſsionem capere, & curam exercere; quamvis enim de jure antiquo, ut ſupra diximus ad

Ar-

Archidiaconum pertineret beneficij poſſeſsionem præſtare ex *cap. ad hæc de offic. Archid.* hodie tamen poſſeſsio aprehenditur propria auctoritate coram Notario Apoſtolico, aut Ordinario, vel Scriba Regio, & teſtibus; prout in ſimili de conſuetudine in Diœceſi Pampilonenſi teſtatur Murga *tract. de benef. q. 3. ſect. 3. num. 113.* & in noſtris terminis adeſt expreſſa reſolutio Judicum Concordiæ *in Congregat. 10. Septembris 1700. verſ. lo ſegundo.*

CONCORDAT. II.

65 VEnimus jam ad ſecundum noſtri Capitis concordatum, in quo fuit conventum, Parochos Priores de Eccleſiis Parochialibus proviſos, fidei profeſsionem teneri facere in manibus Vicarij Toletani intra terminum à S. Concilio Tridentino præfinitum. Locus Concilij in quo Concordantes fundantur, & ad quod ſe referunt, eſt *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* ubi ita habetur: *Proviſi etiam de beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ poſſeſsionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſsionem & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent.* Quod Sacramenti genus antiquitus receptum erat, & cavebatur Novella Juſtiniani 137. *cap. 2.* de quo videri poteſt Haller. *de Sacris elect. ſect. 6. §. 8.* Formam autem hujus profeſsionis ordinavit Pius IV. in ejus Conſtitut. quæ incipit: *Injunctum ſub dat. Idib. Novembr. 1564.* & eam referunt Quaranta *in ſum. Bullar. verb. fidei profeſsio.* Piaſec. *var. lucubr. tom. 1. tit. 4. cap. 16. num. 41.* quos refert Barboſa *in collect. ad Concil. in d. cap. 12. num. 15.*

66 Quod autem Hieroſolymitani proviſi de Parochialibus Prioratuum in hoc Conciliari decreto comprehendantur extra dubium eſt: quod multifariam oſtenditur, primo, quia Concilium abſolutè loquitur, de obtinentibus quæcumque beneficia curam animarum habentia, qualia ſunt ea de quibus in præſenti agitur; quin impediat qualitas regularitatis, nam Conciliaris diſpoſitio non ſolùm locum habet in beneficiis Sæcularibus, ſed & in Regularibus, ut generaliter tenet Lezana *tom. 2. quæſt. Regular. cap. 18. num. 38.* Secundo quia omnia, quæ dicuntur de Parochis in genere, his Prioribus Hieroſolymitanis conveniunt, ut in individuo loquendo de his Parochis Prioribus Eccleſiarum Magni Prioratus Caſtellæ & Legionis aſſerit Eſcaño *in ſuo propugn. diſcept. 11. cap. 1. num. 12.* per hæc generalia verba: *Quibus autem obligationibus perſtringantur hi Clerici Fratres Militiarum, qui Parochi ſunt agit Mendo diſquiſit. 11. q. 5. & 6. & eis conveniunt elaborata à Barboſa de officio Parochi.* Tertio, quia Canonici exempti, eorum exemptione non obſtante, tenentur in manibus Epiſcopi fidei profeſsionem emittere, ut tenet Navarr. *lib. 2. conſil. in 2. edit. tit. de jur. jurand. toto conſil. 9.* Sanchez *in præcept. Decal. lib. 2. cap. 5. num. 2.* Ergo ſimiliter Parochi Priores in præſenti in manibus Archiepiſcopi Toletani, aut ejus Generalis Vicarij hanc fidei profeſsionem facere tenentur, non obſtante exemptione, hoc enim præſtant tanquam Parochi qua ratione & conceptu exemptio non viget, ſed Archiepiſcopo ſubſunt, ut ſupra declaravimus.

67 Non piget hic notare, terminum à Sac. Concilio præfixum, ad hanc fidei profeſsionem emittendam, eſſe duorum menſium à die adeptæ poſſeſsionis; itaque ſi proviſus poſſeſsionem non ceperit, quamvis per eum ſteterit, ei terminus non currit, ut cum Nicol. Garc. *de benef. part. 3. cap. 3. num. 32.* Anton. Riciull. *de jur. perſon. lib. 1. cap. 13. n. 50.*

tenet

tenent Barbosa *de offic. Episc. part.* 3. *alleg.* 60. *num.* 25. nec sufficit possessionem fuisse adeptam, sed requiritur, quod possessio sit pacifica, & ita quod turbatus non fuerit in curæ exercitio nec de jure, nec de facto, ut tradit Riciull. *d. cap.* 13. *num.* 63. Si verò intra præfatum duorum mensium spacium professionem provisus non emisserit, ob id facere
68 debens, solutus à tali obligatione non est censendus; sed, lapsu termini non obstante, cogi eum opportebit, ut illam peragat, quia terminus à Sacro Concilio præstitus, non ad remittendam, seu terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam fuit præfixus, ut tenet idem Barbosa *d. alleg.* 60. *num.* 22. *& de Paroch. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 10. cum Nicol. Garc. *d. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 29. Riciull. *d. cap.* 13. *num.* 57. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *num.* 9. Aloys. Ricc. *in decis. Cur. Neap. decis.* 220. *num.* 4. *part.* 1. *& aliis.* Ommittens autem scienter fidei professionem facere, præterquam læthaliter peccat,
69 duabus insuper pœnis subiicitur; prima est amissio fructuum decursorum, post lapsum duorum mensium; quam pœnam nec Ordinarius quidem remittere potest. Secunda pœna est, ut possessio non suffragetur, impedito nimirùm ejus effectu quoad fructuum perceptionem. Qui circa has pœnas alia videre cupit, adeat Barbosa *in loc. cit.* & AA. quos ibi lata manu congerit.

CONCORDAT. III.

70 DIximus supra provisos de beneficiis Parochialibus Diœcesani examen subire debere, quod quidem in illis, qui de novo providentur abs dubio procedit; at in illis, qui de uno ad aliud beneficium transferuntur dubium oriri poterat quatenus pro primo beneficio obtinendo examinati & approbati supponuntur; de hoc agitur in tertio concordato nostri Capitis ad cujus illustrationem, quæstio in hunc modum efformatur; an nimirùm, qui approbatus proponitur ad unam Parochialem, si transferatur ad aliam, novo debeat subjici examini? In qua quæstione affir-
71 mativa pars erit tenenda ex Joan. Andr. *in addit. ad Specul. rubr. de jur. patron.* Guidop. *decis.* 69. Castro *alleg.* 8. *num.* 134. Pignatell. *cons.* 133. *num.* 13. *tom.* 1. ubi etiam citat Rotam *in Legionens. Parochialis die* 30. *Martij, & 9. Aprilis* 1590. *cor. Comitulo.* & declarationem S. Congregationis Concilij *diei* 14. *Iulij* 1594. Garc. *de benef. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 98. *& seq.*

72 Plenissimè assumptum comprobat, atque elegantem de more rationem præstat Eminent. Cardin. de Luca *de Paroch. disc.* 7. *num.* 6. his verbis: Et quamvis Scribentes pro appellante satis insisterent in eo, quod hic fuisset aliàs ad Parochiales approbatus, eisque Rota adhæserit, nihilominus id nihil revelare videbatur, quoniam quidquid sit quoad alia beneficia non curata, sive quoad alium punctum, an scilicèt semel approbatus reprobari possit, vel novo supponi examini, de quo *in Pampilonen. disc.* 16. attamen receptum est, approbationem occasione unius Parochialis, non suffragari pro altera assequenda Garc. *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 253. *&* 266. Rota *decis.* 174. *num.* 15. *par.* 5. *rec. & in aliis.* Potissimè ubi notabile intervallum inter unum examen, & aliud intercedit, cum tunc desertis studiis per oblivionem effici potuerit oblitteratus, ut *infra in d. disc.* 16. ac etiam quia retenta quoque litteratura adesse potuit mutatio vitæ, & morum in deterius; quinimò etiam sine mutatione stant benè simul eamdem personarum esse habilem, ac idoneam ad unam Parochialem, & non ad alteram ob facti circunstantias, ex quibus in una sit congruus, in altera verò incongruus.

Hucuſque de Luca. Tandem hæc ſen-
73 tentia utpotè favorabilis, & magis proſpiciens ſervitio, & ſaluti animarum attendenda, & ſequenda eſt; cùm experientia teſte, metu novi ſubeundi examinis, Parochi diligentiores & promptiores fiant ad ſervitium, ut in ſimili ponderat idem Cardin. de Luca *de jur. patron. diſc.* 15. *num.* 3. *&* 11. Rota *cor. Peutinger. deciſ.* 53. *num.* 73. *& cor. Coccin. deciſ.* 78. *num.* 13.

74 Hinc jam apparet rectè conventum à Concordantibus in noſtro Capite, ut Parochi Priores tranſlati de uno ad alterum beneficium Curatum, novo teneantur examini ſubiici; licèt enim Magnus Prior poſsit hujuſmodi tranſlationis facere, præſtita collatione pro nova Eccleſia; tamen ut effectum ſortiantur hujuſmodi tranſlationes auctoritas Archiepiſcopi Diœceſani debet intervenire, nam ad eum uti univerſalem Diœceſis Paſtorem pertinet novi gregis curam committere media inſtitutione auctorizabili, ſine qua proviſo nihil prodeſſet collatio Magni Prioris, ad curam exercendam, prout eleganter Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 15. *in ſupplem. num.* 9.

75 Hinc jam velut manuducimur, ut declaremus, quid tenendum ſit in permutationibus beneficiorum Curatorum, de quo nihil conventum appareret in noſtro Capite. Et quidem dicendum eſt, permutationes beneficiorum ad effectum perduci non poſſe ſine auctoritate Ordinarij Diœceſani; licèt enim admittamus opinionem illorum, qui exiſtimant, permutationes beneficiorum acceptari & expediri poſſe à Prælatis Inferioribus, qui eadem beneficia conferre poſſunt; tamen adhuc, quia in permutationibus intervenit vi ipſa quædam tacita tranſlatio, ideo ad Diœceſanum ſimiliter pertinet examinare & approbare perſonas quibus cura erit committenda: juri quidem & rationi alias maximè adverſaretur, quod hac via inferiores miniſtri & paſtores ſuis Ovibus præficerentur ſine ejus auctoritate & examine, unde maximum ipſi inferretur præjudicium, ut profundè ratiocinatur Exim. P. Suarez *de Relig. tom.* 2. *libr.* 4. *de Simonia cap.* 32. *numer.* 14.

76 Dixi, licèt admittamus opinionem exiſtimantium, permutationes acceptari, & expediri poſſe à Prælatis Inferioribus; hoc ettenim controverſum eſt, quod ut percipiamus, ſupponendum eſt, Sacros Canones ſemper curaſſe ne permutationes beneficiorum, aut labe ſimoniæ contaminarentur, aut ipſis Eccleſiis damnum & præjudicium generarent, quamobrem variis quidem juribus & præſertim *in cap. quæſitum* 5. *de rer. permut.* cautum invenitur, ne poſſeſſores Eccleſiarum propria auctoritate beneficia permutarent, ſed in hoc auctoritatem adhiberent Epiſcopi, cujus in arbitrio eſſet, cauſam permutationis diſquirere, & approbare; dicitur enim *in d. cap. quæſitum*: *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam licite poterit de uno loco ad alium transferre perſonas; ut quæ uni loco minus ſunt utiles alibi ſe valeant utilius exercere.* Illuſtrant, & latè de hoc agunt Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 15. *à num.* 160. Exim. Suarez *d. cap.* 32.

77 Hoc ſuppoſito, triplex fuit DD. opinio, in aſsignando Judice aut Prælato, coram quo de cauſa permutationis eſſet diſquirendum: aliqui, ut videre eſt apud Exim. Suarez *d. cap.* 32. tenebant, ſolis Epiſcopis competere permutationes auctorizare, & admittere; quæ opinio antiquitus fuit receptiſsima, tum ob materiæ gravitatem, tum quia *in d. cap. quæſitum* ſolùm Epiſcopis committitur, auctoritatem præſtare, & examinare juſtitiam cauſæ. Poſtea verò fuerunt alij
78 ut Cardin. Zabarell. *quæſt.* 12. Azor *inſtit. Moral. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 26. *q.* 4.

Garc.

Garc. *de benef. part.* 11. *cap.* 4. *num.* 70. Palaus *part.* 3. *disp.* 3. *de Simon.* qui judicarunt, hanc facultatem extendendam esse ad Prælatos Inferiores, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in territorio verè *nullius.* Alij tandem prout Angel. *verb. permutatio num.* 5. Sotus *de just. & jur. lib.* 9. *q.* 5. *art.* 2.

79 Murga *tract. de benef. q.* 3. *num.* 980. tenent, etiam Prælatos Inferiores *intra Diœcesim* admittere & approbare posse permutationes illorum beneficiorum, quæ ipsi conferre possunt.

80 Ut appareat quænam ex his tribus sententiis sit tenenda, inspicere opportet, an permutationis admissio & approbatio sit actus, qui ad Dignitatem Episcopalem, vel ad Episcopalem jurisdictionem debeat referri? Et quamvis non defuerint, qui hunc actum inter proprios Episcopalis Dignitatis connumerent, per *text. in d. cap. quæsitum*, ut refert Barbosa *d. cap.* 15. *num.* 175. in quorum sententia solùm prima opinio posset substineri; tamen verius est, & communiter receptum, hunc actum ad

81 Episcopalem jurisdictionem spectare; quo admisso, secunda opinio erit admittenda, quia Prælati Inferiores cum territorio separato verè *nullius*, ex eo quod in eos per dismembrationem territorij transit universa jurisdictio, quæ erat penes Episcopum, omnes actus pertinentes ad jurisdictionem Episcopalem explere possunt; unde dicuntur jurisdictionem quasi Episcopalem exercere, ex latè deductis supra *cap.* 4. *part.* 1. & consequenter tertia opinio venit reiicienda generaliter loquendo; quia Prælati Inferiores intra Diœcesim jurisdictionem quasi Episcopalem non habent, ut sæpiùs probatum manet, quinimò eorum jurisdictio post S. Concilium Tridentinum, & alias Apostolicas Constitutiones ferè ad nihilum est redacta, ut cum Cardin. de Luca *de jurisd. disc.* 1. *num.* 5. alibi ostendimus; nec proinde in hujusmodi Prælatis à potestate conferendi beneficia, inferenda, aut arguenda est potestas sive auctoritas permutationes approbandi, ut in terminis tenent Palaus *d. disp.* 3. *de Simon. punct.* 15. *num.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 36. *num.* 196. Barbosa *d. cap.* 15. *num.* 175. Suarez *d. cap.* 32. *num.* 14. ubi dicit esse communem opinionem, & in praxi receptam.

82 Non tamen inficior dari posse quandoque casum, quo Prælatus Inferior permutationes possit admittere, ac propterea dixi, *generaliter loquendo*, nam si hoc jus particulariter præscripserit Prælatus Inferior, tunc permutationes poterit approbare, saltem respectu habito ad ipsa beneficia, Ecclesias materiales, & personas permutantes ei subjectas; licèt pro eo quod respicit Ecclesias formales, & jus Parochiale approbatio privativè præstari debeat à Diœcesano, servata ea distinctione supra data; atque praxis in hoc servanda ita erit, ut Diœcesanus debeat examinare permutantes, & capta judiciali informatione judicare, an permutatio sit utilis vel præjudicialis illis Parochialibus; ut si damnosa vel injusta sit, eam impediat; si verò utilis & justa tunc eam debet approbare, & permutantes remittere ad Inferiorem Prælatum collatorem, qui resignationes admittet, & collationes præstabit. Quod, si hoc non expectato, Prælatus Inferior collationem præstiterit, hæc effectum sortiri non potest, antequam Diœcesano, ut dictum est, de justitia & utilitate permutationis constiterit, & in casu, in quo non constiterit, nullius momenti erit collatio, non secus ac evenit, etiam extra casum permutationis, cùm alicui à Prælato Inferiori beneficium confertur, & postmodum inhabilis à Diœcesano judicatur.

CAP. VII.

Super collatione Capellaniarum, & poſſeſsione legatorum piorum vulgo Patronatuum.

PROPOSITO dubio, & ſuper eo habita conferentia, videlicet: Ad quem ſpectet collatio Capellaniarum fundatarum à Sæcularibus tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis (ad quas vocantur in Capellanos Clerici Sæculares) ſitarum pro illarum ſatisfactione, & implemento in Eccleſiis, Eremitoriis, ac Hoſpitalibus Religionis S. Joannis concordata fuerunt ſequentia. ¶ Primo, quoad Capellanias qualitatis prædictæ, quarum ex lege fundationum conceditur collatio Dignitati Archiepiſcopali, reſolutum fuit, hanc privativè ſpectare ad eamdem Dignitatem. ¶ Secundo, quod in Capellaniis hujuſmet qualitatis fundatis ante Sac. Concilium Tridentinum, quas fundatores facultatem conferendi, dant Dignitati Priorali, concordatur, iſtam privativè ſpectare ad dictam Dignitatem, illiuſque Miniſtros. ¶ Tertio, quoad fundatas poſt S. Concilium Tridentinum, quarum pariter fundatores reſervant jus conferendi Dignitati Priorali, concordatur, quod illarum collatio ſit alternativa generaliter in omnibus illis, itaut una vice collationem faciat Dignitas Archiepiſcopalis, ſive ejus Miniſtri, & alia vice Dignitas Prioralis, ſive illius Miniſtri, & hoc intelligatur in qualibet Capellania reſpectivè, incipiendo alternativam à Dignitate Archiepiſcopali. ¶ Quarto concordatũ fuit, quod ſi occurrat lis ſuper pertinentia Capellaniarum memoratarum in omnibus antecedentibus caſibus inter duos, aut plures oppoſitores, cognitio uſquè ad definitivam ſententiam ſpectet ad Dignitatem Archiepiſcopalem privativè, & poſt latam illius ſententiam dare debeat parti teſtimonium cum inſertione ejuſdem ſententiæ, ad hoc ut ejus virtute Miniſtri Dignitatis Prioralis ipſi dent collationem, & poſſeſsionem in caſibus, in quibus declarabitur ad illam ſpectare; in eventum autem, in quem adſit unus tantummodo prætenſor ſpecificè à fundatore vocatus, recurſum habere debet ad Miniſtros Religionis pro petenda collatione, & poſſeſsione, dummodo ei obtingat quemadmodum ſuperiùs enuntiatur, excepto tamen caſu, in quo à Promotore Fiſcali Dignitatis Archiepiſcopalis opponatur ei aliquis defectus, ſiquidem tunc primo decidi debet hujuſmodi lis coram Miniſtris

Dig-

Dignitatis Archiepiſcopalis. ¶ Quinto, quod Capellaniarum prædictæ qualitatis, quas à fundatoribus non tribuatur facultas conferendi uni, nec alteri Dignitati, collatio & poſſeſsionis traditio ſpectet ad Dignitatem Archiepiſcopalem privativè. ¶ Sexto concordatum fuit, quod jura Patronatus merè laicalia, in quibus tantummodo adſit onus Miſſarum, ſeu ſuffragiorum, traditionem poſſeſsionis bonorum pertinere ad juriſdictionem Regiam, & cognitionem pariter cauſarum, & litium, quæ ſeper hoc agitabuntur, abſque eo, quod utraque ex Dignitatibus in hoc ſe ingerat. ¶ Septimo, quod in Capellaniis non collativis, & memoriis, ad quarum ſatisfactionem & fruitionem vocati fuerint Presbyteri, ſeu Clerici Sæculares minorum Ordinum, traditio poſſeſsionis illarum privativè ſpectet ad Dignitatem Archiepiſcopalem, necnon cognitio quarumcumque litium deſuper agitandarum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Proviſio omnium beneficiorum de jure communi pertinet ad Epiſcopum Diœceſanum.*

2 *Ius conferendi beneficia ſemper exercuit Archiepiſcopus in Oppidis Prioratuum.*

3 *An beneficia & Capellaniæ ſitæ in Eccleſiis Regularibus ſint Regulares?*

4 *Videtur, quod ſint Regulares ex pluribus. Contrarium* num. 10.

5 *Eccleſiæ ſitæ in territorio Matricis, huic cenſentur ſubjectæ, & eiſdem qualitatibus affectæ.*

6 *Membra eodem jure, quo Caput, debent judicari.*

7 *Contentum naturam continentis ſequi debet.*

8 *Quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt.*

9 *AA. qui hanc ſententiam propugnant, referuntur.*

10 *Refellitur hæc ſententia, & probatur eſſe Sæculares hujuſmodi Capellanias, de quibus* in num. 3

11 *In Eccleſia Regulari poſſunt eſſe beneficia Sæcularia, quæ Clericis Sæcularibus conferantur.*

12 *Quod procedit in Eccleſiis Ordinum Militarium.*

13 *Capellaniæ diverſum corpus ab Eccleſia, in qua ſunt, conſtituunt.*

13 *Ab Eccleſiis ad Capellanias, ibidem fundatas, non valet argumentum.*

15 *Vnio Prioratus non comprehendit beneficia in ejus Eccleſia exiſtentia.*

16 *Eccleſia exempta, non cenſetur exempta Capella, nec beneficium in ea exiſtens.*

17 *Qualitas unionis, exemptionis & regularitatis, utpote contra jus commune, non extenditur de re ad rem, nec de loco ad locum.*

18 *Opponitur diſſonum videri, quod Clerici Sæculares & Regulares, & ſic homines diverſæ profeſsionis, in eadem Eccleſia ſocientur.*

19 *Reſpondetur hanc incongruentiam procedere in Monaſteriis, non in Eccleſiis.*

20 *Hæc etiam diſſonantia procedit, quando unum corpus conſtituitur & munera confunduntur, ſecus verò in præſenti.*

21 *In Eccleſia Regulari poſſunt eſſe beneficia Sæcularia, & per Clericos Sæculares deſſerviri, dummodo non ſint in Altari majori.*

22 *Solvitur principale argumentum, de quo ſupra* num. 5.

23 *Nulla Eccleſia præter Cathedralem fundat intentionem ſuper ſubjectione Eccleſiarum in ſuo diſtrictu.*

24 *Eccleſia prætendens alterius Eccleſiæ ſubjectionem, tantùm obtinebit, quantùm ſibi deberi ex jure ſpeciali probaverit.*

25 *Filiatio requirit rigoroſas & univocas probationes.*

26 *Subtilitates Iuris Civilis admittendæ non ſunt in materiis ſpiritualibus, & præſertim in beneficialibus.*

27 *Situatio Capellaniæ in Eccleſia Regulari non concludit illius Regularitatem, ſed tantùm Regularitatis præſumptionem.*

28 *Inter Eccleſiam & Capellaniam ibi fundatam non adeſt acceſsio formalis, ſed tantùm aliqua materialis.*

29 *Præſumptio Regularitatis locum non habet quoties conſtat de contrario ſtatu.*

30 *Qualitas beneficij deſumitur ex ſtatu eorũ, per quos regitur.*

31 *Capellaniæ, in quibus vocantur Clerici Sæculares, quamvis à Regularibus fundentur, ſunt Sæculares.*

32 *Licèt regula generalis aſsiſtat Archiepiſcopo ad jus conferendi beneficia, quæ exiſtunt in Eccleſiis Prioratuum, duæ tamen ſunt limitationes favore Magni Prioris.*

33 *Conditiones poſitæ à fundatoribus in limine fundationis maximam vim habent.*

34 *Collatio beneficij jure antiquo ante Tridentinum propria erat illius, cui reſervabatur, & exponitur II. Concordat.*

35 *Concilium edixit ne alteri, quàm Epiſcopo reſervaretur beneficij collatio.*

36 *Ius conferendi Capellanias, in quibus poſt Concilium reſervatur collatio Magno Priori competit utrique Dignitati alternative.*

37 *Traditur ratio hujus alternativæ, & III. Concordati, & exponitur quædam S. Congregationis declaratio.*

38 *Alternativa eſt optimum remedium, ad vitandas diſcordias, quæ ex communione naſci ſolent.*

39 *Cùm in fundatione Capellaniæ non reſervatur collatio alicui ex Dignitatibus, competit Archiepiſcopali, ut in V. Concordato.*

40 *Teſtator in eo quod non diſponit, conformare ſe videtur cum Iuris diſpoſitione.*

41 *Lites ſuper his Capellaniis decidere, cur ad Diœceſanum privativè ſpectet? Ad expoſitionem IV. Concordati.*

42 *Cur excludatur Magnus Prior?*

43 *Ius Diœceſani cognoſcendi de his litibus procedit etiam in caſibus I. II. & III. Concordati.*

44 *De jure conferendi ad juriſdictionem non rectè arguitur.*

45 *Mota controverſia ſuper jure patronatus, coram Epiſcopo prius eſt terminanda, & eo probato, præſentatus ad inferiorem collatorem eſt remittendus.*

46 *Lis ſuper Capellania ventilanda eſt coram Diœceſano, etiamſi ad inferiorem ſpectet collatio.*

47 *An Vicarius Prioralis poſsit relaxare edicta pro illis Capellaniis, quarum collationem ipſe præſtat?*

48 *Iudices Concordiæ ſuper hoc dubio diſcordarunt.*

49 *Proponuntur fundamenta favore Vicarij Prioralis.*

50 *Fundamenta Diœceſani contra Prioralem.*

51 *Concordia ſtrictè debet interpretari.*

52 *Citatio exerceri non poteſt in non ſubditum.*

53 *Edicta affiguntur & leguntur in Eccleſiis.*

54 *Inferior nequit in loco ſibi ſubdito exercere actus, qui referuntur ad perſonas ſibi non ſubditas.*

55 *Iudicialiter procedere, in hac materia ſolùm conceditur Diœceſano.*

56 *Quando dicatur Iudex judicialiter procedere.*

57 *Citatio eſt actus judicialis, & caput judicij.*

58 *Citatio, ut habens præceptum annexum, eſt ſententia interlocutoria.*

59 *Citatio expediri nequit niſi à Iudice & cum juriſdictione.*

60 *Clauſulæ edictorum obſtant, ut relaxentur, à non habente juriſdictionem.*

61 *Tentatur via, qua in dubio poſito* num. 47. *ambæ Dignitates in concordiã redigi poſsint.*

62 *Simplex monitio Superioritatem non arguit in monente.*

63 *Immittere in poſſeſsionem beneficij ſpectat ad illum, ad quem pertinet conferre.*

64 *An cùm Diœceſanus jubet immitti aliquem in poſſeſsionem Capellaniæ ſitæ in Eccleſia Regulari, requiratur* exequatur *Vicarij Prioralis?*

65 *Affertur ratio dubitandi.*

66 *Deciditur dubium negativè ab Apoſtolico Nuntio & à Iudicibus Concordiæ.*

67 *De VI. & VII. Concordato obiter.* COM-

COMMENTARIUM.

ACtum est in Capite præcedenti de provisione & collatione Beneficiorum Curatorum in Ecclesiis S. Religionis Hierosolymitanę; nunc verò agendum est de collatione Capellaniarum, quæ in eisdem Regularibus Ecclesiis sitæ, ac fundatæ sunt. Et circa hoc, antequam ultra proggrediamur, illa prænotanda est regula, seu principium, superiori capite fundatum, quod nimirùm beneficiorum omnium provisio de jure communi Episcopo, in cujus Diœcesi existunt, competit *ex cap. omnès Basilicæ, & ex cap. ex frequentibus de instit.* Garcia *de benefic. part. 5. cap. 5. num. 95.* Corrad. *in prax. benef. lib. 1. cap. 6. num. 350.* Lother. *de re benefic. lib. 2. q. 2. num. 1. & seqq.* unde evidenter concluditur ad Toletanum Archiepiscopum, uti Diœcesanum Prioratuum spectare provisionem omnium beneficiorum in ipso Prioratuum districtu existentium : Quamobrem etiam eo tempore, quo lis super territorio separato vertebatur, quamplures, prout casus dedit, collationes ab Archiepiscopis emanatæ in Oppidis Prioratuum apparent in Summariis causæ principalis, quas posteà simul cum jure conferendi agnovit S. Rota *in decis. 70. sub num. 56. part. 13. recent.* & in sententiis successivè prolatis hoc jus cum universalitate jurisdictionis in prefatis Oppidis canonizatum remansit.

Hoc jus conferendi, generaliter sumptum, extra dubium est, Archiepiscopo uti Diœcesano competere; erant tamen aliqua beneficia, quorum respectu probabiliter poterat hæsitari; an Archiepiscopo, an Magno Priori jus ea conferendi competeret, præcipuè supposita illa doctrina de qua *in cap. præcedent.* quod jus nimirùm conferendi aliquibus in casibus Prælato Inferiori possit competere. Beneficia autem, circa quæ dubium procedit, sunt Capellaniæ sive à Laicis, sive à Clericis fundatæ in Ecclesiis Regularibus pro Clericis Sæcularibus. Pro resolutione hujus dubij varia concordata perhibentur in hoc capite, quorum ratio & fundamentum, percipi nequit, nisi priùs discutiatur quæstio illa, quæ inquirit : an Beneficia, & Capellaniæ sitæ in Ecclesiis Regularibus, Regularia sint, vel Sæcularia? In qua quæstione videtur dicendum, hujusmodi Capellanias Regulares esse, ratione situationis; nam de jure communi Ecclesiæ sitæ intra limites alicujus Parochiæ Matricis, semper censentur ei subjectæ, *cap. 2. de Capell. Monach. cap. constitutus de relig. domib.* & consequenter ratione ejusdem situationis, si Ecclesia Matrix fuerit Regularis, eadem qualitate affecta debet judicari Ecclesia, ab ea dependens, *arg. cap. super de præbend. lib. 6.* ubi Glossa *non obviet, & ex cap. cùm singula 32. cap. quia sæpè juncta* Glossa *verb. annexa eod. tit. & cap. cùm super eo de Paroch.* Similiter igitur dicendum videtur qualitatem regularitatis, qua Ecclesia est affecta in nostro casu, in Capellanias ibidem fundatas ac sitas derivari & transfundi.

Accedit, quod hujusmodi Capellaniæ, attenta situatione, considerari debent velut membra respectu Ecclesiæ, in qua existunt; cùm verò caput sit Regulare, juri consonum est, ut membra cum eo conformentur, nec diverso jure censeantur, *ex cap. non decet 12. dist. cap. celebritatem 3. dist. cap. miramur 61. dist. & arg. singularis text. in leg. eum qui ædes 23. de usucap.* Id ipsum suadet ratio continentiæ, cùm enim Capellaniæ contineantur in Ecclesiis Regularibus, & ipsæ Regulares sunt judicandæ, *arg. text. in leg. adeo 7. §. insula de adq. rer. domin. leg. gemma ff. ad exhibend.* in quibus docetur contentum sequi debere naturam continentis. Tandem

ex

8 ex eiſdem principiis derivatur deciſio *text. in leg. quæ religioſis* 43. *de rei vindic.* quæ mirè confirmat hanc ſententiam, nam ibi Paulus expreſsè aſſerit, religioſa eſſe, quæ religioſis adhærent. Cùm ergo in noſtro caſu Capellaniæ Regularibus Eccleſiis adhæreant, ex coacta juris ratione Regulares & ipſæ erunt. Atque ita his fundamentis motus,
9 hanc ſententiam propugnat Mendo *de Ordin. Militar. diſquiſit.* 11. *q.* 3. §. 1. *per tot.* quem in noſtris terminis ſequitur Eſcaño *in propugnac. diſcept.* 11. *cap.* 3. Et quod Capellania in Eccleſia Regulari fundata, præſumatur Regularis, tenet Rebuff. *in prax. tit. quotuplex ſit beneficium num.* 6. quem ſequitur Maſcard. *de prob. concluſ.* 172. *num.* 17. & Rota *in una Parmenſ. Prioratus* 5. *Iunij* 1595. *cor. Corduba*, & refert Corrad. *in prax. benef. lib.* 1. *num.* 319.

10 His tamen fundamentis non obſtantibus, præjacta ſententia admittenda non eſt, nam certa eſt propoſitio, & hodie praxi recepta, quod in Eccleſia
11 Regulari poſſunt eſſe beneficia Sæcularia, quæ Clericis Sæcularibus conferantur, pro quo expreſſus eſt *text. in cap. ult.* §. *præcipimus de ſtat. Monach.* ubi Abbas *ad fin.* Ancharan. *num.* 15. & 26. & hanc propoſitionem tuentur Lother. *de re benef. lib.* 1. *q.* 34. *num.* 71. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. P. Sanchez *in præcepta Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 27. Corrad. *d. lib.* 1. *num.* 330. Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 90. *num.* 16. Cardin. de Luca *de regular. diſc.* 1. *num.* 65. & *diſc.* 64. *num.* 5. & *de legat. diſc.* 25. *à num.* 5. & loquendo de Capellaniis fundatis in Eccleſiis Ordinum S.
12 Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, tenet Garcia *in addit. ad tract. de benef. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 37. & hanc ſententiam tenuit etiam Rota *in Valentina Rectoriæ* 22. *Iunij* 1650. *cor. Bichio*, & *in Novarienſi Eccleſiæ* 17. *Iunij* 1651. *cor. Celſo.* Et ratio eſt, quia Capellaniæ ſunt bene-
13 ficia diſtincta, & diverſum corpus conſtituentia ab ipſa Eccleſia, ubi ſunt fundatæ, ut *ex cap. fin. de Præbend.* & ibi Abb. *num.* 1. tenent frequenter Canoniſtæ; quare ab Eccleſiis ad Capellanias
14 non valet argumentum, quod à diverſis non procedit, *leg. Papinianus exuli ff. de minor.* Marc. Anton. *lib.* 2. *reſol.* 106. *num.* 42. Sic ergo evenit, ut unio Prioratus non comprehendat beneficia, quæ
15 in eadem Eccleſia conſtituunt corpus disjunctum ab ipſo, Rota *cor. Durano deciſ.* 14. *num.* 11. & *deciſ.* 92. *num.* 6. & *in Civitatenſ. Archipresbyteratus* 24. *Martij* 1645. *cor. Cerro.* Ex eadem ratione procedit, quod exempta Eccleſia,
16 non intelligitur exinde capella exempta, *cap. ex ore de privil.* & ab exemptione Eccleſiæ non infertur exemptio beneficij, in ea exiſtentis, *cap. per exemptionem de privil. in* 6. juncta *d. deciſ.* 92. *cor. Duran. num.* 18. Quorum omnium ea eſt præcipua ratio, quod qualitates unio-
17 nis, exemptionis, & regularitatis, utpotè odioſæ, & contra jus commune, non extenduntur de re ad rem, nec de loco ad locum, ſicque nec de Eccleſia ad beneficium, ut patet ex traditis à Frances *de Eccleſ. Cathed. cap.* 16. *à num.* 146. & *cap.* 30. *à num.* 153.

18 Nec his obſtat, abſurdum videri & indecorum, ut in una eademque Eccleſia præficiantur Clerici Sæculares ſimul cum Regularibus, & ſic homines diverſæ profeſsionis ſocientur, contra ſtatutum *in cap. in nova* 16. *q.* 1. *cap. dilecta de exceſſib. Prælator. Clement.* 1. *de elect.* Nam reſpondemus cum Gloſſa
19 *in d. Clement.* quod incongruentia, ut homines diſparis profeſsionis ſocientur, in eodem textu conſiderata, procedit in Monaſteriis, non verò in Eccleſiis; in quam rem quamplura poſſent adduci exempla, præſertim in noſtra Hiſpania, ut videre eſt *in deciſ.* 140. *num.* 4. & 5. *cor. Millino.* Deinde hæc incompatibi-
20 litas, ſive incongruentia procedit, ut

patet

patet ex dictis juribus, quoties homines disparis professionis ita sociarentur, ut permiscerentur, & unum vellent efformare corpus, diversis ac contrariis qualitatibus conflatum, quod dissonum esset; & tunc id fieret, cùm vel Clerici Sæculares præfici & præesse vellent Monasterio Regularium; aut ita se immiscere cum Regularibus, & in eorum functionibus, ut vocem in Capitulo, & locum in choro & dormitorio communem habere contenderent; secus verò ubi, ut in nostro casu, separata sunt munera, & unusquisque proprij muneris terminos non transgreditur, ut est *text. in d. cap. fin. §. præcipimus de stat. Monach.* tunc enim, ut ait Lother. *d. q. 34. num. 72.* licèt stent simul, non permiscentur. Unde patet quàm rectè dixerit Cardin. de Luca *d. disc. 1. de Regular. num. 65.* quod in Ecclesia Regulari possunt esse Capellaniæ & bene-
21 ficia Sæcularia, quæ per Clericos Sæculares deserviantur, dummodo non sint in Altari Majori, adeout redoleant ipsius Ecclèsiæ principalem Rectoriam seu Prælaturam, nam tunc daretur illa consociatio & permixtio, quæ *in d. Clement.* prohibetur.

22 Jam ergo non obstat argumentum principale suprapropositum; præterquam enim ex dictis abundè dissolvi potest; respondemus, falsum esse quamcumque Ecclesiam, in districtu alterius constructam, huic alteri subjectam manere, & ab ea pendere; hoc siquidem solùm competit, velut specialis prærogativa, Ecclesiis Cathedralibus, quæ respectu cæterarum velut Capita præeminent; præter has verò nulla Ecclesia
23 fundat intentionem suam de jure communi super subjectione alteriùs Ecclesiæ, etiamsi sit fundata in Parochia sua; unde
24 Ecclesia volens sibi vindicare jus in alia Ecclesia, tantum obtinebit, quantum probabit ex jure speciali sibi competere, ut dissertè tenet Abbas *in cap. ad audientiam num. 8. de Eccles. ædific.* quem sequitur Fagnan. *in eod. cap. num. 10.* filiatio enim, ut odiosa subjectio, requi-
25 rit rigorosas, & univocas probationes, Card. de Luca *de Paroch. disc. 40. n. 12.* Ex quibus, cessante subjectione & dependentia, in argumento ponderata, cessat etiam paritas & effectus inde deductus.

26 Nec pariter obstat augmentum difficultatis, ex juribus & paritatibus Juris Civilis deductum; nam præterquamquod subtilitates Juris Civilis attendendæ non sunt in materiis spiritualibus, & præsertim beneficialibus, ut eruditè observat Cardin. de Luca *de benefic. disc. 16. num. 13. & de jure Patronat. disc. 16. num. 8.* Ex eo ad summum evincitur ratione situationis Capellanias in Ecclesia Regulari fundatas,
27 præsumi Regulares; quod utique fatemur cum Rebuffo, Mascardo, & aliis in argumento adductis; sed duo invicem ut certa subjungimus, primum: ex situatione in Ecclesia Regulari alicujus beneficij sive Capellaniæ, non inferri præcisè illius regularitatem; licèt enim
28 aliqualis accessio materialis consideretur, & hæc pariat præsumptionem regularitatis; tamen non datur accessio formalis, nam, ut diximus, separata sunt beneficia, proprias possessiones, ac distinctos reditus habentia, ut ad rem Pignatell. *d. cons. 90. num. 12.* atque ita, licèt stent simul, non confunduntur, nec permiscentur, sed corpora distincta & independentia manent cum propria natura & qualitatibus. Secundum est, quod
29 hæc præsumptio resultans ex situatione locum non habet, quoties constat de contrario statu, quia nimirùm hujusmodi Capellaniæ sive beneficia administrantur, & reguntur per Clericos Sæculares, vel à testatore vocatos in limine fundationis, vel per præscriptionem postea admissos, ut in puncto tenet Barbosa *de jur. Eccles. d. c ap. 5. num. 14.*

Mostazo

Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6.

30 Certum ſiquidem eſt in materia beneficiali, quod regularitas, aut ſæcularitas beneficij deſumitur ex ſtatu eorum, per quos regitur, ut *ex text. in cap. cùm de benefic. de Præbend. in* 6. probant Lother. *d. q.* 34. *à num.* 7. Murga Benedictinus *de benefic. q.* 2. *num.* 6. *& q.* 3. *num.* 903. *& in quæſt. Paſtoral. libr.* 1. *quæſt.* 34. *num.* 8.

31 Ex reſolutione hujus quæſtionis evidenter patet, Capellanias, de quibus in hoc Capite agitur, Sæculares eſſe vel ob hoc unum, quod pro Clericis Sæcularibus proponuntur erectæ; quod procedit etiamſi Capellaniæ à Regularibus ſint fundatæ; unde exorto dubio ſuper Capellania fundata à quodam Parocho Priore in Eccleſia S. Joannis de Conſuegra, quæ ſemper à Clericis Sæcularibus fuerat adminiſtrata, in Congregat. 23. *Auguſti* 1705. declarata fuit Sæcularis.

32 Hinc etiam, deſcendendo circa principale dubium, quod circa jus conferendi has Capellanias verſatur, dicendum videbatur illud privativè competere Diœceſano ex illa generali regula ſupra inſinuata, qua ipſi tribuitur omnium Sæcularium beneficiorum, in ſua Diœceſi exiſtentium, collatio, ex *d. cap. ex frequentibus de inſtit.* juncta Gloſſ. *ibid.* & Abb. *num.* 2. *&* 9. Hæc ſanè eſt generalis regula, ſed tamen in noſtris terminis duæ apponuntur à Concordantibus limitationes, in quibus Mag. Priori, juxta juris rationem, earumdem Capellaniarum collatio conceditur. Cùm enim conditiones, à fundatoribus appo-

33 ſitæ in ipſa Eccleſiæ aut beneficij fundatione, maximam vim & auctoritatem ex Canonum præſcripto obtineant, *ad text. in cap. nobis, & cap. præterea de jure Patron.* Anchar. *conſ.* 129. Gratian. *diſcept. forenſ.* 522. *num.* 47. Tondut. *quæſt. benefic. libr.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. *& ſeqq.* Cyarlin. *controv. forenſ. cap.* 239. *num.* 7. Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 6. *n.* 10. *& diſc.* 41. *num.* 7. hinc electio, ſive collatio ad illum ſpectabat, cui in ipſa

34 fundatione collatio reſervabatur *cap. Eleutherius* 18. *q.* 2. *cap. cùm dilectus de conſuet.* Quod utique jus duravit uſque ad Sac. Concilium Tridentinum, unde rectè Concordantes *in II. Concordat. h. cap.* Magno Priori tribuunt facultatem conferendi illas Capellanias, quæ ante S. Concilium Tridentinum proponuntur fundatæ ea lege & conditione, ut collatio Priorali Dignitati competat.

35 Poſt Concilium verò adempta eſt hujuſmodi facultas fundatoribus; ſicque *in cap.* 12. *ſeſſ.* 14. cavetur, ut in fundatione Eccleſiæ aut beneficij, inſtitutio Epiſcopo, & non alteri, reſervetur: quapropter videbatur reſervationem factam Dignitati Priorali, in Capellaniis fundatis poſt Concilium, nullius eſſe momenti: Sed tamen, propoſito hoc caſu, conveniunt Concordantes

36 *in III. Concordat.* alternativè collationem eſſe præſtandam ab utraque Dignitate, ita ut in uſu alternativæ incipiat Dignitas Archiepiſcopalis, ad modum quo præſcribitur pro aſsiſtentia in functionibus Eccleſiaſticis *in cap.* 20. *verſ. & in event. h. Concord.* Ratio autem hujus alternativæ non facilè patet, unde pro-

37 babiliter dici poſſet, Concordantes in præſenti pacis ſtudio, juriſque ſtricta ratione inſuperhabita, ita conveniſſe: Aſt ego puto rationem hujus concordati derivari ex quadam S. Congregationis Concilij declaratione, cujus meminit Fagnan. *in cap. cùm Eccleſia num.* 31. *de elect.* Corrad. *in prax. benefic. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 26. in hæc verba: *Hoc decretum* (intellige *cap.* 13. *ſeſſ.* 14.) *loqui de juribus patronatus de novo erigendis, nam in illis factis ante Concilium, ſi præſentatio ex eorum inſtitutione non Epiſcopo, ſed alteri facienda erit, nihil innovatur. In exemptis Eccleſiis non poteſt reſervari inſtitutio alteri, quàm Epiſcopo; niſi*

Rector

Rector illius loci fuerit Ordinarius, ordinariaque fungatur jurisdictione. Virtute igitur hujus declarationis, credibile est, Ministros Priorales jus conferendi prætendisse in Capellaniis fundatis post Concilium, stante reservatione, pariter ac in erectis ante Concilium, cùm utroque tempore valida fuerit fundationis reservatio, ex eo quod juxta terminos dictæ declarationis Magn. Prior est Ordinarius Ecclesiarum, ordinariaque fungitur jurisdictione, virtute suorum privilegiorum, ut sæpè diximus, & dicemus *in cap.* 24. Ex adverso credi potest, Ministros Archiepiscopales instasse cum supradicta Concilij dispositione, quæ indistinctè prohibet collationes ulterius Inferioribus reservari; intellecta insuper & exposita præfata declaratione de illis Inferioribus, qui territorium separatum habent, & sic sunt veri loci Ordinarij, juxta tradita à Card. de Luca *de jurisd. disc.* 1. *num. fin.* quod utique adaptari non potest Magno Priori; cùm hic, ut sæpè vidimus, non sit Ordinarius absolutè & simpliciter, sed tantùm secundumquid in materia adaptabili. His pro utraque parte rationibus existentibus, optimum visum fuit Concordantibus, ut existimo, utramque Dignitatem in jure conferendi hujusmodi Capellanias consociare; at ne talis consociatio & communio, discordias gigneret, ut solet accidere, *leg. cùm pater* 77. *§. dulcissimis de leg.* 2. hujus juris exercitium divisserunt per alternativam, prout in similibus terminis fieri consuevit, ex Glossa *in cap. licèt in regulis* 16. *q.* 3. *in verb. convenit*, quam sequuntur Innocent. *in cap. super eo de Paroch. num.* 4. ibique Hostiens. *num.* 7. & Joan. Andr. *num.* 2. & Zabarella *num.* 7. Abbas *in cap. fin. num.* 5. *de sent. & re judic.* Tiraquell. *de primog. q.* 17. *opin.* 5. *num.* 4. Vivian. *de jure patron. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. *&* 10. Ventriglia *de jurisd. Archiep. cap.* 149. *num.* 6. *& in prax. For. part.* 2. *ad not.* 25. *num.* 29.

38

Præter hos duos casus contentos *in II. & III. Concordato*, in cæteris privativè competit Diœcesano hujusmodi Capellaniarum collatio: unde non solùm eo casu, quo in ipsis fundationibus expressè reservatur Dignitati Archiepiscopali facultas conferendi, eas privativè conferet, prout est casus *I. Concordati*: Sed etiam cùm nec unius nec alterius Dignitatis favore invenitur in fundatione scripta reservatio, ut est casus *V. Concordati.* Jus hoc conferendi Dignitati Archiepiscopali competens, fundatur in stricta juris ratione, quæ præscribit, Diœcesanum privativè debere conferre omnia beneficia Sæcularia suæ Diœcesis; cui adæquatæ rationi accedit velut adjuvans voluntas testatoris, non solùm in primo Concordato, ubi est expressa, sed etiam in quinto, ubi non declarat Dignitatem, quæ debeat conferre; nam testator, qui se non declarat, videtur se velle conformare cum juris dispositione, *leg. conficiuntur* 8. *ff. de jur. Codicill.* Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 2. *num.* 35. Farinac. *select. decis.* 508. *n.* 4. dispositio autem juris, cum qua procedi debet in hac materia, stat pro Diœcesano, *ex d. cap. ex frequentibus, & ex d. cap.* 12. *sess.* 14. *Tridentini.*

39

40

Accedimus nunc *ad IV. Concordatum*, in quo fuit conventum, quod si super præfatis Capellaniis lis, & controversia occurrat, hæc coram Diœcesano ventiletur. Hujus autem conventionis clara est ratio, nam cùm in omnibus decisionibus hujus causæ, & in tribus sententiis conformibus tribuatur Archiepiscopo, tanquam proprio Diœcesano Prioratuum, omnimoda jurisdictio ordinaria spiritualis Ecclesiastica, quoad utramque legem Diœcesanam, & Jurisdictionalem cum omnibus earum effectibus, ut videre est *in decis. super inhibitione* 10. *Ianuarij* 1689. *num.* 1. *cor. Molines*; necessariò fatendum venit, solùm in eo residere jurisdictionem ad has beneficiorum

41

ciorum lites diſcutiendas ; quin etiam in ipſis ſententiis hoc expreſsè habetur, dum declaratur in eis, generaliter ad eum ſpectare cognoſcere omnes cauſas civiles, criminales, mixtas, matrimoniales, & *beneficiales*. Nec Magnus Prior
42 de ſimilibus cauſis cognoſcere poteſt, quia ejus juriſdictio limitata eſt ad cauſas civiles, criminales, & beneficiales ſuorum ſubditorum, ut habetur etiam in omnibus deciſionibus hujus cauſæ, & ſignanter *in deciſ.* 70. *num.* 42. *verſ. & tandem ex limitata*. Quin pro eo faciat, quod hujuſmodi Capellaniæ ſint ſitæ in ſuis Eccleſiis Regularibus, quia, ut antea dixi, talis ſituatio non facit, ut Sæculares eſſe deſinant, & conſequenter ſub juriſdictione Archiepiſcopi. Quod procedit etiamſi tales Capellaniæ à Fratribus Ordinis S. Joannis aliquando poſſideantur, ut declaratum fuit *in Congreg.* 5. *Maij* 1701. *verſ. lo ſegundo*, quia per talem accidentalem poſſeſsionem, licèt mutetur uſus beneficij, non mutatur ſtatus, & ſic manet ſæculare, ut plenè Lother. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 34. *num.* 5. & 61.

43 Præfata æqualiter procedunt, ſive lis ſit ſuper Capellania, cujus collatio præſtanda eſt à Diœceſano, ſive ſuper ea, quæ conferenda eſt à Magno Priore, utroque enim caſu cauſæ cognitio ad Diœceſanum ſpectat, ut convincitur ex illis verbis *noſtri cap. In omnibus antecedentibus caſibus* : necnon ex illis: *Ipſi dent collationem, & poſſeſsionem in caſibus, in quibus declarabitur, ad illam ſpectare*. In quibus fit relatio ad caſus comprehenſos *in I. II. & III. Concordato*. Nec dici poterit, quod in illis caſibus, in quibus datur collatio Magno Priori, conſequenter data intelligatur juriſdictio ad lites ſuper eiſdem dirimendas, ut ita ſciat cuinam melius jus aſsiſtat, & ei collationem præſtet, ne aliàs jus non habenti conferat ; nam in primis hæc objectio locum non habet, ſtante clariſſima diſpoſitione Concordiæ, cum qua procedere debemus. Deinde nec procedit argumentum de collatione ad ju-
44 riſdictionem, ſiquidem de illa ad hanc non infertur, ut firmavit Rota *in Leodienſ. Iuriſdict.* 11. *Aprilis* 1683. §. *pariter non obſtat cor. Molines*. Quod autem Dignitas Prioralis ſciat cui ex oppoſitoribus melius jus aſsiſtit, cognitionem cauſæ tribuere non poteſt, nam hoc obtinebitur præſtito victori teſtimonio cum inſertione ſententiæ à Diœceſano prolatæ, ut in noſtro Capite cavetur, ut juxta eam Dignitas Prioralis jus habenti conferat. Sic ergo Sacra Congregatio Concilij cenſuit, in caſibus, in quibus
45 inſtitutio ſpectat ad Inferiores, ſi controverſia ſuſcitetur ſuper jure patronatus, coram Epiſcopo prius de illo diſquiri debere, & eo probato, præſentatus ad Inferiorem eſt remittendus, pro obtinenda inſtitutione, refert Barboſa *in collect. ad cap.* 9. *ſeſſ.* 25. *num.* 75. Scarfanton. *Lucubrat. Canon. lib.* 3. *animadverſ. ad tit.* 3. *num.* 75.

46 Nec in hac re conſtituenda eſt differentia inter Capellanias fundatas ante, vel poſt Concilium, æqualiter enim ſuborta lite, terminari debet in Tribunali Diœceſano, ut expreſsè concordarunt Judices in Congregat. 27. *Iunij* 1719. his verbis : *Que el conocimiento de los pleitos, que ſe ofrecieren en las Capellanias fundadas antes, y deſpues de el Concilio, à cuya collacion eſta llamada la Prioral de San Juan ſegun ſus fundaciones, toca al Vicario de la Dignidad Arzobiſpal, y ſu Tribunal, aunque la collacion la haya de hazer el Vicario Prioral, ſegun lo concordado* en el cap. 7. ya citado verſ. 2. & 3. *Y que para ello le baſte el teſtimonio de la ſentencia, ſegun todo eſta prevenido* en el citado verſ. 4. *y declararon no tocar en manera alguna al Vicario Prioral.*

47 Majorem difficultatem habet, an Vicario Priorali competat relaxatio edictorum, ſive citationum ad præſcriptum

cap.

cap. ult. de elect. in 6. pro illis Capellaniis, quarum collatio ad eum ſpectat? Propoſitum fuit hoc dubium *in Congreg. 27. Iunij* 1719. & in ejus reſolutione diſcordes extitere Judices deputati:

48 Archiepiſcopales ſiquidem omninò negabant, poſſe Vicarium Prioralem edicta relaxare: Priorales verò aſſerebant ea expedire poſſe, ut informaretur de oppoſitoribus, quod ſi eveniret caſus litis ſuper pertinentia Capellaniæ, tunc contendentes remitteret ad Vicarium Diœceſanum, qui de lite cognoſceret; quique etiam poſſet alia promulgare edicta, citando intereſſe putantes, ad comparendum coram eo. Stante hac diſcordia pendet hic punctus pro reſolutione coram Apoſtolico Nuncio, cujus declaratio erit ſpectanda; ſed fundamenta utriuſque partis hic proponere expedit.

49 Et quidem pro Vicario Priorali facit generalis doctrina Viviani *de jure Patron. lib. 9. cap. 1. num. 4. & 11.* quam ſequitur Scarfanton. *Lucubrat. Canon. lib. 3. animadverſ. ad tit. 3. à num. 76.* quod quotieſcumque collatio beneficij ſpectat ad Inferiorem, tunc eidem competit edicta, ſive citationes relaxare; quod præcipuè debet procedere in Capellaniis ante Tridentinum fundatis; nam ut tradit Barboſa *ad cap. 13. ſeſſ. 14. num. 5.* Edictorum, ſive citationum, ad vocandos oppoſitores, relaxatio, quæ fieri debet in præſentationibus patronorum, & edicta ponere ante inſtitutionem juriſpatronatus, ad eos ſpectat, ad quos ante Concilium ſpectabat, ut refert deciſum Garc. *de benef. part. 9. cap. 3. num. 19.*

50 Pro Vicario Diœceſano faciunt fundamenta, quæ excludendum eſſe Prioralem ab hoc jure ſuadent. Et primo: ſtricta, quæ debet fieri, interpre-

51 tatio Concordiæ, juxta tradita à Valeron *de tranſact. tit. 2. q. 3. num. 15.* D. Salgado *de Reg. 4. part. cap. 9. num. 53.* unde inſubſiſtens videtur argumentum ductum à jure conferendi *in hoc cap.* conceſſo, ad jus expediendi edicta, non expreſſum. Secundo, quia per edicta citantur intereſſe putantes, quod fieri non poſſe videtur à Vicario Priorali, quia hæc citatio dirigenda erat in ſubditos Diœceſani de Populo & Clero Sæculari, quo caſu citatio non valet, utpotè quæ exerceri non poteſt in non

52 ſubditum, Carleval *de judic. tit. 1. diſp. 2. num. 352. ex leg. ſi quis ex aliena 5. de judic.* Martha *de juriſd. part. 4. cent. 2. caſ. 102. num. 3. & 4.* Nec præfata enervat, quod hujuſmodi edicta affi-

53 guntur in valvis Eccleſiæ Regularis, ubi exiſtit Capellania, vel leguntur in ipſa Eccleſia, juxta praxim traditam à Riccio *in prax. for. deciſ. 427. numer. 2.* Corrad. *in prax. benef. lib. 4. cap. 3. num. 33.* Moſtazo *de cauſ. piis lib. 6. cap. 13. numer. 41.* & ſic in territorio Vicarij Prioralis; quia ut advertit Cardin. de Luca *in Miſcell. diſc. 13. num. 25.* lo-

54 quendo de cedulonibus excommunicationis; id eſſet tolerabile quando fieret intra propriam Eccleſiam occultè, & per viam denuntiationis cum propriis ſubditis; ſecus verò cùm fit in forma juriſdictionali per authenticos cedulones in loco publico, ita ut omnibus de Populo & Clero Sæculari innoteſcat, quoniam id permitti non debet, ratione habita ad perſonas, cum quibus ille actus fit, licèt non repugnet ex parte facientis, nec ex parte loci, in quo fit; quam mirabilem ad propoſitum doctrinam confirmat idem de Luca variis exemplis.

65 Tertio, quia procedere judicialiter, & aſſumere partes judicis in hac beneficiali materia denegatur Vicario Priorali *in hoc IV. Concordato*, ex quo privativè hoc conceditur Diœceſano; ſed citare per edictum intereſſe prætendentes, eſt judicialiter procedere, & aſſumere partes judicis. Igitur edictorum

ſive citationem relaxatio à Vicario Prioraliſi fieri non poterit, & Diœceſano privativè compettet. Aſſumptum hujus
56 argumenti patet ex doctrina Gonzal. *in reg. de menſ. & altern. gloſſ. 9. num. 35. & 37.* quam, aliis etiam adductis, ſequitur D. Salgado *de reg. part. 2. cap. 13. num. 86.* ubi ait, quod tunc cognoſcitur, in collatione, & proviſione fuiſſe proceſſum judicialiter, quando actum fecit collator ſeu providens, qui fieri non poteſt à privata perſona, ſed à judice tanquam judice, & à parte uti litigante, vel quando adeſt aliquis actus de proceſſu ſeu pertinens ad proceſſum. Nunc verò certum eſt citationem eſſe actum
57 judicialem, *cap. quoniam contra de probat.* quin & principium ſive caput judicij & proceſſus, ut *ex §. fin. inſtit. de pœn. tem. litig.* tenent omnes: Et quod citatio & ejus expeditio, ex quo habet in
58 ſe annexum præceptum, ſit ſententia interlocutoria, probatur *ex leg. cum Clericis C. de Epiſc. & Cler.* ibi: *Sententiarum tuarum auctoritate pulſantur*, juncto ibi Baldo & Gloſſa *verb. ſententiarum*, & tenet Socin. *in tract. de citat. art. 1. ad fin. verſ. 2. nota & in art. 19. poſt princ.* Vant. *de nullit. ſentent. ex defectu citation. num. 35.* Maranta *de ordin. jud. 6. p. part. 3. de ſent. num. 27.* Unde mirum non eſt, quod citatio expediri non poſ-
59 ſit niſi à judice, & cum juriſdictione, & quod ſit actus de proceſſu & pertinens ad proceſſum, Abb. *in cap. ſuper quæſtionum §. verum num. 1. de offic. deleg.* Doctores *in cap. prudentiam in cap. ex litteris de offic. deleg.* Speculator *in titul. de citat. §. jam de citat. column. 5. verſ. hoc autem nota & §. contra verſ. excipitur.* Marian. Socin. *ubi ſupra.* Unus præ omnibus D. Salgado *d. cap. 13.* ubi *à num. 83.* latè proſequitur ſuperiora aliaque fundamenta pro reſolutione illius quæſtionis; an nimirùm citatio ſit actus judicialis, adeout Judex, qui cùm poſsit procedere ſine ea, & extrajudicialiter ſuper aliquo negotio, ad quod citavit aliquem intereſſe prætendentem, cognoſcatur judicialiter procedere, & aſſumere partes judicis: quam quæſtionem affirmativè reſolvit.

60 Quarto ex eiſdem principiis deducitur alia ratio denegandi Vicario Priorali expeditionem edictorum, propter illam ipſorum conſuetam clauſulam, in qua oppoſitoribus pollicetur, ſervandam eis eſſe juſtitiam, adhibito judiciali examine; quia Vicarius Prioralis, ut vidimus, tam ex clara diſpoſitione hujus Capitis, quàm ex reſolutione Judicum Concordiæ juriſdictione in hac parte caret, & caſu, quo lis ſuſcitetur cognitionem judicialem aſſumere non poteſt, ſed oppoſitores ad Vicarium Diœceſanum remittere debet.

61 In hoc autem rationum conflictu, utramque Dignitatem in Concordiam redigi poſſe exiſtimarem, ſi dicamus, Vicarium Prioralem expedire non poſſe edicta, ut ita dicam, juriſdictionalia, cum præcepto & clauſulis, quæ uſum judicialis poteſtatis denotent, propter proximè allata fundamenta; ſed denegandum ei non erit, ut expediat edicta monitoria & certioratoria ad præciſum effectum collationis ab eo faciendæ, non ſecus ac Patroni ea expedire ſolent; quo caſu nihil prejudicatur juriſdictioni Diœceſani, nec ulla in ſuos ſubditos exercetur juriſdictio, cùm tunc per hujuſmodi edictum nō tam inducatur citatio, quàm ſimplex monitio, quæ nullam ſuperioritatem monentis arguit, ut, docens hanc
62 differentiam, conſiderat Gloſſa *in cap. cùm cauſa in verb. ab illis de offic. deleg.* & ſequitur D. Salgado *de Reg. part. 1. cap. 2. num. 132. & ſeq.* ubi in fortioribus terminis, Judicis nempè Sæcularis citantis Clericum non ſimpliciter, & cum præcepto, ſed per viam monitionis, ut compareat, ſi ſua putaverit intereſſe, hanc doctrinam & praxim confirmat.

His

63 His conſequens eſt aliud dubium, de quo non agitur *in noſtro cap.* Cuinam videlicet ex Vicariis competat tradere poſſeſsionem Capellaniarum? In quo quidem dubio dicendum eſt, ad illum ſpectare tradere poſſeſsionem, ad quem ſpectat conferre. Sic igitur in caſibus in quibus Vicarius Prioralis jus conferendi habet, ipſe in poſſeſsionem immittet, ut generaliter loquendo de quolibet Prælato Inferiori collatore tenet Scarfanton *animadv. ad d. tit. 3. num. 70. & 77.* & eſt expreſſa reſolutio S. Congregationis *in una Lucenſi*, quam refert Pignatell. *tom. 9. conſ. 77. num. 24.* his verbis: *Immiſsio in poſſeſsionem alicujus beneficij debet fieri ab inferiori Ordinario, ad quem ſpectat collatio, & non ab Epiſcopo.* Sic etiam extra dubium eſt Diœceſano competere jus immittendi in poſſeſsionem Capellianarum, quas ipſe confert.

64 Cùm verò poſſeſsio præſtanda ſit in Eccleſiis Regularibus, ubi fundatæ ſunt Capellaniæ, & hoc ipſo intervenire debeat Parochus Prior, vel alius ſubditus Vicarij Prioralis, intrat aliud dubium, an nimirùm cùm collatio præſtatur à Diœceſano, ſufficiant proviſo ejuſdem litteræ, ſive mandatum, pro adipiſcenda poſſeſsione; vel inſuper neceſſarium ſit, ut interveniat *exequatur* Vicarij Prioralis? Propoſitum fuit hoc dubium *in Congregat. 26. Maij* 1700. In qua Judices Priorales, non ſufficere mandatum Diœceſani abſque *exequatur* Prioralis exiſtimabant, quia in hoc capite nihil circa poſſeſsionem exprimebatur. Contra verò Judices Archiepiſcopales, mandatum Diœceſani ſufficere contendebant; nam eo ipſo, quod ei competit collatio, juridice conſequitur, ut ipſi competat in poſſeſsionem immittere effectivè, ne aliàs in poteſtate alterius ſit collationē reddere elluſoriam, & ſine effectu. Quod verò interveniat *exequatur* Prioralis, juri non congruit, nam cùm Diœceſanus mandans tradi poſſeſsionem, procedat uti Delegatus, ſi tunc requireretur conſenſus Prioralis, eſſet facere inferiorem juriſdictionem delegatam juriſdictioni Ordinariæ limitatæ Prioralis, quod valdè repugnat, ut ſæpè vidimus, & dicemus *in cap. 13.* Stante igitur hoc diſsidio inter Judices, Apoſtol. Nuncius tanquā tertius adhibitus *ſub die 15. Iunij* 1700. confirmavit omninò votum Judicum Archiepiſcopalium. Ex qua reſolutione duæ aliæ profluxere in *Congreg. 21. Februarij* 1716. Prima *in verſ. lo ſegundo*, in quo præſcribitur, quod ut publicentur in Eccleſia Regulari edicta Diœceſani nō requiratur conſenſus Prioralis. Secunda *in verſ. lo tercero*, renovando Nuncij reſolutionem circa poſſeſsionis traditionē. Et propter hanc etiam reſolutionem diſceſſerunt Dignitates à recurſu intentato in Regio Senatu ſuper ſimili articulo: adhibita generali regula in *Congreg. 7. Martij* 1716. *verſ. tambien.*

67 His expliciris, in quibus reſidebat difficultas, & dubium initio *noſt. cap.* propoſitum, non eſt cur immoremur in explicatione *VI. & VII. Concor.* in quibus agitur de legatis piis, ſeu Patronatibus, memoriis, & Capellaniis laicalibus cum certo Miſſarum onere: cùm enim in his auctoritas Ordinarij nō interveniat, & ob hoc beneficia Eccleſiaſtica non ſint, manentibus bonis in ſua temporalitate, ex iisque tradit Corrad. *d. lib. 1. cap. 2. à num. 70.* Card. de Luca *de benef. diſc. 61. n. 5. & diſc. 18. n. 17.* Molines *tom. 2. deciſ. 422. n. 12.* noſtrā inſpectionē pārùm onerant: ſi aliqua enim quæſtio poſſet ſuſcitari, eſſet inter Judicē Eccleſiaſticū & Sęcularē, de quo alienū eſt in præſenti ſermonem facere. Solùm ergo oriri poterat controverſia inter Vicariū Diœceſanū & Prioralē circa tradendā poſſeſsionē, & cognoſcendū de litibus Capellianarum, quæ licèt collativæ non ſint, tamen in eis vocantur Presbyteri, ſeu Clerici minorum Ordinum Sæculares; at hæc controverſia, ſive cōpetentia terminanda erit cum regulis & doctrinis, ſupra adhibitis.

CAP. VIII.

Super erectione Capellaniarum, & fundatione Confraternitatum.

PRIMO quando fundabuntur novæ Capellaniæ cum conditione, quod ſint collativæ, concordatur, quod erectio ſuorum bonorum in ſpiritualia fieri debeat à Dignitate Archiepiſcopali, illarum ſcilicet omnium, quæ fundabuntur in Eccleſiis Religionis favore Clericorum Sæcularium, quamvis earum collatio reſervetur à fundatore Dignitati Priorali, prout relatum eſt in antecedenti Capitulo; in eventum autem, in quem Capellaniæ collativæ fundentur cum vocatione perpetua ad favorem Religioſorum Ordinis S. Joannis, ſpectare debet erectio bonorum ſpiritualium ad Dignitatem Prioralem, abſque eo, quod ad hunc effectum alteretur aliquid concernens Juſpatronatus. ¶ Secundo concordatur, quod quotieſcumque occurrat nova fundatio Confraternitatum perſonarum Sæcularium in Eccleſiis, Hoſpitalibus, ſeu Eremitoriis Religionis præcedere debeat licentia Dignitatis Archiepiſcopalis, atque approbatio Conſtitutionum, ſeu Statutorum, quæ fient, & pro executione utraque præſentari debet coram Vicario Religionis, ad hoc, ut eaſdem recognoſcat, ſuumque præſtet conſenſum, & abſque eo, quod iſtæ præcedant circunſtantiæ, fundari minimè poſſint novæ Confraternitates.

SUMMA CAPITIS.

1 *Materia hujus Capitis affinis eſt illæ, de qua* in cap. 3.

CONCORDAT. I.

2 *Capellaniæ privata auctoritate fundatæ, non ſunt beneficia, nec collativæ.*

3 *Conſiderantur ut legata pia ſub diſpoſitione fundatoris, ſuorumque hæredum.*

4 *Epiſcopus minorũ beneficiorũ eſt cauſa efficiẽs.*

5 *Beneficium Eccleſiaſticum & collativum verificari nequit abſque Epiſcopi auctoritate.*

6 *Nullus privatus abſque auctoritate Epiſcopi poteſt locum Sacrum, aut rem ſpiritualem facere.*

7 *Bona Capellaniarum, quia Deo dicantur, fiunt ſacra, & ſpiritualia abſque ulla mixtura temporalium.*

8 *Erectio beneficij, utpotè creatio juris ſpiritualis, nequit fieri niſi ab habente jus Pontificale.*

9 *Capellanias erigere non poteſt quilibet Epiſcopus, ſed Diœceſanus tantùm.*

10 *Eccleſiæ erectio & dedicatio ad Diœceſanum ſpectat.*

11 *An Prælati Inferiores poſſint erigere in ſpiritualia bona Capellaniis deſtinata?*

12 *Reſpondetur ſub diſtinctione.*

Prælati

13 *Prælati* nullius, *& habentes usum Pontificalium insignium, possunt huj usmodi erectiones facere.*

14 *Prælai Inferiores* intra Diœcesim *non possunt erigere bona in spiritualia.*

15 *Actus dedicationis & erectionis bonorum non absolutè, secundumquid tamen pertinet ad Ordinem Episcopalem.*

16 *Prælati* nullius, *Pontificalibus insigniis carentes, hac etiam facultate carent.*

17 *Prælati* intra Diœcesim *maximè distant ab Episcopis.*

18 *Facultas dedicandi & erigendi bona Capellaniarum competere potest Prælatis* intra Diœcesim *ex privilegio.*

19 *Illustratur ex dictis & firmatur resolutio* hujus cap. in 1. Concordat.

20 *Resolutio hujus Capitis favore Diœcesani procedit etiam in Capellaniis fundatis in Ecclesiis Regularibus, quarum collatio ex fundatione spectat ad Prælatum Regularem.*

21 *Explicatur præsens caput* in vers. in eventum.

CONCORDAT. II.

22 *Erectio Confraternitatum & beneficiorum eisdem regulis judicatur.*

23 *AA. qui de initio & origine Confraternitatum scripsere remissive.*

24 *Distinctio Sodalitatum petita à fine.*

25 *Distinctio alia Sodalitatum petita ab habitu, seu vestitu.*

26 *Confraternitates sanctæ ac meritoriæ sunt.*

27 *Non tamen permittuntur à quocumque propria auctoritate fundari, sed necessaria est licentia & approbatio Diœcesani.*

28 *Ratio prohibitionis exponitur.*

29 *Experientia docet multa sæpè mala tegi & obrepere sub specie religionis.*

30 *Multæ hæreses exortæ sunt ex conventiculis initis prætextu religionis.*

31 *Refellitur remissivè eorum opinio, qui Confraternitatum usum omnino improbant.*

32 *Confraternitates erectæ absque Ordinarij licentia Collegia illicita censentur.*

33 *Ordinarius quoad effectum præstandæ licentiæ intelligitur Ordinarius loci.*

34 *Quisnam in præsenti intelligatur Ordinarius loci?*

35 *Ordinarius loci in præsenti censetur Episcopus Diœcesanus, & Prælatus Inferior* nullius *cum territorio separato; non verò Prælatus Inferior intra* Diœcesim.

36 *In Oppidis Prioratuum Archiepiscopo & non Magno Priori competit licentiam præstare ad erigendas Confraternitates, earumque statuta approbare.*

37 *Confirmare & erigere Confraternitates arguit Superioritatem in Confratres.*

38 *Statuta Confraternitatis cum approbatione Diœcesani exhiberi debent Vicario Priorali, ut ipse præstet consensum.*

39 *Vicarius Priorialis in præstando suo consensu uti nequit verbis* approbo, confirmo, *& similibus.*

40 *Vicarius Prioralis impedire nequit Confratres, ut in sua Ecclesia exercitia Confraternitatis peragant.*

41 *Si consensus non præstatur, justa interveniente causa, habetur pro præstito.*

42 *Iusus facere aliquid cum alterius consilio, illud petere tenetur, sed non sequi.*

COMMENTARIUM.

1 MAgnam sanè affinitatem habet materia hujus Capitis cum illa, de qua *supra in cap.* 3. unde plurima, quæ ibidem manent stabilita, hic repetenda erunt; agitur illic de fundatione Ecclesiarum; hic verò de erectione Capellaniarum, & fundatione Confraternitatum duobus propositis concordatis; & in singulis eò respiciunt Concordantes, ut statuant, cuinam competat hujusmodi erectiones facere, & fundationes auctorizare.

CONCORDAT. I.

2 ILlud extra controversiam est, quod quilibet privatus propria auctoritate potest de suis bonis temporalibus Capellanias instituere in aliqua Capella seu

Altari cum certo Miſſarum onere; hujuſmodi tamen Capellaniæ, nec beneficia erunt, nec collativæ dici poterunt, tantùm ergo erunt Capellaniæ laicales & prophanæ, quæ laicis conferri poterunt, ut docent Garc. *de benef. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 95. Tondut. *quæſt. benef. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. §. 3. Lother. *de re benef. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 59. Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Murga *in quæſt. Paſtoral. part.* 1. *q.* 2. *diviſ.* 1. *num.* 29.

3 conſideranturque ut legata pia, quæ remanent ſub diſpoſitione fundatoris, ſuorumque hæredum, ut latè tradit Corrad. *in prax. benef. lib.* 1. *cap.* 2 *per tot. ſignanter num.* 38.

4 Ut autem Capellania ſit beneficium Eccleſiaſticum, Epiſcopi auctoritas requiritur: eſt enim Epiſcopus minorum beneficiorum cauſa efficiens, *cap. Epiſcopi* 80. *diſt.* unde illius auctori-

5 tate deficiente, impoſsibile eſt, beneficium Eccleſiaſticum conſtituere, *Gloſſ.* 1. *in Clement.* 2. *ad fin.* Lother. cum antiquis *d. q.* 5. *num.* 40. Gonzal. *in regul.* 8. *gloſſ.* 5. *num.* 7. Atque huc etiam ſpectat quod *in d. cap.* 3. *num.* 1. tradidimus;

6 quod nimirùm nullus privatus ſine auctoritate Epiſcopi poteſt locum ſacrum, aut rem ſpiritualem conſtituere, *cap. ad hæc de relig. domib.* Murga *tom.* 1. *diſquiſ. canon. tract.* 1. *diſquiſ.* 2. *num.* 13. Pax Jordan. *de re benefic. lib.* 9. *tit.* 1. *n.* 370. Cùm autem beneficium ſit jus ſpirituale,

7 ex eo quod ejus bona aliàs prophana, & temporalia, mediante dedicatione, quæ Deo fit, efficiuntur Sacra, §. *Sacræres inſtit. de rer. diviſ.* & conſequenter ſpiritualia, Navarr. *in manual. cap.* 23. *ſub num.* 108. *verſ. ſeptimo quod ex his.* abſque ulla mixtura temporalium, *text. in cap. dilecto filio verſ. præterea de Præbend.*

8 Conſequitur, ut ratiocinatur Lother. *d. quæſt.* 5. *num.* 45. erectionem beneficij, utpotè creationem juris ſpiritualis, fieri à privato non poſſe; ideoque tantùm ſpectare ad habentem Jus Pontificale, quod efformatur ex ordine & juriſdictione, *cap. is cui* 32. ubi Geminian. *n.* 5. *de elect. in* 6.

9 Hincque etiam emanat, non cujuſque Epiſcopi auctoritatem ſufficere ad præfatam erectionem, ſed illius præcisè requiri, in cujus Diœceſi beneficium eſt creandum; quia in alieno Epiſcopo, licèt ordo non deficiat, deficit tamen ei in illo loco juriſdictio. Atque hoc ipſum confirmat, quod ſervatur in

10 erectione & dedicatione Eccleſiæ, quæ nonniſi ab Epiſcopo Diœceſano exerceri permittitur, *text. in cap. nemo* 9. *de conſecrat. diſt.* 1. ibi: *Antequam Epiſcopus Civitatis veniat. Authent. ut null. fabricet. Orator. dom.* & alia jura, quæ congeſsimus *in d. cap.* 3.

11 Circa Prælatos Inferiores dubitari poteſt, an hæc dedicatio bonorum Deo facienda, ſive, ut communiter dicitur, erectio bonorum in ſpiritualia, ad conſtituendum beneficium Eccleſiaſticum, per eos expediri poſsit? Ad cujus dubij reſolutionem, cum diſtinctione erit procedendum; nam vel

12 loquimur de Prælatis Inferioribus, habentibus quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in territorio ſeparato verè *nullius*; vel loquimur de illis, qui ſunt *intra Diœceſim* cum juriſdictione limitata, & circunſcripta ad certa loca, determinataſque perſonas. Prælati autem primæ

13 claſsis, ſi inſigniis Pontificalibus ſint inſigniti, poſſunt citra dubium talem erectionem facere; quia juriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem, qua exercere poſſunt omnes actus, competentes Epiſcopis, illis exceptis, qui ad ordinem Epiſcopalem propriè & immediatè pertinent: cùm verò hæc, de qua agimus, erectio, non propriè & immediatè ad poteſtatem ordinis ſpectet, nihil impedit, ut hujuſmodi Prælati illam peragant, ut plenè Lother. *ubi ſupra numer.* 52.

Prælatos

14 Prælatos verò ſecundæ claſsis, de quibus principaliter tractamus, bona prophana in ſpiritualia erigere non poſſe, certiùs eſt; licèt enim actus dedicationis & erectionis bonorum non pertineat ad ordinem Epiſcopalem pro-
15 priè, & abſolutè, ut conſecratio, quæ fit per delinitionem chriſmatis, ut *in cap. un. de ſacr. unct.* tamen ſecundum quid, & quatenus habet implicitam benedictionem ab ordine pendet, & ad ipſum pertinet, ita ut connumeretur inter privilegia Epiſcopalia, juxta Franch. *in cap. Abbates num. 3. de privil.* Ideoque illis tantùm Prælatis competit, quorum poteſtas ſymbolizat cum juriſdictione Epiſcopi, ut ſunt Prælati primæ claſsis; quibus facultas hæc tributa cenſetur in ipſa conceſsione inſignium
16 Pontificalium; & ob hanc ipſam rationem nec competet Prælatis etiam *nullius*, ſi uſu Pontificalium inſignium careant; & fortiori ratione Prælatis ſecundæ claſsis, quorum poteſtas, & juriſdictio
17 maximè diſtat ab Epiſcopali, cum ex ſuis privilegiis reſtricta ſit ad certa loca, & perſonas; & aliundè poſt S. Concilium Tridentinum horum Prælatorum poteſtas ferè ad nihilum eſt redacta, ut obſervat Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 1. *num.* 9. Hoc tamen limitandum erit,
18 quoties hujuſmodi Prælati Inferiores ſpeciale habuerint privilegium, ad hujuſmodi erectiones faciendas, ut advertit Lother. *d. quæſt.* 5. *num.* 48. omninò videndus.

19 His pro theorica prælibatis, juri valdè conſona apparet diſpoſitio in *noſtro cap.* concordata, ut Archiepiſcopo, uti Diœceſano Prioratuum, competat facultas erigendi in ſpiritualia bona Capellaniarum, quas fundatores voluere, ut eſſent Beneficia Eccleſiaſtica, & ut talia in titulum conferrentur; non verò Magno Priori, qui limitatam juriſdictionem habet ad Eccleſias, & perſonas ſui Ordinis. Accedit, quod nec Mag. Prior, nec ejus Vicarius gaudent indulto inſignium Pontificalium, quibus deficientibus, jus erigendi & dedicandi bona, ad conſtitutionem beneficij requiſitum, non competit, etiamſi aliàs juriſdictionem quaſi Epiſcopalem haberent, ut docet Lother. *d. q.* 5. *num.* 53. Nec aliundè privilegium ſpeciale, pro hujuſmodi erectionibus faciendis, allegare poterunt.

20 Procedunt prædicta in Capellaniis fundatis in Eccleſiis Regularibus, etiamſi in earum fundatione reſervetur collatio Dignitati Priorali; quia cùm proponantur fundatæ pro Clericis Sæcularibus, & hoc ipſo Sęculares dici debeant, ex dictis *in cap. anteced.* nihil relevat, quoad effectum, de quo quærimus, quod in Eccleſiis Regularibus ſituentur, nec quod à Prælato Regulari conferantur, quia his non obſtantibus, ſub Diœceſani juriſdictione exiſtunt, ut *cit. cap.* diximus, juncto Lother. *lib.* 1. *q.* 34. *num.* 8.

21 Clariſsima eſt hæc pars noſtri Capitis; at non ita illa, quæ ſequitur in *verſ. in eventum*, ubi conceditur Vicario Priorali, quod poſsit erigere in ſpiritualia bona Capellaniarum, in quarum fundatione nominantur Capellani Fratres Ordinis S. Joannis; nam ſi vera ſunt, quæ diximus, à juris ſtricta ratione deviaſſe Concordantes videri poſſunt, cùm Vicarius Prioralis careat territorio ſeparato, & uſu inſignium Pontificalium, quæ ſimul requiri diximus, ut competat facultas erigendi, ſive dedicandi. Atque ideo dicere poſſumus Concordantes in hoc ſtudio pacis, & ſubtili juris ratione inſuperhabita conveniſſe; attenta etiam ordinaria juriſdictione, quæ Vicario Priorali competit in cauſis beneficialibus ſuorum ſubditorum, qualis eſt, cùm in fundationibus, ut in præſenti, Hieroſolymitani vocantur.

(§)(✠)(§)

CON-

CONCORDAT. II.

22 VEnimus ad II. Concordat. in quo de fundatione Confraternitatum in eiſdem Eccleſiis Hieroſolymitanorum tractatur. Et ſanè cùm erectio & fundatio Confraternitatum æquiparetur erectioni beneficiorum, & fundationi Eccleſiarum, quoad effectum, de quo quærimus, ex traditis per Franc. *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 25. *à num.* 175. hinc ex dictis in hoc cap. *& ſupra in cap.* 3. ſatis res omnis patebat; verumtamen aliqua inparticulari circa Confraternitates dicendum duxi. Et quidem ommiſsis, quæ
23 de earum origine & introductione latè tradunt Polidor. *de inventor. lib.* 7. *cap.* 6. Petr. Crinit. *de honeſt. diſcipl. lib.* 7. *cap.* 50. Capon. *diſcept.* 276. *num.* 4. Riccioll. *lib.* 4. *variar. cap.* 1. *num.* 3. Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 103. Barboſa *de jur. Eccleſ. libr.* 2. *cap.* 11. *à num.* 66. Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 1. Urrutigoiti *de Eccleſ. Cathedr. d. cap.* 25. *à n.* 1. Præmittendum eſt, Confraternitates, quæ & *Sodalitates* dicuntur, in duplici ſpecie ex duplici diſtincto fine poſſe conſiderari. Quædam enim ſunt, quæ
24 propter finem temporalem & prophanum conſtituuntur, ut puta negotiationis cauſa, quales ſunt Mercatorum, & Artificum, quæ regulariter ſunt prohibitæ, *leg.* 3. *C. de Summ. Trinit. leg. conventicula C. de Epiſc. & Cler.* Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 450. vel quia ſine Principis licentia ſint inſtitutæ, vel quia commeſſationes, ebrietates, & monopolia in eis peragantur, Barboſa *d. cap.* 11. *à num.* 68. Moſtazo *d. cap.* 12. *n.* 2. Et de his in præſenti ſermo noſter non eſt. Sunt aliæ, ad noſtrum propoſitum pertinentes, quæ propter pium, & religioſum finem fundantur, veluti ad oppreſſos juvandos, puellas maritandas, & denique ad alia pia, devota, & religioſa exercitia peragenda.

25 Ex his autem Confraternitatibus, quædam ſunt, in quibus Confratres figuram Religioſorum faciunt, certò ſuperinducto habitu, ſeu ſacco, quales deſcribit Surius *tom.* 4. *de vit. Sanctor.* relatus à Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 103. *num.* 1. per hæc verba: *Multi devoti Sæculares habitum, & regulam per omnia Religionum, ſive Ordinum Monachorum, aſſumere ſæpè non valentes; & tamen ſocietatem, ſive participationem, & communionem orationis & meriti Ordinis alicujus habere ſummoperè expetentes, tunc Sodalitates, ſive Confraternitates inſtituunt, in quibus ſub certis, non tamen rigidis obſervationibus, ac ſi in ipſo Ordine eſſent, in miſericordiæ, aliarumque virtutum, ut ſibi quidem perſuaſum habent proficientes, Chriſto, & membris ejus pia exhibent obſequia.* In harum Confraternitatum numero cenſeri debent Confratres Carmelitarum, necnon Ordinis S. Joannis, de quibus late Eſcaño *in propugnac. diſcept.* 13. *cap.* 2. P. Mendo *de ordin. Milit. diſq.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 14. & alij plurimi. Aliæ verò ſunt Confraternitates, quæ ſine certo habitu, nec ſub adeo rigida obſervantia ex devotis perſonis coaleſcunt, aliquo tamen pio, & devoto fine, quem ſervent, propoſito, in honorem & obſequium Dei, B. Mariæ, vel alicujus Sancti, cujus ſervitio ultro ſe offerunt, & protectioni ſupponunt, quæ frequentiſsimæ ſunt.

26 Præfatæ autem Confraternitates, quamvis licitæ ſint, & Sanctæ ac meritoriæ conſiderentur, *leg.* 1. *§. ſi Religionis de Colleg. illicit.* ubi Barthol. Azeved. *in leg.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopil. à num.* 14. Moſtazo *d. cap.* 12. *num.* 4. Barboſa *d. cap.* 11. *num.* 73. non tamen exinde à
27 quibuſcumque & quomodocumque fundari aut inſtitui poterunt; neceſſe igitur eſt, ut præcedat licentia Ordinarij, cum approbatione Statutorum, prævio examine facienda, ut ordinavit Clemens VIII. *in Conſtit.* quæ incipit

Quæ-

Quæcumque §. quibus noſ. ſub dat. 6. Decembris 1616. & eſt in ordine Bullar. *la* 115. quam refert Piaſec. *in prax. Epiſcop. part.* 2. *cap.* 3. *ſub num.* 33. eamque confirmavit Paulus V. *in Conſt.* quæ incipit *Salubriter*, quæ eſt *in ordine apud Cherubin. la* 63. Et diſponit etiam Sacra Rit. Congregatio in *una Elborenſ.* 7. *Octobris* 1617. Et denique hæc eadem diſpoſitio confirmata eſt in jure noſtro Regio *in leg.* 3. *tit.* 4. *libr.* 8. *compilat.*

28 Ratio autem hujus prohibitionis plurimùm coincidit cum illa, quam *ſupra in cap.* 3. *Concordat.* 1. adduximus, ad fundandam prohibitionem erigendi Eccleſias abſque prævia Ordinarij licentia & approbatione. Licèt enim hujuſmodi Confraternitatum inſtitutio licita ex ſe ſit, & meritoria, utpotè in obſequium Dei directa, & pium reſpiciens finem; tamen quia ſub ſpecie Religionis & pie-

29 tatis multa mala tegi & obrrepere poſſunt, quod & experientia pluries docuit, & docet, dum aliquando hominum vitio, epulandi magis, quàm divini cultus gratia, in his Congregationibus Confratres conveniunt, ut conſideravit Budæus *in prioribus annotat. ad Pandectas ſub tit. de offic. quæſt. pag.* 4. Quodque magis eſt timendum; ex conventiculis,

30 quæ prætextu Religionis conſtituuntur, quotidie oriuntur hæreſes, *cap. cùm ex injuncto de hæret.* Hinc licèt non admittatur ſententia illorum, qui Confrater-

31 nitatum uſum omninò negarunt, de quo videri poterunt Rebuff. *tom.* 2. *ad leg. Galliæ tit. de Confratriis in princ. à n.* 10. Petr. Gregor. *de Republ. lib.* 13. *cap.* 3. *in princ.* quos refert Barboſa *d. cap.* 11. *num.* 68. adhuc tamen magna cautione opus eſt, & ratione periculi ſunt prohibendæ, niſi priùs licentia & approbatio Ordinarij interveniat. Ita ut aliter inſtitutæ, Collegia illicita & reprobata

32 ſint, per *text. in leg.* 1. *ff. de Colleg. leg.* 1. *ff. quod cuj. univ.* Petr. Gregor. *lib.* 15. *Syntagm. cap.* 32. *& de Republ. cap.* 4. *num.* 3. Gutierr. *Canon. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 1. Capic. *deciſ.* 169. *num.* 9. Capon. *diſcept.* 276. *num.* 53. Fagnan. *in cap.* 1. *num.* 44. *de elect.* Clericat. *de juriſ. diſcord.* 32. *num.* 2.

33 Ordinarius verò, à quo præfata licentia & approbatio præſtari opportet, debet eſſe, juxta præſcriptum citatæ Conſtitutionis Clementis VIII. & reſolutionem Sacræ Congregationis *in d. Elborenſi* Ordinarius loci. Sed hic, ut frequenter in aliis ſimilibus articulis,

34 dubitari poterat; quiſnam veniat appellatione Ordinarij loci; ut ſciatur, an ille, qui juriſdictionem habet in Eccleſia, in qua Confraternitatis fundatio eſt facienda, licèt non habeat in territorio, (qualis eſt Vicarius Prioralis) comprehendatur appellatione Ordinarij loci, ad effectum, ut ipſe ſtatuta examinet, & approbet, atque pro fundatione licentiam præſtet? Aſt hoc dubium facilè diluitur, cùm ſit frequens & receptiſſi-

35 ma doctrina, in his & ſimilibus Conſtitutionibus per Ordinarium loci non intelligi Prælatos illos, qui juriſdictionem limitatàm habent in certo loco ſine territorio, ut probavi *in d. cap.* 3. *num.* 29. Sed tantùm intelligi illos, qui juriſdictionem habent in territorio, ut ſunt Epiſcopi, & Prælati Inferiores, qui vocantur *nullius*, qui in ſuo ſeparato territorio juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, quod confirmat expreſsè Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 1. *num. fin.* Atque ut omne dubium removeatur in citata Sacræ Congregationis declaratione ſtatuitur expreſsè, quod licentia & approbatio præſtari debet ab Epiſcopo privativè quoad alios; quo manifeſtè excluduntur Prælati Inferiores, juriſdictionem habentes in Eccleſia, ubi fundanda eſt Confraternitas. Quod in terminis confirmat Urſaya *tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 5. *n.* 64. *&* 65. ibi: *Et proinde videtur omni fundamento deſ-*

deſtituta prætenſio, ut circa ea, quæ Epiſcopis à Iure & S. Concilio Tridentino ſpecialiter demandata ſunt ſe intromittat etiam cumulativè Abbas Comendatarius non habens in dicta terra, ubi dicta loca & Hoſpitalia exiſtunt juriſdictionem quaſi Epiſcopalem neque territorium ſeparatum cum qualitate nullius; faciunt etiam Flor. de Mena *Var. lib. 2. q. 24. num. 22.* Pegas *ad Ordin. libr. 1. tit. 62. §. 39. num. 23.* Franc. *de Eccleſ. d. cap. 25. n. 124.*

36 Quibus ſic conſtitutis, jam apparet juxta juris rationem *in noſtro cap.* conveniſſe Concordantes, quod Confraternitates fundari nequeant in Eccleſiis Hieroſolymitanorum, quin priùs Archiepiſcopus licentiam impertiatur, & earum ſtatuta examinet, atque approbet, pœnaſque pro eorum obſervatione ſtatuat; quia cùm ſit territorij Prioratus unicus univerſalis Ordinarius, ad eum privativè ſpectare debet auctorizare fundationes non ſolùm Eccleſiarum, Oratoriorum, Hoſpitalium, & beneficiorum, prout vidimus ſupra *in cap. 3. & in præſenti*; ſed etiam Confraternitatum, quarum par eſt ratio; non verò ad Magnum Priorem, cujus juriſdictio limitata eſt, & ſine territorio, ita ut Ordinarius propriè dici non poſsit, ſed tantùm impropriè, & ſecundumquid in materia adaptabili: quæ ſanè materia illi adaptabilis non eſt, nam erigere &
37 confirmare Confraternitates vi ipſa includit ac dicit juriſdictionem & ſuperioritatem in perſonas eorum, qui de erectione agunt, *ex text. in cap. & frequentibus de inſtit.* Bald. *in leg. fin. C. de legib.* Abb. *in cap. 1. not. 2. de locat.* Cabed. *part. 2. deciſ. 1. num. 4. & 5.* Martha *de juriſd. part. 1. cap. 18. num. 10.* Gutierr. *de juram. cap. 38. num. 2.* Paſſerin. *de elect. cap. 33. num. 68.* quæ ſanè juriſdictio deficit in Magno Priore, cùm perſonæ Populi, & Cleri Sæcularis ſubſint omninò Archiepiſcopo illorum Opidorum Diœceſano.

38 Quia verò Magnus Prior in his Eccleſiis eſt Ordinarius Prælatus ac Rector, ideo æquum viſum fuit Concordantibus, ut licentia, & approbatio ſtatutorum ſive conſtitutionum, facta à Dignitate Archiepiſcopali, coram Vicario Priorali exhiberetur, *ut eaſdem recognoſcat, ſuumque præſtet conſenſum.* Quæ quidem exhibitio importat quamdam urbanam intimationem, ut ſciat in ſua Eccleſia illam Confraternitatem fundari, ſimulque patientiam præſtet, ut Confratres ibi congregentur, ſuaque peragant exercitia. Unde in præſtatione ſui conſenſus uti non poterit Vicarius
39 Prioralis vocibus *confirmationis, approbationis*, aliiſve ſimilibus. De quo habemus expreſſam Judicum Concordiæ declarationem *in Congregat. 17. Octobris 1699. verſ. 1.* ibi: *Se concordò, que el Vicario de la Religion en la aprobacion de las Ordenanzas de la Cofradia de Nueſtra Señora del Carmen ſita en la Parroquial Regular de Santa Quiteria de Alcazar; excediò en la forma, y modo de la aprobacion, y que ſolo puede, y deve en eſta, y las demas, que ſe fundaren en las Igleſias Regulares, reconocer ſus Ordenanzas, y preſtàr ſu conſentimiento en conformidad del* cap. 8. de la Concordia, *ſin poner las palabras de* confirmacion, *y* aprobacion, *ni comminacion de penas en ſu contravencion, y en eſta conformidad deve reformar la aprobacion referida de dicha Cofradia, aunque en qualquier conſentimiento, que diere, pueda hazer las proteſtas, y reſervas, que le conviniere; y en caſo de que no quiera admitir, que haiga tal Cofradia en aquella Igleſia podra eſcuſarlo; pues eſte es el derecho, que ſe le dexò à la Religion, y no otra coſa.* Ex qua reſolutione deducitur Vicarium Prioralem teneri pa-
40 tientiam præſtare, ut in ſuis Eccleſiis Confratres ſua exercitia peragant, eodem modo quo patientiam præſtare tenetur, ut Sacerdotes Sæculares Miſſas celebrent pro adimplemento Capellaniarum

niarum Sæcularium, quæ fundatæ ſunt in Eccleſiis Regularibus, de quo Card. de Luca *de Legatis diſc. 25. à num. 5. ſignanter num.* 10. Cùm ergo juſta cauſa adſit ut Diœceſanus Confraternitatem
41 erigat, Vicarius Prioralis ſuum conſenſum præſtare tenebitur; nam ſi conſenſus non præſtatur abſque rationabili cauſa, habetur pro præſtito, & contradictio habetur pro conſenſu, ut notat Archidiac. *in cap. 1. de conſtit. in 6.* Gloſſa *verb. contradicant in cap. ſanè 65. diſt. leg. ſi cum dotem §. eo autem tempore verſ. ſed ſi taliter ſolut. matrim. cap. 1. de his quæ fiunt à maj. part. capit. leg. filius familias §. Divus ff. de leg. 1. cap. paſtoralis de jur. patron.* Roman. *conſ. 366. num. 3.* Abbas *in cap. quoniam num. 8. in fin. de vit. & honeſt. Cleric.* Ita ut *conſenſus* in præſenti accipiatur pro conſi-
42 lio, & juſſus aliquid facere cum conſilio alterius, tenetur illud petere, ſed non tenetur ſequi *leg. cum pater §. mando ff. de leg. 2. leg. 23. tit. 2. part. 5.* latè Menoch. *conſ. 69. num. 17. & ſeq. vol. 1.* Gratian. *reg. 10. num. 1.* quibus manent ellucidata ultima verba præfatæ Congregationis Concordiæ.

CAP. IX.

Super viſitatione Capellaniarum Anniverſariorum, Confraternitatum, piorum operum, & cognitione litium ad illa pertinentium.

PROPOSITO dubio & ſuper illo habita conferentia, videlicèt ad quem attineat viſitatio Capellaniarum, jurium Patronatus, Memoriarum, Anniverſariorum, & quorumcumque aliorum piorum operum ſitorum pro eorumdem ſatisfactione & adimplemento in Eccleſiis Religionis S. Joannis, illiuſque Eremitoriis, concordatum fuit, ¶ ſpectare ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis privativè jure Ordinario totum id quod concernit conſervationem bonorum, ac litium agitandarum cognitionem ſuper illorum exactione, necnon deſumere computa, & jure delegato, id quod concernit adimplementum, & ſatisfactionem Miſſarum intus eaſdem Eccleſias Religionis; ad Vicarium Dignitatis Prioralis ſpectare viſitationem jure Ordinario adimplementi Miſſarum intra Eccleſias & computa illarum & non aliud. ¶ Secundo concordatur, quod in eventum, in quem adſint Capellaniæ Regulares virtute fundationum viſitatio ſpectare debeat privativè & abſolutè ad Vicarium Religionis, abſque eo, quod in nihilo illas concernente ſe poſsit intromittere Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis; ſi verò adeſſent Capellaniæ, ſeu jura Patronatus laicorum, quæ ex fundatione

ſpec-

ſpectarent ad aliquem, ſeu ad aliquos Religioſos Ordinis S. Joannis jure ſanguinis, ſive quovis alio titulo, dummodo non ſit jure regulari, illas viſitare debent quilibet ex duobus Vicariis, juxta formam & cum diſtinctione in Sæcularibus relata. ¶ Tertio, quoad viſitationem Confraternitatum, Societatum, ſeu Congregationum Laicorum, vel Clericorum Sæcularium, ſitarum in prędictis Eccleſiis, Eremitoriis, & Hoſpitalibus, concordatur pariter, quod pro eo, quod tangit ſatisfactionem Miſſarum Feſtivitatum, aliaque ſufragia ſpectet viſitatio ad Vicarium Religionis jure Ordinario, & ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis jure delegato, & in reliquis omnibus ſpectare debet viſitatio jure Ordinario & privativè ad Dignitatem Archiepiſcopalem, prout pariter conſervatio bonorum ſimilium Confraternitatum, Societatum, ſeu Congregationum, & cognitio quarumcumque litium, quæ occurrant.

SUMMA CAPITIS.

1 *Controverſiæ ſuper jure viſitandi cum Prælatis Inferioribus varie inſtitui & terminari ſolent.*

CONCORDAT. I.

2 *Diœceſanus habet jus viſitandi privative opera pia Sæcularia ſita in Eccleſiis exemptis, quoad illorum adminiſtrationem.*

3 *Omnia loca pia ſubſunt de jure communi juriſdictioni Diœceſani.*

4 *Prælatus Inferior in hujuſmodi pia opera juriſdictionem ſibi arogare non poteſt, reſpectu illorum adminiſtrationis.*

5 *Capellaniæ & Memoriæ ſitæ in Eccleſiis Regularibus, ab Epiſcopo ſunt viſitandæ.*

6 *Refertur declaratio Iudicum Concordiæ.*

7 *Ad Diœceſanum privativè ſpectat cognitio litium ſuper bonis Capellaniarum, etſi conveniatur exemptus.*

8 *Diœceſano competit aſſenſum præſtare, ad alienanda, ſubroganda, aut permutanda bona Capellaniarum.*

9 *Eidem competit computa deſumere à Capellanis, ſeu Adminiſtratoribus.*

10 *Confirmatur* ex cap. 2. h. Concord. *à contrario ſenſu.*

11 *Expenditur locus Tridentini* in capit. 9. ſeſſ. 22. de reform.

12 *Prælati* nullius *rectè poſſunt hujuſmodi computa deſumere.*

13 *Prælatus Inferior* intra Diœceſim *hæc computa deſumet, cùm reditus Memoriæ deſtinãtur ad Miſſas celebrandas in Eccleſia ſibi ſubdita.*

14 *An Diœceſanus cogere poſſit Regulares Adminiſtratores piorum operum Sæcularium ad reditionem rationum.*

15 *Reſolvitur affirmativè & fundatur.*

16 *Vna eademque res vel perſona diverſis reſpectibus poteſt diverſis Iudicibus ſubeſſe.*

17 *Confirmatur exemplo Officialis S. Officij, & Clerici accipientium adminiſtrationem à Iudice Sæculari.*

18 *Confirmatur ex Concilio* in d. capit. 9. ſeſſ. 22.

19 *Diœceſano competit viſitare Oratoria privata.*

20 *Idem dicendum de Oratoriis publicis Sæcularibus.*

21 *Oratoria publica Regularia viſitanda ſunt à Vicario Priorali.*

22 *In reſpicientibus cultum & decentiam pro Miſſæ Sacrificio, poteſt Diœceſanus viſitare Eremitoria Regularia.*

23 *Hoſpitalia Regularia exempta ſunt à viſitatione Diœceſani.*

24 *Refertur declaratio Iudicum Concordiæ.*

25 *Hoſpitalia Sæcularia ſubſunt viſitationi Diœceſani.*

Licèt

26 *Licèt Hospitale sit fundatum absque Episcopi auctoritate, illius visitationi subest.*

27 *Exempta Hospitalia visitari possunt ab Episcopo tanquam Sed. Apost. delegato.*

28 *Exemptio absoluta Hospitalis ab Episcopi visitatione concludenter debet probari.*

29 *Ad Vicarium Diœcesanum & Prioralem spectat visitatio cumulativa piorum operum in Ecclesiis Regularibus, in ordine ad implementum Missarum.*

30 *Qui in aliqua Ecclesia Missas vult celebrari, hoc ipso cultum illius Ecclesiæ respicit.*

31 *An conclusio* num. 29. *procedat in Capellaniis fundatis in Ecclesiis Regularibus, sed absque loci assignatione, ad Missas celebrandas.*

32 *Fundatur jus Diœcesani ex eo quod concordia sit strictæ interpretationis.*

33 *Fundatur jus Vicarij Prioralis ex præsumpta affectione & voluntate testatoris circa illam Ecclesiam.*

34 *Resolutio Nuncij Apostolici favore Vicarij Prioralis.*

35 *An conclusio* num. 29. *procedat in Capellaniis, quæ nec sitæ sunt in Ecclesia Regulari, nec locum habent designatum ad Missas celebrandas.*

36 *Proponitur ratio dubitandi favore Diœcesani.*

37 *Cùm testator non designat locum ad Missas celebrandas, cogitasse tantùm creditur de onerando Capellano absque respectu ad locum.*

38 *Resolvitur dubium* num. 35. *favore Vicarij Prioralis.*

39 *Exponuntur verba*: Et non aliud. h. cap.

40 *Vicarius Prioralis titulos Capellanorum visitare nequit.*

41 *Nec præscribere potest qualitatem seu numerum Missarum.*

42 *Diœcesano privativè competit Missarum numerum reducere.*

CONCORDAT. II.

43 *Ad Vicarium Prioralem spectat privativè visitare Capellanias Regulares.*

44 *Confirmatur ex dictis supra* in cap. 2.

45 *Visitatio Memoriarum, quarum bona relinquuntur Fabricis Ecclesiarum, Priorali privativè competit.*

46 *Obiter declaratur quænam sit Capellania Sæcularis, quænam Regularis.*

47 *Cùm Religiosus vocatur ad Capellaniam, non ut Religiosus, sed ut consanguineus, Capellania censetur Sæcularis.*

CONCORDAT. III.

48 *Confraternitates sunt opera pia Episcopi jurisdictioni subjecta.*

49 *Diœcesanus potest visitare Confraternitates in Ecclesiis Regularibus fundatas.*

50 *Exemptio Ecclesiæ non operatur exemptionem Confraternitatis in ea existentis.*

51 *An Diœcesanus visitare possit Capellas Regularium, in quibus institutæ sunt Confraternitates?*

52 *Sententia negativa fundatur in quadam declaratione S. Congregationis.*

53 *Defenditur sententia affirmativa ex pluribus declarationibus S. Congregat.*

54 *Declaratio de qua* num. 52. *procedit in iis, quæ concernunt administrationem Regularium.*

55 *Quænam dicantur ad regimen Confraternitatum spectare.*

56 *Vicarius Prioralis visitare potest has Confraternitates, quoad implementum Missarum, & festivitatum.*

57 *Aliquæ controversiæ excitantur inter Parochos & Confratres super usu supellectilium, & administratione bonorum.*

58 *Ornamenta Confraternitatum separatæ sunt ab aliis Ecclesiæ, & alibi adsportari possunt à Confratribus.*

59 *Administratio bonorum Confraternitatis ad Confratres spectat.*

60 *Vicarij utriusque Dignitatis respectivè conficere tenetur inventarium bonorum Ecclesiarum, & Confraternitatum.*

61 *Vicarius Prioralis nequit extinguere aut expellere à suis Ecclesiis Confraternitates.*

62 *Diœcesanus ex justa causa potest Officiales Confraternitatum removere.*

63 *Idemque ſervandum, etſi Officialis ſit exemptus.*
64 *Fundatur præcedens reſolutio.*
65 *Regularis, dimittere volens adminiſtrationem Confraternitatis, Diœceſanum debet adire.*
66 *De viſitatione cumulativa quoad onera Miſſarum Confraternitatum remiſsivè.*
67 *De exigendis rationibus eleemoſinarum oblatarum SS. Imaginibus in Eccleſiis Regularibus, remiſsivè.*
68 *Quid obſervandum ſuper exhibitione librorum ad viſitationem ſpectantium.*

COMMENTARIUM.

1 COntroverſiæ inter Epiſcopos & Prælatos Inferiores, quæ frequentiſsimæ ſunt ſuper jure viſitandi diverſimodè ſolent inſtitui & terminari, nam vel agitantur cum Prælatis, territorium ſeparatum verè *nullius* prætendentibus, & tunc diſceptatur de jure viſitandi in genere, quæſtioque eò recidit, ut diſcutiatur, an conſtet, vel non, de territorio ſeparato; quod utique decidendum eſt juxta regulas traditas *in cap.* 4. *& ſeqq. part.* 1. Aut hæ controverſiæ inſtituuntur cum Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, ut in præſenti, & tunc cùm detur concurſus juriſdictionis Diœceſanæ & univerſalis cum juriſdictione Ordinaria inferiori & particulari, quæſtio verſatur circa aſsignandos particulares actus, cuilibet juriſdictioni reſpectivè competentes, ut ita hic concurſus ſit compatibilis, conceſſo jure viſitandi num privativè, num cumulativè & præventivè, & quandoque ſimultaneè, ut videbimus in his concordatis.

CONCORDAT. I.

HUjus concordati duæ ſunt partes; in prima agitur de viſitatione operum piorum, reſpiciente ipſorum bona; in ſecunda de viſitatione reſpiciente ipſorum implementum. Atque ut ſuo ordine res explicetur, duas ſtatuam concluſiones, literaliter ex noſtro Capite deſumptas. Sit igitur prima: *Ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis ſpectat privativè jure Ordinario totum id, quod concernit conſervationem bonorum, ac litium agitandarum cognitionem ſuper illorum exactione, necnon deſumere illorum computa.* Ratio hujus aſſertionis deſumitur ex illa regu-
2 la, quæ Diœceſano generalitèr concedit ſubjectionem, adminiſtrationem, ac
3 ordinationem omnium piorum locorum ſuæ Diœceſis, ut in *cap. ſi quis Epiſcopum* 16. *q.* 5. *& cap.* 2. *q.* 3. *& cap. omnes Baſilicæ q.* 7. *cap.* 1. *cum multis ſeqq.* 10. *q.* 1. *cap. de Xenodochiis de Relig. domib.* ubi Fagnan. *num.* 2. cum antiquis Canoniſtis, atque hoc idem jus plenius firmavit S. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de refor. cap.* 8. *& 9.*

4 Nec ratio aliqua in hoc poterat adduci, ut Magnus Prior, ſive quivis alius Prælatus Inferior in terminis concluſionis, juriſdictionem ſibi arogaret, aut viſitare prætenderet: non enim ratione ſituationis, nam hæc nec efficit Regularia hæc pia opera, nec impedit juriſdictionem Diœceſani, ex dictis in *cap.* 7. Non ratione perſonarum, hujuſmodi pia opera adminiſtrantium; quia cùm hę ſint de Populo & Clero Sæculari, Magno Priori nullomodò ſubſunt: non ratione bonorum, quia cùm hæc ſint ſituata in territorio Diœceſani, ea comprehendere nequit Magni Prioris juriſdictio, quæ limitata & circumſcripta eſt intra ambitum Eccleſiarum, *arg. text. in leg. in agris* 16. *de adq. rer. dom.* Atque ideo manet prædicta pia opera in ea parte, quæ eorum reſpicit bona, privativè obnoxia eſſe viſitationi Archiepiſcopi Diœceſani; ita, ut hic ſolus poſsit edere mandata, quę bonorum conſervationem reſpiciant; lites quaſcumque ſuper hoc motas judicare; & rationes ab adminiſtratoribus exigere, ut eſt in Concluſione;

ſione; conſiderando in his præfata opera non ſecus ac ſi ſituata eſſent in Eccleſiis Sæcularibus, Diœceſano omninò ſubjectis.

5 Hæc generaliter dicta ſint de omnibus operibus piis; at quò magis res hæc pateat, præſtat rem hanc particulariter diſcutere, & generalem doctrinam particularibus caſibus applicare: Et quidem inter opera pia, quæ Sacri Canones ac Sac. Concilium *locis tit.* voluerunt à Diœceſanis Epiſcopis viſitari, computari debent Capellanię Sęculares, eò quòd lege juriſdictionis Diœceſanæ ipſis ſunt ſubjectæ, ut in terminis tenet Pax Jordan. *de re benef. lib. 7. tit. 7. n. 22.* & loquendo de Capellaniis ſitis in Eccleſiis Regularibus, docuit Ferro Manriq. *quæſt. Vicarial. 1. part. q. 63. num. 6.* Et ita rectè concordatum apparet in noſtro Capite circa Capellanias, & memorias Miſſarum, quarũ quoad præſens eadem eſt ratio, & adduci etiam poterant in confirmationem, quæ dicta manent ſupra in *cap. 7.* circa cognitionem litium ſuper illarum pertinentia.

6 Hanc ſimiliter doctrinam confirmant repetitæ Judicum Concordiæ declarationes; & in primis quod ad Vicarium Diœceſanum ſpectet privativè jure Ordinario, quodcumque concernat conſervationem bonorum Capellaniarum, & Memoriarum expreſsè declaratum eſt in *Congregatione 11. Februarij 1702. verſ. lo primero.* Cùm enim Vicarius Prioralis quoſdam laicos cenſuris innodaſſet, pro ſolutione reddituum cenſus cujuſdam Memoriæ, ſimulque cognoſcere cæpiſſet de redemptione partis ejuſdem cenſus; conquæſtus eſt Vicarius Diœceſanus, dicens ſuam juriſdictionem turbatam, tam in prolatione cenſurarum, cùm excommunicati eſſent perſonæ Sæculares, juriſdictioni Priorali neutiquam obnoxiæ; quàm in cognitione adhibita ſuper cenſu, nam hæc conſervationem bonorum reſpiciebat, quæ ipſi in hoc Capite privativè tribuitur. Formato ergo dubio, reque maturè diſcuſſa, Judices ita convenerunt. *Se reſolviò, que dicho Vicario excediò en uno, y otro probeido, en el primero por ſer la materia ſecular, y dichos deudores no ſugetos à ſu juriſdiccion: y en el ſegundo por eſtar reſervado al Vicario Arzobiſpal en el* cap. 9. de la Concordia *lo concerniente à la conſervacion de los bienes de las Memorias, Capellanias, y Obras pias Seculares.*

7 Quod ita procedit, ex ipſorum Judicum ſententia, ut ſi mota fuerit lis, quæ bona Capellaniæ aut alterius pij operis reſpiciat, coram Diœceſano agitari debeat, quamvis conventus ſit tanquam poſſeſſor Religioſus Hieroſolymitanus; ac proindè cùm in Tribunali Diœceſano penderet cauſa contra Fratrem D. Joſephum Alcayde, ſuper capacitate Capellaniam Sæcularem habendi, & ſuper diſſipatione dotis ejuſdem Capellaniæ, formato dubio, cenſuerunt Judices in *Congregat. 5. Martij 1701. verſ. lo ſegundo*, cauſam Diœceſano remittendam fore, ut in ea, partibus auditis, ad juris præſcriptum procederet. Cujus reſolutionis ratio ea eſt; quod licèt Hieroſolymitanus ſit exemptus à juriſdictione Diœceſani; tamen ex quo accepit Capellaniam Sæcularem Diœceſano ſubjectam, coram eo conveniri debuit tam ſuper diſſipatione dotis, quàm ſuper reliquis, ejuſdem Capellaniæ adminiſtrationem reſpicientibus, ut proximè dicemus *à num. 27.*

8 Ex eadem doctrina illud etiam fluit, quod aſſenſum præſtare ad alienationem, ſubrogationem, ſive permutationem bonorum hujuſmodi Capellaniarum, privativè ſpectet ad Diœceſanum, ut innuitur in *Congregat. 9. Septembris 1703. verſ. lo quinto*, & ratio eſt, quia hujuſmodi actus juriſdictionalis illius tantùm proprius eſt, qui in ipſa bona juriſdictionem habet, ut patet *ex cap. 1. de reb. Eccleſ. non alien.* juncta ibi doctrina Canoniſtarum.

9 His etiam conſequens eſt, ut jus deſumendi rationes à Capellanis & Adminiſtratoribus, privativè tribuendum ſit Diœceſano, tum ob claram diſpoſitionem noſtri Capitis in illis verbis: *Necnon deſumere illorum computa*, tum etiam ex concludenti ratione; cùm enim Diœceſano tribuatur juriſdictio privativa in omnibus concernentibus bonorum adminiſtrationem, & conſervationem, neceſſariò ei tribuenda venit poteſtas exigendi rationes, nam nihil tam præjudiciale eſt bonorum conſervationi, quàm rationum neglectus, ut diximus *ſupra in cap. 2. h. p. n. 2.*

10 Ulteriùs hoc ipſum ſuadetur *ex d. cap. 2. Concord. 1.* deducto argumento à contrario ſenſu; nam ſi in eo tribuitur Vicario Priorali, ut jure ordinario, & privativè ad Diœceſanum poſsit deſumere computa Fabricarum Parochialium, Eremitoriorum, & Hoſpitalium S. Religionis, ex eo, quod hæc loca cum ſuis bonis ſunt Regularia; neceſſariò à contrario deducitur, quod Capellaniarum & Memoriarum, de quibus in præſenti agimus, rationes deſumere jure ordinario & privativè ad Diœceſanum ſpectabit; cùm ſint ſæculares, & conſequenter ejus ordinariæ & Diœceſanæ juriſdictioni ſubjectæ; atque hoc modo intrat diſpoſitio S. Concilij Tridentini
11 *ſeſſ. 24. de reform. cap. 9.* qua cavetur; adminiſtratores omnes Fabricæ cujuſvis Eccleſiæ Hoſpitalis, Confraternitatis, Eleemoſinarum Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum, ſingulis annis coram Ordinario teneri reddere ſuæ adminiſtrationis rationem, quibuſvis in contrarium conſuetudinibus & privilegiis ſublatis: quæ utique diſpoſitio, licèt in Regularibus locis, alium Superiorem habentibus, non procedat, ut in *d. cap. 2. Concord.* notavimus cum Fagnan. *in cap. ad hæc de Relig. domib.* tamen in locis piis ſæcularibus extra dubium locum obtinet; atque ex ea lucu-

lenter infertur, quod rationes exigere ab adminiſtratoribus locorum piorum, Epiſcopis privativè competit; quia tam in hoc loco Conciliari, quàm *in cap. 15. ſeſſ. 7. de reform. & in Clem. quia contingit de Relig. domib.* Epiſcopis tantùm non Inferioribus Prælatis hoc committitur, ut obſervant Cabaſſut. *notit. Concil. fol. 540. num. 20.* Malett. *de Hierarch. Eccleſ. Militant. lib. 4. part. 2. tit. 10.* Gabrici *conſil. 195. per tot. lib. 2.* Mich. Thimot. *de Sacroſ. Dei Eccleſ. viſit. lib. 2. tract. 8. cap. 1. & cap. 4. & 5. ferè per tot.* & noviſsimè aliis relatis AA. Domin. Urſaya *tom. 2. part. 1. diſcept. 5. num. 64.* Quod
12 ſi aliquæ auctoritates adducerentur, comprobantes, quod alij præter Epiſcopum rationes exigere poſſunt, intelligi debent de Prælatis *nullius*, ut ex ipſis conſtat; non verò de Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, quibus applicari non poſſunt ea, quæ à Jure, & à S. Concilio ſpecialiter Epiſcopis demandantur, ut conſiderat citat. Urſaya *d. diſcept. 5. num. 65.*

13 Atque ita in propoſito noſtro ſemper ſpectabit ad Diœceſanum, piorum operum rationes & computa deſumere, illo tantùm excepto caſu, quo in fundatione Memoriarum præcipitur à teſtatore, ut omnes illarum redditus applicentur ad Miſſas celebrandas intus Eccleſias Regulares; vel quando, diſtributa aliqua tantùm parte, præcipitur, ut reſiduum applicetur pro Miſsis celebrandis in eiſdem Eccleſiis: extra hos verò caſus ad Diœceſanum ſpectabit rationes exigere; ut quando in fundationibus (quod frequens eſt) inter alias diſpoſitiones certus numerus Miſſarum celebrandarum deſignatur. Ita reſolutum habemus à Judicibus Concordiæ in *Congregat. 11. Februarij 1702. verſ. lo ſegundo*; cujus reſolutionis ratio ex dicendis in II. Concluſione apparebit.

14 Hic tamen opportunè quærendum venit, an Diœceſanus cogere poſsit Regulares

gulares administratores piorum operum sæcularium, ut suæ administrationis ipsi rationes reddant? Ratio dubitandi ea est, quia Regulares sunt exempti à jurisdictione Episcoporum, ut notum est, & sæpiùs tradidimus.

15 Sed tamen hac ratione dubitandi minimè obstante, dicendum est, eos cogi posse ab Ordinario Diœcesano, ut rationes suæ administrationis exhibeant; & si in ea delinquentes fuerint, ab eodem puniri posse: quòd quidem illa fundatur ratione, quod nimirùm eo ipso, quod Regularis ab Episcopo obtinet beneficium, aut officium, cujus administratio, & regimen, sive cognitio ad Episcopum attinet, ipsius jurisdictioni subjicitur, tum ut ipsi rationes reddat, tum ut pœnam, si deliquerit, substineat, D. Covarr. *pract. quæst. cap.* 11. *num.* 5. Francus *in cap.* 1. §. *illum num.* 4. *de verb. signif. in* 6. quos refert Frances *in pastor. Regular. part.* 2. *q.* 21. *num.* 31. Zerola *in prax. Episcop. part.* 1. *verb. exemptio.* §. 4. *num.* 2. Cochier *de jurisd. in exempt. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 45. *n.* 64. D. Salgado *de supplic. ad Sanctiss. pap.* 2. *cap.* 5. *n.* 4.

16 Nec quoad hoc obstat Regularium exemptio, quia cùm una eademque res, vel persona diversis respectibus possit considerari, atque ita diverso jure censeri, *cap. cùm olim de re judic. cap. ex litteris de probat.* cum aliis per Fagnan. *in cap cùm Capella num.* 13. *de privil.* nihil implicat, quinimò rectè compatitur, ut Regularis diverso respectu, quoad certas res sit exemptus, & quoad alias Episcopo subjectus, ut in præsenti ratione administrationis beneficij, aut officij, ita post DD. antiquos *in d. cap. cùm Capella.* tenet Fagnan. *in princ.* Frances *d. cap.* 31. Cardin. Albit. *in percelebri disceptat. de jurisd. Cardin. in Eccles. suor. titulor. discept.* 2. *q.* 2. *n.* 12. Rota *apud Seraphin. decis.* 1058. *num.* 5. Quod optimè confirmari potest ex traditis ab

17 Escobar *de ratioc. cap.* 7. *num.* 10. & Vela *dissert.* 44. *&* 45. in terminis Ministri, aut Familiaris S. Officij & in durioribus Clerici recipientis administrationem de manu judicis laici, ut huic, exemptione non obstante, ratione ejusdem administrationis, subjiciantur, ipsique rationem reddere teneantur.

18 Ulteriùs omne prorsus dubium in proposito submovetur ex *d. cap.* 9. *sess.* 22. Concilij, ubi accipientes executionem ultimæ voluntatis, & administrationem alicujus loci pij, quoad administrationem & executionem Episcopo subjiciuntur, non obstante quacumque exemptione: in quo decreto comprehendi Regulares, tenet Fagnan. *in cap. ex parte num.* 52. *de privil.* Pignatell. *tom.* 8. *cons.* 43. *num.* 108. & in terminis Capellaniarum, & Memoriarum, quæ sunt sitæ in Ecclesiis Regularium docuit Ferro Manrique *d. quæst.* 63. *num.* 6. Et in specie Piasec. *in prax. fori decis.* 654. *num.* 7. & Campanill. *in dverf. Iur. Canon. rubrica* 12. *cap.* 13. *num.* 130. *cum seqq.*

19 Inter opera, seu loca pia, quæ in dispositione S. Concilij *in d. cap.* 8. & consequenter in prima supra posita conclusione comprehenduntur, locum tenent Oratoria, quæ in privatis domibus, ad Missas celebrandas, eriguntur; circa quæ, cùm sint in territorio Diœcesani, & perinde cesset ratio situationis in Ecclesiis Regularibus, nulla cadit difficultas, quin omnimodè & privativè spectet ad Diœcesanum visitatio, excluso in totum Vicario Priorali, ex doctrina Cardin. de Luca *de Regular. disc.* 50. *num.* 8. Undè apparet optimè fuisse declaratum à Judicibus Concordiæ in *Congregat.* 3. *Iunij* 1703. *vers. lo tercero*, excessisse Vicarium Prioralem in visitationibus, quas peregit oratoriorum privatorum, circa quam declarationem satis abundè diximus *supra in cap.* 3. *Concord. à numer.* 29.

20 Pariter circa Oratoria publica modica, aut nulla eſt difficultas, nam vel Sæcularia ſunt, vel Regularia; ſi Sæcularia, qualia ſunt, quæ poſt hanc concordiam ſunt conſtructa, ut eſt Eremitorium S. Antonij Abbatis in Villafranca, & illud SS. Chriſti del Colloquio in Villacañas, certum eſt, ſpectare ad Diœceſanum viſitationem jure ordinario, ac privativè quoad Vicarium Prioralem, qui nullo colore ullum etſi minimum juriſdictionis actum in eis ſibi poterit vindicare. Sin verò Regularia
21 ſunt, qualia judicari debent, quæ tempore celebrationis concordiæ fundata jam erant, ex dictis in *cap.* 1. *h.p. n.* 56. tunc certum eſt, ad Vicarium Prioralem tanquam illorum ordinarium Prælatum, pertinere viſitationem, computa deſumere, & denique providere quæcumque adminiſtrationem, & bonorum conſervationem reſpiciunt: Vicarius verò
22 Diœceſanus ſolùm poterit tanquam delegatus viſitare in reſpicientibus cultum, ornatum & decentiam, pro Miſſæ ſacrificio celebrando, juxta diſpoſitionem S. Concilij Tridentini *in ſeſſ.* 21. *de refor. cap.* 8. de quo etiam diximus *in cap.* 2. *h.p. num.* 36.

23 Reſtat nunc, ut de hoſpitalibus videamus, & circa hæc adhibenda eſt etiam diſtinctio inter Regularia & Sæcularia, ita ut ſi ſint Regularia, & ſuum Superiorem habeant, non comprehendantur in Concluſione ſuprapoſita; quæ extendenda tantùm eſt ad loca pia Sæcularia, utpotè deducta ex *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. Concilij, quod, ut diximus ex Fagnan. *in cap. ad hæc à num.* 47. *de Relig. domib.* loca Regularia non comprehendit, cum hæc habeant ſuum Superiorem loco Epiſcopi, & de his agitur in *cap.* 8. §. *itaque ſeſſ.* 25. *de reform.* Unde Diœceſanus hujuſmodi hoſpitalium viſitationem tentare non poterit, nec jure ordinario, neque jure delegato. Cùm autem omnia hoſpitalia, fundata in Oppidis Prioratuum uſque ad tempus hujus Concordiæ, cenſenda ſint Regularia, ex tranſactione facta *in d. cap.* 1. hinc, dubio
24 vertente ſuper viſitatione Hoſpitalis de Madridejos, tributum eſt jus illud viſitandi Vicario Priorali *in Congregat.* 26. *Maij* 1704. *verſ. lo tercero*: his verbis: *Y en quanto à la viſita del Hoſpital, y ſus bienes ſe declarò pertenecer al Vicario de la Religion ſegun* el cap. 1. de la Concordia, *aſsi por ſu diſpoſicion, como tambien por la circunſtancia de averſe fundado antes de el Santo Concilio de Trento.* Sed tamen adhuc poterit Diœceſanus, ut eſt in praxi, viſitare hoſpitalium Oratoria, pro eo quod concernit divinum cultum, & decentiam ad Miſſæ Sacrificium celebrandum, ex dictis ſupra, loquendo de viſitatione Eremitoriorum.

25 Si verò hoſpitalia ſint ſæcularia indubitatiſsimum eſt, ea comprehendi in diſpoſitione Concilij *in d. cap.* 8. & 9. & in ſuprapoſita concluſione; itaque Ordinarius Diœceſanus de jure fundatam habet intentionem ſuper illorum ſubjectione, adminiſtratione, & ordinatione, ut in terminis cum Fagnan. *in cap. de Xenodochiis num.* 1. & *in cap. ſeq. num.* 6. *de Relig. domib.* tenet Jacob. Pignatell. *conſ.* 204. *num.* 1. *tom.* 4. Quamobrem in hac parte nullum dubium eſt cum Vicario Priorali, ſeu alio Prælato Inferiori *intra Diœceſim*; ſolumque quæſtio agitari poterat cum Magiſtratibus Sæcularibus, & adminiſtratoribus hujuſmodi Hoſpitalium, ex eo quod erecta non ſint cum auctoritate Epiſcopi, ac propterea ſint laicalia; vel quod aliquo privilegio ſint exempta; vel quod in ipſa fundatione Epiſcopi juriſdictio & viſitatio excludatur; vel tandem quia hoſpitale ſit ſub Regis immediata protectione.

26 Verùm adhuc in his caſibus (ommiſsis pro nunc duobus ultimis) dicendum eſt, Epiſcopi viſitationem impediendam non eſſe, quia in primis licèt

licèt abſque Epiſcopi auctoritate fundata ſint, nihilominus ab ipſo viſitari poſſunt, ut videat, quomodo hoſpitalitatis opera exercentur, & an mens fundatoris exequatur, prout diſponitur in S. Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de refor. cap. 15. & ſeſſ. 25. cap. 8.* ubi innovatur conſtitutio Concilij Vienenſis ſub Clemente V. relata *in Clem. quia contingit de Relig. domib.* Quamvis enim hoſpitalia ſine Epiſcopi auctoritate erecta, religioſa non ſint, neque Eccleſiaſtica gaudeant immunitate: tamen quia ad opera pietatis exercēda eriguntur, dicūtur loca pia, & ob hoc comprehenduntur ſub diſpoſitione *d. cap. 8. Concilij*, ut tenet Fagn. *in d. cap. ad hæc de Relig. domib.* Martha *de juriſd. part. 2. cap. 18. à num. 2. & part. 4. caſu 113. num. 30.* Pax Jordan. *de re benefic. lib. 7. tit. 9. num. 12.* Garcia *de benefic. part. 5. cap. 1. n. 602.* Barboſa plures referens *de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 75. num. 6.* qui etiam notat *num. 7.* ſententiam aliquorum, excludentium Epiſcopum à viſitatione hoſpitalium abſque ejus auctoritate erectorum, hodie falſam eſſe, attenta diſpoſitione S. Concilij, pro quo etiam facit S. Rota in *deciſ. 30. n. 8. part. 2. recent.*

27 Deinde poterit dici hoſpitalia, de quibus viſitandis contenditur, aliquo privilegio eſſe exempta; ſed hoc etiam caſu, probata exemptione (quod neceſſarium eſt, propter fundatam Epiſcopi intentionem) adhuc viſitare poterit Epiſcopus tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, quia S. Concilium omnia indulta, exemptiones, & conſuetudines in contrarium in hac parte ſuſtullit *in d. cap. 8. ſeſſ. 22. de reform. & in d. cap. 8. ſeſſ. 25.* Et ideo exemptione non obſtante, poterit Epiſcopus viſitare, & rationes ab adminiſtratoribus exigere, Chochier *de juriſd. in exempt. part. 1. q. 31. num. 7. & part. 2. q. 45. num. 77. & 95.* Barboſa *ad Concil. in d. cap. 8. ſeſſ. 22. n. 9. & 10. & in collect. ad ſeſſ. 7. cap. 15. num. 2. & de poteſt. Epiſcop. d. alleg. 75. num. 5.* Pax Jordan. *d. tit. 9. num. 24. & ſeq.* Franc. Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part. 2. cap. 16. num. 26.* Pignatell. *d. conſ. 204. num. 1. tom. 4.* & aliis relatis D. Petrus Fraſſo *de Regio patron. Indiar. cap. 61. num. 74.* Quare ſi adminiſtratores prætendant ex-

28 cludere Epiſcopum omninò à viſitatione hoſpitalium, ex eo quod dicant, ea omninò eſſe exempta, tenentur id probare concludenter, ut tradit Fagnan. *in d. cap. de Xenodochiis num. 3. & 6.* Pignat. *d. conſ. 204. n. 1.* ubi alios refert.

29 Nunc verò procedimus ad II. Concluſionem circa viſitationem piorum operum in ea parte, quæ concernit Miſſarum implementum; & litteraliter ex noſtro Capite eam ſic ſtatuo. II. Concluſio: *Ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis ſpectat jure delegato viſitare id, quod concernit adimplementum, & ſatisfactionem Miſſarum intus eaſdem Eccleſias Religionis; ad Vicarium verò Dignitatis Prioralis ſpectat viſitatio jure Ordinario adimplementi Miſſarum intra Eccleſias, ac computa illarum, & non aliud.*

30 Duas quidem partes continet concluſio, ratio verò utriuſque pendet ab iis, quæ *in cap. ſeq.* dicturi ſumus; atque interim ſufficiet conſiderare, quod celebratio & implementum Miſſarum reſpicit divinum cultum in illa Eccleſia, in qua celebrari debent; animus enim & intentio fundatoris Capellaniæ, Memoriæ, aut Aniverſarij, qui in certa Eccleſia Miſſas celebrari præcipit, in ipſa determinatione loci ad honorem & cultum illius Eccleſiæ ſe refert, *arg. text. ſpecialis in leg. Civitatibus 122. verſ. ad honorem de leg. 1.* Cùmque in his, quæ reſpiciunt ad cultum in Eccleſiis Regularibus, locum habeat juriſdictio delegata Diœceſani, *ex cap. 8. ſeſſ. 21. de reform.* & in eiſdem rebus cumulativè intret juriſdictio Prælati Regularis. Hinc provenit, ut præfata pia opera ſita in Eccleſiis Parochialibus Regularibus

ribus Prioratuum Archiepiſcopus jure delegato, & Magnus Prior jure Ordinario, viſitare poſsint cumulativè. Cùm rectè compatiatur, ut una eademque res diverſis reſpectibus diverſis juriſdictionibus ſubjaceat, ex traditis à Fagnan. *in cap. nullus de Paroch. num.* 30. *&* 31. Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 4. *num.* 4. Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 39. *n.* 17.

31 Proximè poſita concluſio procedit in Cappellaniis, ſeu Memoriis ſitis in Eccleſiis Regularibus cum onere Miſſarum celebrandarum intus eaſdem Eccleſias; unde meritò fuit dubitatum; an Vicarius Prioralis viſitare poſſet implementum Miſſarum in illis Capellaniis, quæ licèt fundatæ ſint in Eccleſiis Religionis; tamen locum deſignatum nō habent ad Miſſas celebrandas? Agitatum fuit hoc dubium *in Congregat.* 12. *Martij* 1701. *verſ. lo quarto*, & in ea diſcordes

32 extitere Judices, quia Archiepiſcopales, vel illud ſolùm ſufficere ad excludendum Vicarium Prioralem judicabant, quod Concordia in hoc capite, dùm ei concedit viſitationem adimplementi Miſſarum, præcisè loquitur de Capellaniis fundatis in Eccleſiis Regularibus cum onere celebrandi Miſſas intus eaſdem Eccleſias; cumque concordia ſit ſtrictiſsimæ interpretationis, extendenda non eſt ad alias res præter in ipſa expreſſas, atque ita comprehenſæ dici non debent in hoc capite Capellaniæ, in quibus à teſtatore non fuit locus deſignatus pro celebratione Miſſarum; optimus *text. in leg. ſi unus* 27. *§. pacta* 4. *verſ. ante omnia de pactis.* ibi: *Ante omnia enim animadvertendum eſt, ne conventio in alia re facta, aut cum alia perſona in alia re, aliave perſona noceat. leg. ſi decreta cum vulgat. C. de tranſact.* Ciriac. *controv.* 292. *per tot.* Valeron *de tranſact. tit.* 2. *q.* 3. *num.* 16. *& tit.* 5. *q.* 2. *à num.* 1. Mendo *de Ord. Mil. diſp.* 7. *q.* 14. *à n.* 161. in terminis Concordiæ, inter Epiſcopum Caurienſem & Ordinem de Alcantara celebratæ.

33 Judices verò Priorales contra exiſtimabant, quia eo ipſo, quod Capellania fundata eſt in Eccleſia Regulari, debet preſumi, quod fundator voluerit, ut in eadem Eccleſia Miſſæ celebrarentur; ſiquidem præſumitur circa illam determinatam Eccleſiam majorem, quàm erga aliam, affectionem habuiſſe; & ex affectione optima fit voluntatis interpretatio, *leg. ſi fuerit verſ. ſi legatum ff. de reb. dub.* Rota *deciſ.* 574. *num.* 18. *part.* 5. *recent.* ex qua ratione argumentatur Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 44. quod ſi teſtator committat Miſſas diſtribuendas, nec Eccleſiam deſignet ubi celebrandæ ſint, ex præſumptione, quam diximus dicendæ erunt in Eccleſia, ubi ſepulturam elegerit, pro quo adducit Paſqualig. *de ſacrif. Miſſæ q.* 996. *à num.* 1. Leo *de offic. Capell. q.* 5. *ſect.* 2. *num.* 29. Rota *apud Cavall. deciſ.* 494. *à num.* 3. Hoc ſtante inter Judices

34 diſsidio, additus fuit tanquam tertius Apoſtol. Nuncius, qui Judicum Prioralium votum approbavit & confirmavit *ſub die* 31. *Octobris* 1701.

35 Poſt hæc etiam dubitatum fuit; an Vicarius Prioralis viſitare poſſet implementum Miſſarum illarum Capellaniarum, quæ nec ſitæ ſunt in certa Eccleſia Regulari, nec earum Miſſæ, ut celebrentur, locum habent determinatum? Propoſitum fuit ac diſputatum hoc dubium *in Congreg.* 20. *Maij* 1703. *verſ. lo quarto, & in Congregat.* 26. *Maij* 1704. *verſ. lo quarto.* Affirmabant Judices Priorales, moti reſolutione Apoſt. Nuncij in dubio præcedenti. Negabant Archiepiſcopales ex eo, quod cùm Capellaniæ & earum poſſeſſores, in noſtris

36 terminis, ſint ſæculares, ſolùm poteſt admitti juriſdictio Prioralis, cùm vel Capellaniæ in ſuis Eccleſiis ſunt fundatæ, vel in eis celebratio Miſſarum eſt deſignata, quorum utrumque in præſenti dubio deficiebat: nec obſtare ajebant reſolutionem Apoſt. Nuncij, quæ eo tantùm

caſu

casu loquitur, quo Capellaniæ fundatæ sunt in Ecclesiis Hierosolymitanorum, juxta terminos dubij præcedentis; unde non percutiebat præsens dubium, quod procedit in Capellaniis fundatis sine Ecclesiæ determinatione. Nec admittenda in hoc casu videbatur præsumptio, quæ in dubio præcedenti, quod nimirùm fundator voluerit Missas adimpleri ac celebrari in Ecclesiis Regularibus; quia talis præsumptio eo in casu deducebatur ex ipsa fundatione, & situatione Capellaniæ, facta in Ecclesiis Regularibus, quæ utique in præsenti cessat: tum etiam, quia necessariæ erant duæ præsumptiones; una qua intelligatur fundatorem voluisse in Ecclesia certa Capellaniam esse sitam; & altera, qua præsumatur voluisse, ut in illa eadem Ecclesia Missæ adimplerentur; quod utique non est admittendum, propter generalem regulam, quæ dictat duas specialitates in jure non admitti *leg. 1. ubi DD. C. de dot. promiss.* præcipuè cùm versemur circa Concordiam, quæ ut locum faciat visitationi Vicarij Prioralis, simul requirit, quod Capellaniæ fundatæ sint in suis Regularibus Ecclesiis, & quod in eisdem ex lege fundationis, Missæ sint celebrandæ; quo casu intrat alia regula, quæ dictat, quod ubi plures qualitates requiruntur, omnes concurrere debent, *ad text. in leg. si hæredi plures de condit. & demonstr. §. pen. inst. de hær. instituend.* Dec. *in cap. 2. à num. 11. de rescript.* Gutierr. *cons. 2. num. 5. & cons. 4. num. 1.* Gonzal. *in reg. 8. glos. 13. n. 100.* Denique quia in terminis indeterminatę omninò voluntatis testatoris tantùm
37 præsumitur respexisse disponentem ad obligationem Sacrificij imponendam Capellano; ita ut omninò credibile sit, fundatorem potiùs voluisse Missarum fructum sibi, & suis defunctis applicari, quàm loci alicujus particularis veneration em, ut tenet Aversa. *de sacrif. Missæ quæst. 11. sect. 18. vers. si tandem.* Rota *decis. 182. à num. 11. part. 8. rec. & decis. 335. à num. 27. part. 19. rec.*

38 Hæ sanè erant rationes dubitandi, & dissentiendi inter Judices, sed instituto novo examine *in Congregat. 7. Augusti vers. lo quarto, & seq.* 1705. pacis studio rem hanc ex bono & æquo concordarunt favore Vicarij Prioralis in hunc modum: *Lo quinto se disputò de otro dubio remitido en discordia a Nunciatura en el quarto §. ò Concordato* de la Junta de 20. de Mayo de 1703. *sobre si el Vicario de la Religion puede visitar el implemento de las Missas de aquellas Capellanias, y Memorias, que por su fundacion no estàn situadas en Iglesia determinada, ni las Missas son locales, sino que sin determinacion de lugar para su implemento, ni para la situacion de las Capellanias, las instituyen los Fundadores indeterminadamente: Y en medio de la duda, que ocasiona* el cap. 9. de la Concordia, *atendiendo à la resolucion de la Nunciatura* de 31. de Octubre de 1701. *Y à otras justas consideraciones, se acordò de comun consentimiento, y apartandose de la remision: Que dicho Vicario de la Religion pueda visitar el implemento de estas dichas Memorias, y Capellanias, aunque los posseedores sean Seculares; pero esto sin introducirse à otra cosa mas que la visita del mero cumplimiento de Missas, en conformidad* de el cap. 9. *y sin perjuicio de la que compete hazer al Vicario de la Dignidad Arzobispal, en conformidad de lo dispuesto por la Concordia.*

39 Ex hac ipsa declaratione intelliguntur illa verba nostri Capitis *& non aliud*, quæ manifestè restringunt jurisdictionem Vicarij Prioralis, & expressiùs habentur in finalibus verbis proximæ declarationis. ibi: *Pero esto sin introducirse à otra cosa mas que la visita del mero cumplimiento de Missas.* Unde visitatio adimplementi aliorum quorumcumque onerum, ut puta eleemosinarum, & dotium ad Vicarium Diœcesanum privativè & omnimodò spectabit jure ordinario,

rio, quia reſpectu horum onerum omninò deficit relatio ſive reſpectus ad Eccleſias Regulares, ac per conſequens ratio admittendæ juriſdictionis Prioralis.

40 Fit etiam ex dictis, Vicarium Prioralem prætextu revidendi adimplementum Miſſarum, viſitare non poſſe titulos collationis hujuſmodi Capellanorum, ut diſpoſitum fuit in *Congregat.* 17. *Iulij* 1700. *verſ. lo tercero*, & in reſolutione Illuſtriſſ. Nuncij *diei* 23. *Septembris* 1700. agendo principaliter de viſitatione titulorum, & tandem in propoſitis terminis in *Congregat.* 20. *Maij* 1703. ſic habetur concordatum: *Que ſiendo neceſſario para juſtificàr las Miſſas, que ſe deben decir dentro de las Igleſias de la Religion pueda pedir ſe le exhiban, para hazer computo de los años de la poſſeſsion, y liquidar el cargo de las Miſſas; pero eſto ſolo cauſativamente, y para eſte fin, ſin eſtender en los dichos titulos de collacion clauſula alguna, ni nota de averſe viſitado por ſu juriſdiccion, y eſto de mandàr ſe exhiban ha de ſer quando las Miſſas ſe deban cumplir dentro de las Igleſias de la Religion, y ſegun la calidad, y fundacion de las Capellanias, y ſus titulos guardando en todo* los capp. 7. y 9. de la Concordia, *y lo reſuelto por la Junta, y por el Nuncio de ſu Santidad en los dubios remitidos.*

41 Similiter, iiſdem terminis retentis, dicendum eſt Vicarium Prioralem ſtatuere nihil poſſe circa qualitatem ſeu numerum Miſſarum, ſed in hoc ſtare debebit decretis, & reductionibus Diœceſani, cui ex S. Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 4. competit privativè reductiones Miſſarum facere:
42 quod ita procedit, ut Regulares ante Concilium ab Epiſcopo petere deberent reductiones Miſſarum, quæ ipſis incumbebant in ſuis Eccleſiis; & quamvis in *d. cap.* 4. Concilij Abbatibus ſeu Generalibus Ordinum tribuatur poteſtas reducendi Miſſas; adhuc tamen poterunt Epiſcopi Miſſas Regularibus incumbentes in ſuis Eccleſiis reducere, ut fatentur Lezana *in ſum. verb. Miſſa numer.* 33. Bordon. *conſ. Regul. reſol.* 25. *num.* 33. Paſqualig. *q.* 1181. quos refert Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 31.

CONCORDAT. II.

43 AGitur in hoc concordato de jure viſitandi Capellanias Regulares, illas videlicet, quæ ex ſua fundatione ad Religioſos Hieroſolymitanos pertinent, & circa eas juri maximè conformis eſt concluſio, quæ ex noſtro Capite ſic ſtatui debet: *Ad Vicarium Prioralem ſpectat abſolutè & privativè viſitatio Capellaniarum Regularium.* Hæc aſſertio fundatur in juriſdictione ordinaria, quæ (ut ſæpè diximus) reſervata fuit Magno Priori in perſonas, loca, & bona Regularia; ſic igitur poſita harum Capellaniarum Regularitate, impediri nequit Vicarius Prioralis, quominus eas jure ordinario & privativè ad Diœceſanum viſitet, ac per conſequens decernat quidquid ad earum ordinationem, adminiſtrationem, & conſervationem, expedire judicaverit; non ſecus ac de Diœceſano diximus, loquendo de Capellaniis Sæcularibus, quia contrariorum eadem eſt ratio, *leg.* 1. *cum vulgatis ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur.*

44 Hoc ipſum confirmatur ex iis, quæ manent dicta in *cap.* 2. *h. p. num.* 3. nam ibi fuit concordatum ac diſpoſitum Magno Priori competere juriſdictionem Ordinariam in concernentibus adminiſtrationem & regimen Fabricarum Parochialium, Eremitoriorũ, & Hoſpitalium Prioratus non alia ratione niſi quia ad Religionem Hieroſolymitanam pertinent tanquam propria ipſius bona, ac per conſequens à Diœceſani juriſdictione ſunt exempta, & Magno Priori ſubjecta. Ergo ſimiliter de Capellaniis Regula-

gularibus dicendum venit, cùm æquè ipſius Religionis bona dici debeant.

45 Atque ex his profluit, quod, ſuborto dubio ſuper viſitatione Memoriarum, quarum bona relinquuntur Fabricis Eccleſiarum cum onere Miſſarum, favore Vicarij Prioralis prodiit reſolutio in *Congregat.* 11. *Decembris* 1700. *verſ. lo ſegundo.* ibi: *Se reſolviò, que reſpecto de eſtar dichos bienes incorporados con los demàs de las fabricas regularizados, corra ſu viſita privativa por el Vicario de la Dignidad Prioral de S. Juan, ſin que el de la Dignidad Arzobiſpal ſe introduzca à hacerla de dichas memorias ni ſus bienes.*

46 Omnis ergo difficultas ſtat in firmando ſtatu Regulari, aut Sæculari Capellaniæ, quo firmato, clariſsimæ ſunt regulæ traditæ in noſtro Capite, tam pro Capellaniis Regularibus, quàm Sæcularibus: Regularis autem ea Capellania debet judicari, quæ per Regulares adminiſtratur, vel ex fundatione, vel ex præſcriptione; Sæcularis verò, quæ per Sæculares, *cap. cum de benefic. de præbend. lib.* 6. Sanchez *in præcept. Dec. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 14. Petr. Gregor. *de benefic. cap.* 10. *num.* 11. Garc. *eod. tract.* 1. *part. cap.* 6. *num.* 11. At non omnis Capellania, in cujus fundatione vocatur Regularis perſona, ſtatim judicanda

47 Regularis, ſed illa tantùm in qua Religioſi, ut Religioſi vocantur; ſi enim ut conſanguinei vocentur & quà tales Capellanias poſsideant, earum ſtatus non immutatur, ſed manent Sæculares; ex quo provenit, quod Hieroſolymitani, poſsidentes has Capellanias, coram Diœceſano conveniendi ſunt, quoties lis occurrat ſuper pertinentia Capellaniæ, aut ejus adminiſtratione, ut vidimus in *Congregat.* 5. *Martij* 1701. *verſ. lo ſegundo*, atque in eiſdem terminis rectè concordatum apparet, privativum jus Diœceſano competens viſitandi has Capellanias, ut Sæculares, juxta modum *in* 1. *Concord.* conventum.

CONCORDAT. III.

48 QUamvis *in* 1. *Concord.* generaliter aliqua dicta ſint de locis piis, ſub quibus Confraternitates laicorum continentur, ſaltem quoad hunc effectum viſitationis, quidquid aliàs DD. inter ſe controvertant, Ricc. *in prax. verb. Confraternitas reſol.* 142. Barboſa *alleg.* 75. *num.* 22. 27. *&* 28. *cum ibi citat.* Fuſcus *de viſitat. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. *& concord.* ex quo enim ad pium opus aliquod inſtitutæ ſunt, intrat ſupra laudata diſpoſitio Conc. Tridentini *ſeſſ.* 22. *de refor. cap.* 8. & conſequenter ſubſunt curæ & viſitationi Epiſcopi; quia tamen frequentiſsimæ reperiuntur ubique, ac ſub eis permulti Sæculares aggregantur, ideo tanquam ſpeciali nota dignæ, ſeparatim in hoc Capite conſiderantur.

49 Et quidem ſuppoſitis, quæ circa earum erectionem latè diximus *ſupra in cap.* 8. *h. p.* ſtatuenda eſt in præſenti tanquam certa concluſio: *Confraternitates perſonarum Sæcularium, exiſtentes ac ſitas in Eccleſiis Regularibus, Diœceſanus privativè viſitare debet.* Ratio hujus concluſionis deſumitur ex dictis circa alia opera pia, in quorum numero Confraternitates, ſeu Societates conſtitui debent; quin viſitationem Diœceſani im-

50 pediat ſituatio in Eccleſia Regulari, quia exemptio loci Confraternitatem non eximit, cùm ſit corpus ſeparatum, & diverſæ qualitatis, Genuenſ. *in prax. Archiepiſc. cap.* 21. *in princ.* Ricc. *part.* 4. *deciſ.* 209. *num.* 8. Gratian. *diſcept. for. cap.* 481. *num.* 25. Ricciol. *lucubrat. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 3. quos refert Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 17. Atque ob hanc rationem, attenta etiam Conciliari diſpoſitione *in d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. tenent hanc ſententiam Leo *in theſaur. for. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 33. *&* 41. Piaſec. *in prax. Epiſc. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. *& part.* 3. *cap.* 15. Cenedo *canon. quæſt.*

q. 22.

q. 22. *num.* 14. Pax Jordan. *de re benefic. lib.* 7. *tit.* 11. *n.* 39. Ceſpedes *de exempt. Regular. cap.* 15. *dub.* 235. *num.* 3. *& cap.* 24. *dub.* 376. *num.* 10. Ferr. Manrique *quæſt. Vicarial. quæſt.* 63. *à num.* 1. Pignatell. *tom.* 9. *conſ.* 128. *per tot.* Franc. *de Eccleſ. Cathedral. cap.* 25. *à num.* 116. Card. de Luca *de Regular. diſc.* 1. *n.* 27. *& in annot. ad Concil. diſc.* 10. *num.* 11. & dubio prorſus caret, attentis declarationibus Sacræ Congregationis, quæ hoc ipſum ſtabilivit, prout videre eſt apud Marcilla *lib.* 2. *tit.* 6. *verb. Confraternitates laicorum*, & Pignatell. *d. conſ.* 128.

51 Dubium tamen, quod communiter excitari ſolet illud eſt; an nimirùm Diœceſani viſitare poſsint Capellas Regularium, in quibus Confraternitates laicorum ſunt erectæ? In quo dubio fuere aliqui AA. judicantes, Diœceſanum abſolutè viſitare non poſſe hujuſmodi Regularium Capellas, cujus opinionis fuit Barboſa *d. alleg.* 75. *num.* 13. licèt poſtea opinionem mutaverit in *collect. ad d. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. hujus autem ſententiæ fundamentum unicè deſumitur ex quadam S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium declaratione, quam refert Pignatell. *d. conſ.* 128. *n.* 4. in hæc verba: *Al Vicarco d' Oſtia. Havendo queſta S. Congregatione riſoluto più volte, che gl' Ordinarij de' luoghi, ancorche poſſano viſitare le Confraternita de laici erette nelle Chieſe de Regolari, debano nondimeno aſtenerſi dalla viſita delle loro Capelle, e altari poſte nelle Chieſe de medeſimi. Ne do aviſo con queſta à V. S. ad inſtanza di coteſti Fratri Minori Conventuali, affinche ſi conformi col ſenſo dell' iſteſſa S. Congregatione. Facialo adunque, e ſtij ſana. Di Roma a* 2. *de Octobre del* 1626.

52

53 Verùm, hac opinione non admiſſa, dicendum eſt, quod cùm Diœceſanus Epiſcopus viſitare poſsit jure Ordinario has Confraternitates quoad obligationes, bona, & adminiſtrationem, utpotè ſibi ſubjectas; poterit etiam viſitare Capellas ipſarum in eiſdem Eccleſiis Regularibus exiſtentes, in iis, quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt; ita enim deciſſum eſt à S. Congregatione Concilij, reſcribente Epiſcopo Nucerino, & in una *Salernitana die* 17. *& 29. Auguſti* 1626. & ſæpiùs à S. Congregatione Epiſcopor. & Regular. ut in *Tortonenſ.* 22. *Martij* 1604. *& in Leopolienſ.* 31. *Ianuarij* 1642. *& in Aliſana* 31. *Iulij* 1637. quas refert Pignat. *d. conſ.* 128. aſſerens, omnes Epiſcopos in hujus juris pacifica eſſe poſſeſſione.

54 Ut igitur oppoſita declaratio cum his concilietur, dicendum eſt, quod in illa declaratione ſolùm prohibetur viſitatio hujuſmodi Capellarum, & Altarium in iis, quæ adminiſtrationem Regularium reſpiciunt, non verò in iis, quæ concernunt regimen, adminiſtrationem, bona & obligationes Confraternitatum, prout præſcribitur in proximis declarationibus, Urrutigoiti *d. cap.* 25. *num.* 123. Pignat. *d. conſ.* 128. Moſtazo *d. cap.* 12. *num.* 18. atque ita in his Capellis evenit, quod frequenter in hoc tractatu notamus; ut nimirùm plurimæ res diverſis quidem reſpectibus, & ſubjectæ Epiſcopo, & ab eo exemptæ conſiderentur, juxta dicta *num.* 16.

55 Quod ſi quæras, quænam ſint ea, quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt, ac per conſequens ea, in quibus Capellæ & Altaria earumdem Confraternitatum, in Eccleſiis Regularium exiſtentium, poſsint ab Epiſcopo Diœceſano viſitari: reſpondeo primo; quando recognoſcendum eſt, an legata pia, Confraternitati relicta, executioni ſint demandata. Secundo, quando agitur de ſumptibus factis contemplatione & cauſa Capellarum vel Altarium. Tertio in omnibus, quæ reſpiciunt officia-

turam

turam, & in quibus administratio percutit ipsas Capellas, & requirit inspectionem loci, ita Pignatell. *ubi supra.* Ex his jam apparet rectè, ac juxta juris rationem convenisse Concordantes in *nostro capite in hoc* 3. *Corcord.* quod Confraternitatum, sive Societatum, quæ sitæ sunt in Ecclesiis Regularibus Prioratuum, visitatio omnimoda fieri debeat jure Ordinario & privativè à Vicario Diœcesano, ad quem etiam similiter spectat cognitio quarumcumque litium, quæ super hujusmodi Confraternitatibus, Societatibus, sive Congregationibus possint oriri.

56 Solùm igitur relinquitur Vicario Priorali, quod eas possit visitare in ea parte, quæ respicit satisfactionem, & implementum Missarum, Festivitatum, aliorumque suffragiorum; sed hujus implementi & satisfactionis respectu intrat etiam visitatio Vicarij Diœcesani jure delegato. Quod quidem procedit ex regulis jam traditis in 1. *Concordat.* quæ hic repetendæ erunt. Quapropter solùm restat ad plenam hujus Capitis illustrationem, ut aliqua super ipsius intelligentia exorta dubia annotemus.

57 Et in primis sciendum est, post celebrationem Concordiæ aliquas controversias ortas esse non modò inter ipsos Vicarios, sed & Confratres inter & Parochos; quia hi bona & ornamenta Confraternitatum cum bonis Ecclesiæ permiscebant, & illis promiscue utebantur. Deinde sibi eorumdem bonorum administrationem, exclusis Confratribus adsumebant. Utrumque autem perperam, nam quoad primum, Confraternitas non est membrum Ecclesiæ, sed corpus separatum & diversæ qualitatis & ita illius bona separata etiam sunt; unde ornamenta, suppellectilia, aliaque bona Confraternitatum transferri & asportari poterunt in aliam Ecclesiam à Confratribus, si Confraternitas mutetur & transferatur, quod sæpè evenit, & in eorum est arbitrio, ut tenet Caponi. *tom.* 5. *discept.* 345. *num.* 2. Tondutus *quæst. Benefic. tom.* 1. *cap.* 43. *à num.* 3. Mostazo *de cauſ. piis lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 8. Quoad secundum verò certum est, ad-
58 ministrationem bonorum Confraternitatum ad ipsos Confratres, seu eorum Officiales spectare, ut ea in usus devotos ac pios, in quos Confraternitas est instituta, distribuant, Maresc. *variar. lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 1. & 2. Fagn. *in cap. Paſtoralis n.* 22. *de his quæ fiunt à Præl.* Mostazo *d. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 11.

60 Hinc etiam rectè Judices Concordiæ in *Congregat.* 22. *Decembris* 1700. *verſ.* 1. & 22. *Ianuarij* 1701. *verſ. lo ſegundo,* & 9. *Septembris* 1703. *verſ. lo ſegundo,* & 27. *Iunij* 1705. *verſ.* 1. statuerunt, ut bona Confraternitatum à bonis Fabricarum separarentur; atque in hunc finem uterque Vicarius respectivè inventarium bonorum conficeret; Prioralis nimirùm illorum bonorum, quæ certò ad Ecclesias, Eremitoria, & Hospitalia Religionis spectarent; Diœcesanus verò illorum, quæ verè ad Confraternitates pertinerent; adhibita etiam ab utroque Vicario respectivè cura, ut si bona augerentur, augmentum etiam adjiceretur in inventario; quo facto, ulterioribus controversiis via præcluditur; nam sicut indubitatum est, bona fabricarum Ecclesiarum, Eremitoriorum, & Hospitalium Regularium à Priorali tantùm visitari posse; *ex cap.* 2. & *ſeq. Concord.* ita certum est, Confraternitatum bona à solo Diœcesano visitari debere *ex hoc cap.* & ex illa juris communis regula, quæ dictat, administrationem rerum Ecclesiasticarum saltem ratione jurisdictionis, exemptione non interveniente, ad Episcopum Diœcesanum spectare *cap. quæcumque cap. de his* 10. *q.* 1.

61 Dubitatum etiam fuit, an Vicarius Prioralis Confraternitates posset extinguere, & ita illarum bona Ecclesiis applicare? De qua re actum est

in *Congregat.* 11. *Decembris* 1700. *verſ. lo tercero, & diei* 22. *Ianuarij* 1701. *verſ. lo ſexto, & in alia* 5. *Martij ejuſd. anni verſ.* 1. *&* 11. *Februarij* 1702. *verſ. lo quarto, & diei* 2. *Iulij* 1703. *verſ. lo ſexto*, ac tandem in *Congregat.* 9. *Septembris* 1703. *verſ. lo ſegundo*, ita diſpoſitum fuit. *Que en quanto à las Cofradias antiguas, que tubieren Conſtituciones las dege correr el Vicario de la Religion, ſin poner embarazo à ſus funciones Eccleſiaſticas; y que en quanto à las antiguas, cuyas Ordenanzas no parecen, el Vicario Arzobiſpal diſponga, que las hagan, y que con ſu aprobacion, ò de el Conſejo de ſu Eminencia ſe preſenten ante el Vicario de la Religion, que en ſu viſta preſte ſu conſentimiento, para que ſe continuen como antes ſus funciones Eccleſiaſticas en las Igleſias, ò Hermitas Regulares donde han eſtado, y eſtàn ſitas; y en quanto à las que nuevamente ſe huvieren de fundar, que ſe guarde lo diſpueſto* en el cap. 8. de la Concordia, verſ. ſegundo concordatur, *que habla en terminos de nueva fundacion.*

62 Cùm ex ſupra dictis eniteat, Diœceſano competere regimen, ordinationem, & ſuperintendentiam Confraternitatum ſicuti quorumcumque aliorum piorum operum ſæcularium; hinc in ejuſdem poteſtate erit, Officiales, ſeu œconomos Confraternitatum, juſta adſtante cauſa, vel ab adminiſtratione removere, ſi fortè fuerint ſuſpecti, *arg. text. in leg. eum quem* 7. *C. de ſuſpectis tutor.* vel detrectantes abſque juſta cauſa adminiſtrationem continuare, eos opportunis remediis cogere, ut ſuſceptum munus retineant, *arg. text. in leg. ſi quis* 9. *de muner. & honor. & leg.* 1. *de excuſat. muner.* Quod non ſolùm procedit, cùm hujuſmodi Officiales ſunt de
63 Populo & Clero Sæculari, ſed etiamſi ſint exempti, ut puta Hieroſolymitani, ut expreſsè reſolutum fuit in *Congregat.* 30. *Auguſti* 1699. *verſ.* 2. his verbis: *Se concordò en la inhibicion comun, que ſe han deſpachado ambos Vicarios, ſobre el procedimiento contra el Lic. Fr. D. Juan Cid Coronado, Religioſo profeſſo, y Prior de la Igleſia Parroquial de Santa Maria de la Villa de Conſuegra; y ſe declarò, que el Vicario de la Religion ha excedido en averle ſuſpendido de el exercicio de Mayordomo de la Cofradia de S. Pedro, y que debe reponer lo obrado en quanto à eſto; y que el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal procede legitimamente à apremiarle para que ſirva dicha Mayordomia.*

64 Ratio autem & fundamentum hujus reſolutionis deſumendum eſt ex iis, quæ dicta manent in 1. *Concord. h. cap.* agendo de Capellanis, ſeu adminiſtratoribus Regularibus Capellaniarum & aliorum piorum operum Sæcularium, qui rationes reddere Diœceſano coguntur; licèt enim Regulares ſint exempti, tamen ex eo quod officium accipiunt, cujus regimen & juriſdictio ad Diœceſanum ſpectat, ut eſt œconomatus Confraternitatis Sæcularis, ei ſubjiciuntur, prout ſupra latè fundavimus, & nunc adjicimus pulchram deciſionem *text. in leg. interdum* 36. §. 1. *de judic.* ubi habetur quod Senator, qui coram Præſide Provinciæ reſpodere non tenetur, tamen ſi in Provincia alienis negotiis ſe imiſcuerit, ibi conveniri poteſt; addita ad propoſitum noſtrum illa eleganti ratione, *cum ſua ſponte ſibi hanc obligationem contraxerit*, conſonat *l. ſi fidejuſſor* §. 1. *qui ſatid. cogant.* Ex eiſdem principiis
65 derivatur, quod ſi hujuſmodi Regularis velit œconomatum, ſive adminiſtrationem dimittere, Diœceſanum debet adire, qui judicabit de cauſis excuſationis, ita expreſsè in caſu habetur deciſum in *Congregat.* 21. *Ianuar.* 1699. *verſ.* 1.

66 Videamus nunc de viſitatione Confraternitatum in ea parte, quæ reſpicit ſatisfactionem & implementum Miſſarum, quæ ex ſtatutis Confraternitatis debent celebrari: & in hoc ſi loquimur de Miſsis, quæ celebrandæ ſunt in Eccleſiis

ſiis S. Religionis, res eſt indubitata ex diſpoſitione *noſtri cap. in hoc 3. Concordat.* quod viſitatio poteſt fieri à Vicario Priorali jure Ordinario, & à Diœceſano jure delegato, ſimiliter ac in Capellaniis; ſi verò loquimur de Miſsis, quæ determinatum locum non habent, pro earum celebratione, ſed quæ à Confratribus liberè poſſunt adimpleri in quibuſvis Eccleſiis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus alterius Ordinis quàm Hieroſolymitani, tunc dubium fuit, an Vicarius Prioralis earum adimplementum poſſet viſitare? Actum eſt de hoc dubio in *Congreg.* 20. *Maij* 1703. *verſ. lo quinto, & in Congregat.* 20. *Auguſti* 1705. *verſ. lo tercero*, in qua declaratum eſt, quod uterque Vicarius, eodem modo, ac in Capellaniis dictum eſt, cumulativè viſitet; Prioralis jure Ordinario, & Diœceſanus jure delegato; atque ita hic repetenda ſunt, quæ dicta manent in 1. *Concord. n.* 29.

67 Hic etiam diſceptari poſſet, ad quem ex Vicariis ſpectet rationes exigere illarum eleemoſinarum, quæ à Sæcularibus, ſine vera & propria Confraternitate unitis, colliguntur, & offeruntur Imaginibus, quæ ſunt in Eccleſiis Regularibus, ſed de hoc ſatis diximus ſupra in *cap. 2. h. p.*

68 Hic etiam notare oportet, quod cùm hæ juriſdictionales controverſiæ non ſemper ſincere & bona fide exerceantur, evenit multoties, ut ad impediendam viſitationem, libri Capellaniarum, & cæterorum piorum operum à Miniſtris Inferioribus (ut credi par eſt) occultarentur; qua de cauſa reciprocæ utriuſque Vicarij Conquæſtiones ad Congregationem Concordiæ ſunt delatæ, ut videre eſt in *Congregat. 6. Decembris* 1701. *verſ.* 1. *& diei* 27. *Junij* 1705. *verſ.* 2. *&* 18. *Julij ejuſd. an. verſ.* 3. *& diei* 25. *Februarij* 1706. *verſ.* 3. *&* 3. *Auguſti* 1708. *verſ.* 2. temperamentum autem, quod ſervandum eſt, decreverunt Judices in *Congregat.* 7. *Auguſti* 1705. *verſ.* 2. his verbis: *Y que en adelante para evitar confuſiones el Vicario que tubiere, que pedir libros al otro le eſcriva, aviſando los que le faltan, y que eſte, à quien ſe dirixa el papel, ò carta, reſponda al pie lo que ſe le ofreciere, para que en viſta de uno, y otro ſin dilacion ſe tome providentia en la Junta.*

CAP. X.

Super viſitatione Eccleſiarum Parochialium, Collectoriarum, ornamentorum, & aliorum.

PRIMO concordatur, quòd Dignitas Archiepiſcopalis virtute juriſdictionis delegatæ; exprimendo hanc conditionem, viſitare poſsit Sacraria, Fontes Baptiſmales, Olea Sancta, illorumque Vaſa Chriſmatis, Altaria, Vaſa Sacra, ornamenta, & reliqua ſuppellectilia, quæ immediatè inſerviunt cultui Divino pro adminiſtratione Sacramentorum, & recognoſcere libros Baptiſmorum, & Matrimoniorum Eccleſiarum Parochialium, Prioratuum; & Dignitas Prioralis poſsit peragere viſitatio-

tationem ratione ſuæ juriſdictionis Ordinariæ, quoad præmiſſa, & cætera omnia, quæ viſitationem concernant. ¶ Secundo concordatur, quòd Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis vigore juriſdictionis delegatæ, & Vicarius Dignitatis Prioralis virtute Ordinariæ, quæ ad ipſum attinet in ejus Regularibus Eccleſiis, poſsint deſumere computa, & ſatisfactionem Miſſarum, quæ intrant in Collectoriis Parochialium, & ſimiliter Memoriarum, Anniverſariorum, aliarumque piarum diſpoſitionum, quarum adimplementum incumbat Parochis Prioribus ratione Beneficiorum Curatorum, cum declaratione, quòd receptis computis à quolibet ex duobus Vicariis, alter tantummodò poſsit illa revidere, & in eiſdem additiones facere. ¶ Tertio concordatur, quòd DD. Archiepiſcopi Toletani poſsint ſubdelegare viſitationem, quæ jure delegato ad ipſos attinet in Eccleſiis Religionis, in quibus exercetur Cura Animarum, & adminiſtrantur Sancta Sacramenta, dando ad hunc effectum tantummodò commiſsionem ſpecialem, cum conditione, quòd Delegatus à Dignitate Archiepiſcopali tempore viſitationis exprimat, illam ſe peragere vigore juriſdictionis Apoſtolicæ delegatæ.

SUMMA CAPITIS.

1 *In actu viſitationis maximè explicatur Diœceſana juriſdictio.*

2 *S. C. Tridentinum pleniſsimè diſpoſuit circa viſitationem Eccleſiarum exemptarum Sæcularium & Regularium.*

3 *Monachi & eorum Eccleſiæ de jure communi plenè ſubſunt viſitationi Epiſcopi.*

4 *Privilegia exemptiva immutarunt juriſdictionem Epiſcopi in Monachos, quoad Regimen Clauſtrale, non verò in pertinentibus ad curam animarum.*

5 *Summa totius doctrinæ, & juris ſtatus ante Tridentinum.*

6 *Non implicat ut Regulares & eorum Eccleſiæ diverſis reſpectibus ſubſint diverſis juriſdictionibus.*

7 *Confirmatur præcedens doctrina variis Iuribus.*

8 *Refertur in idem Concilium Lateranenſe ſub Leone X.*

9 *S. C. Tridentinum* in cap. 11. ſeſſ. 25. de Regular. *non mutavit antiquam juriſdictionem Ordinariam Epiſcoporum.*

10 *I. probatur ex mente Concilij.*

11 *II. ex verbo* immediatè *quo utitur Concilium.*

12 *III. ex illis verbis* : Perſonæ tam Regulares, quàm Sæculares.

13 *IV. ex defectu clauſulæ delegatoriæ.*

14 *Etſi adiecta fuiſſet clauſula delegatoria, non intelligeretur ablata juriſdictio ordinaria.*

15 *Opponitur Conſtitutio* Inſcrutabili *Gregorij XV.*

16 *Refertur hujus Conſtitutionis hiſtoria.*

17 *Conſtitutio Gregoriana non alteravit juriſdictionem ordinariam Epiſcoporum, & loquitur in caſu diverſo.*

18 *Opponitur Conſtitutio* Expoſcit *S. Pij V.*

19 *Concilium* in d. capit. 11. *duas continet limitationes.*

20 *Vbi Prælati Inferiores obtinent juriſdictionem verè* nullius *ceſſat jus viſitanai Epiſcoporum.*

21 *Prælati Inferiores plerumque territorium ſeparatum ad hunc effectum prætendunt.*

Præ-

22 *Prælati Hierosolymitani ob ampliſsima privilegia Eccleſias ſuas Curatas ab Epiſcopi viſitatione exemptas aſſerebant.*

23 *S. Pius V. ſtatuit, ut Diœceſani Parochiales Hieroſolymitanorum viſitarent jure delegato.*

24 *Solvitur argumentum* n. 18. *propoſitum.*

25 *Iuriſdictio conceſſa* in d. Conſt. Expoſcit *revera eſt ordinaria.*

26 *Applicatur tradita doctrina propoſito noſtro.*

CONCORDAT. I.

27 *Concilium* in d. cap. 11. *nedum comprehendit quidquid directè reſpicit curam animarum & adminiſtrationem Sacramentorum, ſed quidquid influit, & venit in ſequelam.*

28 *Declaratur* d. cap. 11. *declarationibus S. Congregationis.*

29 *Diœceſanus in Parochia Regulari viſitare poteſt libros Baptiſmorum, & Matrimoniorum.*

30 *An Diœceſanus viſitare poſsit domum Parochi Regularis? Remiſsivè.*

CONCORDAT. II.

31 *An Diœceſanus taxare poſsit eleemoſinas Miſſarum, quæ Collectoriis præſtantur.*

32 *Reſolutio affirmativa Nuncij Apoſtolici.*

33 *Regulares curam exercentes prohiberi poſſunt à Diœceſano, ne excedant taxam præfinitam in emolumentis percipiendis.*

CONCORDAT. III.

34 *Diœceſanus poteſt deputare Viſitatorem Parochialium exemptarum.*

35 *Viſitatio Eccleſiarum* nullius *tributa à Concilio Epiſcopo viciniori per alium fieri poteſt.*

36 *Viſitatio Parochiarum Ordinis Hieroſolymitani fieri debet ab Epiſcopis cum expreſsione jurisdictionis delegatæ.*

37 *Si omittatur hæc expreſsio, non exinde nullitas actus infertur.*

38 *Viſitator Diœceſanus & Prioralis concurrere non debent in eodem loco.*

39 *Vterque Viſitator tractari debet in Eccleſis Prioratuum ſicut in reliquis Eccleſiis Archiepiſcopatus.*

40 *Clerici Sæculares tenentur ex urbanitate obviam ire Viſitatori Priorali in acceſſu ad Eccleſias Parochiales.*

41 *Iudices Concordiæ ſtatuunt regulam ab utroque Viſitatore tenendam, quoad exactionem procurationum.*

42 *Congregatio Concordiæ præſcribit formam edictorum, ab utraque Dignitate obſervandam.*

COMMENTARIUM.

1 SUccedit *in h. cap.* ſermo circa viſitationem Eccleſiarum Parochialium, in qua maximè explicatur Diœceſana juriſdictio, ex notatis per DD. *ad cap. omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. *& cap. conquerente de offic. Ord.* Et quidem Epiſcopis, Parochias luſtrantibus, multa occurrunt, circa quæ paſtoralem ſollicitudinem & juriſdictionis falcem exerceant. Nec enim eorum cura præcisè ſiſtit in materialibus Eccleſiis inviſendis; ſed, quod præſtantius eſt, in Divini Verbi prædicatione, vitiorum fibris amputandis, ac denique in exactiſsima commiſsi ſibi gregis inquiſitione, & univerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratione. Unde meritò à Sacris Conciliis hoc viſitandi munus, nedum commendatur; ſed accuratè cavetur ne prætextu exemptionis impediatur; atque ideo circa Eccleſias Sæcurales exemptas pleniſsimè diſponitur à S. C. Tridentino in *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *in cap.* 7. *&* 8. *ſeſſ.* 7. *& in cap.* 8. *ſeſſ.* 21. *de reform.* de quibus ſermo noſter non eſt. Et circa Eccleſias Regulares exemptas, de quibus agimus, *in cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* per hæc verba: *In Monaſteriis ſeu domibus virorum ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum Sæcularium (præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia) perſonæ tam Regulares, quàm Sæculares hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum*

2 ad-

adminiſtrationem pertinent juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi. Acceſſere huic Decreto plures S. Congregationis declarationes, quas Gallemart refert *ad idem cap.* Monacel. *formul. legal. tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 58. *& tit.* 5. *formul.* 2. *num.* 2. Pignatell. *tom.* 7. *conſ.* 8. *à num.* 19. Cirin. *nex. rer. Eccleſ. cap.* 6. *ſub n.* 80. Quibus jus Epiſcopi viſitandi Parochias Regulares in ſua Diœceſi exiſtentes incontroverſum extitit.

3 Quo autem jure & quatenùs poſt hanc Conciliarem diſpoſitionem poſsint Epiſcopi Eccleſias Regulares & eorum Parochos viſitare, non ſatis liquere poteſt, niſi Canonicarum Sanctionum ſeriem & ordinem expendamus. Et quidem attento illo jure primævo, quo Epiſcoporum ordinaria poteſtas indiſtinctè ac omninò vigebat, ob non introductum uſum privilegiorum, indubitatum eſt, Monachos, Monaſteria & eorum Eccleſias Epiſcopi viſitationi fuiſſe obnoxias, cùm omninò ejus correctioni & ordinationi ſubeſſent, ut latè vidimus in *cap.* 3. *part.* 1. atque expreſiſsimè comprobat, *text. in cap. non ſemel* 18. *q.* 2. ibi: *Non ſemel, ſed ſæpiùs in anno Epiſcopi viſitent Monaſteria Monachorum, etſi aliquid correctione dignum fuerit corrigatur. & cap. viſitandi ead. cau. & q.* ibi: *Viſitandi, exhortandique gratia ad Monaſterium quoties placuerit ab Antiſtite Civitatis accedatur.*

4 Supervenientibus verò privilegiis & exemptionibus, quæ Monachos, Monaſteria, & eorum bona ab Epiſcopi juriſdictione ſubduxerunt, & Prælatorum Regularium poteſtati manciparunt, factum eſt, ut Epiſcopi Monachos, & Monaſteria viſitare non poſſent in pertinentibus ad Regulam, & Clauſtrale regimẽ, atque ita hoc reſpectu immutata, ſeu diminuta extitit illa omnimoda ac ordinaria Epiſcoporum poteſtas. Si verò Monachi in ſuis Monaſteriis, aut Eccleſiis curam populi exercerent, aut Sacramenta miniſtrarent, tunc utique Epiſcopi Diœceſani nativa & ordinaria poteſtas in Monachos, Monaſteria, aut Eccleſias hoc reſpectu vigebat; nam privilegia exemptiva tantùm immutarunt Epiſcopi ordinariam juriſdictionem in pertinentibus ad Regularem diſciplinam, & Clauſtrale regimen, non verò in pertinentibus ad curam & regimen animarum; nec eò unquam reſpexere, ut Regulares aut eorum Eccleſias circa ea, quæ ſpectant ad functiones Hierarchicas eximerent, quippè in his integra & illæſa conſervata eſt Epiſcopi, uti univerſalis in ſua Diœceſi Paſtoris, & unici Capitis, ordinaria poteſtas, quod confirmari poteſt ex iis, quæ diximus *ſupra in cap.* 6. *à n.* 28. & in puncto præter alios tenent Urrutigoiti *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 30. *num.* 163. Ugolin. *de offic. & poteſt. Epiſcop. cap.* 20. §. 4. Zipeus *reſponſ. canon. lib.* 5. *tit. de privil. reſp.* 3. *n.* 1. *& ſeqq.* Miñan. *Baſis juriſd. Pontif. tract.* 2. *fundam.* 1. *q.* 2. §. 4. *n.* 19. Navar. *ſingular. jur. Pontif. verb. viſitatio concl.* 3. *n.* 6. Fraſſ. *de Reg. Patron. Indiar. tom.* 2. *cap.* 56. *per tot.* D. Solorz. *de jur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 47. Marc. Anton. *reſol. var. reſol.* 112. *n.* 50. Van-Eſpen *in repag. canon. regl.* 10. §. 1. Rota *in Gerundenſ. juriſdict.* 5. *Martij* 1692. §. *pariter eſt cor. Molines, & in Firmana juriſdictionis* 13. *Martij* 1702. §. *conſimile cor. eodem.*

5 Ex hac doctrina infertur ſummam totius juris & illius ſtatum ante Tridentinum illum fuiſſe, ut perſonæ omnes Regulares, Monaſteria, & Eccleſiæ, quæ Regulares ſunt, Prælatorum Regularium ordinariæ juriſdictioni eſſent ſubjectæ, atque exinde viſitatio hoc reſpectu privativè jure Ordinario eiſdem Prælatis competeret in ordine ad regimen & diſciplinam Clauſtralem. Epiſcopum verò Diœceſanum tam perſonas Regulares, quàm Monaſteria & Eccleſias Regulares potuiſſe viſitare, in pertinẽtibus

ad

ad curam animarum,& hoc quidem jure ordinario, quod firmum ſemper Epiſcopis eſt conſervatum.

6 Nec monſtroſum aut implicatorium reputari debet, quod Regulares & eorum Eccleſiæ duplici Ordinariæ juriſdictioni ſubdantur. Nam frequentiſsimum eſt in jure ac receptum,unam eamdemque rem, ſive perſonam propter diverſos reſpectus, diverſo jure cenſeri, *cap. cùm olim de re jud. cap. ex litteris de probat. leg. ſi conſul de adopt.* Fagnan. *in cap. cùm Capella n. 13. de privil.* eruditè pro more D. Amaya *in leg. fin. num. 63. C. de Decurion.* Ideoque rectè compatitur, ut Religioſi, quà tales, juriſdictioni & viſitationi Prælatorum Regularium ſubjiciantur, & quá Parochi Ordinariæ Epiſcopi juriſdictioni ſubſint, in pertinentibus ad curam populi & adminiſtrationem Sacramentorum, ut in terminis, infinitis prope adductis exemplis, docèt D. Salgado, Solorzanus, & Van-Eſpen *loc. cit.* Quin & favore curæ animarum, ut *infra*, & *in cap.* 12. dicemus rectè componitur, quod hoc ultimo reſpectu ſimul concurrant juriſdictio Ordinaria Diœceſani, & Ordinaria Prælati Inferioris.

7 Ne autem confictam quis putet hanc diſtinctionem, ſive reſpectuum ſeparationem, in medium proferam Canones qui illam nedum confirmant, ſed & tenendæ inter Epiſcopos, & Prælatos Inferiores concordiæ, viam eſſe oſtendunt. *In cap. ſanè quia 6. 16. q. 2.* loquens Urbanus II. de Presbyteris,Monachorum Parochiis præpoſitis, ita ait: *Vt ejuſmodi Sacerdotes de populi quidem cura Epiſcopis rationem reddant; Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, ut ſic ſua cuique jura ſerventur.* Pariter in ſimili caſu Alexander III. eamdem docuit ſeparationem in celebri *cap. cùm Capella 16. de privil.* Idem etiam Alexander loquens de controverſiis Epiſcopos inter Templarios, & Hoſpitalarios in *cap. cum plantare 3. §. in Eccleſiis eod. tit.* Innocentius IV. conſultus de controverſiis inter Archiepiſcopum Toletanum, & Milites Jacobæos in *cap. 1. de verb. ſignif. in 6.* Qui certè traditam ab Urbano diſtinctionem retinent ac repetunt. Nec præteriri fas eſt verba Bonifacij VIII. in *cap. per exemptionem de privil. in 6.* ubi luculentiſsimè rem omnem patefecit: *Per exemptionem*, inquit, *Eccleſiæ conceſſam, ipſa Eccleſia, & Monachi, Canonici, Clerici, & Converſi, perpetuoque oblati (non autem Eccleſiæ ejuſdem Presbyter, qui Parochianorum curam habet, quoad ea, quæ ad eamdem curam pertinent, neque ipſi Parochiani etiam) intelliguntur exempti.*

8 Expreſiſsimum denique eſt in hac re, & propoſito noſtro mirificè aptum, Decretum generale promulgatum in Concilio Lateranenſi, celebrato ſub Leone X. anno 1516. in Conſtitutione: *Dum intra mentis arcana revoluimus in publica ſeſſ. 11. edita 19. Decembr.* in qua ita habetur: *Ad conſervandam inter Epiſcopos, & eorum Superiores, ac Prælatos, & Fratres hujuſmodi mutuam charitatem & benevolentiam. Divinique cultus augmentum, pacemque & tranquilitatem univerſalis Eccleſiæ ſtatus, quod demum fieri cognoſcimus, ſi unicuique quantum fieri poteſt ſua juriſdictio conſervetur, Sacro approbante Concilio ſtatuimus, & ordinamus, quod Epiſcopi, & eorum Superiores, & alij Prælati præfati Parochiales Eccleſias ad eoſdem Fratres ratione locorum legitimè ſpectantes quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conſervationem, adminiſtrationemque pertinent, ſine tamen viſitatorum inſolito gravamine, vel impenſa viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes ſi Religioſi fuerint juxta ipſius Ordinis Regularia Inſtituta intra ſepta Regularis loci, Sæculares vero Presbyteros, & Fratres hujuſmodi beneficia obtinentes libere tanquam*

quam ſuæ juriſdictioni ſubjectos punire valeant: ut latiùs legitur *tom.* 14. *Concilior. collect. à P. Philippo Labei fol.* 315. Et hic obiter eſt notandum Decretum hoc neutiquam fuiſſe evulgatum, ut illud jus antiquum competens Epiſcopis ratione curæ animarum in perſonas omnes, per quas exercetur, & in Eccleſias ubi exercetur, reſtitueret, ut amiſſum: ſed potius eò reſpexiſſe, ut illud ſarctum & tectum conſervaretur; quod & denotant illa verba: *Si unicuique, quantum fieri poteſt, ſua conſervetur juriſdictio*, quæ conſonant cum illis Urbani II. in *d. cap. ſanè quia.* ibi: *Vt ſua cuique jura ſerventur.* Et planè illa verba *ſua juriſdictio* ſignificant juriſdictionem Ordinariam, ut probat Florens *ad lib.* 1. *Decretal. tit. de offic. Ordin. in princ.* Rota in *Firmana Juriſdictionis* 13. *Martij* 1702. §. *conſimile cor. Molines.*

9 Cùm hæc ita ſtarent ex jure antiquo, ſucceſsit S. Concilium Tridentinum tribuens Epiſcopis idem jus viſitandi in *d. cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.* verbis jam relatis; & licèt ex hucuſque dictis indubitatiſsimum ſit, S. Concilium nihil novi Epiſcopis conceſsiſſe; adhuc tamen ab aliquibus revocatur in dubiũ; an in *d. cap.* 11. Jus commune aliquatenus ſit immutatum, & juriſdictio ordinaria, antea Epiſcopis competens, indelegatam ſit commutata? In quo dubio, & quæſtione ſententia negativa, ut certa & menti Concili conformis, eſt firmiter tenenda. I. Quia tam Concilij 10 Lateranenſis, quàm Tridentini mens fuit reſtituere, quantùm conditio temporum ferret, Ordinariam Epiſcoporum juriſdictionem; ut conſtat ex traditis ab Alteſſerra in Aſceticon *lib.* 7. *cap.* 12. *in fin.* Van-Eſpen *in jus Eccleſ. univerſ. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 6. *per tot.* & *in Repagul. can. in ejus Epilogo* §. *denique*, & §. *ſimiliter*, & quam plurimis relatis caſibus, oſtendit Thomaſin. *de vet.* & *nov. diſcipl. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 40. Unde credibile non eſt, Tridentinum voluiſſe Epiſcopis aufferre, aut commutare juriſdictionem ordinariam, quam numquam exemptiones vulnerarunt.

11 II. Probatur hæc ſententia ex illis verbis Concilij: *Immediatè ſubſint*, quæ manifeſtè excludunt juriſdictionem delegatam, nam hæc non immediatè competit, ſed ex Superioris Magiſtratus communicatione, & datione, *ex text. in leg.* 1. §. *ult. leg. etſi Prætor* 3. *ff. de offic. ej. cui mand. eſt juriſd.* & præcipuè *ex leg.* & *quia* 6. *de juriſd.* juncto ibi Gothofredo *lit. S. in verb. principaliter.* Cùm ex adverſo juriſdictio Ordinaria immediatè jure proprio, & juris diſpoſitione exerceatur, ut probant *dicta jura*, & exponunt Florens *ubi ſupra* Donell. *lib.* 17. *com. cap.* 8. & ibi Oſſuald. *lit. A.* Molina *de juſt.* & *jur. tom.* 6. *diſp.* 14. *num.* 1. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 92. *num.* 6. *part.* 3.

12 III. Firmatur hæc ſententia *ex eod. cap.* 11. Concilij in illis verbis: *Perſonæ tam Regulares, quàm Sæculares hujuſmodi curam exercentes, ſubſint.* In quibus cùm exequentur Regulares cum Sæcularibus, curam exercentibus, arguere licet, quod ſicut Epiſcopi in Sæculares hac ratione Ordinaria juriſdictione utuntur, ita Ordinariam juriſdictionem in Regulares, curæ animarum præpoſitos, exercebunt, ut benè D. Solorzan. *d. cap.* 17. *num.* 62. Fraſſo *d. cap.* 56. *num.* 10. Vulp. *prax. for. Eccleſ. cap.* 42. *num.* 6.

13 IV. Facit, quod in *d. cap.* 11. nulla inveniuntur verba denotantia delegationem, nec frequens clauſula: *Tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ*, cùm ex aliis locis Conciliaribus obſervare liceat, quod ubi Concilium delegatam juriſdictionem Epiſcopis dare voluit, id expreſsè dixit, ut in *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. *ſeſſ.* 7. *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *ſeſſ.* 21. & alibi paſsim. Quod clarè indicat Concilium in *d. cap.* 11. potius voluiſſe Ordinariam

nariam jurisdictionem confirmare, quàm delegatam, ablata Ordinaria, tribuere; ducto argumento à discretivo modo loquendi, quod validissimum est in jure *leg. cum Prætor ff. de judic.* & in specie observat Fagnan. *in cap. cùm dilectus à num.* 41. *ad* 45. *de Relig. domib. & in cap. nullus num.* 38. *&* 47. *de Paroch. & in cap. grave num.* 37. *de offic. Ordin.* Rota *in d. Firmana §. his sic.* Quin etiamsi adjecta esset in *d. cap.* 11. clausula delegatoria non statim inferenda esset concessio jurisdictionis delegatæ: nam ubi alicui per decretum Canonis, seu Legis tribuitur jurisdictio circa ea, quæ ei de jure communi competunt, ut in præsenti evenit, tunc non censetur concessa delegata, sed potius excitata ordinaria jurisdictio, ut fundavimus in *cap.* 1. *à num.* 99. *part.* 1.

14

15 Opponi tamen videtur huic sententiæ Constitutio Gregorij XV. edita anno 1622. in Bulla, quæ incipit *Inscrutabili.* In qua videtur supponi; aut declarari jurisdictionem in *d. cap.* 11. *sess.* 25. *de Regul.* Episcopis attributam, esse delegatam, & non ordinariam. Sed certè nihil contra præfatam sententiam hujusmodi constitutio facit, quod ut plenè percipiatur, libet hic ejusdem constitutionis ac Bullæ originem referre ac historiam; quam (ne incurramus notam impositam Joan. Feder. Karg. *in pace Religiosa decad.* 6. *cap.* 10. *per tot.* ut à se dispositam referenti) ultrò fatemur eam deberi doctissimo Prospero Fagnano in *cap. cùm Capella* 16. *de privil. à num.* 19. *usque ad fin.* ubi hæc ferme tradit.

16 Cùm in Diœcesi Gienensi nonnulli exempti etiam Ordinum Militarium quamtumvis Parochi non essent, nec animarum curam suis Ecclesiis, vel Monasteriis incumbentem exercerent, nec ad eam essent ab Ordinario examinati, & approbati; ausi fuissent defacto matrimonia solemnizare, gravis orta fuit controversia inter Episcopum, & delinquentium superiores super jure in illos animadvertendi. Contendebant Prælati exemptorum ad eos tale jus pertinere adductis in hoc privilegiis exemptivis, quibus Regulares à potestate Episcopi liberantur; nec eis obstare, ajebant, quod ageretur de delicto, concernente Sacramentorum administrationem, quia Sacri Canones superiùs expensi, & signanter *cap. per exemptionem de privil. in* 6. *& cap.* 11. *sess.* 25. *de Regular.* loquuntur de Regularibus actu Parochis, qui curam animarum ex proprio munere exercent; cùm verò exempti, circa quos erat controversia, nec Parochi essent, nec ratione curæ animarum delinquerent; hinc puniendi videbantur non à Diœcesano, sed à suis superioribus juxta præscriptum suorum privilegiorum; adductis etiam in hoc aliis à paritate argumentis, quæ videri possunt apud Fagnan. *ubi supr. à num.* 21. E contra Episcopus punitionem hujusmodi exemptorum sibi competere asserebat, quia licèt verba Concilij in littera non disponerent, nisi de Regularibus actu Parochis; in spiritu tamen comprehendebant etiam alios exemptos, qui de facto in Sacramentorum administrationem se ingessissent; tum ne melioris conditionis essent hi qui de facto & nullo titulo, quàm qui ratione curæ prævio examine, & approbatione, Episcopi Sacramenta administrant: tum quia, cùm ea omnia, quæ spectant ad regimen animarum, & Sacramentorum administrationem, commissa sint sollicitudini, & curæ Episcoporum, censetur eis tradita facultas procedendi contra quoscumque, qui quocumque modo adversus regimen hoc delinquerunt, cum executio sit potissima pars jurisdictionis, *cap. si delegatus de offic. deleg. in* 6. Hisce, aliisque rationibus hinc inde propositis, delata causa ad S. Congregationem Concilij, quamvis illius Patres tunc potiora esse Jura Episcopo-

coporum credidiſſent, quia tamen revera caſus non erat in antedictis Juris Canonici, & Conciliaribus ſanctionibus expreſsè deciſus, ideo ſpeciali Pontificia determinatione egere autumarunt; factoque verbo cum Sanctiſsimo, edita fuit particularis ſuper hoc Conſtitutio à D. Fagnano extenſa, qua cavetur, ut deinceps Regulares etiam non exercentes curam animarum, ſed ſolummodo Sacramenta miniſtrantes, ſubſint omnimodæ correctioni in iis, quæ eamdem Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, addita clauſula *tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati*, ad evitandum obſtaculum exemptionum, quatenus adeſſet.

17 Ex hac hiſtorica Bullæ Gregorianæ enarratione, cuicumque patebit, nihil per eam fuiſſe innovatum circa ea, quæ diſponuntur in *d. cap.* 11. *ſeſſ.* 25. neque illius caſum fuiſſe huic decreto Conciliari ſubditum; ſed proceſsiſſe in ipſius augmentum ad extendendam Epiſcoporum poteſtatem in Regulares non Parochos, Sacramenta adminiſtrantes de facto; atque ideo nemo debet judicare, Ordinariam juriſdictionem per Concilium *in d. cap.* 11. tributam Epiſcopis, fuiſſe per dictam Conſtitutionem commutatam in delegatatam; contradicente principio, quod ea, quæ in augmentum ſunt diſpoſita, non debent diminutionem opperari, *leg. legata inutiliter de adim. leg.* & quamvis Conſtitutio in principio generaliter ſubjiciat Regulares in iis, quæ concernunt ipſius curæ adminiſtrationem juriſdictioni delegatæ, tamen *in verſ. ita ut* limitat, & reſtringit diſpoſitionem ad perſonas delinquentes in adminiſtratione alicujus Sacramenti; prout declaravit S. Congregatio Concilij, de cujus voto edita fuit eadem Conſtitutio, & declarationem approbavit idem Gregorius XV. illius conditor per ea, quæ tradit Fagnan. in *cap. grave de offic. Ordin. n.* 37. ubi aſsignat differentiam inter diſpoſita in dicta Conſtitutione, & in *d. cap.* 11. Concludens juriſdictionem Ordinariam hic à S. Concilio traditam Epiſcopis non fuiſſe ſublatam per dictam Conſtitutionem, idemque ex Fagnani auctoritate probat P. Paſſerin. *de ſtat. homin. art.* 10. *inſpect.* 10. *n.* 94. *per tot.*

18 Secundo difficilis redditur ſententia noſtra ex Bulla 163. S. Pij V. quæ incipit: *Expoſcit*, & citatur *in hoc cap.* 10. *Concord.* ubi diſponitur, Eccleſias Parochiales Ordinis Hieroſolymitani, & illarum Parochos in concernentibus curam animarum juriſdictioni delegatæ Diœceſanorum eſſe ſubjectas: ſed ut difficultati huic ſatisfaciamus, & ſimul fundamentum pateat, quo noſ-
19 trum caput Concordiæ nititur, eſt notandum ab eodem S. Concilio Tridentino *in d. cap.* 11. duas apponi limitationes, in quibus illa immediata Ordinaria juriſdictio, Epiſcopis in Eccleſias & perſonas Regulares ratione curæ animarum & adminiſtrationis Sacramentorũ competens, ceſſat, & ſuſpenditur. Prima limitatio, cùm agitur de Eccleſiis, aut locis ubi Prælati Generales capita Ordinum reſident. Secunda, cùm agitur de Monaſteriis, aut Eccleſiis ubi Prælati Regulares omnimodam Ordinariam juriſdictionem obtinent, per ea privilegia, quæ tribuunt territorium ſeparatum cum qualitate *nullius*: ait enim S. Concilium: *Exceptis Monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates Generales, aut capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monaſteriis, ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochianos exercent.*

20 Virtute ergo hujus ſecundæ Conciliaris limitationis, evidens eſt, illas ab ordinaria Epiſcopi viſitatione Eccleſias Regulares excipi, in quibus earum Prælatus omnimodam ſpiritualem juriſdictionem habet privativè ad Epiſcopum

cum

cum vera qualitate *nullius*, ſive ut alij dicunt, in quibus Prælatus juriſdictionem Ordinariam exercet non modò in Parochos, ſed etiam in Parochianos; tunc enim, cùm deficiat ratio ſituationis à Concilio in prima parte requiſita, ibi: *In cujus Diœceſi ſitæ ſunt*, & conſequenter in Epiſcopo conceptus Diœceſani; ſiquidem locus *nullius Diœceſis*, ut verba ipſa ſonant, neque eſt in Diœceſi, neque de Diœceſi Rota *deciſ.* 207. *n.* 2. *part.* 2. *diverſ.* deficit etiam jus viſitandi in Epiſcopo; atque hoc jus ſimul cum univerſali juriſdictione, & cura animarum transfertur in Prælatum Inferiorem, ut conſtat ex dictis *in cap.* 4. *part.* 1. *n.* 99.

21 Hinc illud evenit, ut frequenter Prælati Inferiores, ad excludendam Epiſcopi viſitationem, territorij ſeparati cum qualitate *nullius* probationem ſuſcipiãt, & ſuper illius verificatione controverſiæ vertantur. Atque hinc etiam non probata hac qualitate, juxta regulas ſtatutas *in d. cap.* 4. *&* 3. *ſeqq. part.* 1. jus viſitandi favore Diœceſanorum declaratum fuit; ut ſanè accidit in controverſiis inter Archiepiſcopum Toletanum, & Ordines D. Jacobi, & Calatravæ, de quibus latè D. Salcedo *de lege polit. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 35. D. Caſtro *allegat. canon. alleg.* 8. Cùm enim ad excludendam Archiepiſcopi viſitationem privilegiis generalibus exemptivis uterentur, quæ ut diximus *in cap.* 6. *num.* 31. *part.* 1. nulli Ordini territorium ſeparatum concedunt, hinc prædictorum Eccleſias generali diſpoſitione Concilij *in d. cap.* 11. comprehenſas, & extra caſum limitationis *ejuſd. cap.* eſſe, rectè fuit declaratum.

22 Quoad Eccleſias verò Hieroſolymitanorum major utique aderat dubitandi ratio ob ampliſsima privilegia huic S. Religioni conceſſa, quæ territorium ſeparatum tribuere, iidem Hieroſolymitani credebant; ac perinde ſuas Eccleſias in limitatione *d. cap.* 11. eſſe comprehenſas: qua de cauſa frequentes inter Epiſcopos, & Hieroſolymitanos exarſere controverſiæ, quas ut finiret
23 S. Pius V. *in citat. conſt. Expoſcit*, declaravit Epiſcopos Diœceſanos tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos poſſe, ac debere viſitare Eccleſias, quæ quovis modo & titulo ad Sacram Religionem Hieroſolymitanam pertinerent, & intra Diœceſium terminos exiſterent, in pertinentibus ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum: *Etiam quod in eis* (verba ſunt Conſtitutionis) *Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem Religio & Milites prædicti haberent.* Ubi notandum eſt, non dici *etiamſi habeant*, ſed *etiamſi haberent*, quod eſt idem ac ſi dixiſſet, quamvis juriſdictio *nullius*, quam prætendunt, & non habent, eis competeret.

24 Ex his patet in primis ſolutio argumenti ſupra poſiti adverſus principalem Concluſionem, & ſententiam aſſerentem juriſdictionem Epiſcoporum in Eccleſias Regulares, & earum Parochos *in d. cap.* 11. eſſe ordinariam & non delegatam, nam ex hac ſpeciali Conſtitutione condita pro ſolo Ordine Hieroſolymitano; qui in amplitudine privilegiorum cæteros Ordines antecellit, quique munitum ſe exiſtimabat aſſerta juriſdictione quaſi Epiſcopali, deduci nequit argumentum, quod eadem juriſdictio delegata fuerit cõceſſa Epiſcopis quoad alios Regulares, ſimilibus privilegiis carentes, ac per conſequens citra dubium ullum comprehenſos ſub diſpoſitione S. Concilij Tridentini *in d. cap.* 11. per ea, quæ dixit Rota *cor. Pen. deciſ.* 1090. *num.* 14. *part.* 15. *cor. Caval. deciſ.* 101. *num.* 5. & in hac eadem cauſa, de qua agimus *in deciſ.* 70. *num.* 43. *part.* 13. *& in d. Firmana §. conſimili.* Quin & juriſdictio *in d. conſt. Expoſcit* conceſſa
25 revera eſt Ordinaria, ſed delegata dicitur ad verbalem ſatisfactionem Hieroſolymitanorum, qui aliàs forte ſua privilegia

vilegia alterata crederent, ut generaliter loquendo de pluribus locis Conciliaribus, in quibus Epiſcopis in exemptos delegata tribuitur, obſervat Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 100. *n.* 13. & latè diximus *in cap.* 1. *n.* 101. *part.* 1.

26 Deinde ex dictis apparet rectè in præſenti fuiſſe concordatum juxta citat. Conſtit. & Rotæ *deciſionem* 10. *Ianuarij* 1689. *cor. Molines*, ut Archiepiſcopus Toletanus uti Diœceſanus viſitet Parochiales Prioratuum juriſdictione delegata. At quia hæc juriſdictio Diœceſani non excludit juriſdictionem ordinariam Prælati Inferioris, nec illius viſitationem in materia adaptabili; ideo juxta juris rationem conventum eſt, ut has Eccleſias viſitet jure Ordinario Magnus Prior. Atque ita Archiepiſcopus viſitabit has Eccleſias quatenus ſunt Parochiales reſpectu habito ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum; Magnus verò Prior quatenus ſunt Regulares, & ſic ut bona Religionis conſiderantur, habito reſpectu ad Regularia inſtituta. In dimentiendis verò his reſpectibus, & particularibus reſpectivè actibus recenſendis, & attribuendis, dubia poterant excitari, ad quæ obtruncanda, ſequentia adhibentur concordata.

CONCORDAT. I.

27 UT eſt familiaris Legumlatoribus compendiarius ſermo, qui recta poſtmodùm interpretatione poſsit ſuppleri, *leg. neque leges* 10. *cum ſeqq. ff. de legib.* ſic PP. Tridentini *in cit. cap.* 11. *ſeſſ.* 25. juriſdictionem Diœceſani in Eccleſias Regulares curatas hac brevi clauſula concluſerunt: *Subſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent.* Poſtea autem ejuſdem Concilij Interpretum S. Congregatio ſæpè declaravit, hæc verba non rigidè, ſed commodè eſſe accipienda, ita ut comprehendant quidquid ab adminiſtratione Sacramentorum dependeat, aut in hanc curam influat, vel in ejus veniat ſequelam, ut teſtantur Tamburin. *de jur. Abbat. diſp.* 17. *q.* 3. *num.* 3. Barboſa *de jur. Eccleſ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 22. Campanill. *diverſ. jur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 49. Ventrigl. *in prax. part.* 2. *annot.* 24. §. 1. *num.* 11. Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 4. *num.* 6. Pignatell. *tom.* 2. *conſ.* 26. *num.* 28. & in hac cauſa Rota in *deciſ.* 11. *Decemb.* 1690. *num.* 21. junctis, quæ diximus in *cap.* 2. *à num.* 28. *h. p.*

28 Unde eadem Sac. Congregatio *d. cap.* 11. ita declaravit apud Barboſa *ad cap.* 7. *ſeſſ.* 7. *num.* 8. *Viſitare poteſt Epiſcopus non ſolùm Eccleſiam Parochialem unitam Monaſterio Ordinis S. Benedicti, cujus cura geritur à Monachis dicti Ordinis, ſed etiam Baptiſterium, & Tabernaculum ubi aſſervatur Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia exempta exiſtens.* Et facit etiam à contrario ſenſu alia ejuſdem S. Congregationis declaratio ibidem relata, his verbis: *Epiſcopos, aut aliorum locorum Ordinarios vigore cujuſvis decreti ejuſdem Concilij nullam habere facultatem quovis tempore in Monaſteriis, domibus, & Eccleſiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum Sæcularium, viſitandi Sacriſtias paramenta, Vaſa Sacra, & cætera hujuſmodi, aut etiam Tabernaculum, ſeu Pixidem in qua SS. Euchariſtiæ Sacramentũ aſſervatur.* Et his declararionibus inhærentes, expreſiſsimè tenet cum aliis Card. Albit. *de juriſd. Card. in Eccleſ. ſuor. tit. diſc.* 2. *q.* 11. *n.* 18. ibi: *Qui autem habet jus viſitandi Eccleſiam certum eſt poſſe viſitare Sacrariũ, ſive Sacriſtiã, ibidem ſuppellectilẽ, paramenta, & ornamenta neceſſaria, Vaſa Sacra, Cruces, Calices, Patenas, Thuribula, Candelabra, & alia de quibus per Fuſcũ &c.* videndus etiam Murga *in tract. de benef. q.* 2. §. 3. *n.* 85. Quibus ellucidata manent verba *huj. Conc.* quę dictis declarationibus & auctoritatibus mirè conſonnant.

Com-

29 Comprehendit etiam viſitatio Diœceſani in eiſdem Eccleſiis libros Baptiſmorum, & Matrimoniorum; quia viſitatio in cõcernentibus curam animarum & adminiſtrationem Sacramentorum, his non exhibitis, expediri non poterat. Unde in Congregat. 23. *Auguſti* 1705. *verſ.* 3. fuit reſolutum, ut libri Fabricarum harum Eccleſiarum Diœceſano exhiberentur, ut in eis ſcripta relinqueret mandata, quæ reparationem & ornatum pro Sacramentorũ adminiſtratione reſpicerent.

30 An Diœceſanus viſitare poſsit domum Parochi Regularis? vide apud Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 155. ubi expreſſo rem tractat, & affirmativam partem defendit.

CONCORDAT. II.

31 MAteria hujus Concordati ſatis patet ex dictis in *cap. præced. num.* 29. Unde in præſenti tantùm diſquirendum eſt, an Diœceſanus taxare poſsit eleemoſinas, quæ ratione Miſſarum præſtantur Collectoribus? Actum eſt de hoc dubio in *in Congregat.* 26. *Novembris* 32 1699. *verſ.* 6. & diſcordantibus Judicibus Nuncius Apoſtolicus confirmavit votum Judicum Archiepiſcopaliũ, quod ita erat: *Fueron de ſentir, que podia mandàr ſe llevaſſen los derechos ſeñalados en las Synodales de eſte Arzobiſpado privativamente ò reſpecto del Vicario de la Religion.* Conſtitutio, quæ de hoc loquitur eſt *la* 2. *in tit. de teſtam.*

33 Hinc deſcendit, quod ſi Diœceſanus invenerit aliquid ultra taxam peti pro juribus Miſſarum poſsit hoc reformare, ſicut poterit taxare alia emolumenta Parochialia, ut declararunt Judices in *cit. Congregat.* 26. *Novemb. verſ.* 1. & Apoſt. Nuncius confirmavit, quod inſuper ſubſtinetur ex traditis à Barboſa in *d. cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *num.* 7. ibi: *Regulares curam animarum perſonarum Sæcularium exercentes in emolumentis legitimè percipiendis prohiberi poſſunt per Epiſcopum, ne excedant taxam ab eo præfinitam. Sel. d. cap.* 112. *num.* 11. *ubi dicit reſolutum in Lim.* 18. *Septembris* 1652.

CONCORDAT. III.

34 SEquitur, ut de modo, quo peragi debet viſitatio Diœceſani videamus. Et in primis juxta *hoc* 3. *Concordat.* tenere debemus Archiepiſcopum Toletanum non teneri, viſitationem harum Eccleſiarum per ſe facere; ſed optimè poſſe ſubdelegare hujuſmodi viſitationem, licèt enim viſitatio ſit munus proprium ipſius Epiſcopi; tamen ſi adſit impedimentum ei permittitur per alium munus hoc explere, ut S. Congregatio pluries reſolutum habet, & apud Franc. Leon. in *Theſaur. for. part.* 2. *cap.* 16. *de viſit. num.* 30. ſic ait: *Ex aliis decretis Concilij poteſt Epiſcopus id facere per ſuum Vicarium, vel Viſitatorem dummodo ſit ipſe legitimè impeditus, etiamſi de viſitandis exemptis ageretur.* Quin etiam viſitationem Ec-
35 cleſiarum Sæcularium *nullius* in caſu, in quo Epiſcopo viciniori competit ex S. Concilio in *cap.* 9. *ſeſſ.* 24. *de Reform.* per alium, ſpeciali facultate præſtita, facere poteſt, Fagnan. in *cap. nullus de Paroch. num.* 29. Barboſa *ad Concil. in d. cap.* 9. *n.* 6. Et reſpectu Archiepiſcopi Toletani ſpecialis ratio militat ob magnam Archiepiſcopatus extenſionem, ut conſiderat Caſtro *allegat.* 8. *num.* 116. *& ſeq.*

36 Secundo ſciendum eſt, viſitationem harum Parochialium fieri debere à Diœceſano cum expreſsione juriſdictionis delegatę, ut habetur in cit. conſtit. *Expoſcit* S. Pij V. his verbis: *Volumus autem, quod Epiſcopi, & alij ſuperiores*
37 *prædicti viſitationem hujuſmodi & prædicta omnia ſolum, tanquam delegati Apoſtolicæ Sedis & gratis, & abſque ulla dictæ Religionis, Rectorum, & Miniſtrorum impenſa, & onere faciant*; ſed ſi in ali-

quo actu hujuſmodi expreſsio ommittatur, exinde inferendum non eſt ad nullitatem, ut in terminis Cardin. de Luca *de juriſd. d. diſc.* 100. *n.* 16. Et ratio eſt, quia talis expreſsio non influit in ſubſtantiam actus; cùm innegabilis ſit nativa juriſdictio Diœceſani, & ſolùm reſpicit verbalem ſatisfactionem exemptorum, ut ſupra diximus, quibus hac expreſsione omnis querelæ ratio aufertur; nam ſicut ipſi effugere non poſſent juriſdictionem Pontificis, ipſos viſitare volentis, ita nec illius, qui hoc ipſum nomine Pontificis facit, *ex vulgar. reg. in cap. qui per alium de reg. jur. in* 6. Barboſa *axiom.* 92. Valenz. *conſ.* 58. *num.* 4. *& conſ.* 63. *num.* 65.

38 Hæc quoad Diœceſani viſitationem, ſed cùm, ut jam diximus, has Eccleſias viſitare etiam poſsit ordinaria juriſdictione Magnus Prior, juxta limites ſuorum privilegiorum, hinc ex concurſu utriuſque Viſitatoris, & ſimultanea viſitatione, aliquæ ſunt ſubortæ difficultates, quæ ne curſum viſitationis ſiſterent à Judicibus fuerunt declaratæ in *Congreg.* 3. *Octob.* 1699. in hunc modum: *Se concordò, que deſde luego ſe dieſſe principio à la viſita por ambos Vicarios, cada uno en el Lugar de ſu reſidencia, deſuerte, que aun miſmo tiempo la puedan eſtar executando, no concurriendo en un miſmo* Lugar. *Lo ſe-*

39 *gundo, que el recivimiento, y aſsiento de uno, y otro Vicario ſea en la forma regular, y como ſe acoſtumbra en el Arzobiſpado.* Et cùm poſtea dubitaretur, an Clerici Sæculares S. Petri aſsiſtere & comitari tenerentur Vicarium Prioralem, Eccleſiam Parochialem viſitantem, reſolutum fuit in *Congregat.* 3. *Februarij* 1706. *verſ.* 2. his verbis: *En quanto à que el dia de viſita*

40 *aſsiſtan dichos Prerbyteros al Vicario de la Religion deſeando la Junta, que ſe reſpeten ambas juridiciones, como es devido, ſe reſolviò ſe execute lo acordado, y ſe eſcriva al Vicario Arzobiſpal, lo que pareciò à la Junta.* Archiepiſcopali autem Vicario fuit reſcriptum, ut urbanè ſe gerens, ſineret Clericos Sæculares excipere, & comitari Vicarium Prioralem, quæ reſolutio exornari poteſt ex dicendis in *cap.* 20.

41 Difficultas etiam occurrebat ſuper procuratione ſeu propinis viſitationis, quæ annexæ ſunt viſitationi, juxta *cap. venerabilis §.* 1. *de cenſib.* Fagnan. *in cap. venerabili num.* 11. *eod. tit.* nam licèt admittatur eamdem perſonam ſive locum compatibiliter poſſe duplici diverſæ juriſdictioni ſubeſſe, & ſimultanè viſitari; menti Canonum repugnare videtur, ut ſubditi duabus exactionibus graventur; cùm aliàs in Canonibus antiquis & noviſsimè in S. Concil. Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. moneantur ij, qui jus viſitandi habent, ne ſubditis graves oneroſive ſint inutilibus ſumptibus. Hac igitur de cauſa convenerunt Judices in *Congregat.* 3. *Octobris* 1699. *verſ.* 3. in hunc modum: *En quanto à los derechos ſe concordò, que por lo que toca à la viſita, que ha de hazer el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal, viſitando como delegado en los caſos, que previene* el cap. 10. de la Concordia, *no ha de llevar derechos algunos, como eſta concordado* en el cap. 11. de la Concordia, *y por lo que mira en los caſos, que la viſita es acumulativa de ambas Dignidades, ſe han de partir los derechos por mitad; deſuerte, que el que primero entraſſe en la viſita ha de cobrar ſolamente ſu mitad, y anotàr, que la otra mitad pertenece al otro Viſitador, para que deſta ſuerte no ſe graven los intereſſados, y Vecinos de aquellos Pueblos; pero en lo que fuere privativo de una, y otra Dignidad, que cada Vicario llebe por entero los derechos ſegun la coſtumbre.*

42 Frequentiores altercationes orte ſunt circa formam edictorũ, quæ in viſitationibus publicantur, de quo actum eſt in *Congregat.* 26. *Novemb.* 1699. *&* 5. *Decembris ejuſd. an. & in Congregat.* 26. *Novembris* 1700. *verſ.* 1. *&* 3. *Iunij* 1703. *verſ.* 4. *&* 17. *Spembris ejuſd. an.*

verſ.

verſ. 1. *&* 4. *Iulij* 1705. *verſ.* 4. *&* 7. *Auguſti* 1705. *verſ.* 1. ubi edictorum clauſulæ controverſæ diſcuſſæ & reformatæ fuerunt; ſed cùm in dies uterque Vicarius novas clauſulas meditaretur neceſſarium exiſtimarunt deputati Judices, ut funditus contentionum radicem evellerent, certam formam; quam alterare non poſſent, præſcribere, quam utique diſpoſuerunt juxta præſcriptum hujus Concordiæ in hoc, & in cæteris Capitibus.

CAP. XI.

Super viſitatione teſtamentorum, & defunctorum ab inteſtato, & ſuper juribus, & propinis viſitationis.

QUOAD viſitationem teſtamentorum cujuſcumque generis perſonarum Laicorum, ſeu Clericorum Sæcularium, concordatur privativè ſpectare ad Dignitatem Archiepiſcopalem, illiuſque Miniſtros, quamvis teſtatores in executores teſtamentarios nominent Equites, & Religioſos Ordinis, & illi Inſervientes. ¶ Secundo concordatur, quoad teſtamenta Inſervientium Religioni, qui fruentur eorum privilegiis, attento, quod cum morte ceſſet privilegium, pariter ſpectare viſitationem ad Miniſtros Dignitatis Archiepiſcopalis; excepto caſu, in quo hæredem inſtituant Religionem, quia tunc non debent ſe in aliquo intromittere, & ſpectare debet privativè viſitatio ad Miniſtros Religionis. ¶ Tertio concordatur, quod in eventum, in quem teſtatores Inſervientes, eorum animam hæredem inſtituant, & in executores teſtamentarios nominent Equitem Religioſum, ſeu Inſervientem, viſitare debeat privativè Vicarius Religionis; inſtituentibus autem illis hæredem, qui non ſit privilegiatus, quamvis in executores teſtamentarios nominent Inſervientes, aut quoſcumque alios privilegiatos, viſitare debet Vicarius Archiepiſcopalis privativè. ¶ Quarto concordatur, quod quoad teſtamenta Equitum, ſeu Religioſorum, qui licentiam habebunt teſtandi, viſitatio privativè debet eſſe Dignitatis Prioralis, ſine aliqua diſtinctione hæredum, neque executorum teſtamentariorū, quia in nullo caſu ſpectare debet ad Dignitatem Archiepiſcopalem. ¶ Quinto concordatur, quod in caſibus, in quibus ſpectabit cognitio defunctorum ab inteſtato ad Judicem Eccleſiaſticum, illam habere debet Dignitas Archiepiſcopalis privativè, cum conditione tamen, quod dare debet quartam partem illorum, quæ diſtribuentur ratione mortis

abinteſtato, Parochiæ defuncti, excipiendo ab hac regula generali Equites, & Religioſos ab inteſtato defunctos; & in eventum, in quem hæredes ab inteſtato ſint ex Equitibus, Religioſis, ſeu Inſervientibus, cognitio ab inteſtato privativè ſpectet ad Vicarium Religionis. ¶ Sexto, quod Dignitas Archiepiſcopalis pro viſitatione, quam faciet jure delegato, rerum concernentium Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, percipere non debet aliqua jura, ſeu procurationes, quia abſolutè debet eſſe gratioſa in hac parte in Parochialibus Religionis: Quò verò ad ea, quæ concernunt viſitationem Teſtamentorum, Capellaniarum, Memoriarum, & Confraternitatum, percipere debet Dignitas Archiepiſcopalis, ſeu Miniſtri illius jura, ſeu procurationes, quæ legitimè ad illam ſpectabunt, exceptis tamen Religioſis Ordinis S. Joannis pro viſitatione Capellaniarum jurium Patronatus, quibus fruentur jure ſanguinis, ſeu nominationis Patroni, vel perſonæ, ad quam legitimè ſpectabit; in hac verò limitatione non comprehenditur viſitatio teſtamentorum, ſeu adminiſtrationum bonorum Sæcularium, quorum onus Religioſis incumbet, quia in hoc caſu poterit Dignitas Archiepiſcopalis percipere jura.

SUMMA CAPITIS.

1 *Iuriſdictio Epiſcopalis extenditur in laicos in rebus concernentibus pietatem.*

2 *Executio teſtamentorum eſt res piiſsima.*

3 *Executio teſtamentorum omni jure Epiſcopis competit.*

4 *Epiſcopi cogere poſſunt exequutores, ut voluntatem teſtatoris adimpleant.*

5 *Si exequutores renuerint aut neglexerint voluntatem defuncti exequi, tunc executio devolvitur ad Epiſcopum.*

6 *Idem etiam dicendum de Prælatis Inferioribus* nullius.

CONCORDAT. I.

7 *Viſitatio teſtamentorum perſonarum Cleri, aut populi Sæcularis competit Diœceſano, etſi exequutores ſint exempti.*

8 *Viſitatio & executio teſtamenti ſpectat ad ordinarium defuncti.*

9 *Vicarius Prioralis nequit viſitare hæc teſtamenta prætextu quartæ funeralis.*

10 *Vicarius Prioralis nequit cogere hæredes, aut exequutores, ut ſibi exhibeant hæc teſtamenta.*

11 *Referuntur aliquæ declarationes Congregationis Concordiæ.*

CONCORDAT. II.

12 *De teſtamentis Servientium, & quales Servientes in præſenti intelligantur.*

13 *Hoc Concordatum procedit in Servientibus, tria requiſita non habentibus.*

14 *Teſtamenta Servientium viſitare competit Diœceſano.*

15 *Proponitur ratio dubitandi.*

16 *S. C. Tridentinum* in cap. 8. & 9. ſeſſ. 22. de reform. *comprehendit omnes Ordinarios.*

17 *Privilegium Servientis ſive ut perſonale, ſive ut locale conſideretur, ceſſat per mortem Servientis.*

18 *Privilegium perſonale, extincta perſona, deficit.*

19 *Privilegium conceſſum ratione alicujus qualitatis, deficiente qualitate, ceſſat.*

20 *Solvitur ratio dubitandi* num. 15.

21 *Differentia inter teſtamenta Servientium, & Religioſorum.*

Teſ-

22 *Teſtamentum Servientis, in quo Religio Hieroſolymitana hæres inſtituitur, viſitandum eſt à Vicario Priorali.*

CONCORDAT. III.

23 *Ad Vicarium Prioralem ſpectat viſitare teſtamentum Servientis, inſtituentis animam ſuam hæredem, & nominantis exequutores exemptos.*

24 *Executores ſubſtinent vicem hæredum, quando quis inſtituit animam hæredem.*

25 *Cùm Serviens relinquit exequutores non exemptos, etſi animam inſtituat hæredem, ſpectat viſitatio ad Diœceſanum.*

26 *Pariter viſitabit Diœceſanus, ſi perſona non exempta inſtituatur hæres, quamvis exequutores ſint exempti.*

27 *Exequutores ſubſtinent vices hæredum, cùm non datur verus hæres, ſecus cùm datur.*

28 *Ad quem ſpectet viſitare teſtamentum Servientis, qui animam hæredem inſtituit, nullo relicto exequutore?*

29 *Proponitur ratio dubitandi favore Vicarij Prioralis.*

30 *Hæreditas jacens repræſentat defunctum.*

31 *Si Clericus inſtituit animam hæredem, inventarij confectio pertinet ad judicem Eccleſiaſticum.*

32 *Reſolvitur dubium* num. 28. *favore Diœceſani.*

33 *Diſſolvitur dubitandi ratio, quia in hoc caſu non datur hæreditas jacens, quæ defunctum repræſentet.*

34 *Dicta* num. 31. *non procedunt ratione hæreditatis jacentis, & repræſentationis defuncti, ſed ratione cauſæ ſpiritualis, &* n. 36.

35 *Anima hæres inſtituta coram Eccleſiaſtico tantùm conveniri poteſt.*

37 *Cùm Clericus inſtituit hæredem laicum, inventarij confectio pertinet ad Iudicem Sæcularem.*

CONCORDAT. IV.

38 *Teſtamenta Hieroſolymitanorum viſitare privativè competit Vicario Priorali.*

39 *Religioſi ſunt exempti nedum quoad perſonas, ſed ratione Monaſterij, in quo morantur.*

40 *Funus Religioſorum pertinet ad Prælatum Regularem, ſi in Monaſterio decedant, aut ad ipſum commodè adſportari poſsint.*

41 *Teſtamenta propriè Servientium à Vicario Priorali ſunt viſitanda.*

42 *An Religioſi extra Clauſtra decedentes poſſint, irrequiſito Parocho, ad Monaſterium adſportari? Remiſsivè.*

CONCORDAT. V.

43 *Si inteſtati non adſit hæres, ad Iudicem pertinet funeris impenſas facere; ſi autem ſit hæres ipſe cogendus eſt, ut faciat.*

44 *In Caſtella eſt conſuetudine receptum, ut ſive adſint, ſive deficiant legitimi hæredes, Iudex in cauſa inteſtati diſponat.*

45 *Cauſæ inteſtatorum ſunt mixti fori.*

46 *Iudex Eccleſiaſticus in hac materia intelligitur Epiſcopus, & Prælatus* nullius, *non autem Prælatus* intra Diœceſim.

47 *Excipe I. ſi agatur de hæreditate ab inteſtato Equitis, aut Religioſi Hieroſolymitani.*

48 *Excipe II. ſi Religioſus aut Serviens ſit hæres ab inteſtato.*

CONCORDAT. VI.

49 *Procurationes viſitationis moderatæ eſſe debent.*

50 *Epiſcopus viſitans jure delegato Eccleſias Hieroſolymitanorum, procurationes non exiget.*

51 *Fallit ubi in conceſsione Eccleſiæ Epiſcopus jus procurationis ſibi reſervaverit.*

COMMENTARIUM.

1 JUriſdictio Epiſcoporum, quæ uni præcipuè charitati famulatur, in iis abs dubio luculentiùs explicatur, quæ pietatem concernunt, ut hac de cauſa etiam laici Epiſcopali judicio ſubſint, ut patet in *cap.* 1. *&* 2. *diſt.* 87. *& cap. ſuper quibuſdam de verb. ſignif.*

2 Atque ut nihil magis pium, quàm ultimarum voluntatum executio, *leg. vel negare* 5. *ff. quemad. teſtam. aper. text. in*

§. *ſi verò expreſsim in auth. de hæred. & falcid.* hinc omni jure latè fulget in hac parte Epiſcopalis poteſtas & auctoritas. Jus enim Romanorum Pontificibus ſuis
3 hanc poteſtatem conſignat in *leg. hæreditas* 50. *ff. de petit. hæred.* ibi : *Hæredes ad monumentum faciendum tandem Principali, vel Pontificali auctoritate compelluntur ad obſequium ſupremæ voluntatis.* Regium autem Jus noſtrum latiſsimam in hoc genere Epiſcoporum ditionem agnoſcit ; ut quæ nedum pietatem, ſed ſpiritualitatem quamdam concernat, ut habetur in *fine leg.* 7. *tit.* 10. *part.* 6. ibi: *E eſto deben ellos facer para cumplir la voluntad del teſtador, que es obra de piedad, è como coſa eſpiritual.* His Sæculi legibus mirè Sacri Canones conſentiunt, è quorum doctrina illud in primis habetur, ut curæ Epiſcoporum ſit generaliter omnium ultimarum voluntatum executio, ſive piæ, ſive non piæ ſint, *cap. indicante cap. Ioannes de teſtam. cap. ultima voluntas* 13. *q.* 2. Hoſtienſ. *in d. cap. Ioannes n.* 2. & 3. Genuenſ. *in prax. Archiep. cap.* 69. *num.* 25. Carleval. *de judic. tit.* 1. *diſp.* 2. *num.* 336. Deinde juriſdictionem habent
4 ordinariam, ut exequutores ſive teſtamentarios, ſive dativos conſtringant, ad pias defunctorum voluntates adimplendas, *cap. nos quidem cap. tua nobis de teſt. S. C. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* quod extenditur etiamſi exequutores ſint exempti ; ratione enim officij Epiſcopi ſubjiciuntur, ut *ex Clement. un. de teſtam.* tenet Pereyra *de manu Reg.* 1. *par. cap.* 16. *num.* 10. & *num.* 14. Carleval *ubi ſupra.* Ubi autem exequutores vel renuerint, vel neglexerint voluntatem
5 defuncti adimplere ; vel quando exequutor nominatus non fuerit, tunc utique executio ad Epiſcopum legitimè ſpectabit *ex. cit. juribus*, de quo latè Carpio *de executor. lib.* 1. *cap.* 21. & 22. Barboſa *de poteſt. Epiſcop.* 3. *part. alleg.* 82. Rouſſell. *lib.* 6. *hiſt. juriſd. Pontif. cap.* 3. *num.* 9. Antonell. *de regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 10. §. 2. Quod extenditur ad
6 Prælatos *nullius*, non autem ad reliquos Inferiores ex iis, quæ tradit D. Covarr. *ad d. cap. Ioannes n.* 1. & 2. & poſt eum Oliva *de for. Eccleſ. part.* 3. *q.* 35. *n.* 23. Ut autem hanc Canonicam poteſtatem exerceant Epiſcopi, eis conceditur, ut teſtamenta omnia poſsint inſpicere & viſitare. Quod quidem jus, ubi Epiſcopus eſt unicus Ordinarius, eſt incontrovertibile ; aſt ubi alter eſt Ordinarius Inferior, ut in præſenti, dubia poterant occurrere, quia aut teſtator, aut hæres, aut exequutores eſſent perſonæ exemptæ, & Prælato Inferiori ſubditæ. Hæc dubia ut præciderentur in propoſito, plures proponuntur caſus in ſequentibus Concordatis.

CONCORDAT. 1.

7 OCcurrunt primo loco teſtamenta perſonarum Populi, & Cleri Sæcularis, in quibus nominantur exequutores Equites, & Religioſi Hieroſolymitani, vel huic Religioni Servientes. Horum autem teſtamentorum viſitationem ad Diœceſanum ſpectare, concordatur in præſenti. Ratio autem eſt, quia viſitatio & executio teſtamenti pertinet ad Ordi-
8 narium teſtatoris, *d. cap. nos quidem*, & *cap. Ioannes de teſtam. leg. nulli* 8. *C. de Epiſcop. & Cler. Auth. de Eccleſ.* §. *quis autem collat.* 9. Carpio *de executor. lib.* 4. *cap.* 2. *à num.* 1. Chochier *de juriſd. in exempt. part.* 4. *q.* 49. *à num.* 5. Cùm autem teſtator, utpotè perſona de Populo, aut Clero Sæculari, ſubjectus ſit Diœceſano, qualis eſt Archiepiſcopus Toletanus in Oppidis Prioratuum ; hinc hujus tantùm eſt admittenda viſitatio. Nec impedit, quod exequutores à teſtatore nominati, ſint perſonæ exemptæ. Horum enim forũ quoad hoc non attenditur; quin ut jam vidimus *ſupr. n.* 4. & *in c.* 9. *n.* 14. quicumq̃ exempti exequutores ratione officij Diœceſano ſubjiciuntur.

Ten-

9 Tentavit tamen multoties Vicarius Prioralis teſtamenta hæc viſitare ratione & prætextu quartæ funeralis, Parochiis de jure debitæ; tum ratione legatorum, quæ Eccleſiis ſibi ſubjectis relinqui ſolét; quibus de cauſis ſicut verſatur Eccleſiarum, ſibi ſubjectarum intereſſe & commodum, ita exinde ſuam juriſdictionem locum habere contendebat. Actum eſt de hoc in *Congregat.* 21. & 26. *Novembris* 1699. *verſ.* 2. & 3. Cùmque Arbitri diſcordaſſent, quæſtio delata eſt ad Nuncium Apoſtolicum, qui *ſub die* 20. *Aprilis* 1700. contra Vicarium Prioralem dubium reſolvit.

10 Non abſimilis fuit poſterior prætenſio Vicarij Prioralis, ut ſibi exhiberentur teſtamenta perſonarum Sæcularium, ad effectum inſpiciendi, an legata Miſſarum eſſent executioni demandata; necnon ut ſciret, an teſtator memoriam aliquam, aut Capellaniam in ſuis Eccleſiis fundari juſiſſet. Quibus in caſibus ex eadem ratione intereſſe ſuis Eccleſiis reſultantis, prætenſæ ſaltem exhibitioni locum eſſe aſſerebat. Sed cùm propoſito dubio, de hoc etiam ageretur in *Congregat.* 28. *Maij* 1703. *verſ.* 3. prætenſam à Vicario Priorali teſtamenti exhibitionem ſuperfluam, ac per hoc denegandam, eſſe judicarunt: cùm enim in noviſsima Synodo Toletana *in Conſtit.* 3. *de teſtam.* caveatur corpora defunctorum non eſſe ſepelienda, quouſque hæredes, aut executores teſtimonium præſtent Collectori cum inſertione ultimæ ordinationis in ordine ad Miſſas & alia legata pia, expedita via patet Vicario Priorali, ut ſciat ac intelligat, quod ſua interſit, abſque teſtamenti exhibitione. Atque ita reſolutum fuit: *Que dicho Vicario* (Prioral) *ſe abſtenga de*

11 *pedir los teſtamentos para los fines referidos, y que ſe guarde en eſta razon lo eſtablecido por la Sinodal citada. Y ſi antes no ſe hubiere obſervado, que pueda mandar el Colector apremie à los Alvaceas, y Teſtamentarios en fuero propio de eſtos; para que ſe entreguen teſtimonios, ſin paſar por ſu juriſdiccion à proceder contra ellos derechamente.*

Ob eamdem rationem, & eumdem finem in *Congregat.* 9. *Septembris* 1703. *verſ.* 3. *Se reſolviò de comun acuerdo, que el Vicario de la Religion puede hazer ſe compulſen, y pongan en los Libros de viſita las clauſulas de los Teſtamentos, tocantes à cargas de Miſſas, con pie, y caveza de ellos, y de la miſma ſuerte de todos los bienes afectos à ellas, ò tomar ſobre ello informe, ò declaracion de los Teſtamentarios, Herederos, ò Poſſeedores en la forma que le pareciere mas conveniente, para que en todo tiempo ſe ſepa, y quede anotado en los Libros, con tal, que no ſe entrometa à viſitàr los bienes, ò poner mandatos ſobre ſu conſervacion, ni à conocer de los pleytos tocantes à ellos, como eſta acordado, y reſuelto por la Junta.*

Sed tamen cùm hæ reſolutiones non ſufficerent, ut dubia, & reſpectivè quærelæ ceſſarent, ut apparet in *Congregat.* 30. *Martij* 1706. *verſ.* 1. ideo proviſum eſt in *Congreg.* 16. *Maij ejuſd. an. verſ.* 2. in hunc modum: *Y en quanto à mãdàr la exibicion* (de los Teſtamentos) *para el efecto que ſe refiere* (ut computa nimirùm Collectoriæ formentur) *ſe reſolviò, que ofreciendoſe algun caſo de los que han dado motivo à eſte dubio; no proceda, ni lo haga en manera alguna en adelante contra los Seglares, ſin dar quenta primero à la Junta, para en ſu viſta mandar lo conveniente, ſin perjuicio de el derecho de ambas Dignidades.*

CONCORDAT. II.

12 SUccedit diſquirendum *in hoc* 2. *Concordat.* de teſtamentis perſonarum, quæ Servitio S. Religionis Hieroſolymitanæ ſunt addictæ; ſed cùm *ex cap.* 16. *concord.* ubi de eis agemus, duæ claſſes ſint ſervientium: prima eorum, qui verè, & propriè tales ſunt, utpotè tribus requiſitis ſuffulti. Secunda eorum, qui licèt

pro-

propriè Servientes non ſint, tamen ex diſpoſitione concordata *in d. cap.* 16. pro talibus habentur quoad aliquas cauſas; ideo hic ſcire oportet de quorum teſtamentis in hoc Concordato agatur, an de omnibus, vel potiùs de aliqua tantùm eorum claſsi? In hoc ergo
13 dubio dicendum eſt, hoc concordatum intelligi debere de teſtamentis Servientium ſecundæ claſsis de quibus rectè verificatur, quod fruuntur privilegiis Religionis, juxta dicenda in *d. cap.* 16. Teſtamenta ſiquidem propriè ſervientium, eorum nimirùm, qui tribus requiſitis gaudent, eodem numero habenda ſunt, ac teſtamenta Religioſorum, ut ſtatim videbimus in 4. *Concordat.*

14 Loquendo igitur de teſtamentis Servientium ſecundæ claſsis, illa eſt regula generalis in *h. cap.* conventa, quod illorum viſitatio & executio ad Diœceſanum ſpectet. Verùm ſtatim occurrit ingens dubitandi ratio; nam ut dictum manet viſitatio & executio teſtamenti
15 ſpectat ad Ordinarium defuncti: cumque notum ſit *ex d. cap.* 16. Vicarium Prioralem eſſe Judicem Ordinarium horum Servientium, huic ſanè & non Diœceſano hujuſmodi teſtamentorum viſitatio erat tribuenda. Nec impediet, quod Prioralis non ſit Ordinarius abſolutè;
16 ſufficit enim in præſenti, quod ſua Ordinaria juriſdictio Servientes comprehendat; quia diſpoſitio Tridentini *in d. cap.* 8. *& 9. ſeſſ.* 22. non ſolùm applicatur Epiſcopis, ſed omnibus Ordinariis, D. Covarr. *in d. cap. Ioannes à n.* 1. *de teſtam.* Matienzo *in leg.* 15. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil.* Carpio *de execut. lib.* 1. *cap.* 22. *à n.* 75. quos refert Moſtazo *de cauſ. piis lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 28. ubi eodem utitur argumento contra Diœceſanum favore Judicis Regiæ Capellæ, pro viſitandis teſtamentis Regiorum Capellanorum. Creſcit dubitatio, nam ſi hujuſmodi Servientes fruuntur omnibus privilegiis Hieroſolymitanorum; conſequens etiam videtur, ut illorum teſtamenta viſitet Vicarius Prioralis, cùm juxta 4. *Concordat.* eidem privativè competat viſitare teſtamenta Equitum, & Religioſorum.

17 His verò minimè obſtantibus, ſubſtinenda eſt regula *in hoc cap.* conventa ex illa clara convincentique ratione, quæ in eo exprimitur in illis verbis: *Attento quod cum morte ceſſet privilegium.* Quod quidem ampliùs illuſtratur: nam aut privllegium exemptionis Servientium conſideratur, ut perſonale, vel ut locale: Si ut perſonale, per-
18 empta perſona, & ipſum perimi neceſſe eſt; atque, ut exemptio ultra mortem non extenditur, nihil eſt cur eorum bona ſint exempta, aut eorum teſtamenta privilegiata, *leg. quia tale* 13. *ff. ſolut. matrim. cap.* 9. *de privil. cap. privilegium de regul. jur. in* 6. cùm mutatione perſonæ extinguatur privilegium, *leg. licitatio* 9. *§. fiſcus verſ. mercatores ff. de publican. & vectigal, leg. fin. C. de in offic. teſtam.* Valle *lib.* 4. *conſ.* 61. *à num.* 4. Gutierrez *de gavell. q.* 164. Carpio *de execut. teſtam. lib.* 2. *cap.* 16. *à num.* 43. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 10. *&* 11. Si verò privilegium ut locale conſideratur,
19 quatenus conceſum Eccleſiis Regularibus, comprehendentibus in eiſdem Servientes; adhuc extendi non poteſt ad Servientem defunctum, cùm per ejus mortem ceſſet ſervitium, undè ampliùs Serviens dici non poteſt, ſicut vacante Capellania per mortem, deſinit poſſe verificari Capellanus, *cap.* 2. *de conceſ. præbend.* Illud etenim juris rationi congruit, ut quando privilegium concedi-tur ratione alicujus qualitatis, ſicuti eſt illa Servicij, aut Capellaniæ, deficiente qualitate deficiat etiam privilegium, quod in ea fundatur: licèt enim Eccleſia, ſeu locus ſit in conſideratione concedentis privilegium, & hac ratione perpetuum eſſet deberet privilegium ob perpetuitatem Eccleſiæ ſeu loci;

tamen

tamen mens concedentis primariò, & principaliter movetur ob qualitatem temporalem illamque directè reſpicit, atque ob hoc perpetuum eſſe nequit privilegium, *ex doctr. leg. ſub prætextu* 9. *C. de Sacroſ. Eccleſ. leg. Medicos leg. ult. C. de prof. & medic. lib.* 10. Anton. Faber. *diffinit.* 9. *C. de dignit.* Narbona *in leg.* 9. *tit.* 16. *libr.* 8. *Recopil. gloſſ.* 9. *num.* 9. Fontanella *de pact. nupt. clauſ.* 3. *gloſſ.* 1. *num.* 3. Gironda *de privil. q.* 27. *num.* 1027. Parlador. *aifferent.* 19. *cap.* 1. *à num.* 3.

20 Nec jam obſtant, quæ ſupra dicebamus in ratione dubitandi, quia illa legitimè procedunt quoties exemptio ultra mortem extenditur; aliàs enim ceſſante exemptione, ut in præſenti, ceſſat etiam juriſdictio Prælati Inferioris. Atque hinc etiam non obſtat augmentum difficultatis: Teſtamenta ſiquidem Religioſorum à Prælato Regulari viſitantur, quia non ſolùm quoad
21 perſonas, ſed etiam ratione Monaſterij ſeu Religionis ſunt exempti, & ideo eorum exemptio poſt mortem durat, ut infra dicemus *in* 4. *Concordat.* Quod non utique procedit in Servientibus, qui licèt aliquo modo dici poſsint exempti ratione Eccleſiæ, primariò tamen & principaliter ſunt exempti & privilegiati ratione ſervitij; quæ qualitas cùm non ſit perpetua, ſed morte perimatur, impedit perpetuitatem exemptionis & privilegij.

22 Duo tamen ſunt caſus, in quibus Vicarius Prioralis teſtamenta Servientium viſitare poteſt, quorum unus ponitur per modum exceptionis in hoc Concordato, alter verò in ſequenti. Primus ergo caſus eſt, cùm Servientes inſtituunt hæredem S. Religionem Hieroſolymitanam, cui inſerviunt: tunc ſiquidem viſitatio teſtamenti ſpectabit ad Vicarium Prioralem, quia cùm in hoc caſu bona Servientium per aditionem fiant de patrimonio Religionis, *leg. ſed etſi plures* 10. *§. filio impuberi ff. de vulg. §.* 1. *inſt. de hæred. qual. & differ.* Gutierr. *in cap. quamvis pactum de pact. in* 6. *verb. omnia ſervari num.* 8. Pichard. *in Rubr. de hær. inſtit. num.* 16. continuare debet illud privilegium, quia bona permanent exempta; unde Vicarius Prioralis tanquam Judex teſtatoris, & præcipuè tanquam Judex hæredis, viſitabit & exequetur in hoc caſu teſtamenta Servientium.

CONCORDAT. III.

23 PRoponitur hic alter caſus, qui eſt velut exceptio aut limitatio ſuperioris Concordati; ut nimirùm Vicarius Prioralis viſitet teſtamenta Servientium, cùm eorum anima hæres inſtituitur, & nominantur exequutores alij exempti. Et ratio eſt, quia in hoc caſu executores à
24 defuncto nominati vicem hæredum ſubſtinent, ut latè Carpio *de execut. lib.* 3. *cap.* 9. *per tot.* & in præciſsis terminis Moſtazo *d. cap.* 7. *n.* 26. *& lib.* 1. *cap.* 11. *à num.* 61. Roſa *conſult.* 36. *num.* 25. *& ſeqq.* Galeota *controv.* 32. *lib.* 2. *num.* 5. & alij quos citat Romaguer *ad Synod.* Gerundenſ. *lib.* 3. *tit.* 7. *cap.* 8. *num.* 10. ac proinde ipſis incumbit onus viſitandi, & adimplendi hujuſmodi teſtamenta: unde quodammodo continuare videtur privilegium defuncti ratione exequutorum, & hinc per conſequens admitti debet juriſdictio privilegiata Vicarij Prioralis. Per contrarium autem ex hac ipſa
25 doctrina infertur, quod ſi, anima inſtituta hærede á Serviente, nominaverit exequutores non privilegiatos; tunc viſitatio Diœceſano competet.

26 Pariter etiam viſitabit Diœceſanus Servientis teſtamentum, in quo perſona non privilegiata hæres inſtituitur, quamvis relinquâtur exequutores privilegiati. Quin obſtet, quod in hoc caſu forũ exequutorum attendendum videbatur, ut in
27 caſu ſuperiori; magna ſiquidem differentia inter utrumque verſatur; nam cùm

anima

anima eſt hæres inſtituta, exequutores, ut diximus, ſubſtinent vices hæredum, quia tunc intellectualis tantùm hæres datur, nec anima extra hunc mundum poſita petere, aut reſpectivè conveniri poteſt; in proximo verò caſu exiſtit verus & proprius hæres, in quo prima radicatur obligatio viſitandi, & implendi ultimam defuncti voluntatem, etiamſi exequutores ſint nominati, qui propterea in hoc caſu meri exequutores dicuntur, nec opus eſt, ut vicem hæredum ſubſtineant, Spino *de teſtam. gloſſ.* 28. *num.* 3. *cum ſeqq.* Carleval *d. diſp.* 2. *n.* 336.

28 Hi ſunt caſus, qui in hoc Concordato comprehenduntur. Sed inſuper occurrit dubium: ad quem videlicet ſpectet viſitare teſtamentum Servientis, animam ſuam hæredem inſtituentis, nullo relicto exequutore? Res eſt hæc valde ſpecialis, & à pauciſsimis tractata. Et quidem videbatur dicen-

29 dum in propoſito dubio admittendam eſſe juriſdictionem Vicarij Prioralis: quia quoties nullus eſt hæres, hæreditas

30 ipſa repræſentat perſonam defuncti, *leg. hæreditas* 61. *ff. de adq. rer. dom. leg. mortuo* 23. *de fidejuſſ. leg. cum hæreditas* 9. *de petit. hæred.* Cùm autem anima hæres inſtituitur, nullus propriè eſt hæres, ſed eſt hæreditas jacens, repræſentans defuncti perſonam, quæ cùm eſſet exempta, & Vicario Priorali ſubdita, pariter exempta & eidem Vicario ſubjecta cõſiderari debet hæreditas, quoad effectum, de quo quærimus; ita ut propter defuncti repræſentationem continuare videatur in hæreditate illud privilegium, quod defuncto competebat. Confirmatur, nam quando anima, aut alia pia cauſa, hæres

31 inſtituitur à Clerico teſtatore, tunc inventarium pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, ex eo quod hæreditas illa repræſentat perſonam defuncti, Martha *de juriſd. part.* 4. *caſu* 122. *num.* 14. Franciſc. Marc. *part.* 1. *deciſ.* 105. & *deciſ.* 1058. *num.* 3. Pereyra *de manu Reg. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 21. Similiter igitur in præſenti dicendum videtur viſitationem, & executionem teſtamenti Servientis ad Vicarium Prioralem, ut Judicem defuncti, ſpectare, non ad Vicarium Diœceſanum, ut in ſimili caſu Regij Capellani argumentatur Moſtazo *d. cap.* 7. *n.* 25.

32 Hac tamen ratione dubitandi non obſtante, dicendum eſt in propoſito dubio competere Vicario Diœceſano viſitationem, & executionem teſtamenti Servientis, ex illa ipſa ratione, quam ſupra explicavimus, quia videlicet cum morte ceſſat privilegium. Nec admit-

33 tenda eſt repræſentatio defuncti in ratione dubitandi ponderata; negandum quippè eſt, quod ubi anima hæres inſtituitur, ſit hæreditas jacens; ſiquidem, ut reſpondet Moſtazo *d. cap.* 7. *num.* 26. tunc Ordinarius conſideratur ut hæres: unde Ordinario competit viſitatio, & executio teſtamenti. Nec tunc obſtat,

34 quod in confirmationem adducebatur, quia ſententia, quæ tenet inventarium pertinere ad Judicem Eccleſiaſticum, cùm anima, ſeu alia cauſa pia, hæres inſtituitur à Clerico teſtatore, non firmatur ex eo motivo, quod hæreditas ſit jacens, & per hanc defuncti Clerici perſona repræſentetur; ſed quia tunc agitur de cauſa ſpirituali, cujus cognitio privativè competit Judici Eccleſiaſtico, *ex d. cap.* 3. *d. cap. Ioannes de teſtam.* & cujus reſpectu incapax eſt Judex Sæcularis *cap. decernimus de judic. cum vulgat.* Nam anima hæres inſtituta ſolùm ligari

35 & abſolvi poteſt ab Eccleſiaſtico Judice virtute ſuæ juriſdictionis ſpiritualis: quamobrem coram eo convenienda eſt, ſive procedatur ex officio & in ſummario, ſive in plenario & petitorio, ut doctè propugnat Manrique *quæſt. Vicarial. part.* 1. *q.* 22. *per tot.* Non autem coram Sæculari Judice, qui ſine lege Canonica ambulans in his cauſis, quinimo ipſa repugnante, nulliter procedit;

&

& abſque alio fundamento, quàm quod præſtat *text. in leg. hæreditas de pet. hæred.* quæ utpotè civilis, & prophana extendi non debet ad animas defunctorum, quæ extra humanam exiſtunt juriſdictionem, Paſqualig. *de ſacrific. Miſſæ quæſt.* 1047. *num.* 7.

36 Nec quoad hunc effectum aliqnid operatur repreſentatio, quam gerit hæres perſonæ defuncti; nam ſi hæc attenderetur, eo tantùm caſu Judex Eccleſiaſticus admitteretur, cùm Clericus animam ſuam hæredem inſtitueret; non verò cùm laicus; quod utique falſum eſt ex iis, quæ tradit Manrique *d. q.* 22. quippè in præſenti ſolùm attenditur natura cauſæ. Præterea hoc ipſum confirmatur; nam ſi Clericus inſtituat hære-
37 dem laicum, tunc inventarium, juxta receptiorem opinionem, pertinet ad Judicem laicum, Gutierr. *Canon. lib.* 2. *q.* 49. *num.* 1. & 2. Martha *d. caſu* 122. *num.* 16. Bobadilla *polit. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 179. Carleval *de judic. lib.* 1. *tit.* 1. *diſp.* 2. *q.* 5. *num.* 337. & ad propoſitum Moſtazo *d. cap.* 7. *num.* 26. In quo ſanè caſu non attenditur repreſentatio defuncti, aliàs ad Judicem Eccleſiaſticum, non ad Sæcularem, inventarij confectio pertineret: ſolùm ergo inſpicitur, quod utilitas, quæ ex ſucceſsione derivatur, circa bona hæredis laici verſatur, quo reſpectu de cauſa prophana, & hoc ipſo ad Judicem laicum ſpectante, agitur. Similiter ergo in præſenti quæcumque, etſi adeſſet, repreſentationis ratio non eſt attendenda, ſed tantùm natura cauſæ, qua attenta, Epiſcopus hæres & exequutor deſignatus tam à teſtatore, quàm à Jure intelligitur.

CONCORDAT. IV.

38 SUccedit IV. Concordat. diſponens circa teſtamenta Equitum, ſeu Religioſorum Ordinis Hieroſolymitani, & ſuppoſita licentia, quam obtinere debent à ſuis Superioribus, pro teſtamento conficiendo, de quo latè egit Ferdinand. de Eſcaño *in propugn. S. Relig. Hieroſol. diſcept.* 9. *cap.* 5. *per tot.* concordatum fuit, ad hujuſmodi perſonarum teſtamenta viſitanda admittendum tantùm eſſe Vicarium Prioralem, excluſſo omninò Diœceſano. Ratio autem hujus concordati ea eſt, quod Religioſorum exemp-
39 tio extenditur ultra mortem; quippè non ſolùm exempti ſunt quoad perſonas, ſed etiam ratione Monaſterij, in quo morantur, *cap. per exemptionem de privil. in* 6. & notat *ibi* Gemin. *num.* 5. Anchar. *num.* 3. Rota *in Aretina, ſeu Montis Politiani juris viſitandi* 9. *Martij* 1596. *cor. Rubeo, & in Tiraſonenſi Iuriſd. de Tudela* 5. *Iunij* 1593. Quare ad eorum Prælatum, non ad Ordinarium, pertinet funus & ſepultura, ſi vel intra
40 Clauſtra moriantur, aut ſi extra deceſerint, dummodò commodè ad Monaſterium adſportari poſsint, ut litteraliter habetur in *cap. fin. de ſepultur. in* 6. ubi Gloſſa *verb. commodè.* Sanchez *in præcept. Decal. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. & 4. Lavor. *tom.* 1. *var. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 93. Ric. *in prax. part.* 4. *reſol.* 293. *num.* 39. Barboſa *de offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 26. Atque ex hac ipſa ratione infertur, quod
41 teſtamenta eorum, qui propriè & verè ſunt Servientes cum tribus requiſitis à Concilio, & Bulla Gregotiana diſpoſitis à Vicario Priorali viſitari debeant: in illis ſiquidem requiſitis, ut plenè militent privilegia exemptiva Religionis, verificatur habitatio intra Clauſtra, & obedientia Prælato Regulari, juxta dicenda in *cap.* 16. unde deſcendit differentiæ ratio inter teſtamenta propriè ſervientium cum tribus requiſitis & illorum, qui extra Clauſtra ſeu ſepta degentes, tantùm habent requiſitum ſervitij, ut illa viſitet Vicarius Prioralis, hæc verò Diœceſanus, ut fundavimus *in* 2. *Concord.* Quæ differentiæ ratio illuſtratur ex iis, quæ docet expreſsè Cardinal. de Luca

de

de Regular. diſc. 1. num. 50. & diſc. 52. num. 12. & à contrario ſenſu ex traditis à Moſtazo *d. cap. 7. num. 28.* ubi ad excludendum Capellæ Regiæ Judicem à viſitando teſtamento Capellani, illam tradit rationem, quod Capellanus nec in Capella moratur, nec ibidem decedit. An autem Equites Hieroſolymitani,
42 ſeu quicumque alij Regulares, poſsint, irrequiſito Parocho, in cujus Parochia decedunt, & abſque ejus licentia ab aliis Equitibus, ſeu aliis Religioſis, ad propriam Eccleſiam deferri, ibique tumulari? vide Pignatell. *tom. 4. conſ. 199.* ubi negativè dubium reſolvit. Videndus etiam Card. de Luca *d. diſc. 52. de Regul.*

CONCORDAT. V.

43 FRequentiſsimum eſt, ut quis teſtamentum omninò non faciat, aut id quod fecit, non jure valeat, & inde inteſtati cauſæ locus fiat, *§. 1. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. deferunt.* Quo ſanè caſu haud inconſultum remanſit, quominus pietatis officia defunctis impenderentur; ſed vel caſu, quo non adeſſent, qui ab inteſtato ſuccederent, partes Judicis interponebantur, ut funeris impenſa fieret, *leg. ſi quis ſepulchrum §. fin. ff. de relig. & ſumpt. fun. leg. 12. tit. 13. part. 1.* Aut ſi legitimi adeſſent hæredes, tunc hi cogerentur, ut ſecundùm qualitatem perſonæ defuncti, ejuſque patrimonij quantitatem, funeris expenſas, Miſſas & alia pia officia perſolvant, *leg. 7. tit. 10. part. 6. leg. 36. Tauri*, quibus conſonat *leg. nulli 28. C. de Epiſcop. & Cler.* Quin & in aliquibus ditionibus,
44 prout in noſtra Caſtella, uſu & conſuetudine eſt receptum, ut ſive legitimi hæredes adſint, ſive deficiant, Judex ſe intromittat & diſponat ad funeris expenſas, Miſſas, & alia legata pia pro anima defuncti, uſque ad mediocrem quantitatem, qualis quintum bonorum reputatur; de qua conſuetudine teſtatur eamque probat Moſtazo *de cauſ. piis lib. 6. cap. 6. num. 57.* & Card. de Luca *de teſtam. diſc. 24.* Abbas Juſtinian. *in addit. ad Navarr. in ſum. Bullar. ad comment. 123. part. 2.*

45 Cùm hæc ita ſint, ſucceſsit diſputandum, cuinam Judici competeret diſpoſitio & cognitio in cauſa inteſtati? In qua quæſtione quidquid aliqui diſputaverint; aſſerentes ſolùm Judicem Eccleſiaſticum in cauſis inteſtatorum competentem eſſe, ut apud Moſtazo *d. cap. 6. à num. 62.* illa tamen praxi & uſu eſt recepta ſententia, ut hæ cauſæ mixti fori reputentur, & conſequenter in illis procedat tam Judex Sæcularis, quàm Eccleſiaſticus, ſervata inter eos prævention.

46 His ergo ſuppoſitis, ſtatuitur in hoc Concordato, quod in illis caſibus, in quibus Judex Eccleſiaſticus diſpoſitionem, & cognitionem inteſtatorum habuerit, tunc illa diſpoſitio tribuenda ſit in propoſito Vicario Diœceſano, non Priorali; & ratio meo videri ea eſt, quia Canones tribuentes in hac parte juriſdictionem Judicibus Eccleſiaſticis, ſolùm accomodantur Epiſcopis, & Prælatis Inferioribus *nullius*, qui juriſdictionem habent in eos, qui ſunt de Populo, & Clero Sæculari; non verò Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, quorum juriſdictio extendi non debet ad ſubditos Diœceſani, junctis iis, quæ diximus *ſupra num. 5. & ſeqq.*

47 Duæ tamen exceptiones hujus regulę proponuntur in hoc Concordato prima eſt cùm agitur de hęreditatibus ab inteſtato Equitum, ſeu Religioſorum Hieroſolymitanorum: ex quo enim propter votum paupertatis bona horum Religioſorum ſunt in dominio Religionis, & ipſi tantùm uſumfructum habent, ut oſtendit latè Eſcaño *in d. diſcept. 9. cap. 1.* hinc ipſis ab inteſtato decedentibus, prædicta bona plenè ad ipſam Religionem, illiuſque Ærarium

ſpec-

ſpectant, ut habetur in Statutis ejuſdem Ordinis *tit. 5. de communi Ærar. num. 30.* Atque ideo cognitio cauſæ inteſtati in his terminis ad Prælatum Religionis ſpectat, quod confirmari poteſt ex iis, quæ tradit Eſcaño *d. diſcept. 9. cap. 6.* ubi etiam diſputat, an in ſpoliis Hieroſolymitanorum Ordinis Conſervator poſsit procedere contra Sæculares detinentes bona defunctorum.

48 Secunda exceptio eſt, cùm hæreditas ab inteſtato defertur Equitibus, aut Servientibus hujus S. Ordinis; tunc enim pariter Vicario Priorali danda eſt cauſæ cognitio: quod utique aperta fundatur ratione quia nimirùm Vicarius Prioralis certam juriſdictionem habet in cauſis civilibus ſuorum ſubditorum, ut *infra in cap. 16.* dicemus: & hæc exceptio confirmari poteſt ex ſupra traditis *numer. 22. & ſeqq.*

CONCORDAT. VI.

49 REſtat ultimum *h. cap. Concordatum*, in quo agitur de proponis viſitationis: & cùm generaliter Sacris Canonibus proſpectum ſit ne Eccleſiæ, aut Monaſteria ſumptibus, & immodicis procurationibus graventur, Concil. Toletan. 7. *can. 4. cap. cùm Apoſtolus* ubi plura D. Gonzal. *num. 8. de cenſib.* in præſenti & illud particulariter diſponitur, ut Dioe-
50 ceſanus viſitans jure delegato Eccleſias Hieroſolymitanorum in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum gratis viſitationem peragat. Hoc ipſum ſtatuit S. Pius V. in Conſtitut. quæ incipit *Expoſcit*, & eſt *la 136. §. 4.* de qua Nicol. *in floſcul. verb. viſitatio num. 1. ampliat. 3. verſ. etiam Parrochiales.* Leo *in theſaur. for. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 105.* atque hoc ipſum ſæpiùs reſolvit S. Congregatio, ut *in una Peruſina 11. Ianuarij 1578.* & *in una Senenſi 8. Martij* teſte Pignatell. *conſ. 58. num. 6. tom. 3.* ubi etiam tradit Conſtitut. S. Pij V. locum non habere, cùm Ordinarius in conceſsione Eccleſiæ
51 Hieroſolymitanis facta, ſibi & Succeſſoribus ſuis jus procurationum expreſsè reſervaverit, ex alia declaratione Sac. Congregationis in *Elnenſ. 27. Iulij 1604* Quid autem ſervandum ſit circa has propinas cùm uterque Vicarius cumulativè & ſimultaneè viſitat, diximus *in cap. præcedent. num. 70.* ubi retulimus reſolutionem Judicum Concordiæ in *Congregat. 3. Octobris 1699.* Reliqua verò, quæ in hoc Concordato præſcribuntur expoſitione non indigent.

CAP. XII.

Super exercitio cumulativo juriſdictionum delegatæ, & ordinariæ, formaque procedendi contra Parochos Priores.

IN primis concordatur, quod juxta conformitatem trium deciſionum Rotalium quarum ultima eſt ſub die ii. Decembris 1690. ſuper juriſdictione delegata conceſſa Dignitati Archiepiſcopali, quoad Eccleſias Religionis, & perſonas exemptas, & juriſdictione Ordinaria conceſſa Dignitati Priorali, cumulativè quælibet ex Dignitatibus uti poſsit

juriſdictione ſua ſimultaneà, & compatibiliter, non autem alternativà, nec præventivè, itaut præveniente una Dignitate, non poſsit alteri impediri uſus ſuæ juriſdictionis, ex eo, quia poſterius procedere inceperit, & in eventum, in quem adſit diverſitas, ſeu contrarietas ſententiarum, vel mandatorum ſuper uno, eodemque negotio, obſervari debebunt determinationes, vel decreta expedita à Dignitate Archiepiſcopali, ſalva tamen appellatione devolutiva ad Sedem Apoſtolicam. ¶ Secundo propoſito dubio, an Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis in cauſis, quæ coram illo agitabuntur, utendo juriſdictione delegata adverſus Parochos Priores Religionis ſuper cura animarum, & adminiſtratione Sacramentorum, eoſdem mulctare poterit, carceribus mancipare, vel procedere per viam cenſurarum, bonorumque ſequeſtrationem; concordatum fuit, quod hoc facere poterit juxta qualitatem cauſarum, & ſe regulando ad formam canonicarum diſpoſitionum; quo verò ad ſequeſtrationem bonorum, illam tantummodo in bonis mobilibus faciet, & in uſufructu ſtabilium, quibus fruentur, relinquendo eis ſufficientem congruam ſecundum eorum ſtatum, ac Beneficium. ¶ Tertio concordatur pariter, quod in hac juriſdictione delegata cumulativa comprehenduntur cauſæ, quæ occurrunt contra Parochos Priores pro eo, quod cõcernit eorum vitam, & mores, quibus mediantibus malum exemplum populo præbeant. ¶ Quarto, attentò quod Parochi Priores, & alij exempti, qui exercent curam animarum, extant hac de cauſa ſubjecti juriſdictioni delegatæ Dignitatis Archiepiſcopalis, dubitarique poteſt utrùm aliquis caſus ſpectet, vel ne ad curam animarum. Concordatum fuit, ad effectum evitandi competentias inter ambos Vicarios, quod competat Vicario Dignitatis Archiepiſcopalis declarare, an ſpectet ad curam animarum? Et an ſua ſit juriſdictio? Et hoc ſit ſalva appellatione ad Sedem Apoſtolicam in caſu gravaminis, juxta eamdem deciſionem Rotæ ſub die ii. Decembris 1690. ¶ Concordatur pariter, quod matriculæ Confeſsionum, & Communionum tempore Paſchali afferri debeant à Parochis Prioribus perſonaliter Vicario Dignitatis Archiepiſcopalis, & pariter Vicario Dignitatis Prioralis, dummodo impediti non exiſtant.

SUMMA CAPITIS.

1 *Parochi Regulares cumulativè ſubſunt Epiſcopo & Prælato Regulari.*

CONCORDAT. I.

2 *An hæc cumulativa intelligẽda ſit præventivè, aut ſimultaneè?*

3 *Videtur quod præventive I. ne quis à diverſis Iudicibus duplici pœna pro uno delicto puniatur.*

4 *II. quia cumulativa ex ſua natura præventivè intelligitur.*

Contra

5 *Contra videtur quod ſimultaneè, quia ſic accipitur in aliis locis Conciliaribus.*

6 *Quod in præſenti potiùs debet obtinere favore curæ animarum.*

7 *Diluitur I. fundamentum oppoſitum.*

8 *Diluitur II. objectum.*

9 *S. Rota in hac cauſa reſolvit cumulativam intelligendam eſſe ſimultaneè.*

10 *Quod procedit ſive in forma judiciali, ſivè extrajudiciali procedatur.*

11 *Confirmatur hæc doctrina declarationibus Iudicum Concordiæ.*

12 *In conflictu diſcrepantium decretorum prævalere debent decreta Diœceſani.*

13 *Fundatur I. ex prævalentia juriſdictionis Diœceſanæ.*

14 *II. ratione materiæ, quæ directè competit Epiſcopo, Prælatis verò Inferioribus indirectè.*

15 *Parochi ratione officij ſtrictam connexionem habent cum Epiſcopo.*

16 *Regulares quà Parochi nullam connexionem habent cum Prælatis Regularibus.*

17 *Parochus Regularis ratione officij arctiùs Epiſcopo, quàm Prælato Regulari illigatur.*

18 *III. confirmatur pluribus S. Congregat. declarationibus, & Rotæ deciſionibus.*

CONCORDAT. II.

19 *An juriſdictioni Epiſcopi in his cauſis inſit vis coactiva?*

20 *Reſolvitur affirmativè ex variis juribus.*

21 *Iuriſdictio abſque poteſtate coercendi nulla, & eluſſoria eſt.*

22 *Parochi exempti tenentur venire ad Synodum Diœceſanam.*

23 *Parochi exempti cogi poſſunt à Diœceſano, ut aſsiſtant conferentiis moralibus.*

24 *Parochi exempti tenentur ſervare mandata Epiſcopi relicta in viſitatione.*

25 *Eccleſiaſtica diſciplina corrueret, ſi Epiſcopo non liceret punire inobedientes.*

CONCORDAT. III.

26 *An delicta commiſſa à Parochis exemptis independenter ab officio puniri poſsint à Diœceſano?*

27 *Amplexatur ſententia affirmativa, & fundatur.*

28 *Ad officium Parochi ſpectat, quod bonum præbeat exemplum.*

29 *Confirmatur hæc ſententia variis auctoritatibus, & Nuncij Apoſtolici reſolutione.*

30 *Delicta Parochorum ab utroque Vicario ſimultaneè puniri poſſunt ex declaratione Iudicum Concordiæ.*

CONCORDAT. IV.

31 *Ad Diœceſanum ſpectat declarare, an cauſa pertineat ad curam animarum, & an ſua ſit juriſdictio? Remiſsivè.*

CONCORDAT. V.

32 *Matriculæ Confeſsionis, & Communionis inventæ ſunt, ut Epiſcopus cognoſcat numerum, ac ſtatum ſuorum ovium.*

33 *Matricularum uſum excogitavit Eminent. D. meus Cardinalis Ciſneros.*

34 *Parochi Priores tenentur deferre matriculam Vicario Diœceſano, & Priorali.*

35 *Ad quem ſpectet concedere licentiam abſentiæ Parochis exemptis?*

36 *Obligatio reſidentiæ Parochorum attribuitur Iuri divino.*

37 *Parochi abeſſe nequeunt à ſuis Eccleſiis abſque licentia Epiſcopi.*

38 *Concedere licentiam abſentiæ Parochis exemptis ſpectat cumulativè ad Epiſcopum, & Prælatum Inferiorem.*

39 *Interpretantur aliquæ auctoritates.*

COMMENTARIUM.

1 SÆPE diximus in hoc tractatu, & præcipuè in *cap. 6. & 10. h. p.* Parochos Regulares poſſe conſiderari, vel præcisè, ut Regulares, quo reſpectu certum eſt, ex vi voti obedientiæ obnoxios eſſe privativè Prælato ſuo Regulari, & ab Epiſcopo exemptos; vel conſiderari poſſe, ut Parochi, & tunc etiam notum eſt compatibiliter, & ſimultaneè ſubjectos eſſe Epiſcopo Diœceſano, & Prælato Regulari, illi quidem

ut Parocho univerſali, primoque Paſtori, à quo in munere Paſtorali dirigi ac corrigi debent; huic verò, quia licèt Parochi ſint, Religioſi eſſe non deſinunt, & delinquens in officio Parochi, aliter ac decet virum Religioſum operari videtur. Hac ſuppoſita veriſsima theorica quæ manet fundata *in cit. capp.* in quibus probavimus Eccleſias,& Parochos Prioratuùm compatibiliter ſubeſſe juriſdictioni delegatæ Archiepiſcopi Toletani, & Magno Priori, aliquæ adhuc remanebant difficultates circa exercitium utriuſque juriſdictionis, quæ ut elevarentur, ſequentia adhibentur concordata.

CONCORDAT. I.

2 PRima ergo difficultas reſidebat in explicando hoc concurſu cumulativo; nam Miniſtri Priorales prætendebant, ut cumulativa juriſdictionis delegatæ Archiepiſcopi, & ordinariæ Magni Prioris intelligeretur prævenitivè, non verò ſimultaneè, quod utique fundabatur. I. Quia aliàs in praxi grave ſequeretur inconveniens, quod pro uno de-
3 licto poſſet quis coram diverſis Judicibus conveniri, & ab eiſdem duplici pœna puniri; quodque ſemel abſolutus, ſeu cõdemnatus, iterum poſſet vexari, quod improbari debet, ut in ſpecie faciunt Barboſa in *collect. ad Conc. ſeſſ. 6. de Reform. cap. 4. num. 15. & de poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 73. n. 5. & 31.* Saravia *de adjunct. q. 24. num. 15.* Tondut. *de prævent. part. 2. cap. 45. n. 18.* Fagnan. *in cap. quanto n. 41. & ſeq. de offic. Ordin.* II. Quia in conflictu duorum Judicum,
4 quorum ſinguli habent juriſdictionem in ſolidum, locus eſt præventioni, attenta vera natura cumulativæ juriſdictionis, ut, pluribus relatis, fundavimus *ſupra in cap. 3. num. 142.*

5 Ex adverſo autem Miniſtri Archiepiſcopales cumulativam accipiebant compatibiliter & ſimultaneè; ita ut uterque Vicarius ſive priùs, ſive poſteriùs ſua juriſdictione uti poſſet, nulla prævention is habita ratione, eo præcipuè fundamento, quod cumulativa ſic regulariter procedit in omnibus caſibus, in quibus agitur de juriſdictione delegata à Concilio Ordinariis, in concurſu alterius Inferioris Prælati, habentis Ordinariam, Garc. *de benef. part. 2. cap. 5. num. 194.* Gratian. *diſcept. 154. num. 40.* Gonzal. *ad reg. 8. in proœm. 2. §. 2. n. 21.* Tondut. *d. cap. 45. num. 17.* Barboſa *d. allegat. 73. num. 5. & 31.* Quod in
6 præſenti magis admitti debet ob favorem curæ animarum, & adminiſtrationis Sacramentorum, quæ cauſa præcipuè ſpectat ad munus paſtorale Epiſcopi, cui jugis & indefeſſa ſolicitudo ſuper oves ſibi commiſſas incumbit ex illlo *Act. Apoſtol. 20.* ibi : *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Et ex illo Ezechielis *cap. 34. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Et ex S. Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. de Reform. cap. 1.* ibi : *Quarum ſanguis de eorum manibus à Supremo Iudice requirendus, nec admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves commedit, & Paſtor neſcit.* Quod luculenter etiam demonſtrant Canones in *cap. 3. §. in Eccleſiis cap. cum Capella 16. de privileg. & cap. 1. de verb. ſignif. in 6.* cum aliis expenſis *ſupra in cap. 10. à num. 7.* qui dum hanc Epiſcopo curam exprimunt inhærentem, etiam eidem poteſtatem in Inferiores Paſtores confirmant. Quæ utique, ut in re maximi momenti, turbari non debet, aut in diſcrimen poni, ut accideret ſi cumulativa prævenitivè intelligeretur; quia tunc Inferiores Prælati poſſent præveniendo, antevertere, & elludere juriſdictionem Epiſcoporum, ut in terminis notat Card. de Luca *de juriſ. diſc. 4. n. 4.* Alter de Luca *ad Grac. diſcep. 15. n. 21. verſ. hæc cumulativa.*

Nec

7 Nec fundamenta oppoſita urgere dicebant; nam quoad primum duplicis proceſſus, & pœnæ in caſu ſimultaneæ, reponebant tolerabilius eſſe, quod uterque ſuperior poſsit punire, quàm admittere aliquid, quod juriſdictionem Epiſcopi directè, vel indirectè poſſet turbare, aut impedire in hac materia, à Sacris Canonibus adeò enixè Epiſcopis commendata; quin & illius favor ſuadet expediens eſſe, ut Miniſter, circa eam malè ſe gerens, duplici ſuperiori,
8 & correctioni ſubjaceat. Quoad ſecundum verò oppoſitum, dicebant, AA. cumulativam aliter intelligentes, procedere in caſibus diverſis, nec loqui de punitione delictorum, reſpicientium curam animarum.

9 Cùm hæc ſtarent fundamenta pro Dignitate Archiepiſcopali reſolvit S. Rota in *deciſ.* 10. *Ianuarij*, *& in alia* 17. *Iunij* 1689. cumulativam juriſdictionem in concernentibus curam animarum competentem Archiepiſcopo, & Magno Priori in Parochias Regulares, & eorum Parochos, non præventivè, ſed ſimultaneè, & compatibiliter eſſe accipendam. Cùmque Miniſtri Priorales hanc deciſionem reſtringere vellent
10 ad caſum viſitationis extrajudicialis & ſine proceſſu, non verò quando ageretur de ea morum correctione & extirpatione abuſuum, quæ expletur forma ordinaria judiciali, & contentioſa pro quo adducebant ſupra poſita fundamenta, re iterum perſpecta in *deciſ.* 11. *Decembris* 1690. ex proximè traditis rationibus confirmatæ fuerunt præcedentes deciſiones, & juxta eas formatum eſt hoc primum Concordatum.

11 Hæc doctrina & regula hodie eſt indubitata, ita ut ad reſolutionem cujuſque dubij nihil ampliùs ſit quærendum, quàm natura cauſæ controverſæ, an videlicet ad curam animarum pertineat, vel non. Sic igitur in *Congregat.* 19. *Septembris* 1701. *verſ.* 2. in quadam controverſia ſuper exercitio cumulativæ juriſdictionis, ita convenerunt Judices. *Lo ſegundo ſe controvirtiò, à qual de los Vicarios pertenece el conocimiento de la cauſa del Prior de Santa Maria de Conſuegra, ſobre que uno, y otro Vicario eſtàn procediendo; y ſe reſolviò, que por lo tocante à la cura de Almas, y conſiguientemente de la cumulativa ſimultanea, ſegun los* capp. 3. y 12. de la Concordia. *Que el Vicario de la Religion no debe embarazàr el conòcimiento del Vicario de la Dignidad Arzobiſpal, que podrà deſde luego continuar ſus procedimientos, ſegun y como ſe previene por dichos capitulos de la Concordia.* At cum Vicarius Prioralis præfatum Priorem impediret, quominus coram Diœceſano compareret, ea nimirùm de cauſa, quod actu illius cauſæ cognitiòni intenderet, conquæſtus fuit Diœceſanus, & re iterum ad Judices delata, in *Congregat.* 2. *Ianuarij* 1702. *verſ.* 2. ita ab eiſdem fuit conventum: *Que dicho Vicario, fenezca, y concluya la cauſa dentro de un mes, computado deſde* 12. *de Febrero inmediato, para que tenga efecto lo concordado en dicha Junta de* 19. *de Noviembre, y lo que previenen los* capp. 3. y 12. de la Concordia.

Juxta eamdem regulam, ſuborto dubio inter Municipes de Villafranca, & Parochum Priorem ejuſdem Oppidi, circa facultatem nominandi Concionatorem pro tempore Quadrageſimæ, cùm controverterent Vicarij, ad quem hujuſmodi cauſæ cognitio ſpectaret, in *Congregat.* 25. *Februarij* 1706. *verſ.* 1. de hac re egerunt Judices, & dubium concordarunt in *Congregat.* 16. *Maij ejuſdem anni verſ.* 3. in hunc modum: *En quanto al punto de juriſdiccion que ſe ha ſuſcitado, ſobre ſi ſe debe diſputàr ante el Vicario de la Religion, ò el de la Dignidad Arzobiſpal, conſiderando eſte caſo perteneciente à cura de Almas, por dirigirſe à inſtruir à el Pueblo con la Divina palabra; ſe reſolviò, que uno, y otro Vicario puedan*

proceder en conformidad de lo prevenido en el cap. 3. de la Concordia, *y reſuelto en el primer Concordato del* cap. 12. de ella, *y que en contrariedad de mandatos ſe eſtè à la determinacion, que en el ſe previene.*

Similis præcedenti eſt reſolutio à Judicibus concordata in *Congregat.* 26. *Iunij* 1700. *verſ.* 4. ibi: *En quanto al Comparendo deſpachado por el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal contra el Cura Prior de Tembleque, y cauſa que ſe ha fulminado por aver dado ſepultura ſin ſu licencia, à una muger, que dizen ſe hechò en un pozo. Se concordò, en conformidad del* cap. 12. de la Concordia, *que pueda proceder dicho Vicario, ſin embargo de eſtàr prevenida la cauſa por el Vicario de la Religion, por no impedirſe los procedimientos de una juriſdiccion à la otra, como ſimultaneas, y compatibles, por que puede proceder uno, y otro, y ſuſtanciar cada uno ſu cauſa, reſpecto de lo referido en el dicho Capitulo.*

12 Admiſſo hoc cumulativo, & ſimultaneo uniuſque juriſdictionis concurſu, concordari etiam opportebat, cujuſnam videlicet decreta eſſent præferenda, in caſu diſcrepantiæ: & circa hoc in *verſ. in eventum*, ſtatuitur in conflictu decretorum illa Diœceſani prævalere debere, quod fundatur I. Ex 13 ipſa juriſdictionum natura & prævalentia, nam Diœceſana Superior, univerſalior, ac favorabilior eſt, ex traditis in *cap.* 1. 2. & 5. *parr.* 1. juriſdictio verò Prælati Inferioris inferior, limitata, & odioſa cenſetur, ut ad propoſitum notat Van-Eſpen *Iur. Eccleſ. tit.* 12. *cap.* 5. *à num.* 1.

14 II. Ratione materiæ, nam hic agimus de decretis concernentibus curam animarum, quæ quidem directè ac velut in centro reſidet in Epiſcopo, uti Paſtore univerſali ſuæ Diœceſis. Itaque Parochi directè & ex officio Epiſcopo ſubſunt, Prælatis verò Inferioribus nonniſi indirectè & per quamdam, ut ita dicam, reflexionem. Quod patet, nam Regulares Parochi ſubſunt Epiſcopo, quia ab ipſo media inſtitutione officium 15 Parochi accipiunt, ut vidimus in *cap.* 6. *h. p.* & ab ipſo conſtituuntur Miniſtri Hierarchiæ Eccleſiaſticæ; itaque Parochi habentur ad Epiſcopum ſicut Bajulivi ſive Præpoſiti ad Regem, ut ait Lother. *de re benef. lib.* 1. *q.* 9. *num.* 79. & 81. vel ut membra reſpectu capitis, ut patet ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 6. quippè ipſis non incumbit principaliter cura & Paſtorale munus, ut Epiſcopis; ſed quædam duntaxat adminiſtratio in quantum participant de cura, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 184. *art.* 6. *in reſp. ad* 2. & 3. conſiderat Lother. *d. q.* 9. *num.* 81. Clericat. *de juriſd. diſcord.* 26. *num.* 32. & *ſeq.* Rota *part.* 11. *recent. deciſ.* 301. *num.* 8. Ergo Regulares Parochialibus præpoſiti, ut Parochi, eum ordinem, ſeu relationem ad Epiſcopum præſeferunt, ut ab illo præcipuè dependeant, & illius præcipuè decreta debeant obſervare: nam rectæ diſciplinæ, & Eccleſiaſticæ concordiæ ratio exigit, ut in unoquoque ordine inferiora majoribus ſubſint, *cap. in apibus* 7. *q.* 1. & membra Capiti indivulſe adhæreſcant, *cap.* 1. *diſt.* 12. *cap. cùm non liceat de præſcript.* junctis, quæ diximus in *Proœm. & cap.* 1. *part.* 1.

16 Ex adverſo autem Regulares, quà Parochi, nullam connexionem cum ſuis Prælatis tenent, nec ad illos dicunt relationem; cùm notum ſit, illis tantùm ſubeſſe, quia Regulares ſunt; & certum etiam eſt nulli Regulari, ut tali, Parochi munus competere, ut advertit Van-Eſpen *d. tit.* 12. *à num.* 42. Nec aliunde Prælatis Regularibus hæc cura eſt conceſſa; nec ipſis illæ Oves concreditæ, ut ratiocinatur D. Salcedo *de lege polit. d. cap.* 17. *num.* 28. Unde non directè, & ex officio Regularis Parochus in materia, concernente curam animarum, Prælato Regulari ſubeſt; ſed tantùm indirectè, & per quamdam reflexionem, qua-

quatenus nimirùm Regularis ille curæ præpositus, non desinit esse Religiosus, Prælato suo, quà talis subjectus; & ad Regulæ observantiam spectare videtur, quod in officio Parochi cum voluntate Superioris semel constitutus, rectè & rite munus injunctum exerceat; nam male se gerens in officio Parochi, hoc ipso partes veri & probi Religiosi non adimplet. Manet ergo materiam hanc curæ animarum ad Episcopum directè, ad Prælatum verò Inferiorem indirectè, spectare; ac proinde illius decreta in conflictu in eadem materia debent prævalere. Et in confirmationem mirè facit

17 specioſa doctrina D. Thomæ in *lib. 2. ſentent. diſt. 44. q. 2. ad 3.* ibi: *In his quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, magis tenetur Monachus obedire Epiſcopo, quàm Abbati; quia in his Abbas eſt Epiſcopo ſuppoſitus.* Unde rectè plures ſcribere Parochum Regularem, ipſa muneris Paſtoralis ſuſceptione, arctiùs & ſtrictiùs Epiſcopo, quàm Prælato ſuo Regulari teneri & illigari, Rodriguez *quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 34. art. 6.* Pellizar. *in manual. Regular. tract. 4. cap. 114. & tract. 8. cap. 4. num. 117. in fin.* Fraſſ. *de Reg. Patron. Indiar. cap. 56. n. 14.* Pauluc. *diſſert. 11. n. 13.*

18 III. Comprobatur hæc ſententia pluribus decretis Sac. Congregationis, quæ refert Gallemart *ad cap. 11. ſeſſ. 25 de Regular.* & copiosè Monacell. *in form. legal. tit. 5. formul. 2. num. 2. & tit. 13. form. 2. num. 52.* & pluribus S. Rotæ deciſionibus, ut, ommiſsis, quæ congeſsit Urſaya *tom. 2. part. 1. diſcept. 5. num. 14.* expreſsè eſt deciſum in noſtro caſu *in deciſ. 10. Ianuarij 1689. num. 10. in deciſ. 17. Iunij 1689. num. 11. & in deciſ. 11. Decembris 1690. num. 7.* ibi: *Et hæc ita procedere viſa ſunt, ut etiam data incompatibilitate, vel diſcrepantia decretorum Eminent. Archiepiſcopi, & Magni Prioris, debeant illa Ordinarij, & ejus juriſdictio prævalere.* Et poſt has deciſiones declaravit Rota in *Burgenſ. juriſdict. 3. Auguſti 1714. & 1. Iulij 1715. §. conquæſtio cor. Scoto.* Unde ſuper hoc ampliùs dubitandum non eſt, ut cum Barboſa in *voto 121. n. 10.* dixit P. Murga *tract. de benef. dub. 6. num. 115.*

CONCORDAT. II.

19 DUbitare ſanè aliquis fortaſſe poterat, an juriſdictio, quæ Epiſcopo Diœceſano competit in cauſis, ad curam animarum pertinentibus in Parochos aliàs exemptos, ad id tantùm extenderetur, ut Diœceſanus, quid faciendum eſſet præciperet, & decerneret; vel potiùs id etiam comprehenderet, ut non facientes, & contumaces, poſſet cogere, & corrigere? Quod dubium breviter eò recidit, ut quæratur, an juriſdictioni, competenti Epiſcopo in his cauſis, inſit tantùm vis præceptiva, vel etiam inſit coactiva? Quia aliquis fortè dicet nullum inconveniens in hoc eſſe, nec cum ratione Juris pugnare, ut in uno adſit poteſtas præcipiendi, in altero verò poteſtas exequendi, & puniendi; ut ita in præſenti juriſdictionem ſuam exerceret Epiſcopus præcipiendo, & inobedientes remitteret Prælato Inferiori ad puniendum.

20 Sed ſanè hoc dubium omni prorſus fundamento caret, & manifeſtè in Juris principia impingit, ut patet *ex leg. 1. §. fin. de offic. ejus cui mand. eſt. juriſd.* ibi: *Et imperium, quod juriſdictioni cohæret mandata juriſdictione tranſire, quod verius eſt; & ex leg. ult. eod. tit.* ibi: *Mandata juriſdictione privato, etiam imperium, quod non eſt merum videtur mandari; quia juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt.* Fruſtra ſiquidem diceretur jus, niſi id, quod eſt dictum, ratum imperio effici poſſet, atque ideo juriſdictio, & hæc modica coercitio, quam aliàs dicimus imperium mixtum, conjuncta ſunt, ut probat Donell. *lib. 17. com. cap. 8.*

ita

ita ut nulla ſit juriſdictio, cui hoc imperium non cohæreat, nec ullus ſit Magiſtratus, qui non habeat aliquod imperium, etſi non omnis idem, ut cum Ariſtol. *lib.* 4. *polit.* 15. Perion. *lib.* 1. *de Roman. & Græc. Magiſtr. pag.* 208. tenet Oſſual. *ad Donell. d. lib.* 17. *cap.* 7. *lit. h.* contra Bodin. qui 3. *de Rep. cap.* 3. quoſdam Magiſtratus admiſsit cum imperio ſine juriſdictione, & quoſdam cum juriſdictione ſine imperio; quem & refutat ſup. Gentil. *lib.* 2. *de juriſd. cap.* 2. Quibus ſtantibus, cùm Dicœceſano Epiſcopo competat juriſdictio viſitandi Ec-
21 cleſias, & Parochos Regulares, & præcipiendi quęcumq̃ ad animarum curam, per eos adminiſtrandam, expedire judicaverit, neceſſariò & inevitabiliter concedendum ei venit illud mixtum imperium, ſeu modica coercitio, ut quæ ipſe ſtatuerit, & ordinaverit rata & firma maneant; cùm ex juris cenſura quoties alicui juriſdictio conceditur, & illa conceſſa intelligantur, ſine quibus ipſa exerceri, & expediri non poteſt, *ex vulg. text. in leg.* 2. *ff. de juriſd. & cap. præterea de offic. deleg.* Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 17. *num.* 2. ne aliàs ſi juriſdictio ſimpliciter diceretur conceſſa, ſine hac facultate imperandi, & coercendi *nulla* eſſet, ut Conſultus ait in *d. leg. ult. de offic. ejus*, aut *eluſoria*, ut ait Pontifex in *cap. ex litteris* 20. *de offic. jud. deleg.* cui conſonant *text. in cap. bonæ* 4. *de poſtul. Prælat. leg. ſi Prætor.* 77. *de jud.* D. Gonzalez *in cap.* 1. *de offic. jud. deleg. numer.* 18.

22 Quod ulteriùs ſuadetur ab inconvenienti, & quidem maximo, pro quo priùs notandum eſt Parochos, etſi exemptos, teneri venire ad Synodum Dicœceſanam, *cap. quod ſuper his. de maj. & obed. Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 2. Paſqualig. *ad Franch. de controv. inter Epiſcop. & Regular. part.* 1. *num.* 17. Paſſerin. *de ſtat. homin. q.* 189. *art.* 10. *num.* 1015. & aliis relatis Romager. *ad Conſtit. Gerund. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *n.* 10. Similiter compelli poſſe à Dicœceſano,
23 ut conferentiis moralibus aſsiſtant, ut ſæpiùs reſolvit S. Congregatio Concilij apud Gavant. *in manual. verbo Parochorum munere num.* 27. Nicol. *in floſcul. verb. caſus conſcientiæ num.* 4. Monacell. *formul. legal. tit.* 6. *formul.* 20. *num.* 15. Clericat. *de pœnitent. deciſ.* 38. *num.* 28. Tandemque hos Parochos teneri adimplere, & obſervare Epiſcopi mandata,
24 munus Parochi concernentia, & alia quæcumque in viſitatione edita ad curam animarum & morum correctionem, ut ex Concilio Tridentino in *d. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 11. *& ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 3. tenet Roſa *de Reſident. ſect.* 6. *per tot. maximè à num.* 21. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 14. *à. num.* 2. *& de poteſt. Epiſc. alleg.* 74. *n.* 7.

25 Nunc verò ponamus Parochos exemptos in his caſibus Epiſcopo obedire detractare, quis non videt Epiſcopi poteſtatem ludibrio exponi, univerſamque Eccleſiaſticam diſciplinam labefactari, ſi Epiſcopo tunc non liceret in Parochos animadvertere, eoſque pœnis à jure ſtatutis ad ſui officij debitum adigere? Cùm nemo neſciat politicum regimen concidere, ubi obedientia deficit, *cap.* 1. *&* 2. *de maj. & obed. cap. qui reſiſtit* 11. *q.* 3. junctis quæ tradunt D. Larrea *alleg.* 63. *num.* 29. D. Solorzan. *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. *& in emblem.* 70. *num.* 5. D. Amaya *in leg. fin. num.* 7. *& ſeq. C. de jur. fiſci.* Quibus manifeſtè comprobatur *hoc Concordat.* Dicœceſano tribuens in cauſis ad curam animarum pertinentibus non modo vim præcipiendi, ſed etiam puniendi, & videri poſſunt tradita *in cap.* 5. *h. p. à n.* 55.

CONCORDAT. III.

26 NEmo dubitat ex dictis delicta, à Parochis exemptis commiſſa in exercitio curæ animarum, ab Epiſcopo Dicœ-

Diœceſano puniri poſſe; ſed dubitari poterat de delictis, quæ independenter ab hoc officio ac extra illud commituntur; nam cùm juriſdictio Epiſcoporum Regulares tantùm comprehendat, quà Parochi ſunt, non autem quà Religioſi, hinc juxta eamdem reſpectuum ſeparationem, horum delictorum punitio ad Prælatum Regularem ſpectare videtur, non ad Diœceſanum, ex quo ut Parochi non delinquunt.

27 Sed nihilominus tenendum eſt, Parochos Regulares in iis, quæ concernunt vitam & mores, Epiſcopi correctioni, & viſitationi ſubeſſe. Et ratio eſt quia Diœceſanus non ſolùm habet juriſdictionē in iis, quę immediatè & directè pertinent ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum; ſed & in iis, quæ acceſſoriè, & per conſequentiam, ad eam ſpectant, ut cum Rota in *d. diſc.* 11. *Decembris* 1690. diximus in *cap.* 10. *à num.* 21. ubi hac ratione ejuſdem juriſdictionem extendimus ad viſitanda Sacraria, Fontes Baptiſmales, Olea Sancta, & alia hujuſmodi; quæ abſdubio haud magis pertinent ad curam animarum, quam vita & mores Parochi; nam quod Parochus Ovibus ſibi commiſsis ſcandalum non præbeat, ſed
28 potius eas vitæ candore & exemplo inſtruat, quis inficiabitur ad curam animarum ſpectare, & ad Parochi officium, quo nedum tenetur populum prædicatione, ſed bonorum operum exemplo paſcere, juxta S. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. Quando quidem

.....Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Quare dum Epiſcopus corrigit Regularem in his terminis, non quà Religioſum, ſed quà Parochum corrigit, atque ita non confunduntur reſpectus, & ſic ceſſat ratio dubitandi.

29 Quod confirmatur ex antedictis, nam ſicut Prælatus Regularis in iis, quæ directè ad curam pertinent, poteſt corrigere Parochum cumulativè cum Epiſcopo, quia licèt delictum non pertineat directè ad Regulam, ſed ad officium Parochi; tamen ex quo munus Parochi non adimplet, nec illud Religioſi adimplere videtur; ita ſimiliter Epiſcopus cumulativè cum Prælato Regulari poterit inquirere in Parochi vitam & mores, illiuſque punire delicta, qui ſaltem indirectè ad officium Parochi ſpectant, nam qui ſe culpabilem Religioſum oſtendit, hoc ipſo malum ſe exhibet Parochum, ut optimè demonſtrat Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 4. *num.* 6. ubi in caſu Parochi Hieroſolymitani, de quo ibi agebat, ita ait S. Congregationem declaraſſe. Atque ita etiam tenet Navar. *in Lucern. Regular. verb. Epiſcopus quoad Regulares num.* 29. Pignatell. *tom.* 2. *conſ.* 21. *num.* 2. D. Salgado *de Suppl. ad Santiſſ. part.* 1. *cap.* 15. *n.* 21. Clericat. *de juriſd. diſcord.* 19. *num.* 17. *&* 18. Et in propoſito noſtro expreſsè declaravit Nuncius Apoſtolicus *ſub die* 9. *Ianuarij* 1700. confirmans votum Judicum Archiepiſcopalium in *Congregat.* 3. *Octobris* 1699. quod ita erat: *Fueron de ſentir ſe comprehenden todas las* (cauſas) *que tienen dependencia, y connexion al oficio de cura de Almas, y que en eſto ſe comprehende, lo que mira à vida, y coſtumbres, como lo dize el* capit. 12. de la Concordia.

30 Admiſſo concurſu cumulativo utriuſque juriſdictionis circa has cauſas, conſequitur, ut hæc cumulativa ex dictis *in* 1. *Concordat.* non præventivè, ſed ſimultaneè, & compatibiliter exerceatur juxta declarationem Judicum Concordiæ in *Congreg.* 18. *Aprilis* 1707. *verſ.* 3. ibi: *Que en conformidad del* cap. 12. de la Concordia verſ. 3. *y lo reſuelto por el Señor Nuncio à la remiſion, que ſe le hizo en diſcordia de el* 4. Concordado *de la Junta de* 3. de Octubre de 1699. *Que el Vicario Arzobiſpal ſin embargo de la priſion*

ſion de dicho Prior, y prevencion que de ſu cauſa tiene hecha el Vicario de la Dignidad Prioral; puede proceder en ella al miſmo tiempo, por no impedirſe los procedimientos de una juriſdiccion à la otra, como ſimultaneas, y compatibles, y poder proceder uno, y otro à ſubſtantiar, y determinar cada uno ſu cauſa, y que eſto no lo embarace el de la Dignidad Prioral en manera alguna.

CONCORDAT. IV.

31 HAud quaquam ſufficerent, quæ dicta manent, ad ſedandas controverſias, & pacta conventa obſervanda, ſi priùs liquido non conſtaret, quænam cauſæ ad curam animarum ſpectarent, vel non. Hoc enim non declarato quotidie ſuper natura cauſæ orirentur lites, unoquoque Vicario id aſſerente reſpectivè, quod fundandæ ſuæ juriſdictioni faveret. Cùm autem omnes caſus, qui quandoque accidere poſſunt, in diſpoſitione comprehendi nequeant, *leg. neque leges* 10. *ff. de legib.* ut his controverſiis occurrerent Concordantes, juxta juris rationem ſtatuerunt, ut ſuborto dubio, ſpectet ad Diœceſanum declarare, an cauſa controverſa ſpectet, vel non, ad curam animarum, & an ſua ſit juriſdictio: quod ſi exemptus gravatum ſe exiſtimaverit, ad Sedem Apoſtolicam poſsit appellare. Quod utique jam deciſum erat à S. Rota in hac cauſa *in decis.* 11. *Decembris num.* 23. ut latiùs, de hoc agentes, videbimus in *cap.* 16. *Concordat.* 12.

CONCORDAT. V.

32 IN hoc Concordato unicè agitur dè deferendis matriculis Confeſsionis, & Communionis à Parochis Prioribus; quæ res in præſenti conſideratur, ut concernens curam animarum; & quidem meritò, nam earum uſus eo tendit, ut Epiſcopus totam ſuam Diœceſim luſtrare non valens, hac via cognoſcat Oves ſibi commiſſas, earum numerum, ac ſtatum, ut exoptat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. tum ut certior fiat, ſi quid publici, aut novi reatus ſit exortum; aut ſi divinis, & Pontificiis præceptis ſit ſatisfactum tempore, ab Eccleſia inſtituto in *cap. omnis utriuſque ſextus* 12. *de pœnit. & remiſſ.* quæ res, quantum recto animarum regimini expediat, per ſe patet. Nec ſilentio præteriri fas erit harum matricularum uſum fuiſſe adinvendum à Domino meo mihi ſemper venerando Servo Dei Ven. D. D. Franciſco Ximenez de Ciſneros, qui inter cætera ſuæ curæ, & ſolicitudinis Paſtoralis, qua maximè flagravit, monimenta, hoc etiam poſteritati reliquit, ut diſſertis verbis refert Albar. Gomez *de reb. geſtis Ximenij lib.* 1. *pag. mihi* 22. ibi: *Cæterum res duas cum primis utiles, & neceſſarias Ximenius primus excogitavit :::: Alteram, ut Parochi quadrageſimali jejunio ineunte eorum nomina conſcribant, qui Chriſtiano ritu confeſsiones arcanas, quibus tenentur, Sacerdotibus fecerint: eaque ad Antiſtitem ipſum, aut ad Toletanum, Complutenſemve Vicarium, ut ratio territorij expoſcit, intra dies quadraginta teneantur deferre*: quæ diſpoſitio renovata apparet in noviſsima Synodo hujus Archiepiſcopatus in *Conſtit.* 1. *tit.* 9. *de pœnit. & remiſſ.* & adumbrata etiam reperitur in Synodo Francica, quam refert Vicecomes *lib.* 1. *de Ritu confirmat. cap.* 5. ubi ita ſtatuitur: *Decrevimus quoque juxta Sanctorum Canones, ut unuſquiſque Preſbyter in Parochia habitans Epiſcopo illi ſubjectus ſit, in cujus Parochia habitat, ut ſemper in Quadrageſima rationem, & ordinem miniſterij ſui, ſive de Baptiſmo, ſeu de fide Catholica, ſicut de precibus, Ordine Miſſarum Epiſcopo reddat, & oſtendat, &c.*

34 Ratio quidem deferendi hujuſmodi matriculam ad Diœceſanum patens eſt

ex

ex dictis; ad eum quippè, ut Summo in ſua Diœceſi Paſtori, ſpectat vigilare ſuper Parochos, & Parochianos, & de eorum ſtatu vita ac moribus pleniſsimè informari, ut ſi quid dignum emendatione fuerit emendetur. At verò quod hæ matriculæ Vicario etiam Priorali præſtentur, ſuperfluum videtur; nam cùm ejus juriſdictio Parochianos non comprehendat, ac proinde illos etſi culpabiles corrigere non poſsit, deficere videtur ratio deferendæ ad ipſum matriculæ; ſed adhuc in hoc caſu admittendum eſt jus cumulativum utriuſque Vicarij; favor enim curæ animarum permittit, ut pluribus Judicibus circa eam detur poteſtas, ut ita rectiùs exerceatur. Quin & ratio matriculæ deferendæ ad Prioralem verificatur reſpectu Servientium S. Religioni, quos ſua juriſdictio comprehendit; tum etiam reſpectu Parochi, ut videat an miniſterio ſuo ſatisfaciat, nam ut ſæpè diximus Parochus Religioſus, utcumque delinquat, à Prælato Regulari puniri poteſt, admiſsis in illo diverſis reſpectibus, ſupra conſideratis, Card. de Luca *de juriſ. diſc.* 4. *n.* 4. Fagnan. *in cap. nullus n.* 30. & 31. *de Paroch.*

35 Hic etiam opportune examinandum venit, ad quem ſpectet concedere licentiam Parochis Prioribus, ut à ſuis Eccleſiis poſsint abeſſe? Pro quo dubio decidendo, notandum eſt, Parochos ratione officij Paſtoralis ad reſidendum in ſuis Eccleſiis adeo arctiſsimè teneri, ut hæc obligatio reſidentiæ juri Divino, & naturali attribuatur à Sac. Concilio Tridentino in *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* de quo latè Roſa *de reſid. cap.* 2. *à num.* 73. Lother. *de re benef. lib.* 3. *q.* 27. *num.* 37. & 46. Capon. *diſcept.* 123. *num.* 22. Fagnan. *in cap. ex parte num.* 25. *de Cler. non reſid.* Fraſſ. *de patr. Indiar. cap.* 9. *num.* 11. Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 17. *num.* 18. Romag. *ad Conſtit. Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 3. *à num.* 1.

36 Ipſo enim jure, quo ad regendas paſcendaſque Oves tenentur, reſidere coguntur: unde abeſſe à ſuis Eccleſiis nequeunt, niſi Epiſcopi licentia accedat, *cap. relatum, cap. inter quatuor, cap. Clericos de Cler. non reſid.* Fagnan. *in d. cap. relatum num.* 10. & *ſeqq.* Antonell. *de regim. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 16. Ventrigl. *tom.* 1. *annot.* 20. §. 1. *num.* 24. Paſſerin. *de ſtat. hom. tom.* 1. *q.* 185. *art.* 5. *num.* 97.

37 His ſuppoſitis, reſpectu Parrochorum exemptorum ſtat difficultas, in aſsignando Prælato, qui hujuſmodi abſentiæ licentiam præſtare poſsit. Et licèt juxta aliquorum DD. auctoritates poſſet defendi hoc ad Diœceſanum privativè ſpectare; tamen veriùs judico in hoc caſu, prout in aliis *in h. cap.* inſinuatis, cumulativum, & ſimultaneum eſſe jus Epiſcopi, & Prælati Inferioris, ad hanc licentiam concedendam. Cùm enim cauſa reſidentiæ ad curam animarum ſpectet, ut notum eſt & patet *ex d. cap.* 1. Tridentini; unde Romag. *d. cap.* 3. *n.* 7. dixit, reſidentiam non ſolùm eſſe dependentem à cura animarum, ſed connexam, & ab ea inſeparabilem; hinc ex rationibus antea deductis efficitur, ut in hac cauſa, ſicut in cæteris ad curam animarum, & officium Parochi pertinentibus locum habeat Epiſcopi, & Prælati Inferioris ſimultanea juriſdictio.

38 Nec quemquam turbare debent plures DD. qui in his terminis jus concedendi licentiam privativum Epiſcopi faciunt, ut ſunt Barboſa *de Parocho cap.* 8. *num.* 62. Paſſerin. *d. art.* 5. *ſub num.* 117. Monacell. *formular. legal. tit.* 6. *formul.* 20. *num.* 8. Nam ſi attente inſpiciuntur, eò directè tantùm tendunt, ut ſtatuant juriſdictionem Epiſcopi in hac materia, reſpectu Parochorum exemptorum; non verò, ut inficientur ſimultaneam Prælati Infetioris juriſdictionem; unde præfatæ auctoritates ſolùm obſtarent, ſi jus Prælati

lati Inferioris ad cognoſcendum de cauſis reſidentiæ, aut licentiam abeundi concedendam, privativum eſſe diceremus. Quin & prædictorum ſententię commodè accipiuntur, ſi dicamus, in propoſitis terminis non ſufficere Parocho exempto, ut obtineat licentiam à Prælato Inferiori, ſed obtinere etiam debere licentiam Epiſcopi.

CAP. XIII.

Super publicatione mandatorum expeditorum à Dignitate Archiepiſcopali in rebus concernentibus matrimonia, & alia.

CONCORDATUM fuit, quod mandata Dignitatis Archiepiſcopalis concernentia matrimonia, ordinandos, excommunicationes, Jubilea, & ſupplicationes, aliaque concernentia regimen Eccleſiaſticum, publicentur, & executioni demandentur in Eccleſiis Parochialibus Ordinis S. Joannis, abſque eo, quod neceſſaria ſit referendatio, aut exequatur Dignitatis Prioralis, illiuſque Miniſtrorum, cum conditione tamen, quod in mandatis prædictis Dignitas Archiepiſcopalis utatur juriſdictione delegata Apoſtolica, & non alia forma, juxta deciſiones Rotales, quarum ultima fuit expedita ſub die ii. Decembris 1690.

SUMMA CAPITIS.

1 *Diœceſis eſt unum corpus, in quo membra omnia Capiti ſubordinantur.*

2 *Exemptio non deſtruit hanc ſubordinationem & connexionem.*

3 *Exempti in materia communi, & quæ reſpicit univerſale regimen Diœceſis Epiſcopo obedire tenentur.*

4 *Iuriſdictio Prælatorum Inferiorum utpotè limitata ad actus particulares compatibiliseſt cum juriſdictione univerſali Epiſcopi.*

5 *Parochiales exemptæ Epiſcopo ſubduntur quoties neceſſe eſt ad explendum ſpirituale, & Eccleſiaſticum Diœceſis regimen.*

6 *Explicantur illa verba* : Aliaque concernentia ad regimen Eccleſiaſticum.

7 *Confirmatur explicatio doctrina S. Rotæ, & Cardinalis de Luca.*

8 *An Diœceſanus poſsit in Eccleſiis Prioratuum publicari facere edicta circa Capellanias & alia hujuſmodi?*

9 *Ratio dubitandi, quam proponebant Miniſtri Priorales.*

10 *Proponitur fundamentum favore Diœceſani.*

11 *Reſolutio Nuncij, & Congregationis Concordiæ favore Diœceſani.*

12 *Pariter judicandum eſt de publicandis edictis Diœceſani, circa reverentiam & decentiam in Eccleſiis obſervandam.*

13 *Vt edicta Diœceſani publicentur in Eccleſiis exemptis non requiritur conſenſus, aut exequatur Prælati Inferioris.*

14 *Proponuntur in idem duæ reſolutiones Congregationis Concordiæ.*

Præ-

15 *Prælatus Inferior in Eccleſia ſibi ſubjecta nequit exercere actus, qui ad populum referuntur; quod fundatur multifariam.*

16 *An Prælatus Inferior poſsit concedere, aut publicare indulgentias in ſuis Eccleſiis?*

17 *Ratio dubitandi, ut poſsit eas concedere.*

18 *Amplexatur ſententia negativa, & fundatur.*

19 *Concedere indulgentias de jure divino ſoli competit Rom. Pontifici.*

20 *Hoc etiam competit Epiſcopis de jure Ordinario ratione juriſdictionis Epiſcopali Ordini inhærentis.*

21 *In nulla juris parte legitur conceſſa Prælatis Inferioribus facultas concedendi indulgentias.*

22 *Proponuntur plures rationes, quæ ſuadent facultatem concedendi indulgentias privativam eſſe Epiſcopalis Ordinis.*

23 *Ex competentia Epiſcopalis juriſdictionis non infertur poteſtas concedendi indulgentias.*

24 *Confirmatur præcedens doctrina ex D. Thoma, & ex eodem ſolvitur ratio dubitandi* num. 27.

25 *Vicarius Generalis Epiſcopi, nec Vicarius Capituli Sede vacante concedere poſſunt indulgentias.*

26 *Facultas concedendi indulgentias competere poteſt Prælatis Inferioribus ex privilegio Pontificis; non autem præſcriptione.*

27 *Publicare indulgentias ſolum competit Epiſcopis, aut Prælatis* nullius; *non verò Inferioribus intra Diœceſim.*

28 *Vicarius Prioralis nequit concedere quæſtoribus eleemoſinarum, ut ipſi indulgentias publicent.*

29 *Licentias quæſtuandi concedere privativè competit Diœceſano.*

COMMENTARIUM.

1 PLuries in hoc opere, nec inutiliter unquam, diximus, Diœceſim quoddam eſſe corpus univerſale, cujus ſummum Caput eſt Epiſcopus, atque ſub hac ratione comprehendi, velut membra, perſonas omnes & loca, quas Diœceſis ipſa complectitur; ne alias in Sacro Eccleſiæ Principatu admitteretur illa ſciſſura & deformitas, quæ membra ſepararet à Capite, aut partes à toto, *cap.* 1. *diſt.* 12. *cap. cùm non liceat de præſcript.* Hinc profecto evenit, ut univerſale regimen Diœceſeos ab uno Epiſcopo, velut à Capite in membra debeat derivari, & quod membra omnia Capitis directioni, & præceptis ſint ſubordinanda. Nec ſub-
2 ordinationem hanc deſtruit aliquorum membrorum exemptio, nam, utcumque ſint exempta, dummodo intra Diœceſim conſtituta proponantur, ſolùm intelligentur à Capite ſubducta actualiter in materia particulari, non verò habitualiter & in materia communi, ideſt quæ ad totum Diœceſis corpus ſpectat; & ratio eſt, quia exemptio, cùm non liberet à ſituatione in Diœceſi, nec à dominatione, ut cum Fagnano, aliiſque antiquis Canoniſtis docuimus *in* 1. *part. cap.* 4. *num.* 78. hinc nec liberat à generali ſubordinatione, quæ debetur Epiſcopo, ut Supremo Capiti &
3 Paſtori; atque hinc certa eſt propoſitio, quæ aſſertit, exemptos teneri ſervare mandata Epiſcopi in materia communi, univerſale Diœceſis regimen concernentia, ut tradit Van-Eſpen *jur. Eccleſ. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 5. *num.* 45. unde, inter alia, videmus, exemptos teneri in ſuis Eccleſiis obſervare, & publicare interdicta generalia ab Epiſcopo Diœceſano decreta, de quo latè egimus in *hac* 2. *part. Concord. cap.* 5. Nec ſimiliter
4 obſtat, exemptos ſeorſim habere Prælatum, cujus gubernationi ſtare tenentur: nam cùm hic Prælatus ſit intra Diœceſim, hoc ipſo Inferior & ſubalternatus eſt Epiſcopo; ne aliàs, in eodem Corpore, & eorumdem membrorum reſpectu, duorum Capitum monſtrum effingatur, contra *text. in cap. quoniam in pleriſque de offic. Ordin.* hincque

illius regimen poteſtas & juriſdictio, ut reſtricta ad certos actus in materia particulari & adaptabili, compatibilis eſt cum univerſali juriſdictione Epiſcopi uti Capitis Supremi, Paſtoriſque univerſalis, ex dictis in 1. *part. capit.* 4. *& in* 2. *part. capit.* 5. 6. 10. *&* 12.

5 Hæc theorica manifeſtior fit in terminis hujus Capitis, in quo agitur de Eccleſiis Parochialibus exemptis, nam ex illo conceptu Parochialium ſpecialem, quin arctiorem, ſubordinationem & dependentiam ab Epiſcopo dicunt, uti in *præced. cap.* in Parochis exemptis conſideravimus; nam ut Parochiales ſunt, relationem dicunt ad populum Epiſcopo ſubjectum, ac idcirco ob populum & ipſæ ſubjiciuntur; quæ ſubjectio & reſpectivè Epiſcopi juriſdictio eatenus protenditur, quatenus Epiſcopus eis indiget ad explendum curam, & miniſterium ſuum in populo ſibi commiſſo, quapropter in eis juriſdictionem habebit ad præcipiendos & exercendos illos actus, qui non modò directè tendunt ad adminiſtrationem Sacramentorum, ſed quoſcumque ad regimen Eccleſiaſticum fidelium ſpectant, & uno verbo, ad explendam ſollicitudinem paſtoralem in populo, ut optimè Clericat. *de Regular. diſcor.* 20. *num.* 12. nam aliàs ſequeretur, quod tota penè Eccleſiaſtica diſciplina corrueret; cùm plures actus exerceri non poſſint cum populo, niſi priùs exerceatur juriſdictio in Eccleſia; ut ſanè evenit in mandatis reſpicientibus matrimonia *ex cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de Refor.* Ordinandos *ex cap.* 5. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* Capellanias *ex cap. fin. de elect. in* 6. Jubilea *ex cap.* 9. *ſeſſ.* 21. *de Reform.* & Supplicationes ex dicendis in *cap.* 21.

6 Hi ergo nunc recenſiti actus in noſtro Capite exprimuntur exempli cauſa; cùmque omnes ſpecialiter comprehendere facilè non eſſet, generali diſpoſitione & clauſula Concordantes utuntur, qua actus omnes hujus claſsis & naturæ comprehendantur, additis illis verbis: *Aliaque concernentia ad regimen Eccleſiaſticum.* Quæquidem clauſula ipſa generalitate plenè demonſtrat comprehenſionem, & amplitudinem juriſdictionis Diœceſani in Eccleſiis Parochialibus exemptis. Conſtabat enim liquidò Eccleſias Parochiales Regularium ſubjectas eſſe Epiſcopo Diœceſano in omnibus concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum ex S. Concilio Tridentino in *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* Notum etiam erat ex jam dictis in *cap.* 10. *Concordat.* 1. Concilium ibi non ſolùm comprehendere ea, quæ immediatè & directè ad dictam curam, & adminiſtrationem referuntur, ſed etiam ea, quæ mediatè & per quamdam relationem ad eamdem curam ſpectant, ab eaque dependent, ut promulgatio edictorum, quod expreſsè declaravit Sac. Rota in *deciſ.* 11. *Decembris* 1690. *num.* 20. his verbis: *Et peragere ea omnia licebit Ordinario, uti Delegato, quæ veniunt in ſequelam adminiſtrationis Sacramentorum, & curæ animarum, prout ſunt promulgare edicta, & alia facere ad curam animarum reſpicientia, ex deductis per Rotam deciſ.* 340. *num.* 6. *cor. Priolo, &c.* At cùm in hac deciſione non explicaretur in particulari genus ſive materia edictorum, ne ſuper hoc dubitari contingeret, propoſita ſunt in hoc Capite exempla edictorum ſupra expenſa, & ulteriùs ad integram materiæ comprehenſionem addita eſt præfata clauſula: *Aliaque concernentia regimen Eccleſiaſticum.*

7 Quæ Concordantium expoſitio plenè confirmatur ex theorica adducta in principio hujus commentarij, & pro ea ſtat expreſſa doctrina Card. de Luca *in conflictu leg. & ration. obſervat.* 276. ubi ita ait: *Indiſcretus, ac irrationabilis cenſendus eſt hujuſmodi exemptivi privile-*

gij

gij uſus in iis, quæ Eccleſiaſticæ, ac Spiritualis Reipublicæ concernant regimen; præſertim verò ubi in reſpicientibus animarum curam, ac divinorum adminiſtrationem cum Cleri, ac populi animabus Ordinario commiſsis ſe ingerere volunt. Ac tandem hoc ipſum confirmat Rota in *deciſ. 20. num. 26. ad ornatum Card. de Luca in tract. de juriſd.* ubi in ſimili caſu ita ait : *Tandem publicatio edictorum in Eccleſiis, & locis d. Vallis tam quoad Ordines, quam quoad alia pertinētia ad forum Eccleſiaſticum, pertinet ad eumdem Epiſcopum ratione ſuæ juriſdictionis Rota deciſ. 340. num. 6. cor. Priolo, & deciſ. 69. à num. 17. ad 19. part. 19. &c.*

8 His ita perpenſis, facilè reſolvitur dubium, an nimirùm Diœceſanus poſsit præcipere, ut in Eccleſiis Parochialibus Prioratuum publicentur edicta, concernentia Capellanias, Patronatus, & Memorias? Miniſtri enim Priorales delegatam juriſdictionem in hoc caſu locum
9 non habere aſſerebant, quia cùm hæc juriſdictio concedi ſolùm debeat Diœceſano in caſibus, in hac Concordia, aut in Rotalibus deciſionibus expreſsis, hinc extendenda non videbatur ad hunc caſum in Concordia, & in deciſionibus ommiſſum; quin cùm alij caſus particulariter exprimantur, hinc manifeſtè extra ſphæram juriſdictionis delegatæ relictus arguebatur veroſimiliter; præcipuè cùm ad curam animarum, & ad regimen Eccleſiaſticum, non niſi largo & improprio modo ſpectare dici poſſet.

10 Reponebant verò Miniſtri Diœceſani indubitatam eſſe juriſdictionem delegatam, in hoc caſu, utpotè comprehenſo ſub generalitate, & involucro illorum verborum : *Aliaque ad regimen Eccleſiaſticum concernentia*, quia publicatio hujuſmodi edictorum eſt modus convenientior & accomodatior, ut notum fiat intereſſe habentibus, *ex text. in cap. fin. de elect. in 6.* Garcia *de benefic. part. 9. cap. 4.* Moſtazo *de cauſ. piis lib. 3. cap. 13. ex num. 41.* Nec quod aliqui actus in hoc Capite, & in Rotali deciſione connumerentur, hoc ommiſſo, quidquam impedit; quia actus prædicti non taxativè, aut excluſivè connumerantur, ſed tantùm demonſtrativè & exempli cauſa, quod non impedit, ut cæteri, qui ejuſdem naturæ ſint, comprehenſi dicantur.

11 His ſtantibus pro utraque parte fundamentis, propoſito dubio in *Congregat. 22. Maij 1700. verſ. 2.* diſcordarunt Judices, ſed Nuncius Apoſtolicus *ſub die 15. Junij 1700.* votum Judicum Archiepiſcopalium confirmavit in omnibus, votum autem hoc eſt : *Fueron de ſentir, que puede hazerlo uſando de la juriſdiccion delegada, por ſer literal eſta facultad del* cap. 13. de la Concordia, *no ſolo para las coſas, que pertenecen à la cura de Almas preciſamente, y à la adminiſtracion de Sacramentos, ſino es para todos los demàs concernientes al regimen Eccleſiaſtico, en que ſe incluyen los referidos edictos, por ſer eſte el medio mas proporcionado para que llegue à noticia de los intereſſados, y el que generalmente ſe obſerva en todos los Obiſpados de Eſpaña.* Confirmata, ſeu potiùs repetita fuit hæc deciſio in *Congregat. 21. Februarij 1716. verſ. 2.* Ex eiſdem principiis & rationibus optimè in-
12 ferre licet, indubitatam eſſe Diœceſani juriſdictionem, ut publicentur in his Eccleſiis edicta, quæ quandoque expediri ſolent circa reverentiam, & decentiam à fidelibus in Eccleſiis obſervandam.

13 His conſequens & aliud quod in *h. cap.* ſtatuitur, ut nimirùm, hujuſmodi edicta publicanda ſint ſolo Diœceſani mandato, quin neceſſarium ſit *exequatur* Prælati Inferioris, cui ipſa Eccleſia ſubeſt; ratio autem illa eſt, quod aliàs Diœceſanę juriſdictionis exercitium non eſſet independens & liberum, & ſed ſubordinatum & dependens à voluntate

Prælati Inferioris, quod certè eſſet abſurdum; nam ex dictis initio hujus commentarij, Diœceſani juriſdictio dignior majorque eſt, uti nativa, & univerſalis; Prælati verò Inferioris poteſtas inferior eſt & ſubordinata; quod in terminis harum Eccleſiarum fortiùs militat, nam reſpectu earumdem Diœceſanus uti Delegatus procedit, ut conſiderat Rota in deciſione in *h. cap.* citata, & latè diximus *ſupra in cap. 3. à num.* 125.

14 Ex hac deciſione duæ promanarunt declarationes Judicum Concordiæ; prima habetur in *citata Congregat. 21. Februarij* 1716. *verſ. 3.* ubi ſtatuerunt, quod poſſeſsio Capellaniarum, in Eccleſiis Regularibus exiſtentium, dari debeat proviſo, virtute ſolùm litterarum Vicarij Diœceſani, non requiſito conſenſu, aut *exequatur* Vicarij Prioralis, de quo jam diximus *in hac 2. part. cap. 7.* Secunda verſatur circa caſum, in quo reus confugiens & receptus in Eccleſiis Regularibus ab eis extrahi debeat, vel ab ipſo Diœceſano, vel à Judice Sæculari ipſius Diœceſani licentia, tunc enim abſque requiſitione & *exequatur* Vicarij Prioralis extractionem fieri poſſe declararunt Judices in *Congregat. 20. Auguſti* 1705. *verſ. 2.* ut latiùs vidimus ſupra in *cap. 3. Concord. 3.*

15 Ex præſuppoſita etiam doctrina infertur, Prælato Inferiori *intra Diœceſim* non licere in Eccleſia ſibi ſubjecta exercere illos actus, qui relationem dicunt ad Populum, & Clerum Sæcularem. Ratio autem eſt, quia in hujuſmodi Prælato tantùm datur conceptus Superioris & Prælati limitatus ad ipſas Eccleſias, & cum limitata cauſa limitatum producat effectum, *leg. in agris 16. ff. de adq. rer. dom.* ad ipſas tantùm referenda eſt ejus juriſdictio, & intra ipſas eſt continenda; ne aliàs, extenſione permiſſa, eveniat, quod juriſdictionem exerceat in territorio & perſonis, ſibi nullomodo ſubjectis, quod ſanè permitti nequit, *ad text. in leg. 2. C. de offic. Comit. Sacr. Palat. leg. quæcumque C. de execut. & exactor. lib. 12. leg. in Provinciis C. de numerat. eod. lib. leg. conſulta C. de teſtam.* Deinde nam in hoc concurſu Prælatorum, ita diſtribuendi ſunt actus juriſdictionis, ut limitatus conceptus Prælati Inferioris compatabilis maneat cum conceptu univerſali Diœceſani; ne aliàs, ut ſupra dicebamus, contra mentem Sacrorum Canonum monſtrum duorum Capitum æque principalium admittamus; quod ſanè eveniret, ſi Prælato Inferiori permiteretur exercere actus, qui referuntur ad populum illiuſque regimen. Hæc doctrina manifeſtè confirmatur ex traditis in *cap. 5. hac 2. part.* ubi vidimus Prælatos Inferiores intra Diœceſim in Eccleſia eis ſubjecta interdictum ponere non poſſe, nec cedulones excommunicationis in ipſarum Eccleſiarum januis aut parietibus poſſe affigere, ex doctrina Cardin. de Luca *diſc. 99. de juriſd. & in Miſcell. Eccleſ. diſc. 13. num. 23.* Et omninò hic repetenda ſunt, quæ *ſupra in cap. 7.* dicta manent de edictis circa Capellanias, in Eccleſiis Regularibus ſitas.

16 Ex his jam rectè judicare poſſumus, an Prælatus Inferior poſsit indulgentias concedere, vel eas in ſuis Eccleſiis publicare? Et primo quoad conceſsionem earum videtur, quod 17 Prælati Inferiores & præcipuè illi, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certo territorio exercent illas concedere poſsint, quia quidquid opinaverint antiqui Canoniſtæ, tamen, ut notat Fagnan. in *cap. accedentibus num. 10. de exceſſib. Prælator.* hodie recepta eſt doctrina D. Thomæ in 4. *diſt. 20. art. 4. q. 2.* ubi ait: *Poteſtas concedendi indulgentias ſequitur juriſdictionem, & quia Diaconi & alij poſſunt habere juriſdictionem vel commiſſam ſicuti Legati, vel Ordinariam ſicut electi; ideo poſſunt indulgentias con-*

concedere, etiam non Sacerdotes, quamvis non posſint abſolvere in foro pœnitentiali, quod eſt ordinis. Si ergo indulgentias concedere juriſdictionis eſt, cur Inferiores Prælati illas dare nequibunt?

18 Sed hac ratione dubitandi non obſtante tenendum eſt, Prælatos Inferiores quoſcumque, etiam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercentes in proprio ſeparato territorio, indulgentias concedere non poſſe, *ex cap. accedentibus de exceſſib. Prælat.* ubi ponitur, quod hoc ſit unum de pertinentibus ad Dignitatem Epiſcopalem, & reprehenduntur quidam Abbates, qui ſibi hoc jus uſurpabant. Certum ſiquidem eſt juxta juris principia, quod Indulgentias
19 concedere de jure Divino ſoli competat Romano Pontifici, *cap. cùm ex eo de pœnit. & remiſſ. Extravag. Vnigenitus eod. tit.* D. Thom. *in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4. ad 3.* Card. Tolet. *inſtruct. Sacerd. lib. 6. cap. 25.* Pax Jordan. *Elucubrat. lib. 5. tit. 16. num. 18.* P. Murga *ad Conſt. 16. Alexandri VII. num. 97.* Paſſerin. *de Indulgent. q. 85. num. 615.* Cardin. Petra *tom. 3. ad Conſt. 16. Alexandri IV. n. 16.* Et de jure Ordinario ſolùm conceditur Epiſcopis hæc facultas ratione juriſdic-
20 tionis eidem Epiſcopali Dignitati inhærentis, *per text. in cap. ex eo de pœnit. cap. Indulgentiæ eod. tit. lib. 6.* Bellarmin. *de Indulgent. lib. 1. cap. 11.* Silveſt. *in ſum. verb. Indulgentia q. 5.* Fagnan. *in d. cap. accedentibus num. 7.* Paſſerin. *d. q. 85. num. 617.* Pax Jordan. *d. tit. 16. n. 24.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 88.* P. Lacroix *lib. 6. part. 2. num. 1319.* Prælatis verò Inferioribus Epiſcopo nullibi
21 in Jure hæc facultas conceſſa invenitur, ac propterea illis eſt deneganda, ut hoc argumento utentes concludunt Bellarmin. *d. cap. 11. q. 3.* Fagnan. *in d. cap. accedentibus n. 12.* Barboſa *d. alleg. 88. num. 17.* Tamburin. *de jur. Abbat. lib. 2. diſp. 11. q. 1. num. 3.* Murga *ad d. conſt. 16. num. 106. & ſeqq.* Paſſerin. *de indulgent. q. 86. num. 630. & ſeq.* Petra *ad d. Conſt. 16. num. 54.* Clericat. *de pœnit. deciſ. 29. num. 19.* P. Lacroix *d. part. 2. num. 1323.*

22 Rationes autem, reſervandi Epiſcopis hanc concedendi indulgentias poteſtatem, plures occurrunt: nam poteſtas hæc ſingulariſsima debet cenſeri, tum ob ſui excellentiam, quia eſt poteſtas attingens forum Dei, & pœnas Deo, & ejus Juſtitiæ debitas remittens: tum quia à Chriſto ſoli Petro, & ejus Succeſſoribus, fuit de jure Divino conceſſa: tum ex eo, quod adeo magni momenti exiſtimatur, ut à Summis Pontificibus vix ſit conceſſa primis Eccleſiæ Prælatis, illiſque non niſi limitatè communicata: tum quoniam eſt res maximi periculi, & facile eſt, ut indiſcretæ Indulgentiæ ab Inferioribus concedantur, quare non niſi prudentiæ Summi Pontificis, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum hæc facultas erat committenda, ut ratiocinatur Paſſerin. *d. q. 68. num. 635. & ſeq.*

23 Atque hinc propterea ſola juriſdictionis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis competentia poteſtatem circa hoc non includit; unde, ut notat Fagnan. *in d. cap. accedentibus num. 13.* ex eo quod quandoque Prælati Inferiores juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exerceant, non licet inferre, ut poſsint Indulgentias dare; præſtat D. Thomas, ſimulque ſolvit
24 rationem dubitandi ſuprapoſitam in *d. art. 4. q. 1.* his ſpecioſiſsimis verbis: *Quia ſolus ille, qui præficitur Eccleſiæ, poteſt indulgentiam elargiri. Sed cum Eccleſia ſit Congregatio fidelium; Congregatio autem hominum ſit duplex, ſcilicet œconomica, ut illi qui ſunt de una familia; & politica, ſicut illi, qui ſunt de uno populo; Eccleſia ſimilatur Congregationi politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur; ſed Conventus diverſi, vel Parochiæ in una Diœceſi ſimilantur Congregationi in diverſis familiis, vel in diverſis officiis, & ideo ſolus*

Epiſcopus propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur, & ideo ipſe ſolus quaſi ſponſus annulum Eccleſiæ recipit; & ideo ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, & juriſdictionem in foro cauſarum quaſi perſona publica: alij autem ſecundum quod ab eis committitur. Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed quaſi coadjutores; unde in conſecratione Sacerdotum Epiſcopus dicit; quanto fragiliores ſumus, tanto magis his auxiliis indigemus. Et propter hoc etiam non omnia Sacramenta diſpenſant. Vnde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alij hujuſmodi Prælati non poſſunt hujuſmodi indulgentias dare. Hac ipſa ratione Indulgentias concedere non
25 poteſt Vicarius Generalis Epiſcopi; nec Vicarius Capituli Sedevacante, quamvis habeant ea quæ juriſdictionis ſunt, Navarr. *in tract. de Indulgent. notab.* 31. *num.* 6. Fagnan. *in d. cap. accedentibus num.* 17.

26 Unica ergo via, qua hanc facultatem obtinere poſſunt Prælati Inferiores, eſt privilegium S. Pontificis, ut tenet Murga *ad d. Conſt.* 16. *num.* 106. *& ſeq.* Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. *concl.* 2. Paſſerin. *d. q.* 86. *n.* 634. Lezan. *tom.* 2. *verb. Indulgentia. num.* 4. Nec admittenda in hoc erit præſcriptio aut conſuetudo, ut probat Cardin. Turrecrem. *in §. item in Levitico poſt Canon. qui aliquando* 87. *diſt.* 1. *de pœnit.* Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. Cordub. *de Indulgent. q.* 10. *propoſ.* 11. *dub.* 1. Paſſerin. *d. quæſt.* 86. *num.* 637. *& ſeq.*

27 Hæc quoad conceſsionem Indulgentiarum. Quoad publicationem verò dicendum, hanc poſſe fieri non modò ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, ſed & à Prælatis Inferioribus *nullius* in ſuis ſeparatis territoriis; non verò à Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, etſi in Eccleſiis ſibi ſubjectis. Ratio eſt quia publicare indulgentias ex Tridentino in *capi* 9. *ſeſſ.* 21. *de Reform.* ſolùm competit Ordinariis locorum; qua utique appellatione, ut ſæpè diximus cum Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 1. *num. fin.* ſolùm comprehenduntur Epiſcopi, & Prælati Inferiores *nullius*, non verò Inferiores *intra Diœceſim*, ut confirmat declaratio S. Congregationis relata per Gallemart *ad d. cap.* 9. & Rota *in d. deciſ.* 20. *apud Card. de Luca* in verbis ſupra relatis, & proſequuntur Fagnan. *in cap. grave num.* 45. *de offic. Ord.* Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *num.* 7. *&* 35. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 105. *num.* 69. Ventrigl. *in prax. tom.* 1. *annot.* 49. *§. un. num.* 130. Romag. *ad Conſt. Syn. Gerund. lib.* 5. *tit.* 11. *cap.* 1. *num.* 7. *& ſeq.* Monacell. *in formul. leg. tit.* 16. *form.* 6. *n.* 8. & in propoſito Equitum Hieroſolymitanorum adeſt expreſſa declaratio Sac. Congregationis, apud Farinac. *in* 4. *part. Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 11. *declar.* 4. ibi: *Equites Hieroſolymitani habentes indulgentias à S. D. N. debent litteras Apoſtolicas expedire, & Epiſcopo Ordinario præſentare: aliter tenetur dictus Ordinarius contra eos, & eorum Clericos procedere, prout cavetur. ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *& præſenti Capite.*

28 Ex eadem ratione nec poterit Vicarius Prioralis concedere licentiam publicandi Indulgentias: ſic ergo cùm caſus dederit, ut Vicarius Prioralis licentiam conceſſiſſet Quæſtoribus eleemoſinarum S. Thoribij de Liebana, ut eleemoſinas quæſtuarentur, & indulgentias publicarent, ampliando licentiam conceſſam à Conſilio Gubernationis hujus Archiepiſcopatus, dubium ſuper hoc fuit propoſitum in *Congregat.* 17. *Martij* 1704. *verſ.* 3. & declaratum fuit, Vicarium Prioralem concedere non poſſe licentiam Indulgentias publicandi, ſed diſpoſitioni hujus Capitis conformare ſe debere. Quoad licentiam
29 verò quæſtuandi repetita fuit diſpoſitio

con-

concordata in *Congregat.* 18. *Decembris* 1700. ubi inter alia ita cavetur : *Lo tercero tambien ſe concordò, que al Vicario de la Dignidad Arzobiſpal pertenece privativamente dar licencias para que pidan limoſna los pobres, y demandas, que andan por las calles, no entrando en las Igleſias de la Religion.* Quæ ultima reſolutio præterquam ex doctrina generali ſupra poſita patet, probatur etiam ex Sac. Concil. *ſeſſ.* 5. *de Reform. cap.* 2. *in fin. cap. tuarum* 11. §. *verum quia de privil. cap. cum ex eo de pœnit.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 109. *num.* 2. *&* 104. Campanil. *in diverſ. Iur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 134. Jul. Capon. *diſcept.* 396. *num.* 50. Pignatell. *tom.* 8. *conſ.* 12. *num.* 10. *& tom.* 10. *conſ.* 8. Nicol. *in floſcul. verb. Quæſtores num.* 1. 2. *&* 3. Paſſerin. *de ſtat. homin. q.* 187. *art.* 5. *à num.* 17. Fagnan. *in cap. cùm ex eo n.* 18. *& ſeqq. de pœnit. & remiſſ.* Romag. *ad Conſt. Synod. Gerund. lib.* 5. *tit.* 11. *cap.* 1. *num.* 5. Monacel. *formular. legal. tit.* 6. *formul.* 6. *num.* 7. Card. Petra *ad Conſt.* 16. *Innocentij IV. ſect. un. num.* 9. *tom.* 3. Quos omnes ſi conſulas, invenies facultatem quæſtuandi tribuere, proprium & privativum eſſe Diœceſanorum in ſuis Diœceſibus, atque ideo punire poſſe quoſcumque, etiamſi exemptos ſine ſua licentia quæſtuantes, *Clem.* 2. *in fin. de pœnit. & remiſſ.*

CAP. XIV.

Super examine, ac ſuſpenſione, & revocatione Parochorum Priorum.

CONCORDATUM fuit, quod in eventum, in quem præcedat rumor, ſive nota imperitiæ contra aliquos Parochos Priores, de qua legitimè conſtet, poſsint examinari tam in viſitatione, quàm extra illam ab Archiepiſcopali Dignitate, illiſque inhabilibus repertis, utendo juriſdictione delegata, poſsit ſuſpendere eoſdem, ſeu removere regulando ſe ad formam Bullæ B. Pij V. quæ incipit : *Expoſcit, &c.* & in quolibet duorum caſuum remotionis, ſeu ſuſpenſionis admonere debet Superiorem Religionis, ad hoc, ut ponat alios in locum remotorum, ſeu ſuſpenſorum, idemque facere poſsit Vicarius Religionis independenter à Dignitate Archiepiſcopali.

SUMMA CAPITIS.

1 *An Parochi approbati noviter poſsint examinari?*
2 *Proponuntur fundamneta pro parte affirmativa.*
3 *Præſumptio idoneitatis durat in ſemel examinato & aprobato.*
4 *Epiſcopi ſollicitudo debet eſſe continua.*
5 *Scientia pluribus modis amitti poteſt.*
6 *Epiſcopi Parochis illiteratis coadjutores dare poſſunt.*
7 *Reſolvitur quæſtio, ut ſolùm poſsit iterari*

Parochi

Parochi examen ex nova & juxta cauſa, ut eſt rumor aut nota imperitiæ.

8 *Hæc ſenttntia potiori jure procedit in Parochis examinatis abſque formali concurſu.*

9 *Parochi imperitia quomodo Epiſcopo conſtare debeat.*

10 *Expediens eſt, factam ſuper hoc inquiſitionem ſcriptis mandare.*

11 *Declaratio Iudicum Concordiæ.*

COMMENTARIUM.

1 HOC Caput cenſeri debet velut appendix *cap.* 6. in quo vidimus Regulares noviter proviſos de beneficio Curato, aut de uno in aliud tranſlatos à Diœceſano examinari debere. In præſenti autem agitur de iterando examine eorum, qui in ſuis permanent beneficiis. Et quidem difficile

2 videtur, quod Parochus ſemel examinatus & aprobatus novo ſupponatur examini; tum, quia quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt *cap. quod ſemel de reg. jur. in* 6. Tum, quia ex illo primo examine & approbatione durat præſumptio ſcientiæ & idoneitatis, Oldrad.

3 *conſ.* 18. *ſub princ.* Innocent. *in cap. accepimus de ætat. & qualit.* Boer. *deciſ.* 149. *num.* 16. *&* 18. Rebuff. *in prax. tit. de reſcript. in form. com. & in form. pauper. num.* 11.

4 Per contrarium verò videtur Epiſcopum, quotieſcumque voluerit, poſſe Parochos examinare. Quia Epiſcopo, uti Paſtori univerſali, incumbit continua vigilantia ſuper gregem ſuum, ex illo *diligenter agnoſce vultum pecoris tui.* Unde ſemper debet eſſe ſollicitus de idoneitate Inferiorum Paſtorum, quos curæ ſuæ conſortes aſſumpſit; & hi ſimiliter ſemper debent eſſe idonei & ſufficientes, juxta illud D. Petri *Epiſt.* 1. *&* 3. *Parati eſſe debetis reddere rationem omni poſcenti vos ſatisfactionem de ea fide, & ſpe, quæ in vobis eſt.* Deinde quia ſcientia pluribus modis amitti poteſt, ut conſiderat Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 133. *n.* 1.

5 expediens ergo erit, ut Epiſcopus inquirat & examinet frequenter illorum ſufficientiam, ne aliàs ſub fallaci primi examinis confidentia oves fame pereant ſub Parochis illiteratis. Quod confirmatur, nam ex quo Parochi mores poſſunt mutari, poteſt Epiſcopus illum viſitare, & in ejus vitam inquirere ſingulis annis, vel ſaltem biennio ex S. Concilio *ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.* 3. Tandem hoc ita eſſe videtur ex eodem S. Concilio *ſeſſ.* 21.

6 *de Reform. cap.* 6. ſtatuente, ut Epiſcopus Parochis illeteratis poſsit dare coadjutores, quod ipſum reſpectu Hieroſolymitanorum diſpoſuit S. Pius V. *in ſua Conſt. Expoſcit in h. cap. citat.* Quæ conſtitutio & decretum Conciliare, erit inanis, niſi Epiſcopo concedatur examen Parochorum iterare.

7 In hoc rationum conflictu media ſententia tenenda eſt, ita ut nec Epiſcopus pro libitu poſsit Parochorum examen iterare, abſque nova cauſa; poſsit tamẽ eos ad novũ examen vocare, ſi juſta cauſa qualis eſt rumor, ſive nota imperitiæ præcedat, & ita conciliantur ſupra poſita fundamenta. Atque hanc ſententiam tenent Barboſa *de Parocho part.* 2. *cap.* 23. *num.* 8. *& in collect. ad Concil. ad d. cap.* 6. *num.* 4. Gonzal. *ad regul.* 8. *Chancell. gloſſ.* 4. *n.* 101. Card. de Luca *de Paroch. diſc.* 16. *per tot.* Pignatell. in noſtris terminis *tom.* 3. *conſ.* 58. & generaliter *tom.* 1. *conſ.* 133. *à num.* 7. ubi plures S. Congregationis Concilij declarationes adducit. Quæ ſententia cùm

8 procedat in Parochis examinatis & aprobatis in concurſu formali, qui ſapere videtur quamdam ſpeciem Doctoratus, multo magis admittenda eſt in his Parochis, qui inſtituuntur abſque concurſu & cum ſimplici examine, quod tantùm importat quamdam declarationem idoneitatis, ut in terminis advertit Cardin. de Luca *d. diſc.* 16. *numer.* 10.

Sed

9 Sed inquiret aliquis quomodo constare debeat Episcopo imperitia Parochi? Ad quod respondeo, non requiri (ut aliqui voluere) quod imperitia probetur per testes de ea deponentes; sed sufficere quod Episcopo constet extrajudicialiter per personas fidedignas, volentes ex justa causa judicialiter deponere; vel quod ipse Episcopus ex actionibus, vel sermone Parochi faciat evidentem conjecturam imperitiæ, ut patet ex Pignatell. *d. cons.* 133. *num.* 10. & Card. de Luca *d. disc.* 16. *n.* 2. Benè tamen verum est, quod licèt ad effectum exami-
10 nis, de quo agimus, sufficiat extrajudicialis notitia, seu informatio; tamen ut semper constet de insufficientia, & Superiores agnoscant, Episcopum legitimè processisse, juxta Rotam *decis.* 23. *part.* 3. *rec.* expediens erit, ut inquisitiones super hoc factæ scriptis mandentur, antequam procedatur ad remotionem, vel ad designandum coadjutorem, ut ex Felin. *in cap. ex litteris num* 7. *de constit.* Gonzal. *d. gloss.* 4. *num.* 96. tenet Pignatell. *d. cons.* 133. *num.* 20. Et
11 in nostris terminis accuratam formam præscripsere Judices Concordiæ in *Congregat.* 11. *Iulij* 1705. *vers. fin.* ibi: *Lo quarto, en consideracion de la gravedad, que contiene suspender à los Parrochos, dexando la cura de Almas en poder de Tenientes; se acordò revalidàr el Orden antes de aora expedido por la Junta, de que ninguno de los dos Vicarios passe à suspender à ninguno de los Curas, menos que consultando antes à la Junta los autos, en cuya virtud quiere passar à la suspension, lo que se execute inviolablemente.*

CAP. XV.

Super examine, & nominatione œconomorum in vacationibus Beneficiorum Curatorum.

CONCORDATUM fuit, quod in vacationibus Beneficiorum Curatorum exerceant curam animarum iidem Locumtenentes, qui eidem inserviebant ad nominationem Parochi Prioris proprij, per cujus obitum vacabit Beneficium, & qui ad hoc, ut possent esse tales Locumtenentes, examinati fuerant, & approbati ad curam animarum à Dignitate Archiepiscopali, debent tamen licentiam exquirere à Vicario Dignitatis Archiepiscopalis pro exercenda cura animarum; & iste eisdem debet illam concedere sine novo examine. Et in eventum, in quem in aliqua Ecclesia Parochiali Priores non habuerint Locumtenentes cum dictis qualitatibus, Vicarius Dignitatis Archiepiscopalis requirere debet Vicarium Religionis, quatenus vacatio contingat in Oppido, seu Loco, in quo resideat, ut infra terminum unius diei nominet œconomum examinatum, & approbatum ad curam animarum à Dignitate Ar-

Archiepiſcopali, qui inſerviat Beneficio toto tempore vacationis; & ſi vacatio contingat in alio loco Prioratus, ubi non reſideat Vicarius Religionis, aſsignare debet eidem Vicario Priorali terminum competentem pro eadem præſentatione, cujus curſus incipere debet ab hora notificationis illius; ſi verò infra terminos deſignatos Vicarius Religionis nominationem non fecerit, Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis nominare poterit œconomum, qui Eccleſiæ durante vacatione inſerviat. Et ſi Vicarius Religionis præſentaverit in œconomum aliquem Presbyterum, qui examinatus non extiterit, & approbatus ad curam animarum, eundem examinare debet, ipſique licentiam dare pro exercitio curæ animarum Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis, qui reſidebit in Prioratibus, & ſi contigerit, quod illum non approbet, nominare poterit interinarium, remanendo reprobato ſalvum ſuum jus ad effectum recurſum habendi coram Superiore; & ſi iſte illum approbaverit, cum approbatione, quam præſentaverit in primis coram Vicario Dignitatis Archiepiſcopalis, intrare debebit ad ſerviendum Beneficio Curato pro interim, pro quo fuit nominatus, & ceſſabit poſitus à Dignitate Archiepiſcopali, advertendo, quod ad effectum ut ſint Parochi Locumtenentes, non ſufficit, quod examinati tantùm ad confeſsiones, ſed debent eſſe examinati ad curam animarum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Eccleſiis vacantibus ſunt præficiendi œconomi.*
2 *OEconomos nominare ex offitio pertinet ad Epiſcopum.*
3 *Hoc tamen benigne Canones permiſſerunt Patronis Eccleſiaſticis, & Prælatis collatoribus.*
4 *S. C. Trident. Epiſcopo ſolum permiſsit œconomos deputare.*
5 *Prælati* nullius *habentes tria requiſita hoc jure gaudent.*
6 *Quoad Prælatos Hieroſolymitanos particulariter diſpoſuit S. Pius V.*
7 *Diœceſanus nominans œconomum poteſt ei congruam aſsignare.*
8 *OEconomus ad tempus approbatus finito tempore novo examini ſubjicitur.*

COMMENTARIUM.

1 CUM vacationes Eccleſiarum ſint frequentiſsimæ, maximæ ſemper curę fuit Sacris Canonibus, ut Miniſtri temporarij ſeu œconomi conſtituerentur, qui Eccleſiarum curam ac adminiſtrationem ſuſciperent, donec proprij deligerentur Parochi, ne aliàs eveniat, quod cum Jeremia dolet Sac. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. de Refor. cap. 2.* ibi: *Parbuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Quodque ait Dominus per Ezechiel *cap. 34. Diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri.* Hæc autem electio, ſicut uni-

2 verſa

versa ordinatio Ecclesiarum directè, ac ex officio competit Episcopis, ut patet *ex cap. omnes basilicæ* 16. *q.* 7. *cap. regenda* 10. *q.* 1. & ex D. Thoma 2. 2. *q.* 184. *art.* 6. Posteriores tamen Canones benignè admisserunt, ut Patroni Ecclesiastici, vel Prælati, ad quos collatio Ecclesiarum spectaret, possent etiam œconomos deputare, qui Ecclesiæ custodiam susciperent, ut ad *cap. cùm vos de offic. Ordin.* observant Canonistæ, & expressè ibidem Fagn. *à n.* 3. *usq. ad* 6. *& n.* 24.

4 Hodie verò ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Reform. cap.* 18. cui accesit *Constit.* 33. S. Pij V. quæ incipit *In conferendis*, hæc facultas œconomos nominandi privativè tribuitur Episcopis in quibuscumque Parochialibus, etsi juris Patronatus Ecclesiastici vel unitis, aut reservatis; quin etiam in illis, in quibus collatio spectat ad Inferiorem Prælatum, ut cum pluribus Sac. Congregationis declarationibus latè prosequuntur Fagnan. *in d. cap. cùm vos, num.* 6. *&* 25. Pax Jordan. *Elucubrat. lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 235. Panimol. *decis.* 15. *annotat.* 2. *num.* 39. Pignatell. *tom.* 9. *cons.* 77. *num.* 44. Romag. *ad Constitut. Synod. Gerund. lib.* 5. *tit.* 13. *cap.* 3. *n.* 3. *&* 4. Fargn. *de jur. Patr. part.* 5. *can.* 10. *& part.* 6. *pag.* 396. Scarfanton. *lucubrat. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 79. Monacel. *formul. legal. tit.* 10. *formul.* 14. *num.* 3. Piton. *de controv. Patr. tom.* 2. *in suplemento sub num.* 5. apud quos receptum est, Prælatos Inferiores *intra Diœcesim* œconomos non posse deputare in Ecclesiis sibi subjectis.

5 Quoad Prælatos verò *nullius* major extitit dubitandi ratio, sed tandem obtinuit hujusmodi Prælatos posse œconomos eligere, si in eis tria concurrant requisita; ut nempè Monasterium sit verè *nullius* Diœcesis, quod Prælatus habeat jus congregandi Synodum Diœcesanum, & solitus sit eam congregare, ut expressè docent Garcia *de benef. part.* 9. *cap.* 2. *§.* 2. *num.* 129. *& seq.* Fagnan. *in d. cap. cùm vos num.* 25. *de offic. Ordin. & in cap. cum contingat num.* 31. *&* 38. *de for. compet.* Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 8. *num.* 17.

6 Quoad Prælatos Hierosolymitanos particulariter provisum est à S. Pio V. in Constitutione, quæ incipit *Exposcit*, quæ licèt solùm loquatur de nominandis œconomis in casu suspensionis, aut remotionis Parochorum, extendi etiam debet ad casum vacationis, prout extenditur in *hoc cap.* quod juxta ipsam est dispositum; unde ad illius plenam illustrationem verba Constitutionis hic transcribimus: *Ad Rectores, cæterosque hujusmodi Ministros Curam Animarum exercentes minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amobiles sint, statim amovere; sin verò titulares sint, illicò suspendere, ac Superiores eorum monere, ut infra aliquem brevem terminum in locum Amotorum subrogent alios idoneos, priùs tamen per ipsos Episcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos; titularibus verò suspensis, deputent alios idoneos, pariter examinatos, & approbatos, ut supra, in Coadjutores, seu Vicarios juxta decretum Concilij* sess. 21. cap. 6. *Interea verò dum hæc subrogatio, seu deputatio fiet, ipsi Episcopi & alij Superiores pro necessitate curæ animarum provideant arbitrio suo: quod si Superiores dictorum Rectorum, & Ministrorum intra tempus præfixum non subrogaverint, aut deputaverint, ut supra; tunc dicto termino elapso, ipsi Episcopi, & alij Superiores, alios prævio examine, juxta ejusdem Concilij formam idoneos repertos in locum Amotorum subrogent. Titularibus verò suspensis, Coadjutores deputent, juxta dictum* capit. 6. sess. 21. *qui tamen in dictis Parochialibus perinde inserviant, ac si subrogati, aut deputati ab ipsis Superioribus Religionis, & Militum prædictorum fuissent.*

Super

7 Super intellectu hujus Capitis dubitatum eſt, an Diœceſanus nominans œconomum in caſu negligentiæ Vicarij Prioralis, poſsit hujuſmodi nominato congruam portionem aſsignare; & an ad curam exercendam ſola Diœceſani nominatio ſufficiat, vel requiratur licentia Prioralis? Actum eſt de hoc dubio in *Congregat.* 1. *Octobris* 1702. *verſ.* 4. in qua Judices diſcordarunt; nam Priorales attenta Ordinaria juriſdictione, quam in his Eccleſiis habet Magnus Prior, judicabant, ad ipſius Vicarium ſpectare congruæ aſsignationem, & ut nullus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ præficeretur abſque ejus licentia, ſive *exequatur*. Archiepiſcopales verò aſsignationem congruæ tanquam quid conſequens, & acceſſorium juri nominandi œconomum reputabant, ut perinde conceſſa Diœceſano facultate nominandi, ei non denegaretur congruam aſsignare; nec *exequatur* Prioralis neceſſarium eſſe, ex dictis in *cap.* 13. Stante igitur hoc diſsidio, Apoſtolicus Nuncius *ſub die* 22. *Martij* 1403. votum Archiepiſcopalium confirmavit.

8 Illud etiam in præſenti notandum eſt, quod ſi œconomo, ſeu Locumtenenti non abſoluta, ſed temporaria licentia exercendi à Diœceſano concedatur, finito illo tempore, non poterit curæ exercitium continuare, niſi novo ſe præſentet examini & licentiæ prorogationem obtineat, ut reſolutum eſt in *Congregat.* 1. *Septembris* 1700. *verſ.* 1. ibi: *En la Junta de eſte dia ſe hizo relacion, de que era paſſado el termino, por que ſe concediò aprobacion para exercer la cura de Almas al Teniente de San Juan de Conſuegra: Y ſe concordò comparezca à nuevo examen en Toledo, ò Alcazar, donde le tubieſſe mas conveniencia, para que ſe la den hallandole havil, y capàz, en conformidad de ſu titulo, y nombramiento, que tubiere para ello del Señor Teniente de Gran Prior.*

Ad majorem *h. cap.* illuſtrationem videri poſſunt ſcripta in *cap.* 6. *h. p.*

CAP. XVI.

Super Tribunali Vicarij Religionis, & exemptione Inſervientium illi.

PRIMO Concordatum fuit, quod Vicarius Religionis S. Joannis poſsit retinere Tribunal in diſtrictu Prioratuum pro exercitio juriſdictionis in foro contentioſo circa perſonas, & caſus concernentes ad ipſum. ¶ Secundo concordatum fuit, quod ad Dignitatem Prioralem, ejuſque Vicarium ſpectet privativè cognitio cauſarum civilium, & criminalium, tàm profeſſorum ſuæ Religionis, quàm illarum perſonarum, in quibus concurrant cumulativè, & ſimultaneè tria requiſita Concil. Trident. & Bullæ Gregorianæ, quæ intelligi debent juxta illorum explicationem factam à Sac. Rota ſub die x. Januari 1689. & eſt

juxta

juxta modum, & formam ſequentem. Primum requiſitum eſt, quod tales perſonæ actualiter, & verè inſerviant Eccleſiis, & Conventibus Religionis. Secundum eſt, quod tales ſervientes commorentur, & vivant intra Conventus, ſive in Domibus Religionis, ſeu illius Commendarum, cum conditione tamen, quod in ſimul, & in communi vivant cum Superiore in forma Clauſtrali, quamvis non propriè, & rigorosè, ſed ſaltem per ſimilitudinem, itaut poſsint eſſe correcti, & viſitari à Superiore Regulari. Tertium requiſitum eſt, quod ſervientes præſtare debeant obedientiam Superiori Regulari, quæ tamen non debet eſſe adeo rigoroſa, prout eſt illa profeſſorum ratione voti, nec tam lata, ſeu remota, prout eſt obedientia ratione officij illorum qui famulantur, ſed intelligi debet de illa obedientia quæ præſtatur, quando illi qui inſerviunt Eccleſiis, Commendis, aliiſque locis Religionis, peragunt vitam ad ſimilitudinem Religioſorum, in ſimul cohabitando, & tanquam in clauſura intus Domos Religionis ſub oculo alicujus Superioris illius, qui videt totum id, quod ibi faciunt, eoſque poſsit corrigere in illis rebus, in quibus correctione indiguerint. ¶ Tertio concordatum fuit, ſpectare ad Dignitatem Prioralem juriſdictionem privativam cauſarum civilium, & cumulativam cum Dignitate Archiepiſcopali criminalium illarum perſonarum, in quibus non concurrant copulativè tria requiſita relata, ſed verè, & ſine fictione, ac fraude addictæ ſint ſervitio Religionis, & comprehenſæ in eorum privilegiis, & advertitur juriſdictionem cumulativam Dignitatis Archiepiſcopalis in cauſis criminalibus eſſe delegatam tantummodò, ut explicavit Sacra Rota. ¶ Quarto, attento quod declaratum non fuit à Rota, quinam inſervientes ex illis, qui non habent concurſum copulativum trium requiſitorum, reputentur comprehenſi in privilegiis Religionis, & verè addicti ſervitio illius, concordatum fuit reputandos eſſe tales Inſervientes, Locumtenentes Parochorum, Collectores Miſſarum, & Særiſtas cujuſlibet ex Eccleſiis Parochialibus Prioratus, & in illis, in quibus neceſſe fuerit, puerum Clericum minorum Ordinum, ſeu Laicum, ad hoc, ut auxilium præbeat Særiſtæ, & declaratur, quod in qualibet Parochiali nominari tantummodo debet unus Locumtenens Parochi, unus Collector, unus Sacriſta, & unus Coadjuvans, & iſti reputari poſſunt privilegiati tanquam tales Inſervientes Eccleſiis, & non alij Sæculares, nec Clerici S. Petri, quamvis iſti poſsideant Capellanias Sæculares, quarum Miſſæ, ſeu Suffragia celebrantur in Eccleſiis, ſeu Eremitoriis Religionis. ¶ Quinto, pariter reputari debent ſervientes,

infirmarij, vel infirmariæ neceſſariæ, & non ſuperfluæ cujuſlibet ex Hoſpitalibus Religionis, & advertitur, quod nunquam dari debeat talis titulus, aut conſimile nomen Clerico S. Petri. Et ſi Hoſpitalia conſiderabili redditu fuerint ſuffulta, & in eiſdem reſederint pauperes pro eorum cura, itaut indigeant Rectore, ſeu Adminiſtratore, fruatur talis Rector privilegio ſervientis, quamvis ſit Clericus Sæcularis, degens tamen intra Hoſpitale, & non in aliâ forma. ¶ Sexto, pariter concordatum fuit, quod in quolibet ex Eremitoriis Regularibus reputetur tanquam ſerviens unus Eremita, cujus nominatio dari debet perſonæ Sæculari, & non Clerico S. Petri, & nominatio privativè ſpectabit ad Dignitatem Prioralem. ¶ Septimo, pariter reputantur tanquam ſervientes perſonæ Sæculares, quæ expenſis, ſeu cum ſalario Religionis inſerviunt in Conventu S. Mariæ del Monte, ſive in Domibus Campeſtribus, ſeu Grangiis Conventus, aut D. Mag. Prioris, ubi aderunt redditus, & poſſeſsiones, & adſtiterint ibidem per totum annum, ſeu majorem ejus partem, illarum culturæ, & cuſtodiæ reddituum. Et declaratur, reputari non debere tanquam ſervientes illos, qui inſervierint cum mercede diurna de menſe Auguſti, aut alio conſimili tempore. ¶ Octavo, pariter conſiderantur ſervientes Miniſtri Vicarij Religionis, & pro talibus reputentur unus Fiſcalis, & Notarius publicus dicti Vicarij, necnon alij duo Notarij pro diligentiis, quæ occurrent, & nominatio iſtorum duorum Notariorum fieri debet de perſonis Sæcularibus, non verò de Clericis S. Petri, & in eventum, in quem Vicarius Religionis exoptabit majorem numerum Miniſtrorum, poterit eoſdem nominare, non tamen conſiderandi ſunt aliquo modo privilegiati. ¶ Nono, pariter concordatum fuit, quod ſi in aliqua occaſione à Dignitate Priorali, ſeu illius Equitibus, aut Religioſis ſuſcitabitur Conſervator, nominando Clericum S. Petri, iſte ratione talis officij non reputetur aliquo modo privilegiatus, nec alius miniſter ratione utendi juriſdictione Sæculari. ¶ Decimo, omnes ſuperius relati habentes tria requiſita copulativè, ſubjacere debent in cauſis civilibus, & criminalibus Dignitati Priorali privativè; non habentes autem aliud requiſitum, niſi illud veri ſervitij, debent eſſe in cauſis civilibus privativè, & in criminalibus cumulativè juriſdictionis delegatæ Dignitatis Archiepiſcopalis, & Ordinariæ Religionis. ¶ Undecimo concordatur pariter, quod admiſsi legitimè ad Religionem, fruantur exemptione eo tempore, quo ſunt Novicij, prout cæteri Religioſi. ¶ Duodecimo, in cauſis, in quibus occaſio ſe offeret procedendi contra ſubditos Religionis per Miniſ-

tros

tros Dignitatis Archiepiſcopalis, debent eſſe obligati illi, qui exemptionem prætendunt, oſtendere, & exhibere ſuum titulum, ſeu privilegium coram Vicario Dignitatis Archiepiſcopalis, qui in caſum dubietatis aſſumere debet aliquam cognitionem judicialem ſummariam circa requiſitum, ſeu requiſita neceſſaria pro exemptione, & in eventum, in quem reſolutio Vicarij contineat in ſe gravamen, licita debet eſſe appellatio ad Sedem Apoſtolicam, juxta deciſiones Rotales quarum ultima expedita fuit ſub die xi. Decembris 1690. coram R. P. D. Molines.

SUMMA CAPITIS.

[1] *Materia Capitis proponitur & commendatur.*

CONCORDAT. I.

[2] *An Vicarius Prioralis poſsit Tribunal habere?*
[3] *Proponitur ratio dubitandi.*
[4] *Reſolvit Rota affirmativè & fundatur.*
[5] *Tribunal habere competit habentibus jurisdictionem Ordinariam in foro contentioſo.*
[6] *Ordinaria jurisdictio Mag. Prioris in foro contentioſo probatur multifariàm.*
[7] *Territorium ſeparatum non requiritur, ad Tribunal habendum.*
[8] *Prælati Hieroſolymitani exequandi non ſunt cum aliis Prælatis Regularibus.*

CONCORDAT. II.

[9] *Jurisdictio Ordinaria Mag. Prioris in profeſſos ſui Ordinis, & Servientes cum tribus requiſitis indubitata ſemper fuit.*
[10] *Controverſia extitit in explicandis requiſitis Servientium.*
[11] *Servitium in præſenti requiſitum, debet eſſe actuale.*
[12] *Debet etiam eſſe verum, non affectatum.*
[13] *Nec ſufficit, quod quis deſtinetur, ad ſerviendum.*
[14] *Habitatio in præſenti requiſita verificatur in quibuſcumque domibus, ad Religionem pertinentibus.*
[15] *Modus vivendi in his domibus debet eſſe Collegiativus.*
[16] *Explicantur tres obedientiæ ſpecies.*
[17] *Aſsignatur obedientia in præſenti requiſita.*

CONCORDAT. III. & X.

[18] *Exemptio abſoluta Religioſorum & propriè Servientium ſemper fuit indubitata.*
[19] *Servientes non habentes copulativè tria requiſita, in cauſis criminalibus ſubſunt cumulativè utrique jurisdictioni; in cauſis verò civilibus privativè Priorali.*
[20] *Cumulativa in cauſis criminalibus Servientium intelligenda eſt præventivè.*
[21] *Exemptio Servientium ceſſat in cauſis reſervatis Diœceſano.*
[22] *An puniri poſsit à Diœceſano, qui poſt crimem commiſſum, fit ſerviens Religionis?*
[23] *Reſpondetur I. negativè, ſi cauſa non fuerit inchoata à Diœceſano.*
[24] *Opponitur, quod privilegium impetratum, poſt crimem commiſſum, intelligitur fraudulentum.*
[25] *Reſpondetur, & fundatur, ſolam criminis conſcientiam fraudem non inducere.*
[26] *Reus nondum conventus, impetrando privilegium, ſuo jure utitur.*
[27] *Exponitur* text. in leg. quæſitum ff. qui, & à quib.
[28] *Reſpondetur II. affirmativè quæſtioni* numer. 22. *ſi cauſa fuerit inchoata coram Diœceſano.*
[29] *Probatur hæc ſententia pluribus fundamentis.*
[30] *Proponuntur in confirmationem caſus ſimiles.*
[31] *Objecto contra hanc ſententiam.*
[32] *Reſpondetur objectioni.*
[33] *Refelluntur aliquorum ſententiæ.*

34 *Applicatur hæc doctrina propoſito noſtro, & illuſtratur declaratio Iudicum Concordiæ.*

CONCORDAT. IV.

35 *Diſtinguuntur duæ claſſes Servientium.*

36 *Deſignatur certus numerus Servientium ſecundæ claſsis.*

37 *Clerici Sæculares poſsidentes Capellanias in Eccleſiis Regularibus, non cenſentur earum Servientes.*

CONCORDAT. V.

38 *Servientes Hoſpitalibus Religionis, ejus privilegiis gaudent.*

39 *Clericus Sæcularis quandoque nominari poteſt Rector Hoſpitalis.*

CONCORDAT. VI.

40 *Eremitæ, qui à Vicario Priorali nominantur, Servientes Religionis cenſentur.*

CONCORDAT. VII.

41 *Coloni ſtipendiari Religionis, ſunt privilegiati ſi aſsiduò, & principaliter in ſuo miniſterio occupantur.*

42 *Milites non dicuntur, qui vrbanam vitam agentes, quandoque arma in hoſtes ſumunt.*

CONCORDAT. VIII.

43 *Miniſtri Tribunalis Prioralis Servientes cenſentur.*

CONCORDAT. IX.

44 *Clericus Sæcularis, nominatus Conſervator S. Religionis, manet ſubjectus Diœceſano in cauſis privatis, ſecus verò in concernentibus conſervatoriam.*

45 *Confirmatur hæc diſtinctio doctrina Cardin. de Luca.*

CONCORDAT. XI.

46 *An Novitij Religionum ſint exempti à poteſtate Epiſcopi?*

47 *Ratio dubitandi pro parte negativa.*

48 *Amplexatur ſententia affirmativa.*

49 *Novitij licèt non propriè, largè tamen, dicuntur Religioſi.*

50 *Novitius per ſuſceptionem habitus deſinit eſſe Parochianus Eccleſiæ, cujus antea fuerat.*

51 *Lucratur indulgentias, ſuo ordini conceſas.*

52 *Gaudet privilegio Clericorum, & Religioſorum.*

53 *Confirmatur ſententia* num. 48.

54 *Diſſolvitur ratio dubitandi* num. 47.

CONCORDAT. XII.

55 *An exemptus ab Ordinario requiſitus, teneatur coram illo ſuum privilegium oſtendere.*

56 *Amplexatur ſententia affirmativa ex pluribus juribus tam Canonicis, quàm Civilibus.*

57 *Confirmatur hæc ſententia ex juris aſsiſtentia, quæ favet Epiſcopo in perſonas omnes ſuæ Diœceſis.*

58 *Privilegium non præſumitur.*

59 *Delegatio, aut mandatum ſecretum Principis credi non debet, niſi inſtrumentum exhibeatur.*

60 *Privilegia inſerta in corpore juris non eſt neceſſe exhiberi Ordinario.*

61 *Similiter privilegia notoria notorietate juris, vel facti.*

62 *Habens privilegium notorium, licèt non teneatur illud exhibere, tenetur tamen comparere, & illud allegare.*

63 *Sententia* num. 56. *procedit in privilegio dubio, & non notorio.*

64 *Qualitates ſeu requiſita privilegij coram Ordinario probari debent.*

65 *An Ordinarius interpretare poſsit privilegium, & cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio?*

66 *Fundatur ſententia negativa I. quia privilegij interpretatio ſoli Principi competit.*

67 *II. Quia inferiori prohibetur judicare cauſam Superioris.*

68 *III. Quia nemo poteſt judicare in cauſa propria.*

69 *IV. Quia cùm agitur de exemptione, agitur de abſoluto defectu juriſdictionis.*

V.

70 *V. Quia in conceſsionibus privilegiorum, eorum interpretatio Papæ reſervatur.*

71 *Fundatur ſententia affirmativa I. ex* cap. cùm perſonæ de privil. in 6. *& aliis in quæſt. præcedenti.*

72 *II. Quia Iudex cognoſcere poteſt in exceptionibus ſui fori.*

73 *III. Quia Ordinarius non judicat in cauſa propria, ſed in cauſa Magiſtratus.*

74 *IV. Quia Epiſcopus cognoſcere poteſt, an Hoſpitale ſit ſub Regia protectione.*

75 *V. Quia Iudicibus nonumquam conceditur privilegia interpretare.*

76 *Agitur de conciliandis his fundamentis, propoſita vera ſententia.*

77 *Affertur definitio interpretationis.*

78 *Diſtinguitur interpretatio à declaratione.*

79 *Legum interpretatio prohiberi non debet.*

80 *Diſtinguuntur tres ſpecies interpretationis.*

81 *Interpretatio neceſſaria, & generalis ſoli Principi competit.*

82 *Interpretatio neceſſaria, ſed non generalis, nec abſolutè auctoritativa, eſt propria Iudicum.*

83 *Cùm verba privilegij ſunt clara, Iudex poteſt dicere, an privilegium locum habeat, ſed illud interpretare nequit.*

84 *Cùm verba privilegij ſunt obſcura, & quæritur de illius mente, Ordinario eſt prohibita interpretatio.*

85 *Exponitur* lex. 2. ſi quis in ſuis vocat. non. jer. *de qua* num. 72.

86 *Exponitur* lex. 5. ff. de judit.

87 *Exponitur* cap. cùm perſonæ de privil. in 6.

88 *In caſu privilegij dubij permittitur Ordinario cognitio indirecta, ut judicet, an privilegium ſuffragetur, & an ſua ſit juriſdictio.*

89 *A declaratione Ordinarij in his caſibus appellari poſſunt exempti ad Sedem Apoſtolicam.*

COMMENTARIUM.

1 MUlta non minus ſpecioſa, quàm utilia conſideranda veniunt in hoc Capite; in eo ſiquidem particularibus declarationibus detegitur extenſio juriſdictionis M. Priori competentis, deſignatis perſonis, & cauſis, in quibus vel privativè ad Dignitatem Archiepiſcopalem, vel cum ea cumulativè præfata juriſdictio procedit: res certè difficilis, & implicata; & quæ à concordantibus forſam non potuiſſet explicari niſi præviis S. Rotæ deciſionibus, juxta quas diſpoſita ſunt concordata ſequentia.

CONCORDAT. I.

2 EX traditis in *cap. 9. num. 68. & 70. part. 1.* conſtat acriter fuiſſe in S. Rota diſceptatum, an Vicarius Prioralis, ad exercendam ſuam juriſdictionem, Tribunal poſſet habere? Ratio præcipua 3 dubitandi ea erat, quod Tribunal habere ſolùm videtur eſſe concedendum, iis, qui juriſdictionem omnimodam & contentioſam habent in territorio, quales ſunt Epiſcopi, & Prælati *nullius.* A quibus longè diſtat Vicarius Prioralis, cùm ex ſæpè dictis in hoc tractatu, juriſdictionem non habeat in hoc, de quo agimus, territorio; & licèt juriſdictionem habeat ordinariam, hæc non in foro contentioſo, ſed jure Monaſtico ei videtur competere in Eccleſias, & perſonas ſui Ordinis, in pertinentibus ad Regularem obſervantiam, ad inſtar aliorum Prælatorum Regularium; unde otioſa videbatur Tribunalis, Miniſtrorum & carcerum conceſsio, cùm abſque eis Prælati Regulares ſuam optimè exerceant poteſtatem.

4 Hac tamen ratione dubitandi non obſtante, decidit Sac. Rota in *deciſ. 17. Iunij 1689.* & in alia *16. Iunij 1690. cor.*

Molines, Vicarium Prioralem retinere poſſe Tribunal erectum cum carceribus & Miniſtris. In his deciſionibus latè examinantur utriuſque partis fundamenta, quæ hic tantùm velut per indicem colligemus. Præcipuum autem fuit
5 quod Tribunal habere competat omnibus, qui juriſdictionem Ordinariam habent in foro contentioſo, Card. *in Clem. 2. §. notoriũ de re jud.* Lancelot. Corrad. *in Templo judiciali lib. 2. verſ. conſiſtorium num. 2.* Moneta *de conſervat. cap. 8. n. 28.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 25. num. 4.* Indeque negari non poterat retentio Tribunalis Magno Priori, cujus Ordinaria juriſdictio in foro contentioſo notiſsima eſt, ut ſæpè vidimus, & conſtat I. ex
6 privilegiis Sac. Religionis Hieroſolymitanæ contentis in *Bulla Pij IV. in §. 21. 36. & 65.* II. ex ſtabilimentis ejuſdem Religionis *ſtatuto 5. & 9. tit. de Priorib.* III. ex quodam indulto Alexandri VII. dato 17. *Maij* 1656. IV. ex conſuetudine aliorum Prioratuum, ut Salmanticenſi, Zamorenſi, Navarræ, & Meſanenſi, de quo Card. de Luca in *Miſcel. Eccleſ. diſc.* 13. V. in præciſis terminis Magni Prioris ex quadam Bulla Alexandri VI. & ex concordiis innitis cum piiſsimo, & vigilantiſsimo Antiſtite Cardinali Ximenez D. meo, & cum Cardinali de Quiroga. Ex quibus omnibus conſtat Prælatos Hieroſolymitanos vocari & eſſe ordinarios, licèt non abſolutè, tamen ſecundumquid, ad certos effectus, & in materia adaptabili, *cap. ab Eccleſiarum 3. de offic. Ord.* Fagn. *in cap. poſt ceſsionem n. 3. de probat.* & in propoſito Rota *deciſ. 70. à n. 53.*

Nec obſtat quod Magnus Prior
7 non habeat territorium ſeparatum; quia ad effectum habendi Tribunalis, non eſt de eſſentia habere territorium ſubjectivè, ſed ſufficit circunſcriptivè, ut ſciatur intra quos limittes, & ſuper quibus perſonis juriſdictio competat, Fagn. *in d. cap. 3. de probat. num. 4. & in cap. cùm contingat de for. compet. n. 26.* Cortiada *deciſ. 16. n. 45. & ſeq.* Card. de Luca *de juriſd. diſc. 1. n. 27.* Eſcobar *de Pontif. & Reg. cap. 9. n. 5.*

8 Nec pariter obſtat paritas aliorum Prælatorum Regularium, quibus non licet habere Tribunal, ſed tantùm habent coerctionem ſubditorum intra Clauſtra, ac more Monaſtico: nam, ut ſæpè diximus, privilegia huic Sac. Religioni conceſſa cæterarum privilegia excedunt; ac proindè Prælati Hieroſolymitani in hac parte cæteris exequandi non ſunt, ut his, ſicut illis denegetur Tribunal erectum habere. Quænam verò cauſæ, aut perſonæ, ad illud ſpectent ſtatim explicabimus.

CONCORDAT. II.

9 IN controverſiis, quas retulimus in *citat. cap. 9. part. 1.* circa comprehenſionem juriſdictionis Mag. Prioris, nulla unquam difficultas extitit circa Regulares profeſſos Ordinis Hieroſolymitani, nec etiam circa ejuſdem Ordinis Servientes, ſuffultos tribus requiſitis Conc. Tridentini *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 11.* & Conſtitutionis Gregorij XIII. quæ eſt *In ordine la 67. tom. 2.* Hos ſiquidem & eorum cauſas ad juriſdictionem Ordinariam Prioralem ſpectare, erat in confeſſo, *in deciſ. 10. Ianuarij* 1689. *& in deciſ. 17. Iunij ejuſdem anni.* Reſidebat tamen difficultas in explicandis his re-
10 quiſitis; ut ita liqueret quinam illis gauderent, vel non, & indè ſtatueretur exemptio, vel reſpectivè ſubjectio. Explicationem ergo à Concordantibus adhibitam in præſenti percurremus.

11 Primum requiſitum, à Concilio, & Gregorij Conſtitutione expreſſum, eſt *Servitium.* At non quodcumque ſufficit, ſed requiritur actuale; dicitur enim tam in Concilio, quàm in Conſtitutione, *actu ſerviunt*, & ratio eſt, quia deficiente ſervitio, ceſſat immunitatis cauſa, *leg.*

ſemper

ſemper 3. §. 3. *ff. de jur. immun.* ibi: *Quamdiù in ejuſmodi actu ſunt*, & in terminis Barbat. *vol.* 4. *conſ. antepen. num.* 3. 4. & 5. Pignatell. *tom.* 6. *conſ.* 2. *n.* 16. Et generaliter privilegium in famulorum perſonis ultra non durat, quàm quod in ſuorum dominorum ſervitio exiſtunt, Bonachos *tract. de famul. quæſt.* 157. *num.* 3. Matth. Stephan. *de juriſd. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. 3. & 4. Unde fluit, quod privilegia ſervientium morte expirant, ut vidimus in *cap.* 11. *in* 2. *Concordato.*

12 Hinc etiam efficitur, ut hoc ſervitium debeat eſſe verum, non umbraticum, ſeu nomine tenus, quod eſt de mente Concilij & Conſtitutionis, vanos exemptionum titulos aufferre cupientium, & illuſtratur *arg. text. in leg. qui ſub prætextu C. de Sacroſ. Eccleſ. & leg. un. C. de Collegiat. lib.* 11. ibi: *Qui ſub prætextu Decanorum, ſeu Collegiatorum, cùm id munus non impleant, aliis ſe muneribus conantur ſubtrahere, eorum fraudibus credimus eſſe obviandum: ne quis ſub ſpecie muneris, quod minus exequitur, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum, vel numulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo Collegiati, vel Decani feſtinant.* Videndus Petr. Barboſa in *leg.* 1. *part.* 7. *n.* 61. *ff. ſolut. matrim.*

13 His etiam conſequens eſt, ad verificationem hujus requiſiti non ſufficere, quod quis deſtinetur, ad ſerviendum in aliquo munere, ut reſolutum eſt in *Congregat.* 9. *Iulij* 1701. *verſ.* 2. ibi: *Se reſolviò, que acudiendo à exponerſe, y pedir dicha licencia ſugetos capaces, y de buenas coſtumbres, los havilite el Vicario Arzobiſpal, para dicho ſervicio; pero que no gozen de la qualidad de Sirvientes, menos, que en caſo de ſervir por ſi en dicho miniſterio por la auſencia, enfermedad, ò impedimento; de ſuerte, que aunque haya dos ò mas havilitados, ſolo goze uno de los privilegios de eſſento, ſegun el* cap. 16. de la Concordia. Quæ reſolutio confirmari poteſt *arg. text. in leg. ſemper in Civitate* 5. §. *quibuſdam* 12. *de jur. immun.* ubi poſtquam egit Calliſtratus, de iis, qui artificij cauſa in Collegiis adſumuntur, ſic ait: *Nec omnibus promiſcuè, qui adſumpti ſunt in his Collegiis immunitas datur, ſed artificibus duntaxat.*

14 Secundum requiſitum eſt habitatio intra ſepta, & domos Religionis: circa quod prima occurrit difficultas, de quibus domibus ſit intelligendum, & quamvis Antonin. *lib.* 1. *variar. cap.* 18. *n.* 4. Pignatell. *tom.* 2. *conſ.* 21. *à num.* 10. & *conſ.* 23. *per tot.* Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 4. *num.* 9. & *diſc.* 101. *num.* 10. ſcripſerint hoc requiſitum non verificari in habitatione in quacumque domo, ad Religionem ſpectante, ſed præcisè requiri habitationem intra ſepta Clauſtralia, & domum principalem Commendæ; tamen Rota in *deciſ.* quæ *in h. cap.* refertur, probavit ſententiam Monetæ *de conſervat. cap.* 6. *num.* 49. & 52. tenentis ſufficere habitationem in quibuſcumque domibus, ad Religionem & illius Commendas ſpectantibus.

15 Secunda difficultas verſatur circa modum vivendi in his domibus obſervandum; & quamvis Moneta *ubi proximè*, cupiens exemptionem extendere, ſentire videatur, ut ſola habitatio in domibus Religionis illam tribuat, etſi more cæterorum laicorum in eis vivatur; tamen Rota in *d. deciſ.* quam in præſenti ſequuntur Concordantes, amplexata eſt ſententiam Antonini, & Cardinalis de Luca, ut nimirùm ad verificationem hujus requiſiti exigatur, quod convivatur in eadem domo juxta proprium, vel ſimilitudinarium modum Clauſtralem, inſimul & Collegiativè cum Superiore, & ſub ejus oculis, ita ut ab eo corrigi, & viſitari valeant. Unde Rota in *d. deciſ.* particulariter declaravit, Colonos, Factores, & Affictuarios Religionis gaudere exemptione, ſi hunc modum vivendi obſer-

obſervent; ſecus verò ſi habitent in ipſorum propriis domibus, ſive ruralibus Religionis, aut libellariis, vel emphiteuticis, vel aliàs de ejus dominio, more cæterorum laicorum.

16 Tertium requiſitum & quidem principale eſt obedientia Prælato Regulari præſtanda. Pro quo explicando, diſtinguendæ ſunt tres obedientiæ ſpecies. Prima rigoroſa & præciſa, qualis eſt illa, quam Religioſi profeſsi ratione voti tenentur exhibere Prælato Regulari. Secunda lata, prout eſt obedientia illorum, qui alieno ſervitio ſe addicunt ad tempus, à qua licitum eſt quandocumque pro arbitrio recedere. Tertia media inter utramque, quæ verificatur in iis, qui certæ Religionis ſervitio ita ſe addicunt, ut vitam peragant ad inſtar Religioſorum, quatenus ſimul commorentur in eodem loco ſub uno Superiore, qui eos poſsit corrigere, & ita careant illa vivendi licentia, quam cæteri Sæculares habent.

17 Ex his tribus obedientiæ ſpeciebus dicendum eſt, ad verificationē hujus requiſiti, relicta prima, ut nimis ſtricta, tertiam exoptari, ſecundam verò non ſufficere. Et ratio depromitur ex mente Concilij, & Conſtitutionis Gregorianæ, quæ eò collimavit, ut exempti religioſiùs viverent, & ipſis laxioris vitæ occaſio præcideretur; quod utique non aſſequeretur illa obedientia famulatoria & accidentali, atque ita declaravit S. Congregatio relata per Cardin. de Luca *d. diſc.* 4. *num.* 2. *&* 7. *& diſc.* 101. *n.* 10. quam ſequuta eſt S. Rota in noſtro caſu, & ex ea deſumpſerunt Concordantes,

CONCORDAT. III. & X.

18 COgnitis perſonis, in quibus tria requiſita Concilij & Bullæ Gregorianæ concurrunt, nulla aderat controverſia ſuper ipſarum abſoluta exemptione à Vicario Diœceſano, & plenaria reſpectivè ſubjectione Vicario Priorali in cauſis ſive civilibus, ſive criminalibus; difficultas autem ſtabat circa illos, in quibus tria requiſita copulativè non verificabantur, ſed verè ſervitio Religionis

19 erant addicti; an videlicet Superiores Religionis aliquam in ipſos juriſdictionem haberent, ut prætendebat Dignitas Prioralis; vel potiùs omninò eſſent Diœceſano ſubjecti, ut Dignitas Archiepiſcopalis aſſerebat. In quo diſsidio, partibus auditis, S. Rota reſolvit in *deciſ.* 17. *Iunij* 1689. *cor. Molines*, ut hujuſmodi Servientes in cauſis civilibus ſubſint privativè Vicario Priorali; in cauſis vero criminalibus cumulativè ſubjaceant juriſdictioni delegatæ Archiepiſcopi, & ordinariæ Magni Prioris. Quod ipſum Concordantes amplexantur in *h.* 3. *&* 10. *Concordat.* cujus reſolutionis fundamenta conſultò ommittimus, cùm quiſque per extenſum ea videre poſsit *in d.* deciſione Rotali, noviſsimè cum aliis, ad hanc cauſam ſpectantibus, Matriti excuſſa, cùm hæc prælo mandarentur.

20 Notandum tamen eſt cumulativam juriſdictionem quoad cauſas criminales horum Servientium non eſſe intelligendam de ſimultanea, quod eſt ſpeciale in cauſis concernentibus curam animarum, ob favorem ejuſdem curæ, ex dictis in *cap.* 12. ſed de præventiva ex vera natura cumulativæ, ex dictis in *cap.* 3. *num.* 142. *& in d. cap.* 12. *num.* 6. Atque ita in *Congregat.* 19. *Novembris* 1701. *verſ.* 1. reſolutum fuit: *Que toca al Vicario Prioral* (la cauſa) *por haverla prevenido en conformidad del* cap. 16. de la Concordia, *y que el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal ſuſpenda en ella todos ſus procedimientos, y dege ſu procedimiento al de la Religion.*

21 Ulteriùs notandum eſt exemptionem Servientium limitandam eſſe in illis cauſis, quæ ex juris diſpoſitione ſunt reſervatæ Diœceſano. Sic igitur cùm in

Con-

Congregat. 26. *Iunij* 1701. *verſ.* 3. diſputatum fuiſſet cuinam competeret facere deſcriptiones fructuũ (vulgo *aforos*) exemptorum virtute Brevis *de Millones*; & Judices Priorales vellent, ut ad Vicarium Prioralem pertineret; dubio remiſſo in caſu diſcordiæ Apoſt. Nuncio, hic *ſub die* 31. *Octobris* 1701. declaravit ad Diœceſanum ſpectare hujuſmodi deſcriptiones facere. Quæ deciſio fundatur ex eo, quod præfatum Breve de Millones loquitur de Ordinario loci, cujus appellatione ſolùm comprehenditur Diœceſanus non verò Prælatus Inferior *intra Diœceſim*, ex traditis in *cap.* 3. *h. p. num.* 30.

22 Hic etiam opportunè quærendum eſt, an cùm aliquis de Populo & Clero Sæculari obtinet privilegium ſervientis poſsit puniri à Diœceſano pro delicto commiſſo ante privilegij conſequutionem? In quo dubio (ommiſſo examine
23 particularium & diſcrepantium opinionum) reſpondeo primo, quod ſi, cauſa non præventa & inchoata coram Diœceſano, ſervitio Religionis quis ſe addicat, ampliùs coram eo conveniendus non eſt, ſed coram Priorali, ea eſt enim vis privilegij ſupervenientis, ut univerſaliter eximat, *cap. Frater noſter* 16. *q.* 1. *cap. cùm Capella de privil. cap. ex antiquis, cap. fraternitatem, & cap. ſi ſervus* 54. *diſt. leg. pen. §. ſi poſt, & leg. ſpadonem, §. ſcire de excuſ. tut. leg. is cui de alim. & cibar. leg. leg. accuſare §. hoc beneficio de accuſat.* Quod & quamplurimis in jure demonſtratur exemplis, ut in *leg. Prætor de vacat. & excuſat. leg. non diſtinguemus §. Sacerdotio leg. interdum de oper. libert. leg. præſenti C. de his qui ad Eccleſ. confug.* Et in hoc conveniunt omnes antiqui, & moderni DD. ut videre eſt apud Fagn. *in cap. magnus num.* 27. *de obligat. ad ratiocin.* D. Covarr. *pract. cap.* 32. *num.* 4. & ibi Faria *num.* 17. Carleval *de judic. tit.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *n.* 448. D. Salgado *de Reg. protect. part.* 4. *cap.* 14. *à n.* 119.

24 Obſtare tamen huic ſententiæ videtur, quod privilegium obtentum poſt crimen commiſſum, fraudulentum intelligitur, nã qui ſcit ſe deliquiſſe, ſatis oſtendit eo fine impetrare privilegium, ut correctionem ſui Judicis effugiat, ex *text. in leg. quæſitum ff. qui & à quibus*, unde ex hoc textu & aliis tenent quamplures privilegium, poſt crimen commiſſum impetratum, non prodeſſe.

25 Sed hoc fundamento non obſtante inſiſtendum eſt præjactæ ſententiæ, ut niſi reus fuerit in priori foro conventus, vel accuſatus, aut in crimine deprehenſus, privilegium ab eo obtentum proſit; nec enim ex ſola patrati criminis conſcientia fraus poteſt induci, ut bellè Papinianus in *leg. fin. de bonis. eor. qui ſibi mort. conſciv.* ubi qui ſibi mortem conſcivit, non creditur id propter maleficium commiſſum feciſſe, niſi priùs fuerit accuſatus, aut in crimine deprehenſus. Sic etiam Paulus in *leg. ult. de re militar.* ut reo militis privilegium non prodeſſet, metum criminis ſufficere non judicavit, ſed poſtulatum eſſe debere, antequam militiæ nomen daret. Similiter Imperator Alexander poſtulatos tantùm reos à petitione novi honoris excluſsit in *leg.* 1. *C. de reis poſtul. lib.* 10. Nec certè conſiderari poteſt ulla fraus facta ex impetratione privilegij priori judici, nec ejus juriſdictioni, quæ adhuc non erat radicata, nec perpetuata; mutatio enim fori ſolùm poteſt eſſe fraudulenta, & offenſiva judici, qui cauſam illam inchoavit, ut ex Capitali in hac materia *text. in leg. ſi quis poſtea quam* 7. *ff. de judic. & ex cap. propoſuiſti de for. compet.* clarè deducitur. Unde Joann. Andreas, & ex eo Fagnanus *ubi ſupra num.* 63. in hac quæſtione fraudem non conſiderant, ſed prævention em duntaxat, per quam juriſdictio perpetuatur, & cauſa remanet affecta judici prævenienti. Quod hac brevi evincitur conſideratione, nam qualiſcumque

26 cumque in reo, nondum tamen conventō, conſideretur calliditas in impetratione privilegij, nec ex ea dici poteſt priori judici fieri fraudem, quia in his terminis ei nullum ſequitur præjudicium, cauſa non præventa; nec injuriam fieri, quia reus impetrando privilegium, ſuo jure utitur, & nemini injuriam facit, *ex text. in leg. Grachus C. ad leg. Iul. de adult.* Nec jam obſtat *text. in*
27 *leg. quæſitum ff. qui & à quib.* & ſi qui ſunt ſimiles, ex quibus Baldus in *leg. 1. num. 7. C. an ſerv. ex ſuo facto.* probare intendit ex ſola conſcientia criminis fraudem induci; hoc enim quoad alios effectus procedere poteſt, ut in eo textu, in quo agitur, à quo tempore ſit inflingenda pœna, ſed non à quo Judice.

28 Secundo ſuprapoſitæ quæſtioni reſpondemus; quod ſi reus jam erat conventus, & cauſa inchoata coram Ordinario Judice, privilegium ſuperveniens fori mutationem non operatur. Quæ ſententia pluribus fundatur rationibus. Nam in primis cauſæ continentia
29 dividi non debet, *leg. nulli C. de judic. Authent. de except. collat. 7. & cap. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ.* Deinde, quia ex juris ratione, ubi exordium ſumit judicium, ibi & finem debet accipere, *ex leg. ubi cæptum 30.* & ibi communiter Legiſtæ *ff. de judic.* convenienter ſanè alteri regulæ, quæ dictat Judicem pronunciare debere de re, de qua cognitionem ſuſcepit, *leg. de quare 74. de judic.* Accedit quod privilegium ſuperveniens non excuſat à munere jam ſuſcepto, quia privilegium non operatur niſi in ſubjecto libero, *ex text. in leg. 2. leg. non tantùm 17. §. 5. & leg. Titius 45. de excuſat. tutor. leg. incola 34. ff. ad municipal. leg. ſemper 5. §. hoc circa de jur. immun.* Sic enim videmus, quod damnatus ad mortem, ſuſcipiens corpus Chriſti Domini juxta *cap. quæſitum 13. q. 2.* immunitatę non gaudet, quia ut Gloſſa ibi dicit, corpus Chriſti eum captivum invenit, & ſic captivum dimittit. Ac tandem hanc ſententiam confirmant capitales in hac materia deciſiones in *d. l. ſi quis poſt eaquam de judic. leg. cum quædam puella de juriſd. & in cap. propoſuiſti de for. compet.* eamque tenent præter antiquos Franch. *deciſ. 544. num. 15.* Chochier *de juriſd. in exempt. part. 2. q. 16. à n. 5.* D. Solorzan. *de jure Indiar. lib. 2. tom. 2. cap. 26. num. 63.* Giurba *deciſ. 23. n. 9.* D. Salgado *Labyr. part. 1. cap. 7. à n. 78.* Fermoſin. *in d. cap. propoſuiſti q. 4. per tot.* Vela *diſſert. 39. n. 29. & 30.* Fontanell. *deciſ. 393. ſub n. 11.* Carleval *ubi ſupra*, qui alios plures referunt.

30 Et hæc generalis ſententia particulariter verificatur in pluribus caſibus, qui ſunt velut illius illationes. Itaque ſi cum muliere maritata lis ſit cæpta, licèt vidua efficiatur, forus non mutatur virtute privilegij *leg. un. C. quando Imperat. inter pupil. & vid.* Surd. *conſ. 222. n. 19.* Afflict. *deciſ. 210.* Giurba *conſ. 82. n. 2.* & eſt communis antiquorum ſententia *ad d. leg. cum quædam puella.* Similiter hoc ipſum procedit in pupillo, qui ſucceſsit majori lite cæpta, ut nec ſuo privilegio utatur; nec etiam eo caſu, quo cum ipſo inſtituta lite, ea pendente major efficiatur, Franch. *deciſ. 234. & deciſ. 364. num. 3. & deciſ. 262. num. 7.* Amato *var. lib. 2. reſol. 65. à num. 51.* Giurba *deciſ. 14. num. 13.* D. Salgado *d. cap. 7. num. 81. & 82.* Sic etiam ſi lite pendente, quis fiat Scholaris, privilegium ſcholæ ſuperveniens à cognitione prioris Judicis illum non eximet, ut latè fundat D. Salgado *d. cap. 7. à num. 76.* contra Petrum Barboſa, & tenet Eſcobar *de Pontif. & Reg. juriſd. cap. 50. per tot.* ſignanter *num. 9.* Quod limitandum erit, ſi Univerſitas aliquod ſpeciale expreſſum habeat pro hoc caſu privilegium, quale habere Salmantinam Academiam affirmant Fermoſin. *in d. cap. propoſuiſti q. 6. de for. compet.* Tondut. *de*

præ-

prævent. 1. part. cap. 28. num. 45. & 56. Quod ad noſtram Complutenſem, eiſdē, ac majoribus privilegiis fruentem, erit extendendum. Sed nihil validiùs noſtram confirmat ſententiam, quàm quod Clericatus ſuperveniens, lite cæpta coram judice Sæculari, fori mutationem non operatur in veriori ſententia, quam tuentur Joan. Andr. *in cap. magnus n. 19. verſ. puto de obligat. ad ratioc.* alios referens D. Salgado *d. cap. 7. num. 82.* & omnium optimè Proſper. Fagnan. *in d. cap. magnus in 4. q.* ubi rem examuſsim diſputat, & diſſentientes conciliat opiniones.

31 Huic tamen ſententiæ obſtare videtur, quod is, qui obtinet privilegium indiſtinctè eximatur à priori Judice, nam illa nova qualitate ſuperinductus, nihil commune habere videtur cum priſtino ſtatu, *arg. text. in cap. deinde 26. diſt. cap. ferrum 50. diſt. cap. ſi quis jam tranſlatus 21. q. 2. cap. un. 18. cap. ne pro cujuſlibet 16. q. 1.* juncta generali regula, quam ſupra adduximus, quod privilegium ſuperveniens univerſaliter eximit, & liberat ab obligatione, qua quis antea tenebatur, *ex text. in leg. non diſtinguemus 32. §. Sacerdotio ff. de arbitr. leg. pen. §. ult. de vacat. mun. leg. ſpadonem §. ſcire de excuſat. tut. leg. eum actum leg. atqui natura ff. de negot. geſt. §. datur inſtit. de aſſign. libert.* & præcipuè ad propoſitum *ex text. in leg. qui autem 12. ff. ſi quis caut.* & in hanc ſententiam inclinari videntur Paul. de Caſtro *in d. leg. qui autem.* Bellamera *in d. cap. propoſuiſti in 2. q. num. 7. verſ. quid dicendum de for. compet.* & omnes DD. qui in quæſtione laici conventi, & poſtea ordinati, fori mutationem admittunt contra Judicem laicum prævenientem, quorum cathalogus videri poteſt apud Cortiad. *tom. 3. deciſ. 151. num. 14.* & noviſsimè apud Hontalb. *de jur. ſuperveniente tom. 1. q. 20. n. 29.*

32 Huic verò difficultati reſpondeo, quod privilegium, ſicut quælibet alia qualitas ſuperveniens inefficax eſt, quoties per aliquem actum antecedentem vis ejus enervatur, veluti in præſenti, quia per actum conventionis ipſum privilegium prævenitum intelligitur, & illius vis prævenitivè enervata, & ideo nihil ſuffragatur, ut reſpondent Hoſtienſis, Butrius, Bellamera, & Joann. Andreas *in d. cap. propoſuiſti*, quod confirmatur *ex d. leg. tutor. & leg. non tantùm 17. §. 5. de excuſat. tut.* & patet ex dictis *num. 29.*

33 Nec in quæſtione hac admittimus mediam aliquorum ſententiam, diſtinguentem inter privilegium procuratum, & privilegium caſu quæſitum, aut motu Principis tributum, & inter bonam fidem, vel fraudem privilegium quærentis; quia præterquamquod hæc ſententia dum fraudem vult punire, viam fraudibus aperit; nam facilè poſſet quiſquam clam colludere procurando, ut ſuperior eum eximeret, & à manibus Inferioris Judicis præriperet; indiſtinctè conſideratio ponenda eſt in prævention-ne, & litis pendentia, non in fraude, vel bona fide, ut in ſtrictioribus terminis conſiderant Joan. Andr. *in d. cap. propoſuiſti*, & ex eo Fagnan. *in d. cap. magnus num. 63.* Nec congruam in hac quæſtione putamus diſtinctionem, quam tradit Hontalba *d. q. 20. à num. 11.* inter caſum, in quo Judex, & collitigans tacitè, vel expreſsè conſentiunt litem agitari coram privilegiato, & inter caſum, in quo diſſentiunt; nam hoc non eſt diſputare de viribus, & efficacia privilegij, per ſe conſiderati; & aliundè quæſtio hæc proponitur ab omnibus, nec aliter locum habet, niſi cùm tam Judex, quàm collitigantes diſſentiunt, & controvertitur de competentia juriſdictionis, prout in præſenti.

34 Ex his jam pro reſolutione ſuperioris dubij reſpondere poſſumus particulariter in propoſito noſtro, quod ſi poſt cauſam prævenitam, & inchoatam

in

in Tribunali Diœceſani, obtineat reus privilegium Servientis Sac. Religionis, tunc privilegium ei non proficiet, & cauſa coram Diœceſano, & non coram Priorali Judice erit terminanda : pro quo terminantem Apoſt. Nuncij reſolutionem habemus ; cùm enim quidam Sæcularis Clericus ob incontinentiæ cauſam in Tribunali Diœceſano eſſet poſtulatus, & in carcerem detruſus, ſub fidejuſſoribus à carcere liberatus, titulum obtinuit Sacriſtæ majoris Parochialis Regularis, deinde cùm iterum procederetur contra eum in Tribunali Diœceſano ob reincidentiam ; dubium ſuper hoc fuit excitatum, quod quidem propoſitum fuit in *Congregat. 22. Octobris 1702. verſ. 2.* & cùm Judices diſcordes extitiſſent, Nuncius diſcordiam terminavit favore Vicarij Diœceſani *die 22. Martij 1703.*

CONCORDAT. IV.

35 EX declarationibus à S. Rota dimanatis, quas ſupra retulimus, vidimus, duas claſſes Servientium eſſe conſtituendas ; primam eorum, qui cùm tribus requiſitis Concilij & Bullæ Gregorianæ ſint ſuffulti, propriè Servientes ſunt, & in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus Vicario Priorali privativè ſunt ſubjecti. Secunda verò eorum, qui cùm præfata tria requiſita non habeant, in cauſis civilibus Prælato Regulari Inferiori ſubſunt, in cauſis verò criminalibus cumulativæ utriuſque Dignitatis juriſdictioni ſubjacent. Quia tamen à
36 S. Rota Servientes hujus ſecundæ claſſis ſpecificè deſignati non ſunt, ideo Concordantes in præſenti circa eorum numerum, & munera particulariter convenerunt. Maximè enim expedit hæc numeri præfixio, tum ad concordiam inter Diœceſanos, & Prælatos Inferiores ſervandam ; tum, ut fraudibus obvietur, juxta mentem Concilij, & Gregorianæ Conſtitutionis ; aliàs enim evenire poſſet, ut Prælati Inferiores plures ſubditos haberent, quàm Epiſcopi, & Magiſtratus Sæculares, ut in ſimili advertit Cardin. de Luca *de juriſ. d. diſc. 4. num. 9. verſ. ideoque* ; unde rectè propoſito noſtro applicabimus, quod ait Conſultus *in leg. ſi duas 6. §. 4. de excuſat. Non aliter de immunitate hac fructum habebunt niſi decreto Senatus inſcripti fuerint numero conceſſo, & circa operationem ſe negligenter non habeant*, & quod *in §. 3. ejuſd. legis* dicitur. *Excedere quidem hunc numerum non licet, neque ſententia Senatus, neque aliqua adinventione.* Quod in propoſito cautum eſt in *Congregat. 22. Decemb. 1700. verſ. 4.* ubi fuit reſolutum : *Que aſsi en quanto al numero, como en quanto à las calidades de eſtos Sirvientes, ſe guarde, y execute lo que diſpone* el cap. 16. verſ. 4. Concordatur ; *de forma, que aunque ſe nombren para tales oficios mas perſonas, ſolo hayan de gozar del privilegio de exempcion, los que ſe ennumeran en dicho Capitulo ; y que para evitàr dudas el Vicario de la Dignidad Prioral, ſeñale los que han de gozar del privilegio, ſegun ſu deputacion, y remita teſtimonio de los que hubiere nombrado al Vicario Arzobiſpal, para que le conſte, y ſe diſtingan los Subditos de una, y otra juriſdiccion.* Ergo *in h. Concordato*, pro ſervitio Eccleſiarum Religionis ſufficientes Miniſtri conſiderantur unus Vice-Curatus, unus Collector, unus Sacriſta, & unus Coadjuvans, quem numerum excedere non licet ; quod ſi plures ad hæc miniſteria adſumantur, aut deputentur, hi qui ſunt ultra numerum, exemptione non gaudebunt, ut patet *ex cit. Congregat. 9. Julij 1701. verſ. 2.*

37 Dubitari forſam poterat circa Clericos poſsidentes Capellanias Sæculares in Eccleſiis Sac. Religionis ; quamobrem in præſenti expreſsè concordatur, eos neutiquam reputandos eſſe Servientes. Et ratio eſt, quia hi nullam de-

dependentiam habent à Sac. Religione, nec ratione nominationis, nec ratione salarij ; & aliàs simplex Missarum celebratio in loco exempto non inducit exemptionem ab Episcopo, & subjectionem Prælato Inferiori, ut in simili considerat de Luca *de jurisd. disc.* 33. *num.* 7. *vers. comprobari.* Nec licèt ratione fundationis suarum Capellaniarum coacti sint in Ecclesiis Regularibus celebrare, per hoc dici poterunt Ecclesiis deservire, sed tantùm suis Capellaniis; quæ licèt in Ecclesiis Regularibus sitæ sint, tamen sunt Sæculares, extra jurisdictionem Vicarij Prioralis, ut supra latè fundavimus in *cap.* 7. *h. p.*

CONCORDAT. V.

38 ULteriùs Servientes Sac. Religionis reputari debent illi, qui in ejus Hospitalibus deserviunt, accepto titulo Infirmarij, vel Infirmariæ ; sed, ut fraudes vitentur, cavetur in *h. Concordato* nullas extra necessarias personas pro munere Hospitalitatis exercendo deputari posse ; & simul ejusmodi Infirmarij titulum Clerico Sæculari tribui non posse. Benè
39 tamen poterit Clericus Sæcularis nominari Rector, & Administrator alicujus Hospitalis, ut fruatur privilegio servientis ; sed hoc ita demum locum habebit, si Hospitale Rectore indigeat, quia nimirùm magnis reditibus gaudeat, & simul in eo frequens sit infirmorum numerus ; tunc enim expedit, ut specialis præficiatur Presbyter, qui temporalia Hospitalis gubernet, & simul infirmis assistat, eosque rite instruat, & ad Christianè moriendum, vel vivendum disponat ; quod sanè congruit illi disciplinæ, quam docet D. Gregor. *lib.* 3. *Epist.* 34. quod cùm munus hoc, & cura ab eo, qui extra Hospitale habitat, expleri rectè nequeat ; ideo ex præscripto *h.* 5. *Concordat.* ut privilegio Servientis potiatur hujusmodi Rector, intra Hospitale habitare debebit. Sic ergo in *Congregat.* 12. *Martij* 1701. *vers.* 3. *Se consiriò, sobre el nombramiento de Administrador, y Rector del Hospital de Consuegra, y se resolviò, debe gozar de los privilegios de la Religion, concurriendo los requisitos, que se previenen* en el cap. 16. de la Concordia vers. 5. in fin. *y no en otra manera.*

CONCORDAT. VI.

40 SImiliter etiam reputabitur tanquam serviens, privilegiisque fruetur, unus Eremita ; qui privativè nominandus erit à Vicario Priorali, in quolibet ex Eremitoriis Prioratuum, dummodò sit persona Sæcularis, non Clericus S. Petri; sic igitur exorta controversia inter Vicarium Prioralem, & Diœcesanum, super depositione ac remotione cujusdam Eremitæ, in *Congregat.* 10. *Julij* 1704. *vers.* 2. sic statuerunt : *Y por lo que toca al punto Jurisdicionàl, que se observe, y execute la Concordia, dexando al Vicario de la Dignidad Prioral el govierno de las Hermitas, y cuydado de los Sacristanes, menos en lo que exceptua la Concordia* en los cap. 2. 9. 10. y 11. *con que se confirmò la resolucion de la Nunciatura de estos Reynos* en 9. de Enero de 1700. *en cuyos casos puede proceder el Vicario de la Dignidad Arzobispal.*

CONCORDAT. VII.

41 IN hoc Concordato agitur de personis Sæcularibus, quæ expensis, sive cum stipendio Sac. Religionis inserviunt in Conventu S. Mariæ del Monte, sive in domibus Campestribus, seu Grangiis ejusdem Conventus, aut Magni Prioris. De his ergo dubitari poterat, an Servientes, & privilegiati essent, & sub distinctione concordatum est ; nam vel hæ personæ possessionum culturæ, & redituum custodiæ, inserviunt per totum annum, vel majorem illius partem ; aut tantùm aliqua parte anni, veluti de

menſe Auguſti, aut alio conſimili tempore : primo quidem caſu famuli, ac Servientes Sac. Religionis dici debent; ſecundo verò neutiquam. Ratio autem differentiæ in eo conſiſtit, quod privilegia conceſſa perſonis, aliquod miniſterium exercentibus, non aliis intelliguntur tributa niſi iis, qui continuo & actu miniſterium exercent, & de illo vivunt, Salicet. *in leg. ſub prætextu num. fin. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Franch. & addentes *deciſ.* 175. Felin. *in cap.* 2. *de offic. deleg. col.* 2. ita ut tale miniſterium ſit earum principale inſtitutum. Unde
42 milites non dicuntur, nec eorum fruuntur privilegiis; qui in propriis domibus, & in patriis viventes, atque artibus, & agriculturæ pro majori parte vitæ addicti, deſcripti ſolùm ſunt tanquam Milites in quodam rotulo ad effectum, ut in aliquibus rarò contingentibus occaſionibus, adverſus publicos hoſtes, vel bannitos arma ſumere debeant, & patriam cuſtodire, nullo recepto annuo, vel menſtruo ſtipendio, Chochier *de juriſd. in exempt. part.* 1. *q.* 30. *n. fin.* Rovit. *ſuper pragmat.* 11. *de Militibus, num.* 34. 38. *& ſeq.* & cum eo pulchrè Cardin. de Luca *d. diſc.* 33. *num.* 5. *& 6. & deciſ.* 107. *num.* 14. *& 21.*

CONCORDAT. VIII.

43 HOC Concordatum legitimè fundatur in altero ſupra poſito Tribunalis, nam ex quo S. Rota, & Concordantes putarunt, Vicarium Prioralem Tribunal poſſe habere, ex legitima juris ratione in *leg.* 2. *de juriſd.* declarandum erat eumdem Vicarium poſſe deputare Miniſtros ipſi aſsiſtentes ad exercitium ſuæ juriſdictionis. Solùm ergo difficultas ſtare poterat circa numerum, qui certè præfigendus erat juxta numerum negotiorum, quæ in tali occurrere poterant Tribunali; ita ut ſufficientes, & non ſuperflui, deſignarentur Miniſtri : tales quidem judicati ſunt unus Fiſcalis, unus Notarius publicus, duoque Notarij pro diligentiis, qui vulgo dicuntur *Notarios Recetores.* Hi enim conſiderantur Servientes; ultra hos verò, ſi qui fuerint nominati, privilegiati conſiderari non debent; & hac ratione, cùm Vicarius Prioralis, ultra numerum Miniſtrorum hic præfixum, Executorem, ſive aparitorem ſibi aſſumpſerit, ſuborto dubio, in Congregatione Concordiæ declaratum eſt, talem Miniſtrum Servientem, & privilegiatum reputari non debere.

CONCORDAT. IX.

44 HOC Concordatum deſumptum videtur ex reſolutione Sac. Congregationis in *Faventina* 17. *Decembris* 1667. cujus quartum in ordine dubium tale erat : *An Conſervator, qui ſit Presbyter Sæcularis diœceſanus habitans in domo propria, in cauſis propriis tam civilibus, quàm criminalibus, ſeu mixtis, ſubjaceat quoque Ordinario.* In quo quidem dubio, inter Epiſcopum Faventinum, & Religionem Hieroſolymitanam, reſpondit Congregatio: *Ad quartum ſimpliciter affirmativè.* Qua ſtante reſolutione pluſquam abundè comprobatur *h. Concordat.* ſi quis verò illius rationem, & illuſtrationem de-
45 ſiderat, audiat Eminent. de Luca *in d. diſc.* 4. *num.* 13. ſuper hoc ipſo dubio. Quo verò ad quartum quęſitum Conſervatoris privilegiorum, qui eſſet diœceſanus, ſeu aliàs, circunſcripta dicta qualitate Epiſcopi ſubditus, an per hujuſmodi muneris aſſumptionem efficeretur exemptus; pariter cum ſenſu veritatis, quam etiam ut ſupra Canonizavit S. Congregatio, dicebam, prorſus vanam eſſe hanc prætenſionem, præterquam circa ea, quæ concernerent ipſam conſervatoriam, ſeu exercitium delegatæ juriſdictionis Apoſtolicæ; ad inſtar quotidianæ, & frequentiſsimæ praxis, quam habemus in Judicibus

Sy-

Synodalibus, aliisque in Ecclesiastica Dignitate constitutis, quibus per Sedem Apostolicam per litteras in forma Brevis delegari solent in partibus causæ appellationum ad eamdem Sedem interpositarum à sententiis, vel aliis actis Ordinariorum, quoniam circa ea, quæ concernunt hujusmodi delegatæ jurisdictionis exercitium, dicuntur Ministri Apostolici ipsi solùm deleganti subditi: absonum enim esset, ut qui potestatem habet præcipiendi, & inhibendi Ordinario, vel ejus Officiali tanquam judici à quo, debeat circa ea, quæ dictam causam concernunt, eidem Ordinario, vel Officiali subjacere. In reliquis verò eorum causis privatis remanent subditi, sicut cæteri de Clero & Populo, quorum jure censentur. Deducendo etiam regulam generalem, quod exemptio tanquam limitatio in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probanda, unde cùm regula generalis assistat Episcopo, vel Ordinario in omnes Clericos suæ Diœcesis, nulla verò Apostolica Constitutio, vel alia determinatio desuper habeatur circa istos Conservatores, idcirco remanebit dicta regula generalis illæsa.

CONCORDAT. XI.

46 A nono ad undecimum Concordatum gradum facimus, cùm supra decimum maneat elucubratum. In præsenti ergo de Novitiis Hierosolymitanis disquiritur, & quidem primò generaliter videndum est, an Novitij exempti sint à potestate Episcopi? Ratio dubitandi ea est, quod nimirùm illis ex alio capite exemptio à potestate Ordinarij prove-
47 nire non potest, quàm à novo Religionis suscepto statu, in quo ipsi sicut Religiosi considerentur, & sicut cæteri per consequens exemptivis privilegiis includantur: ast ita considerari impedit in primis illud satis vulgatum, quod non habitus, sed sola professio facit Monachum, *cap. porrectum cap. ex parte de regular. cap. consuluit qui Clerici, vel vovent.* Deinde quod Novitius, vel est Religiosus sub conditione, adeout ante adimplementum conditionis Religiosus non sit; vel saltem est purè Religiosus, sub conditione resolutiva, adeout eo postea ad sæculum remeante, & sic non impleta conditione, nunquam videatur fuisse Religiosus, ut tradit Ancharran. *in cons. 69. num. 8. & 9.* Cùm ergo in his terminis propriè Religiosus dici non possit, nec in Religioso incluso ordine, in quo sub conditione & revocabiliter existit, hinc difficile videtur, privilegia exemptiva, alicui Ordini concessa, Novitium comprehendere.

48 Hac tamen dubitandi ratione non refragante, tenendum est, Novitios Religionum exemptarum, earum exemptione gaudere, quæ sententia comprobatur: quia Novitij, qui ad professionem tendunt, licèt non sint Monachi, & Regulares propriè, seu cum effectu, tales nihilominus largo vocabulo appellantur, *cap. Religioso §. quamvis autem de*
49 *sentent. excom. lib. 6.* Rebuff. *de dispensat. cum Regular. num. 23.* & patet ex notatis per Hostiens. *in cap. statuimus num. 4. vers. nec obstat de Regular.* & per Gloss. Magn. *in cap. beneficium post medium eod. tit. in 6.* Fagnan. *in cap. cùm in Magistrum num. 34. de elect.* Et Novitij dicuntur Religiosi animi destinatione, ut dicit Selva *de benefic. part. 3. q. 5. num. 11.* Quare exemptivis privilegiis adinstar
50 reliquorum Regularium perfrui debent. Ex qua consideratione plures promanant effectus, qui pro nostra sententia faciunt. I. Quod per susceptionem habitus desinit esse Parochianus Ecclesiæ cujus antea fuerat; unde Canonica portio Novitij ab intestato decedentis Monasterio, & non priori Ecclesiæ, debetur, ut cum antiquis tenet Fagnan. *in cap. cum inter vos num. 9. de sentent. & re jud.* II. Quod lucratur indul-

gentias ſuo Ordini conceſſas, nec indi-
51 get Bulla Cruciatæ, ut cum Mendo Pellizar. Carleval, & aliis tenet Eſcaño *in propugnac. S. Relig. Hieroſolym. diſcept. 13. numer. 7.* III. Quod Novitius gaudet privilegio Clericorum, & Reli-
52 gioſorum *d. cap. Religioſo §. quamvis.* Navarr. *in Man. cap. 12. num. 65. poſt med.* Ex quo ab identitate rationis gaudere eum debere privilegio exemptionis, colligit Chochier *de juriſd. Ordin. in exempt. part. 1. q. 14. num. 9.* Deinde hæc ſententia confirmatur, quia cùm finis præcipuus exemptionum fuerit, ut
53 per eas conſuleretur quieti Monaſteriorum, & Regularium, de quo latè in *cap. 3. & 4. part. 1.* hic ittidem finis expoſcit, ut interiori diſciplinæ & correctioni Prælati Regularis Novitij ſubjaceant.

54 Nec obſtant, quæ ſupra dicebamus, nam licèt Novitius propriè non ſit Religioſus, ſed tantùm revocabiliter; ſufficit quoad præſentem effectum, quod pro tunc ut Religioſus conſideretur, ex illa regula, qua cenſetur factum, quod de proximo eſt faciendum, *leg. pen. ff. de milit. teſtam. leg. qui pœne §. Divus ff. de manum.* ex qua, ſuppoſita præſumptione, quod Religionem ingredientes, eo animo præſumantur, ut in ea perſeverent, Philip. Franc. *in diſputat. petitorij dub. 3. num. 13.* quia mutatio voluntatis non præſumitur, Alciat. *de præſumpt. reg. 2. per tot. ſignanter præſumpt. 16.* dicuntur Novitij perſonæ annexæ, & efficaciter obligatæ Religioni, idem Philip. Franc. *ubi proximè n. 14. & ſeqq.* unde in illo ſtatu dubio conſiderandi veniunt, ut Religionis individua, & per conſequens privilegio exemptionis comprehenſa.

CONCORDAT. XII.

IN hoc ultimo Concordato duæ celebres exagitatæ diù inter Canoniſtas quæſtiones ſe ſtatim legenti offerunt: prima pertinet ad oſtenſionem ſive exhibitionem privilegij: ſecunda verſatur circa poteſtatem cognoſcendi, & interpretandi exemptionem. Prima
55 ergo quæſtio inquirit, an privilegiatus, vel qui ſe talem eſſe aſſerit, ab Ordinario requiſitus, teneatur coram illo ſuum privilegium, ſive titulum exemptionis oſtendere? Hanc quæſtionem latè pertractant DD. & ita variis, contrariiſque argumentis utuntur, ut viſi fuerint eam problematicè diſputaſſe, ut advertit Chochier *de juriſd. in exempt. part. 2. q. 6. in princ.* Nos verò, pluribus generalibus ommiſsis, eam breviter abſolvemus, ſententiam affirmati-
56 vam ſequendo; utpotè, quæ expreſsis juris utriuſque teſtimoniis probatur. In primis tetigit, quæſtionem hanc Alexander III. in terminis Hieroſolymitanorum, eamque decidit in *cap. porro 7. de privil.* his verbis: *Porrò quamvis Templarij, & Hoſpitalarij multa ſint libertatis prærogativa donati, non dubitamus, quin aliam libertatem habeant in locis, in quibus antequam perveniſſent ad eos, fuerant habitatores: quod totùm ex inſpectione privilegiorum plenius advertere potes, & ſecundum quod inveneris ita obſerves. Sic enim eos volumus privilegiorum ſuorum ſervare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minimè videantur.* Ut autem hæc Alexandri verba verificentur, & Epiſcopus Ambianenſis, cui hæc Decretalis erat directa, privilegia inſpiceret, eorumque ad unguem ſervaret tenorem, prout etiam diſponitur in *cap. recepimus eod. tit. & in cap. conſideramus de elect.* præciſè ſupponi debet neceſsitas exhibendi in eo, qui pro ſe allegat privilegium. Expreſsiùs etiam hanc confirmat doctrinam Bonifacius VIII. in famigerato capitalique in hanc materia *text. in cap. cùm perſonæ de privil. in 6.* ibi: *Oſtendere, ac ad legendum integraliter exhibere: nec non de articulis, de quibus controverſia fuerit,*

rit, transcriptum tradere teneantur. Et inferiùs: *Quod si tales privilegio & præscriptione asserant se munitos: privilegium quidem ipsum exhibeant, ut in primo Constitutionis articulo superiùs est expressum.* Cui clarissimæ dispositioni junge Glossam *ibidem in verb. tradere.*

Nec minus expressum in hac parte est Jus Civile, siquidem Paulus *in leg. ex quacumque 2. si quis in jus voc. non jer.* ita generaliter respondet: *Ex quacumque causa ad prætorem, vel alios, qui jurisdictioni præsunt, in jus vocatus venire debet, ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictio ejus sit.* Quod quidem magis specificè declarat Ulpianus in capitali ad rem textu *in leg. si quis ex aliena 5. ff. de judic.* ibi: *Si quis ex aliena jurisdictione ad prætorem vocetur debet venire, ut & Pomponius, & Vindius scripserunt: prætoris est enim æstimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris: nam & legati cæterique, qui revocandi domum jus habent, in ea sunt causa, ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegaturi.*

57 Hæc sententia, quæ præjactis testimoniis litteraliter confirmatur, viva etiam & fundamentali ratione nittitur; quia nimirùm cùm Episcopus intra limites suæ Diœcesis habet de jure communi fundatam intentionem, pro exercitio suæ nativæ jurisdictionis in omnes personas sive Regulares, sive Sæculares, ut sæpè vidimus & præcipuè in *capit. 3. n. 29. part. 1.* hinc ad hujusmodi ordinariam, & nativam jurisdictionem declinandam, & elidendam, necessè est coram ipso Episcopo, exhibere privilegium, ut sic appareat, an quis sit privilegiatus, & quatenus: Cùm enim privilegium sit quid facti, non præsumitur,
58 nisi exhibeatur & probetur, Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 14. num. 15.* & maximè si est contra jus commune, Bald. *cons. 311. in fin. vers. si verò quæratur lib. 1.* Atque ideo his & aliis fundamentis hanc sententiam tenent Tamburin. *ubi supra* Chochier *d. q. 6. & part. 1. q. 8. à num. 10.* D. Larrea *decis. Granatens. tom. 2. decis. 97. n. 17.* Frances Urrutigoiti *in Pastoral. Regular. part. 2. q. 3. & q. 14.* qui alios adducit.

59 Et in hujus rationis confirmationem plura à pari conspirant juris statuta; sic enim videmus, nemini, quantumvis excelsa persona sit, credi, si litteras Principis se habere dicat, nisi illas ostenderit: *leg. un. C. de mandat. Princip.* ibi: *Si quis asserat cum mandatis nostris secretis se veniisse: omnes sciant, nemini quidquam, nisi quod scriptis probaverit, esse credendum: nec ullius dignitate terreri, sive ille Tribuni, sive Notarij, sive Comitis proferat dignitatem, sed Sacras nostras litteras esse quærendas.* Similiter credendum non esse Nunciis, & Præpositis sine exhibitione litterarum, decernunt Arcadius, & Honorius *in leg. Palatinos C. de collat. fundor. fiscal. lib. 11.* Item delegatus credi non debet, nisi qui suæ delegationis instrumentum ostenderit, *cap. cùm in jure peritus de offic. & potest. jud. deleg.* & plura ad propositum videri possunt apud Mascard. *de probat. tom. 1. cons. 317.* Fragos. *de regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 4. disp. 10. §. 2. n. 143.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 15. num. 3. & seq.* Aviles *in cap. Prætor. cap. 1. verb. Cartas num. 2. & 3.* Atque tandem in nostris particularibus terminis adest expressa declaratio Innocentij X. quam refert Frances *d. q. 3. num. 64.* per hæc verba: *Respondit: Ordinarios non teneri, hujusmodi assertioni fidem adhibere, absque integrali privilegiorum exhibitione.*

60 Licèt ex prædictis testimoniis & rationibus sententia affirmativa absolutè certa reddi videatur; adhuc tamen recedendum non est à limitationibus communiter traditis à DD. constituta differentia inter ipsa privilegia; nam in primis si privilegia sint in corpore juris clausa, ea non tenebitur privilegiatus exhibere, deficiente tunc exhibitionis

fine, qui non alius eſt, quàm privilegij inſpectio, ab Ordinario facienda, ut juxta illius tenorem judicet, quam autem inſpectionem in ipſo jure conſequitur Ordinarius; atque ideo ſine turpitudinis nota illius ignorantiam prætexere non poteſt, *leg. neceſſarium* 2. *§. ſervius* 43. *de orig. jur.* Sic igitur evenit in privilegiis Scholaſticis conceſsis, quæ regiſtrantur in *Auth. habita C. ne filius pro patre*, hæc enim exhibere, & oſtendere Ordinario Judici, non eſt neceſſe, Rebuff. *de privil. Schol. privil.* 154. *num.* 2. Ergo quandocumque exemptio eſt clara, ita ut Ordinarius illius ignorantiam
61 nulla probabilitate excuſare poſsit, ſuperflua erit exhibitio; ac proinde privilegiatus ad eam cogi non debet; quod eveniet ſi privilegium ſit notorium, notorietate juris, vel facti permanentis; vel ita ſit notorium, ut coram ipſo judice jam fuerit exhibitum, & admiſſum, vel per ſententiam judicis, quæ tranſivit in rem judicatam fuerit canonizatum, & exequutum; cùm ergo his modis clarè conſtet de exemptione & privilegio, neceſſaria non erit exhibitio, Abb. *in cap. cùm ordinem de reſcript.* VVameſ. *conſ.* 65. *num.* 2. *tom.* 1. Ceſpedes *in tract. de exempt. Regul. cap.* 6. *dub.* 126. *num.* 3. *in fin.* Chochier *d. q.* 6. *num.* 23. P. Sanchez *tom.* 2. *conſil. moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 4. Pellizar. *in ſuo manual. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 86. Benè tamen verum eſt, quod licèt con-
62 ventus in his terminis non teneatur ad privilegij judicialem exhibitionem, tamen tenebitur coram Ordinario comparere, ibique ſua privilegia allegare, & de incompetentia excipere, ut patet ex dictis juribus præcipuè in *leg.* 5. *ff. de judic.*

63 Quare ſententia affirmativa jam fundata in exemptione dubia, & privilegio nõ notorio procedit; tunc enim neceſſaria eſt judicialis exhibitio & oſtenſio, ut Ordinarius illius tenorem obſervet adhibita aliqua cognitione judiciali ſaltem ſummaria, indirecta tamen, & incidenti, ut videbimus in queſtione ſequenti, cujus praxim inſinuat Paulus Fuſcus *de viſitat. & regim. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 6. ubi poſt aſſertam neceſsitatem exhibitionis, & probationis privilegij, ita proſequitur: *Et in practica hoc primum videre debet Epiſcopus; aliàs ad cenſuras accedat, ſi is oſtendere negat, & per conſequens juriſdictioni ſuæ ſubjacere, perſcrutando privilegium, cauſam ipſius, tempus conceſsionis, & qualitates; ne falſum fuerit expoſitum, vel concedens ex motu proprio, non ad ſupplicationem privilegiati fuerit motus, cum tunc fortior judicetur conceſsio argum. not. in cap. ſi motu proprio lib.* 6. *ubi Moderni id advertunt ſupra cap.* 8. *num.* 9. *Aut etiam modo privilegium conceſſum incipiat alios enormiter lædere, juxta optimum text. in cap. ſuggeſtum de decim. ubi Gloſſ. narrat cauſam revocationis privilegiorum, &c.* Plura proſequitur Frances *d. q.* 3. contra Sanchez & Pellizar. qui adhuc in caſu privilegij non notorij viam excogitabant, qua privilegij exhibitionem ſubterfugerent privilegiati; ſed hæc poſt ſuprapoſitam S. Congregationis declarationem impugnatione non egent.

Alius etiam in hac quæſtione caſus erit decidendus, cùm nimirùm dubium non verſatur circa privilegium, ſed circa privilegiatum, ut puta cùm, ſuppoſita ſubſtantia mente, & validitate privilegij, inquiritur, an ille qui pro ſe allegat privilegium, illo gaudeat, & ſit capax, eò quia polleat illis qualitatibus, quæ illum privilegiatum & exemptum conſtituunt? Et hic eſt caſus noſtri Concordati, in quo agitur de verificatione requiſitorum S. Concilij & Bullæ Gregorianæ, ſuppoſita ſubſtantia, mente, & validitate privilegij, conceſsi Servientibus Sac. Religionis Hieroſolymitanæ. In hoc ergo caſu
64 magis de plano intrat diſpoſitio *d. cap.*

cùm

cùm perſonæ, & ea, quæ pro ſententia affirmativa dicta manent, ut ille, qui citatus ab Ordinario, ſe aſſerit privilegiatum & exemptum, ſuum titulum ſive privilegium teneatur eidem Ordinario exhibere, & oſtendere; quod utique fieri debet probando qualitates, & requiſita, quæ illum privilegiatum conſtituunt, ut expreſsè voluit S. Concilium *in d. cap.* 11. *verſ. exceptis*, & d. Bulla Gregoriana, ubi dicitur *de qua loci Ordinario conſtare debeat.* Sicque tenent Barboſa *ad d. cap.* 11. Marc. Anton. *var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 18. *num.* 10. Chochier *de juriſd. in exempt. part.* 1. *q.* 30. *n.* 7. Quod etiam confirmatur exemplo Scholaris, nam licèt ejus privilegium ſit notorium & inſertum in corpore Juris *in d. Auth. habita C. ne filius pro patre*, atque ut tale nec exhiberi, nec probari debeat, ut ſupra inſinuavimus; tamen, cùm Ordinarij Judicis cognitionem vult declinare, & ad proprium Scholæ Judicem recurrere, tunc ſuppoſita ſubſtantia, mente, & validitate privilegij, tenetur adhuc in tali caſu probare qualitatem, & requiſita Scholaris, quæ privilegiatum conſtituunt, ut bellè tradit Rebuff. *in tract. de privil. Scholaſtic. privil.* 53. *verſ. idem in Mendicantibus.* his verbis: *His caſibus tenebitur Scholaſticus allegare, & probare ſe Scholarem, cum illud dubium ſit. Nam quamvis privilegium notorium ſit, tamen conſtare debet, quod ſit Scholaris ex ſententia Iaſonis &c.*

65 Secunda quæſtio, quæ in hoc XII. Concordato diſcutienda venit, antecedenti conſequens eſt, cùm enim ibi viderimus privilegia eſſe exhibenda Ordinario, *ex d. cap. cùm perſonæ*, ſuccedit ſtatim, ut videamus; an Ordinarius poſſit privilegium interpretare, ut cognoſcat & judicet, privilegia coram ſe exhibita ſuffragari, vel non, caſui, de quo controvertitur, & an locum habeat ſua juriſdictio? In hac quæſtione, prout in præcedenti, invicem pugnantia pro utraque parte fundamenta occurrunt.

66 Pro negativa quidem facit primo illud generale utriuſque juris dogma, quo docemur, vim & interpretationem privilegij à Supremi Legiſlatoris voluntate pendere, ut ad eum in ambiguis recurrere debeamus, prout de jure Canonico firmat Pontifex in Capitali ad rem *text. in cap. cùm veniſſent* 12. *de judic.* his verbis: *Cùm enim ſuper privilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa vertitur, nolumus de ipſis per alios judicari.* Et de Jure Civili expreſſus eſt, *text. in leg. ex facto* 43. *de vulgar & pupil.* ibi: *Beneficia quidem principalia ipſi Principes ſolent interpretari, & text. in leg. Neratius* 191. *de Reg. Iur.* ibi: *Quem tamen modum eſſe beneficij ſui vellet, ipſius eſſe æſtimationem.* Sunt enim privilegia privatæ quædam leges, *cap. privilegia* 3. *diſt.* unde & illorum interpretatio ſolùm ei eſt tribuenda, cui eorum competit promulgatio, ut eleganter arguit Imperator Juſtinianus *in leg. fin. C. de legib.* ibi: *Si enim in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt; & leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe opportet.* Et inferiùs: *Vel quis legum ænigmata ſolvere, & omnibus aperire idoneus eſſe videtur, niſi is cui ſoli Legiſlatorem eſſe conceſſum eſt. Exploſis itaque his ridiculoſis ambiguitatibus tam conditor, quàm interpres legum ſolus Imperator juſte exiſtimabitur.* Ex quibus, aliiſque, quæ à DD. conferuntur, teſtimoniis, unanimis ſententia eſt, ſoli Supremo Principi in temporalibus, Romanoque Pontifici in ſpiritualibus, ſua licere interpretari privilegia, ut ita unde jus prodit, inde interpretatio procedat, *cap. inter alia §. ut igitur de ſentent. excom. cap. Ordinarij de offic. Ordinar. lib.* 6. Menoch. *conſ.* 202. *num.* 173. *vol.* 3. Ruin. *conſ.* 180. *vol.* 1. Scrader. *in repetit. leg. admon. de jure jur. num.* 35. & hanc concluſionem proſequentes videndi ſunt præter repetentes *ad d. cap. cùm veniſſent.* Cavalcan. *in repert. deciſ. part.* 1. *tit.* 1. *verſ. judex nullius*

infe-

inferior. Lancellot. *in templ. omn. Iudic. part.* 289. *num.* 3. Burlat. *conſ.* 156. *n.* 2. Vaſq. *illuſtr. contr.* 46. *n.* 7. *&* 8. Franc. de Claper *deciſ.* 23. *n.* 11.

67 Secundo, quia ſi Epiſcopus poſſet cognoſcere & judicare de exemptione & privilegio, vi ipſa concederemus Epiſcopo majorem, aut ſaltem æqualem juriſdictionem cum Papa; tum quia judicando, & declarando auctoritatem adhiberet privilegio, illique terminos præſcriberet; tum quia hoc ipſo inferior judicaret cauſam ſui Superioris, de illiuſque jure: cùm ettenim judicare contingit circa aliquorum exemptionem, non modò diſceptandum, & diſquirendum eſt de gratia à Superiore indulta; ſed etiam de jure Superioris, quia exempti ſunt immediatè de jure ac poteſtate Romani Pontificis, *cap. cùm tempore de arbitr. & cap. cùm olim. §. nos igitur de privil.* Quamobrem communiter dici ſolet Romani Pontificis intereſſe, ſuos ſubditos nempè exemptos, & immediatè ſubjectos ab aliis non judicari, ac proinde nec etiam eorum exemptionem, Rota in *Gandavenſi Monaſterij* 29. *Aprilis* 1641. *cor. Panzirol.* Pignatell. *tom.* 7. *conſ.* 15. *n.* 17.

68 Tertio facit, quod hac poteſtatè cognoſcendi & judicandi ſuper exemptione Ordinario conceſſa, eidem concedimus hoc ipſo, ut poſsit eſſe judex in cauſa propria, contra vulgarem juris diſpoſitionem in *leg. qui juriſdictioni* 10. *ff. de juriſd. omn. jud. leg. un. C. ne quis in prop. cauſ. cap. inter quærelas* 25. *junct. Gloſſ. verb. propria* 23. *q.* 4. Abbas *in d. cap. cùm veniſſent num.* 9. & Decius *ibid. num.* 6. Dicuntur enim cauſæ propriæ, cùm commodum, & incommodum, ſeu damnum ad aliquos ſuo nomine pertinet, *leg.* 2. *ff. quando appelland. ſit*, quod in præſenti evenit in Epiſcopo, cujus manifeſtè intereſt plures ſubditos habere, in quibus juriſdictionem exercere valeat, Felin. *in cap. ſuper litteris n.* 24. *de reſcript.* & aliunde maximus honor eſt, Judicem eſſe, *cap. ut debitus* 59. *de appellat.*

69 Quarto facit, quod quando agitur de exemptione, non modò agitur de nudo exercitio juriſdictionis, ſed etiam radicitus de omnimodo jure ejuſdem juriſdictionis, ſive in poſſeſsione, ſive in proprietate; quibus in terminis judex Ordinarius cognoſcere nequit, ut cum Panormitano, Felino, Innocentio, & aliis tenent Chochier *de juriſdict. in exempt. part.* 2. *q.* 12. *num.* 2. *& ſeq.* Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *q.* 10. *per tot.* & cum eis D. Salgado *de ſupplic. ad Sanctiſſ.* 2. *part. cap.* 16. *n.* 3 *& ſeqq.* Ita ut in hoc caſu limitetur regula, quæ ſtatuit, quemlibet Judicem cognoſcere & determinare poſſe, an ſua ſit juriſdictio, *leg.* 2. ubi DD. *ſi quis in jus voc. non jer.* Chochier *de juriſd. in exempt. part.* 2. *q.* 12. *n.* 1.

70 Quinto tandem hoc ipſum ſuadetur ex variis Pontificiis conceſsionibus Ordinibus Regularibus factis, in quibus diſponitur, quod in caſu dubio, an juriſdictio pertineat ad Epiſcopum, vel ad Prælatos Regulares, interpretatio privilegiorum, & exemptionum ab Epiſcopo fieri non poſsit; ſed tantùm à Romano Pontifice: tale eſt privilegium Clementis IV. in Bulla, quæ extat in *compend. privil. mendic.* quam refert Bruno Chaſſaing. *de privil. regular. tract.* 1. *cap.* 1. *propoſ.* 6. *& cap.* 4. *propoſ.* 2. & ex eo D. Gonzal. *in d. cap. cùm veniſſent num.* 1. & in ea ita habetur ſtatutum: *Clemens IV. inhibuit diſtrictiùs omnibus Eccleſiarum Prælatis, ne interpretari præſumant privilegia, & indulta conceſſa fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, ſive clara, quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant: & voluit, quod interpretatio ſuper hujuſmodi dubiis reſervetur Sedi Apoſtolicæ, cū ejus ſit interpretare, cujus eſt condere.* Et alia ſimilia indulta refert Tamburin. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 6. *n.* 5.

Pro

71 Pro ſententia verò affirmativa, ut Epiſcopus poſsit cognoſcere & judicare, an privilegium locum habeat in caſu controverſo, & per conſequens videre, an ſua ſit juriſdictio plura etiam faciunt, & quidem. Primo ex capitali in hac materia *text. in d. cap. cùm perſonæ de privil. in 6.* quem latè expendimus in quæſtione præcedenti, nam cùm in eo ſtatuatur, ad tollenda ſubterfugia, quibus aliqui prætextu exemptionis declinabant forum, & correctiones, atque ordinationes Ordinariorum, ut qui exemptos & privilegiatos ſe aſſerunt, teneantur Ordinario oſtendere & exhibere ſuum titulum, & privilegium exemptionis; conſequens fit, ne hujuſmodi præcepta exhibitio & oſtenſio ſit fruſtranea, & perfunctoria, ut ordinarius circa exhibita privilegia cognitionem poſsit adhibere, & de illius comprehenſione judicare; ut videat, an faveat alleganti privilegium, vel tantùm ſit ſubterfugium, vanuſque prætextus; qui diſcurſus confirmatur *ex cap. porro 7. cap. recepimus de privil. & cap. conſideramus de elect.* in eis enim ſuppoſita privilegiorum exhibitione neceſſariò facienda, præcipitur Ordinariis, ut eorum metas non tranſgrediantur, nec tranſgredi patiantur, ut illorum tenorem ſervent, & juxta illum judicent; quæ omnia, ut ad ſenſum patet, adimpleri nequeunt, ſi de privilegiis cognoſcere, eaque interpretare eis denegatur: pro quo junge Gloſſam *in d. cap. cùm perſonæ verb. Ordinariis.*

72 Secundo pro parte affirmativa poteſt adduci, doctrina conſtans DD. qui *ex d. leg. 2. ſi quis in jus voc. non jer. leg. ſi quis ex aliena de judic.* pro certo ſtatuunt, Judicem Ordinarium poſſe cognoſcere & pronunciare ſuper exceptionibus ſui fori, ſeu incompetentiæ, & decernere, an ſua ſit juriſdictio, de quo communiter Canoniſtæ *in cap. ſuper litteris de reſcript.* Barthol. *in leg. ſi expreſsim ff. de appellat. & in d. leg. ſi quis ex aliena.* Caved. *Luſit. deciſ. 41. num. 1. part. 1.* Fragoſ. *de regim. Chriſt. Reip. part. 1. lib. 4. diſ. 10. §. 2. num. 150. verſ. quæſtionis eſt.* Surd. *tom. 2. conſil. 286. num. 3. & 4.* Frances *in Paſtorali Regular. part. 2. q. 4. num. 12. & ſeqq.* latè D. Salgad. *de ſupplicat. ad Sanctiſſ. part. 2. cap. 16. à num. 2.* Ex qua generali doctrina effici videtur, quod in caſu, in quo aliquis exemptum & privilegiatum ſe dicat, Ordinarius cognoſcere poſsit & judicare, an privilegium pro illo caſu ſuffragetur, vel non, in quam ſententiam inclinare videtur Barboſa in *collect. ad. d. cap. cùm perſonæ n. 7. & 8.* ubi allegat Jaſon. *in d. leg. 2. ſi quis in jus voc. non jer.* & Simanc. *de Cathol. inſtitut. tit. 30. n. 21.*

73 Tertio facit, quod præcipuum in hac ſententia excogitabile inconveniens, illud eſſet, quod ea admiſſa, admitteretur Epiſcopus ad judicandum in propria cauſa, ſuæ nimirùm juriſdictionis contra rotundam diſpoſitionem *text. in d. leg. un. C. ne quis in propr. cauſ.* ut ſupra in tertio fundamento ſententiæ oppoſitæ dicebamus. Aſt utique neutiquam hoc evenit in præſenti, nam ſi judicat, an ſibi, non obſtante exemptione prætenſa, & allegata, juriſdictio competat, non judicat in propria cauſa, ſed in cauſa Magiſtratus, quæ non eſt propria, & privata ipſius, ſed publica; nam ut optimè pro more exponit Jacob. Cujac. *in d. leg. 2. ſi quis in jus voc.* non ſibi jus dicit, ſed tuetur auctoritatem, & majeſtatem publicam, quam tenetur tueri; unde etiam injuriam, ſibi illatam vindicat quaſi factam dignitati, quam gerit. Quod præſertim verum eſt, quia cauſa privata diſtinguitur ab ea, quæ eſt cauſa Reipublicæ, *leg. Reipublicæ, & leg. non vere ff. ex quib. cauſ. maj.* Nec impedit commodum ſeu intereſſe, quod Judici derivari videtur; nam præterquam immediatum non eſt, ſed tantùm per conſequentiam, ut infra latius;

latiùs; præſummendum non eſt Ordinarium, ſe Judicem pronunciaturum, ſi per privilegium ei oſtenſum, clarè conſtaret de exemptione, Barboſa *in d. cap. cùm perſonæ n.7. & 8.*

74 Quarto, nam licèt Hoſpitalia, quæ ſub Regum ſunt immediata protectione à viſitatione Epiſcopi ſint exempta, ex diſpoſitione S.Concilij Tridentini *in cap.8. ſeſſ.22. de Reform.* tamen ſi Epiſcopo, viſitare volenti aliquod Hoſpitale, opponatur per modum exceptionis hæc Regia protectio, tunc Epiſcopus poterit cognoſcere, an Hoſpitale exiſtat ſub Regia immediata protectione, ut docent, ac deciſum referunt Martha *de juriſd. part.2. cap.18. num.5.* Stephan. Uvejurs *ad 24. conſtit. per Tridentinum innovatas conſtit.16. num.16.* Armendariz *in addit. ad recopil. leg. Navar. tit.6. de viſit. n.62.* Ciarlin. *lib.1. controver. controv.65. n.4*

75 Quinto tandem pro hac parte poteſt adduci, privilegiorum interpretationem, non ita abſolutè Principi eſſe tribuendam, ut eam Inferioribus Judicibus penitùs denegemus; nam privilegia, ut antea diximus, ſunt privatæ leges, & nihil magis frequens eſt in jure, quàm quod Judices interpretando, poſſint ampliare & extendere ipſa verba legis, *leg. illud 32. ff. ad leg. Aquil. leg.4. de fund. dot. leg. oratio 16. de ſponſal.* & ubi opportet interpretando reſtringere, ut videre eſt in *leg. quod dictum 32. de pact. leg.6. §.2. de jur. patr. leg. quamvis 11. ff. de in jus vocand. leg. illud 40. de petit. hæred. leg.6. C. de legib. leg.2. §.3. ff. ad Vellejan.* Atque in hoc illuſtre facit Romanorum exemplum, qui ad tollendas diſputationes & ambiguitates ſuper ſuis 12. Tabul. legibus ortas, interpretatione utebantur Prudentum, nec neceſſe erat ſuper dubiis Senatum conſulere, *leg.2. §.5. de orig. jur.* Quod & recto regimini expedire videtur, ne Judices quotidiè in expeditione cauſarum hærere cogantur contra publicam utilitatem; ac ne in cujuſvis poteſtate ſit, ſub prætextu commentitij, aut inſufficientis privilegij, correctionem, & ordinationem Ordinarij Judicis eludere ac ſubterfugere, contra mentem Pontificis in *d. cap. cùm perſonæ*: ac denique ne Princeps, undique confluentium negotiorum pondere oppreſſus, ampliùs continuis conſultationibus prægravetur, contra id, quod olim cavit Magnus Conſtantinus, Plotiano reſcribens in *leg.1. C. de relat. in Codice Theodoſiano.* ibi: *Super paucis, quæ juridica ſententia decidi non poſſunt, noſtram debes conſulere Majeſtatem, ne occupationes noſtras interrumpas, cum litigatoribus legitimum maneat arbitrium à ſententia provocandi.*

76 Ab hoc rationum & fundamentorum conflictu facilli, & ſimplici via nos liberare & expedire poſſemus, ſi cum pluribus AA. diſtingueremus inter caſum, in quo privilegij verba ſunt clara & aperta, & caſum, in quo privilegij verba ſint dubia, & obſcura; ita ut in primo affirmativa ſententia obtineat, & in ſecundo negativa, prout diſtinguens tradit Frances *d. part.2. q.4. num.19.* Sed ſubjecta materia, & gravitas fundamentorum expoſcit, ut ſingula diligentiùs penſentur, ad inducendam inter ipſa cõcordiam. In primis ergo præmittimus, definitionem interpretationis,

77 quæ ſecundum Bald. *in proœm. Decret. num.95.* ita ſe habet: eſt ſermonum difficilium, vel perplexorum expoſitio; vel ſecundum Sylveſtrum *in jur. Interpretatio in princ.* eſt unius verbi per aliud, vel unius ſententiæ per aliam declaratio, atque ſecundum Accurſium in *leg.1. de orig. jur. verb. interpretationem, & in leg. neceſſarium 2. §. exactis eod. tit. verb. interpretarentur*, idem importat ac aperta expoſitio: Non tamen inde, ſi propriè

78 loqui volumus, confundere debemus declarationem legum cum interpretatione; licèt enim interpretationi vi ſua de-

cla-

claratio insit, non ita evenit à contrario, ut deducitur ex doctrina Barthol. *in leg. Gallus §. etiamsi num. 1. de liber. & posth.* certum nihilominus est, verbum interpretationis pro declaratione accipi solere, ut in *leg. 1. si cert. petat.* & alibi, Fagnan. *in cap. cùm venissent n. 6. & 7. de judic.*

79 Secundo est notandum, nec legum, nec privilegiorum prohiberi posse absolutè omnem interpretationis speciem, quia interpretatio naturaliter necessaria est, ut est *text. in leg. 2. §. his legibus de orig. jur.* & quod est naturaliter necessarium, lege aut statuto auferri nequit, *§. sed naturalia instit. de jure nat.* & tenet Bald. *in d. §. his legibus num. 3.* quem sequuntur ibidem Zas. & Cujac. Quin si talis generalis prohibitio daretur, plura sequerentur damna, & quod maximum est, legum ignorantia, atque ex hinc earumdem inobservantia, & veritatis confusio; nam interpretatio via est expedita, qua veritatis manifestationem, & legum intelligentiam obtinemus; non est enim leges scire, aut intelligere earum verba mente tenere, sed earum vim ac potestatem interpretatione comprehendere, *leg. scire leges ff. de legib. cap. Marcion 1. q. 1.* juncta *Extrav. Quia nonnumquam de verb. signif.*

80 Cùm ergo aliqua interpretatio sive in legibus, sive in privilegiis sit admittenda, difficultas in eo residet, ut videamus, quænam sit interpretationis species permissa, quænam verò prohibita. Pro quo ex variis interpretationis speciebus à DD. traditis ex Glossa in *cap. 1. de postul. Prælator.* & ex Glossa *in leg. si de interpretatione ff. de legib.* duas species, deductas à diversa causa efficienti, considerare opportet. Prima est interpretatio necessaria, & generalis; secunda necessaria, & particularis.

81 Prima ergo species necessaria, & generalis, cùm per modum legis generalis fiat, & omnes liget, & consideranda veniat, vel ut pars & complementum legis interpretatæ, vel ut nova lex, quæ priorem ambiguam, aut diminutam, corrigat, restringat, aut extendat, ut est Glossa in *leg. 1. ff. de orig. jur.* & sunt exempla *in cap. inter cætera de sent. excom. & in cap. fin. de conceſſ. præben. in 6.* nulli alij quàm Principi & Supremo Legislatori potest tribui, & adaptari, sic intellecto illo principio, ut illius sit interpretari, cujus est condere *cap. ex his omnibus 11. q. 1. & d. leg. fin. C. de legib.* Ne aliàs inferiori concedatur, ut possit Superioris leges interpretando corrigere, restringere, aut extendere, quod esset illi tribuere majorem, aut saltem æqualem potestatem legislativam cum Principe, & hic locum habent, quæ supra diximus *in primo & secundo fundamento sententiæ negativæ.* Ex quibus manet, Episcopum Pontificia privilegia interpretare non posse interpretatione hac necessaria generali, & auctoritativa, ut eam vocat Jacobat. *de Concil. cap. 16.*

82 Secunda species interpretationis est necessaria, sed non generalis, nec absolutè auctoritativa, & hæc est interpretatio, quam Judex facit, de qua in *leg. non possunt, & leg. nam ut ait ff. de legib.* Non est generalis, quia jura litigatorum non eggreditur, *leg. 63. de re jud.* Innocent. *in cap. cùm speciali num. 4. in fin. de appellat.* Non est absolutè auctoritativa, sed talis inter partes dici potest, quia res judicata pro veritate habetur, *leg. ingenuum de stat. homin.* & judicium redditur in invitum *leg. inter stipulantem §. 1. de verb. oblig.* Fagn. *in d. cap. cùm venissent n. 1.* In hac ergo interpretationis specie stat præcipua nostræ quæstionis difficultas, & ut eam dirimamus, aliquibus distinctionibus uti expedit.

83 Nam aut quæritur in casu, in quo tenor, sensus, & verba privilegij sunt clara; & tunc absdubio poterit Episcopus in casu quæstionis, judicare, & deci-

decidere, an privilegium caſui ſuffragetur, vel non; & in his terminis locum habet ſententia affirmativa cum ſuis fundamentis; & ratio eſt, quia tunc, dubio non ſtante, non poteſt dici Epiſcopum interpretare privilegium; in claris enim interpretationi non eſt locus, *leg. ille aut ille §. cum verbis ff. de leg. 3. leg. continuus 137. §. 1. de verb. obligat.* & ad ſummum dici poterit declarare. Quo in ſenſu non obſtant, quæ de prohibita inferioribus interpretatione generaliter dicta manent. Atque ita intelligenda eſt doctrina Innocentij *in d. cap. cùm ſpeciali ſub num. 4. & in cap. 1. de poſtul. Prælator.* ubi dicit, Judices inferiores benè poſſe in cauſis, coram ſe pendentibus, quantum ad jus litigatoris, & illius præjudicium, jus ſcriptum interpretare, ideſt declarare: & in hoc ſenſu dixit Barthol. *in leg. cum ab executore in princ. col. pen. de appellat.* quod ubi legis verba ſunt clara, Ordinarius procedat juxta illorum tenorem ad expeditionem negotij, vel cauſæ, omninò autem abſtineat ab interpretatione. Quæ doctrina potiori ratione in privilegiis, quæ privatæ leges, & jus non ſcriptum ſunt, admittenda venit, & in terminis eam tradit Anton. de Butrio *in d. cap. cùm veniſſent num. 3.* his verbis: *Si verba privilegij ſint aperta & clara, ita ut nulla cadat ibi dubitatio probabilis, cognoſcit inferior, & dicere poteſt obſtat, vel non obſtat, quia hoc non eſt cognoſcere, aut examinare, ſeu interpretare, cum talia cadant ſuper dubio. Si enim privilegium dicat* ſub protectione recipimus, *clarum eſt, quod non inducit exemptionem, & ſic poterit judicare.* Tenent etiam hanc doctrinam Abbas *ibidem num. 3. verſ. aut dubitatio.* Chochier *de juriſd. in exempt. d. part. 2. cap. 13. num. 3.* Fagnan. *in d. cap. cùm veniſſent num. 41. & 44.* & pro ea ſignanter faciunt jura, & rationes in ultimo fundamento ſententiæ affirmativæ expenſæ.

84 Alter caſus eſt, cùm verba privilegij ſunt dubia & obſcura, & tunc etiam diſtinguendum eſt; nam aut quæſtio principaliter verſatur ſuper mente, ſubſtantia, & validitate privilegij; & tunc Ordinarius abſtinere debet ab interpretatione tam in cognoſcendo, quàm in pronuntiando, & recurrendum erit ad Sedem Apoſtolicam, cui tantùm, ut vidimus, competit privilegij ambigui interpretatio. Unde, ſtante hoc dubio & quæſtione, Ordinarius declarare non poteſt, an obſtet, vel non obſtet privilegium, & an ſua ſit juriſdictio; ne aliàs incidat in interpretationem prohibitam, & Superiori reſervatam, & inſimul ne judicet in cauſa Superioris, & de illius jure, prout dicebamus in ſecundo fundamento ſententiæ negativæ; & hæc eſt vera ratio hujus doctrinę, non quod eſſet Judex in cauſa propria, prout plures exiſtimarunt.

85 Nec tunc obſtat, quod ſupra dicebamus *ex leg. 2. ſi quis in jus voc. non jer.* cujuſlibet Ordinarij Judicis eſſe cognoſcere & pronunciare ſuper exceptionibus oppoſitis contra ſuam juriſdictionem; nam hæc generalis doctrina limitanda eſt, quoties materia oppoſitæ exceptionis effugit, & reſpuit cognitionem Ordinarij, ut evenit in præſenti quæſtione, & caſu, in quo robur & efficacia exceptionis debet deſumi à privilegio dubio, & cognoſcere, ſeu judicare non poteſt Judex de exceptione, niſi de privilegio cognoſcat & judicet, conſentit in ſubſtantia, licèt non ita explicet D. Salgado *d. cap. 16. n. 12. & ſeq.*

86 Nec magis urget *textus in d. leg. ſi quis ex aliena de judic.* ettenim ſi attentè inſpiciatur, illud ſolùm probatur in ejus prima parte, quod quando quis non exemptus vocatur in judicio ex aliena juriſdictione, debet accedere, quia pertinet ad Prætorem juriſdictio, quando ſcilicet ſumus in concurſu juriſdictionis ipſius Prætoris, & alterius Judicis

infe-

inferioris, non autem quando ſumus in concurſu Judicis inferioris, & alterius Superioris, ut eſt Papa, ratione exemptionis. Nam tunc, ut habetur in ſecunda textus parte, licèt exemptus vocatus in judicio, ad illud debeat venire, ut ibi alleget ſuũ privilegium, & hoc pacto ſciat Judex, eum non eſſe de ſua juriſdictione; non tamen ex hoc infertur, nec in textu dicitur, quod ſtãte dubio circa privilegium, & exemptionem, Judex poſsit proſequi, & cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio, ita Pignat. *d. conſ.* 15. *n.* 28.

87 Non etiam obſtat *cit. cap. cùm perſonæ de privil. in 6.* nam præcedenti doctrina ſatis intelligitur; licèt enim voluerit Pontifex, ad tollenda ſubterfugia eorum, qui prætextu commentitiæ exemptionis, Ordinariorum forum declinabant, ut privilegia ipſis Ordinariis exhiberent; non tamen tributa eſt eis facultas, ut in caſu privilegij dubij circa ipſum judicarent, & an ſua eſſet juriſdictio declararẽt, ut patet ex ipſa textus littera, Pignat. *ubi proximè num.* 26.

Ex quibus illam concluſionem certam deducimus, quod quando quæſtio principaliter verſatur circa intellectum dubij privilegij, Judex de hoc cognoſcere non poteſt, nec declarare, an ſuffragetur, vel non, privilegium; nec æſtimare, an ſua ſit juriſdictio; quin cõtra nos faciat doctrina, quã tradidimus in quęſtione prȩcedenti, ut nimirùm in caſu privilegij dubij neceſſaria ſit illius judicialis exhibitio, ut Judex aliquam cognitionem judicialem ſaltem ſummariam adhibeat; nam hoc intelligendum eſt nõ de cognitione principaliter circa intellectum privilegij, ſed de cognitione indirecta, & incidenti, ut ibi conſultò adjecimus, referendo nos ad hunc caſum, & ſequentem, qui talis eſt.

88 Alius caſus erit, cùm occaſione alicujus negotij vel cauſæ pendẽtis, obiter, & indirectè incidit quęſtio & dubiũ ſuper privilegio, ut puta cũ quæritur an juvent cauſam, de qua agitur; tunc enim certum eſt, poſſe Judicem cognoſcere, & privilegiis nõ obſtantibus, judicare ſuper cauſa principali coram eo vertente, ita ut de privilegiis non faciat mentionem, & ſic de incidenti cognoſcat, & de principali pronunciet, ut docuit Henriq. Boich. *in d. c. cùm veniſſent poſt med. verſ. aut quæritur.* Et confirmatur eleganti doctrina Fagn. *in eod. cap. cùm veniſſent num.* 47. ubi tradit admittendam eſſe hanc indirectam cognitionem ſuper decretis Tridentini non obſtãte Bulla Pij IV. inſerta in fine Concilij, quæ omnem interpretationem prohibuit. Hanc etiam cognitionem admittere debemus cùm quæritur, an privilegium ſit ſubreptitium; vel cùm eſt dubium (& hic eſt caſus noſtri Concordati) an qui ſe aſſerit privilegiatum, polleat, vel non, qualitatibus, illum privilegiatũ conſtituentibus; tunc cùm quęſtio & dubium principaliter verſetur circa factum & circa privilegiatum, indirectè circa privilegium, rectè de illo ita cognoſcit, ut judicet, an privilegium ſuffragetur, & an ſua ſit juriſdictio, ut probat Abbas in *d. cap. cùm veniſſent n.* 3. Bald. *in prælud. feud. n.* 18. Chochier *d. cap.* 13. *num.* 2. Gaill. *obſervat.* 1. *n.* 13. Gutierrez *pract. quæſt. lib.* 3. *q.* 28. *n.* 3. Fagn. *in d. cap. cùm veniſſent n.* 41. & probavit S. Rota *in deciſione cit. in hoc Concordato*, cujus reſolutio & concluſio ſatis manet illuſtrata.

89 Illud tandem ſubjungimus ad plenam noſtri Capitis illuſtrationem, quod ſi privilegiati in caſibus, in quibus Ordinario, & in præſenti Diœceſano Toletano, permittitur ſuper privilegiis judicare, in aliquo ſe ſentiant gravari, poterunt ad Sedem Apoſtolicam per viam appellationis convolare, ut declaravit S. Rota in *d. deciſione* propter reſolutionem Sac. Congregationis approbatam ab Innocentio X. in ſuo motu proprio, relato per extenſum per Frances *in ſuo Paſtor. Regular. part.* 2. *q.* 1. *in princ. fol.* 38. *verſ.* 4. *an in caſu.*

CAP. XVII.

Super adſcriptis ſervitio Eccleſiarum.

CONCORDATUM fuit, quod facultas nominandi, ſeu adſcribendi Clericos minorum Ordinum ſervitio Eccleſiarum Prioratuum, ſpectet ad Dignitatem Archiepiſcopalem privativè, quodque durante tempore quo fuerint adſcripti, & inſervierint Eccleſiis Religionis, fruantur foro illius, ejuſque privilegiis, itaut habendo tria requiſita ſubjecti debent eſſe privativè in omnibus Dignitati Priorali, & in caſu quo habeant tantummodo requiſitum veri, & actualis ſervitij, debent eſſe ſubjecti juriſdictioni delegatæ cumulativè Dignitatis Archiepiſcopalis in cauſis criminalibus tantùm, prout relatum eſt in antecedenti capitulo, quod alios ſervientes.

SUMMA CAPITIS.

1 *Proponitur materia hujus Capitis.*
2 *Eccleſia ſemper optavit reſidentiam, & ſtabilitatem Clericorum.*
3 *Clerici non ſunt ordinandi abſque titulo, & adſcriptione certæ Eccleſiæ.*
4 *Clericos adſcribere certæ Eccleſiæ proprium eſt Epiſcopi.*
5 *Adſcripti arctiſſimo reſidentiæ vinculo tenebantur.*
6 *Adſcripti quadam ſervitutis ſpecie Eccleſiis tenentur.*
7 *Concilium Hiſpalenſe eos colonis comparat.*
8 *Illuſtratur Canon Hiſpalenſis, & comparatio Adſcriptorum cum Colonis, & Adſcriptitiis.*
9 *Ex dictis infertur ratio hujus Capitis.*

COMMENTARIUM.

1 OCcurrit altera ſpecies Servientium illorum nimirùm, qui adſcripti ſunt ſervitio Eccleſiarum, circa quos eamdem diſtinctionem repetunt Concordantes, quam circa Servientes in genere in *præced. cap.* ſtatuerunt. Cumque hæc diſtinctio abundè explicata maneat ibidem; duo tantùm in præſenti examinanda veniunt. Primum, cur facultas nominandi ſeu adſcribendi Clericos Dignitati Archiepiſcopali privativè tribuatur. Secundum, cur ita nominati & adſcripti, ex ſola adſcriptione Servientes conſiderentur. Utriuſque rei ad inſpiciendum propoſitæ ratio non aliundè eſt eruenda, quàm à jure veterum Eccleſiaſticarum adſcriptionum, quas prior ætas recepit, & noviſsimè reſtituit S. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 16. de Refor.* unde priùs aliqua circa eas etiamſi per ſumma capita præmittere opportet.

2 Ergo ſciendum eſt, Eccleſiam ſemper abhorruiſſe in Clericis deſſultoriam vagationem, & inſtabilitatem, utpotè ipſi ſtatui Clericali indecoram, & recto regimini valde noxiam; ex adverſo

verſo autem ſemper optavit, ut Clerici certo manciparentur Epiſcopo, qui eos ad reſidentiam, ſtabilitatemque conſtringeret, & exinde ad functiones Eccleſiaſticas obeundas. Atque ideo exemplo Caſtrenſis militiæ, in qua quiſque militum proprium habebat titulum, teſte Sueton. *in Claud. cap.* 25. Ita ſtatutum eſt, ut nullus Clericali includeretur militia, qui ab Epiſcopo, qui primarij
3 Ducis in ea locum tenet, & cujus imperio, ipſo ordinationis facto, arctiſsimè illigabatur, certo titulo, ſive Eccleſiæ non adſcriberetur, ut ibi perpetuò reſideret, & ſui ordinis exercitio incumberet aſsiduè. Ita primùm ſtatuit Concilium Chalcedonenſe, relatum à Gratiano in *cap. Sanctorum* 1. 70. *diſt.* cujus regulam alia Concilia renovarunt, ut Meldenſe *can.* 9. *&* 52. Placentinum anno 1095. *can.* 15. ibi: *Vt ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur.* Valentinum *can.* 56. ibi: *Sed nec illum Sanctorum Sacerdotum quiſpiam ordinet, qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit:* & noviſsimè S. Concilium Tridentinum *in d. cap.* 16. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* ibi: *Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis & neceſſarius ſuis Eccleſiis; Sancta Synodus, veſtigiis Sexti Canonis Concilij Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ aut pio loco, pro cujus neceſsitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum incouſulto Epiſcopo deſerverit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.* Ex quibus hæc reſidentiæ ſponſio & adſcriptio adeo neceſſaria & conjuncta cum ordinatione apparet, ut in ea profeſsio Clericalis ſtatus conſiſtat, ut patet ex D. Anſelmo *lib.* 3. *Epiſt.* 77. ibi: *Alligatus Eccleſiæ veſtræ per quamdam profeſsionem, quam in habitu Clericali vobis fecit.* Quare nec nomine Clericorum dignos cenſet noſter Hiſpanus D. Iſidorus illos, qui à vinculo certi Epiſcopi, certæque Eccleſiæ ſoluti, errones & fugaces vagantur; ſic enim ait in *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 2. *Duo ſunt igitur genera Clericorum, unum Eccleſiaſticorum ſub regimine Epiſcopali degentium: alterum Accephalorum, ideſt, ſine capite, quem ſequantur ignorantium. Hos neque inter Laicos Sæcularium officiorum ſtudia, atque inter Clericos Religio retentat divina; ſed ſolutos atque aberrantes, ſola vaga vita complectitur &c. Hippocentauris ſimiles, neque equi, neque homines, mixtumque genus, proleſque biformis, ut ait Poëta. Quorum quidem ſordida atque infami numeroſitate ſatis ſuperque noſtra pars occidua polluitur.*

4 Qui præcitatos, alioſque in hac re editos Canones perpenderit, abſque dubio depromet, non alium Clericos certæ Eccleſiæ adſcripſiſſe & dicaſſe, quàm proprium ordinationis Epiſcopum; tunc quia diſſonum eſſet, ut alius præter Ducem, militem moderaretur, & muneris rationem præſcriberet: tum quia hæc adſcriptio ab ipſa ordinatione eſt inſeparabilis, utpotè quæ in ipſo actu fiebat, prævia ſponſione, & propter ordinationem, ut valeret, fuit introducta; unde evidenter eliicitur, illi ſolummodò competere Clericum certæ Eccleſiæ dicare, cui competit facultas illum ordinandi; nam hæc adſcriptio pars ſive effectus conſiderari poteſt ipſius ordinationis, quæ ſtrictiſsimam conjunctionem parit inter ordinatum, & Epiſcopum, ut hujus imperio ad ſtabilitatem, reſidentiam, & ordinis functiones compellatur, ut latè videri poteſt apud Ludovic. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *l.* 1. *c.* 1. *& ſeqq.* Denique, quia hæc adſcriptio & ordinatio regi debet, prout Eccleſiarum utilitas vel neceſsitas expoſcit; utilitatem verò aut neceſsitatem hanc conſiderare, Epiſcopo reſervatur à Concilio Tridentino in *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 16. ubi ex hac ipſa ratione nulli adſcripto permittitur locum ſibi præfixum, inconſulto

Epiſcopo deſerere. Ex quibus jam enitet ratio illius, quod primo loco quærebamus, nempè cur Archiepiſcopo in *hoc cap.* tribuatur privativè facultas, Clericos minorum Ordinum Eccleſiis Prioratuum adſcribendi; nimirùm quia proprius ac Diœceſanus eorum eſt Epiſcopus, cui jus eos ordinandi privativè competit, ut copiosè *ſeq. cap.* dicemus.

5 Non minus patens eſt ratio illius, quod ſecundo loco inſpiciendum propoſuimus, ſi perpendamus arctiſsimum vinculum, quo quis alligabatur Eccleſiæ ipſa ordinatione & adſcriptione; nam ordinati ſacris quibuſdam ac æternis nexibus devinciebantur Eccleſiæ, ut in ea perpetuò perſiſterent, ejus ſervitio mancipati. Expreſsiſsimum in eam rem eſt Concilium Milevitanum I. *can.* 15. ibi: *Placuit, ut quicumque in una Eccleſia vel ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad Clericatum non teneatur.* Sic enim D. Auguſtinus in *Epiſt.* 24. repetit Timotheum Lectorem ſuæ Eccleſiæ à Severo Epiſcopo, qui poſtea Subdiaconum ordinarat, præſtito juramento numquam ab eo diſcedendi. Hæc ſunt Auguſtini ad Severum verba: *Chriſtum conſulas tuæ menti præſidentem, utrum homo, qui in Eccleſia mea diſpenſatione credita jam legere cæperat, & non ſemel, ſed iterum & tertio, non fuiſſe Lector poſſit, & debeat judicari &c. non vereor ne parum intelligas quantus aditus aperitur ad diſſolvendum ordinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi alterius Eccleſiæ Clericus, cuicumque juraverit, quod ab ipſo non ſit receſſurus.* Generaliter Clericis omnibus reſidentiam, uniuſque loci ſtabilitatem indixit Concilium Arelatenſe *can.* 2. & 21. ibi: *In quibuſcumque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis perſeverent.* Atque idem præcipit Concilium Nicænum *can.* 16. ibi: *Qui diſcedunt ab Eccleſia Presbyteri, vel Diaconi, aut quicumque ſub regula prorſus exiſtunt, hi nequaquam debent in aliam Eccleſiam recipi, ſed omnem neceſsitatem, convenit illis imponi, ut ad ſuas Parochias revertantur.*

6 Hoc ergo vinculum, quo ordinati certæ Eccleſiæ ſervitio aſsiduò mancipabantur, efficit, ut non modò Servientes, ſed & ſervi quodammodo Eccleſiarum dici valeant; nam onus à certo loco non diſcedendi vel ibi perpetuo manendi, jus libertatis infringere, viſum eſt Papiniano in *leg. Titio centum* 71. *§. Titio de condit. & demonſt.* in illis exemplis, *ſi à monumento non recedat; ſi in illa Civitate moretur.* Quod ipſum ſenſit Venulejus in *leg. nihil enim* 2. *de hom. liber. exhib.* cui conſonat *lex qui neque ſequuntur* 48. *de verbor. ſignif. leg. ſucurritur* 9. *ex quib. cauſ. maj.* Nam qui liber eſt, poteſt ire quocumque vult, *leg. pen. C. de oper. liber.* Unde Cicero *pro Balbo* proprium libertatis indicat: *Ne quis invitus civitate mutetur, nec in civitate remaneat invitus.* junctis, quæ tradit D. Amaya *obſervat. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. 12. & 18. Sed argumentis non egemus in hac re, quæ
7 luculentiſsimè probatur ex Concilio Hiſpalenſi II. *can.* 2. ubi poſtquam vis & efficacia adſcriptionis demonſtatur, revocando deſertores Clericos ad ſuum Epiſcopum & Eccleſiam, per hęc verba: *Deſertorem Clericum cingulo honoris atque ordinis ſui exutum, aliquo tempore Monaſterio delegari convenit, ſicque poſtea in miniſterio Eccleſiaſtici Ordinis revocari*: poſt hæc, inquam, ratio traditur comparatione facta Clericorum cum Colonis agrorum: *Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi eſſe jam quiſque cæpit, ibi perduret. Non aliter & de Clericis, qui in agro Eccleſiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, ut ipſi permaneant, ubi eſſe cæperunt.*

8 Nihil ſanè adduci poteſt, ad oſtendendam vim efficaciamque adſcriptionis Clericorum, hoc Canone accomodatius. In eo enim manifeſtè ſe referunt Patres ad illas civiles leges, quibus

quibus ea ſervitutis ſpecies fuit inducta, qua homines ita certæ alicui terræ, aut fundo adſcribebantur, ut nunquam liberum ipſis eſſet, in alias demigrare regiones, ut patet *in l. colonos* 19. *leg. cùm ſcimus* 21. *C. de agric. & cenſ. leg. quiſquis* 16. *leg. jubemus* 57. *C. de Epiſc. & Cler. leg. fin. C. de tranſact. leg. poſſeſſionum* 11. *C. comm. utriuſq. judic.* Hi homines non modò *Coloni*, prout in *cit. can.* dicebantur, ſed etiam *Adſcriptitij*, *Agricolæ*, & *cenſiti*, quorum nominum ratio videri poteſt apud D. Amay. in *lib.* 10. *Codic. in leg.* 36. *C. de Decurion. n.* 6. dum omnes in origine, & conditione conveniunt, ut conſtat in *leg. definimus* 13. *C. de agric.* ibi: *Quorum quantum ad originem pertinet vindicandam indiſcreta, eademque penè videtur eſſe conditio, licèt ſit diſcrimen in nomine.* Eorum autem conditio & ſtatus perfectè deſcribitur in *leg.* 2. *C. in quib. cauſ. colon.* ibi: *Coloni cenſibus duntaxat adſcripti, ſicuti ab his liberi ſunt, quibus eos tributa ſubjectos non faciunt, ita his quibus annuis functionibus & debito conditionis obnoxij ſunt penè eſt, ut quadam dediti ſervitudine videantur. & in leg. unic. C. de Colon. Thracenſ.* ibi: *Et licèt conditione videantur ingenui, ſervi tamen terræ ipſius, cui nati ſunt, exiſtimantur.* Legitimè ergo in Concilio Hiſpalenſi adſcripti Eccleſiis cum Colonis, & Adſcriptitiis comparantur; nam licèt, ut illi, quoad alios liberi ſint, & reverà ingenui; tamen reſpectu Eccleſiarum, quibus in functionibus ſui ordinis ſervire tenentur, *quadam dediti ſervitudine videntur, & ipſius Eccleſiæ ſervi exiſtimantur.* Pariter ſicut Coloni ita glebis inhærere præcipiuntur ab Imperatoribus in *leg. Colonos* 15. *C. de agric. ut nec momento quidem temporis debeant amoveri*: ita Clerici adſcripti in præcitatis canonibus præcipiuntur in ſuis Eccleſiis jugiter reſidere. Tandem ſicut coloni fugaces priſtino natali ſolo & prædio debent reduci, *leg. omnes* 6. *eod. tit.* ibi: *Omnes omninò fugitivos adſcriptitios, colonos, vel inquilinos, ſine ullo ſexus, muneris, conditioniſque diſcrimine ad antiquos penates, ubi cenſiti atque educati, natique ſunt, provinciis præſidentes redire compellant.* Ita etiam Clerici fugaces & vagabundi Eccleſiæ ſuæ debent reſtitui, ut patet non modò in *cit. can.* Concilij Hiſpalenſis. ſed & in *can.* 56. Concilij Valentini ibi: *Hoc etiam placuit, ut vagus, atque inſtabilis Clericus, ſive etiam in Diaconi miniſterio, vel Presbyteri honore conſtitutus, ſi Epiſcopi à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanſerit, & communione & honore privetur.*

9 Hæc comparatio adſcriptorum Eccleſiaſticorum cum colonis, ſive adſcriptitiis legalibus clariſsimè detegit rationem illius, quod ſecundo loco inſpiciendum propoſuimus, cur nimirùm adſcripti Eccleſiis Servientes conſiderentur *in noſt. cap.* Sed licèt Clerici adſcripti cum Colonis ſymbolizent, & quadam ut hi ſervitutis ſpecie teneantur; tamen hæc Clericorum ſervitus aurea eſt, & longè nobilior, adeo & excellentior, ut propriùs libertas, quàm ſervitus appelletur, ut de ea loquens conſiderat Ludovic. Thomaſin. *d. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 9. per hæc verba, quę lubenter hic inſero. *Plus*, inquit, *ſuavitatis, dignitatiſque erat in ea ſervitute, quam Eccleſiaſticæ leges Clericis indicebant; ager qui colendus injungebatur, amœnior, feraciorque: fruges ipſæ æternæ & incorruptæ. Hinc tanto major cura ſtabilitatis & aſſidui cultus.* Et infra. *Vera & vilis ſervitus ea erat, qua naſcendi lex ipſa terræ tunc homines colendæ affigebat: at reſidentia & ſtabilitas Clericorum in Eccleſia, optatiſsima libertas eſt. Nec enim liber eſt, qui inſtabilis eſt & inconſtans. Etiam fugaces & huc illucque palabundi ſervi, ſervi ſunt. Longè aliud libertas, aliud inconſtantia & levitas animi. Longè aliud ſtabilitas, aliud ſervitus.*

CAP. XVIII.

Super expeditione litterarum dimiſſorialium pro Ordinandis Religioſis, & Servientibus, ac licentia pro exercendis Ordinibus per Clericos Sancti Petri, & aliis.

CONCORDATUR, quod Religioſi Sancti Joannis virtute litterarum dimiſſorialium eorum Superioris Regularis poſsint accedere ad recipiendos Ordines à quolibet Epiſcopo, abſque eo quod neceſsitatem habeant accedendi ad D. Archiepiſcopum Toletanum. ¶ Secundo concordatur, quod Dignitas Prioralis non poſsit dare litteras dimiſſoriales ad effectum Ordines ſuſcipiendi Sæcularibus Servientibus Religioni, aut Clericis Sancti Petri. ¶ Tertio, quoad Clericos Sæculares Prioratuum Ordinatos à Dignitate Archiepiſcopali, concordatum fuit, eiſdem permittendum eſſe exercitium ſuorum Ordinum in Eccleſiis Parochialibus Religionis Sancti Joannis oſtendendo tamen prius Parocho Priori Eccleſiæ, in qua celebrare debebunt, licentiam exercendi, quam habebunt à Dignitate Archiepiſcopali, & illa inſpecta Prior debet eis dare uſum, & permiſsionem verbaliter, non autem in ſcriptis; ſed ſi aliquis, ſeu aliqui ex Clericis petierint licentiam generalem, quoad omnes Eccleſias Ordinis Sancti Joannis Vicario illius, iſte eandem tribuere debet in ſcriptis viſa licentia, quam exhibuerint, expedita à Dignitate Archiepiſcopali. Hoc idem executioni demandari debet reſpectu Clericorum exterorum Regularium, ſeu Sæcularium cum declaratione, quod ſi oriundi, ſive exteri, non habuerint licentiam exercendi à Dignitate Archiepiſcopali, non ſit ipſis concedendum, nec permittendum à Vicario, ſeu Prioribus Religionis exercitium ſuorum Ordinum; excepto caſu, quo aliquis Sacerdos Sæcularis, vel Regularis, qui ſit perſona cognita, tranſierit per aliquod Oppidum, tunc enim permiſsio relinquitur arbitrio Priorum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Proponitur materia Capitis.*

CONCORDAT. I.

2 *Canones antiqui graviter prohibuerunt ordines ab alieno Epiſcopo recipere.*

3 *Similiter poſteriores Canones.*

4 *Proprius Epiſcopus intelligitur vel ratione originis, aut beneficij, vel domicilij.*

5 *Ab alieno Epiſcopo poteſt quis ordinari cum proprij Epiſcopi dimiſſoriis.*

Dimiſ-

6 *Dimiſſoriæ confundi non debent cum teſtimonialibus.*

7 *Ad quem ſpectet dimiſſorias concedere?*

8 *Concedere Sæcularibus dimiſſorias competit Epiſcopo proprio ordinationis.*

9 *Regulares non habent proprium Epiſcopum, quoad ordines ratione originis, aut beneficij.*

10 *Proprius Epiſcopus Regularium quoad ordines, eſt Diœceſanus Monaſterij, in quo degunt.*

11 *Gregorius XIII. hoc ipſum ſtatuit, ſublatis contrariis privilegiis.*

12 *Plenè etiam confirmarunt Clemens VIII. & Innocentius XIII.*

13 *Iuxta juris rationem videtur, ut Diœceſanus Regularibus dimiſſorias concedat.*

14 *Ex adverſo, quod Prælati Regulares eas præſtent videtur. I. Quia ex Canonibus antiquis nullus Monachus ordinabatur, abſque licentia & commendatione Abbatis.*

15 *II. Quia Prælati Regulares appellatione* Ordinarij *comprehenduntur* in cap. 8. ſeſſ. 23. de Reform. *Concil. Tridentini.*

16 *Proponitur vera ſententia ſub diſtinctione Prælatorum Inferiorum.*

17 *Prælati habentes poteſtatem, minores ordines conferendi, poſſunt ad hos ordines dare dimiſſorias propriè dictas, ſecus quoad majores ordines.*

18 *Prælati, non habentes uſum Pontificalium, abſolutè non poſſunt concedere dimiſſorias, ſed tantùm teſtimoniales.*

19 *Hieroſolymitani cum litteris ſuorum Prælatorum poſſunt ad quemcumque Epiſcopum accedere, ut ordinentur.*

CONCORDAT. II.

20 *An Prælati Inferiores ſubditis ſuis Sæcularibus poſſint dimiſſorias concedere?*

21 *Reſpondetur I. de jure communi negativè.*

22 *Limitatur in Capitulis Sede vacante, & in Abbatibus minores Ordines conferre valentibus.*

23 *Reſpondetur II. abſolutè negativè ex jure noviſſimo Tridentini.*

24 *Aliqui adhuc poſt Tridentinum putant Prælatos* nullius *poſſe Sæcularibus dimiſſorias concedere.*

25 *Refellitur hæc ſententia auctoritate Fagnani, & aliorum.*

26 *Quamvis S. Congregationis decreta ſuper hoc ſint diſcrepantia, modernus ejus ſenſus favet ſententiæ negativæ.*

27 *Prælati Inferiores* intra Diœceſim *indubitatiùs ſubditis Sæcularibus dimiſſorias dare nequeunt.*

28 *Reſpondetur auctoritati Ferdinandi de Eſcaño.*

29 *Contraria conſuetudo, ut oppoſita Concilio, non eſt attendenda.*

CONCORDAT. III.

30 *Clerici, in Prioratibus commorantes, nequeunt Miſſam celebrare abſque licentia Diœceſani.*

31 *Parochi etiam licentia verbalis eſt neceſſaria.*

32 *Cùm Parocho conſtat de licentia Diœceſani, ſuam licentiam dare debet.*

33 *Licentia Vicarij Prioralis non eſt neceſſaria, quod declaravit Congregatio Concordiæ.*

34 *An ſit neceſſaria licentia Vicarij Prioralis Clerico tranſeunti de uno oppido ad aliud Prioratuum?*

35 *Fundatur pars affirmativa.*

36 *Fundatur pars negativa.*

37 *Congregatio Concordiæ dubium reſolvit negativè.*

38 *Clerici peregrini non admittebantur per antiquos Canones ad celebandum, ſine litteris ſui Epiſcopi, quæ* formatæ *dicebantur.*

39 *Finis harum litterarum, & forma.*

40 *Quare hæ litteræ* pacificæ *dicerentur.*

41 *Quare* communicatoriæ.

42 *Quare* commendatitiæ.

43 *Quare* dimiſſoriæ.

44 *S. Concilium Tridentinum antiquos Canones circa Clericos peregrinos, & vagos renovavit.*

45 *Diœceſanus præcipere poteſt exemptis, ne in eorum Eccleſiis admittant, ad celebrandum, Clericos peregrinos abſque ejus licentia.*

46 *Limita, ſi illi Clerici noti ſint, aut Apoſtolicum interveniat mandatum.*

Regu-

47 *Regulares peregrini & vagi recipiendi non ſunt, ad celebrandum, abſque litteris ſuorum Superiorum.*

48 *Licentia Ordinarij neceſſaria non eſt, ut Religioſi peregrini celebrent in Eccleſiis ſuorum Ordinum.*

COMMENTARIUM.

1 NObiliſsimam utiliſsimamque materiam in hoc Capite aggredimur, ut quæ ad Ordinis poteſtatem pertinet. Ejus utique cognitio plurimùm expediet, ad præcidendas inter Prelatos Eccleſiaſticos controverſias, quæ ſuper hoc acres ſemper fuerunt; nam, ut dicitur in Concilio Venetico *can.* 10. *Maxima occaſio violandæ pacis videbatur, ſi alter Epiſcopus alienum ſubditum arriperet, & Sacerdotio manciparet.* Ergo valdè curandum eſt, ne quis alieno ſubdito aut manus imponat, aut alteri in eum imponendi poteſtatem præſtet, circa quod præcipuè verſatur hoc Caput.

CONCORDAT. I.

COnſtantiſsimum eſt juxta primitivas
2 Eccleſiæ leges licuiſſe nemini ordines recipere ab alio, quàm à proprio Epiſcopo. Cùm enim ordinationi tunc ea vis ineſſet, ut in Epiſcopi Ordinatoris poteſtatem ordinatum adrogaret, ut vidimus in *cap. præced.* gravis injuria exiſtimata eſt, ſi Epiſcopus hac via alienum ſubditum ſibi præriperet, ut ait S. Leo *in Epiſt.* 84. *cap.* 9. *Nam gravis injuriæ reus eſt, qui de Fratris Eccleſia id quod eſt utilius, aut pretioſius audet vel allicere, vel tenere.* Hac ergo, aliiſque de cauſis, antiqui Patres ordinationem ab alieno Epiſcopo prohibuere, & tam ordinatum, quàm ordinantem accerviſsimis pœnis mulctarunt, de quo fidem faciunt antiqui Canones, relati ab eruditiſsimis Franc. Hallier. *de ſacris elect. & ordinat. cap.* 3. *art.* 1. §. 1. & §. 7. *pag. mihi* 613. Ludovico Thomaſino *de veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. & 3. *ſeqq.*

3 Innovata eſt hæc prohibitio noviſsimis Eccleſiæ ſanctionibus, ut in *cap. cùm nullus, & in cap. fin. de tempor. ordinand. in* 6. Quantum verò moderna prohibitio ab antiqua differat? Quiſnam antiquitus proprius ad ordines cenſeretur Epiſcopus? Et an vetus prohibitio æquè comprehenderet laicos ordinandos, ac Clericos deinceps promovendos? Prolixius, quàm in præſenti vacat, examen requirit; quamobrem conſulendi erunt Hallierus, & Thomaſinus *ubi ſupra.* Illud nobis in propoſito
4 ſcire ſufficit, noviſsimis Conſtitutionibus, proprium Epiſcopum ad ordines, ritè ſuſcipiendos, tribus his titulis cenſeri, originis nimirùm, domicilij, vel beneficij: quod clarè explicat Bonifacius VIII. *in d. cap. cùm nullus* his verbis: *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus de cujus Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoveri deſiderat oriundus, ſeu in cujus Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.*

5 Canones tamen, ſive veteres, ſive novi, ab alio, quàm à proprio Epiſcopo ordines recipere prohibentes, illam ſemper limitationem habuerunt, ut ab alieno nimirùm Epiſcopo quiſquam poſſet ordinari, ſi proprij Epiſcopi licentia & conſenſus interveniret, Concil. Carthaginenſe I. *can.* 5. Bracharenſe I. *can.* 26. Cabilonenſe II. *can.* 41. Meldenſe *can.* 15. Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Refor. cap.* 2. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Hallier. *d. cap.* 3. *art.* 10. §. 1. & *ſeqq.* Hæc licentia & conſenſus explicabatur litteris *dimiſſorialibus*, ſeu *dimiſſoriis*, in quibus, ut nomen indicat, ſubditus dimittebatur, conceſſa licentia libertateq; eundi, & ordines recipiendi ab alieno Epiſcopo, Van-Eſpen *in jus Eccleſ.*

part.

part. 2. *tit.* 9. *cap.* 3. *num.* 1. *& ſeqq.*

6 Inſuperque in eiſdem litteris probitas, ſufficientia & dignitas ordinandi commendatur, unde hæ litteræ *commendatitiæ* dici ſolent. Caveſis tamen, ut ex hoc eas cum litteris *teſtimonialibus*, quæ pariter commendationem ad ordines continent, confundas: ſeparatæ enim ſunt, ut infra videbimus. De aliis harum litterarum nominibus, & vario uſu, aliqua dicemus *in* 3. *Concord.*

7 His præjactis, illud in primis diſquirendum occurrit, ad quem ſpectet dimiſſoriales litteras concedere? Et quidem ſi de Sæcularibus ordinandis loquatur, dicendum eſt, eis dimiſſorias eſſe concedendas à proprio Epiſcopo; proprius autem quoad hoc Epiſcopus cenſebitur aut originis, aut beneficij, aut domicilij; & ratio eſt, quia illi competit
8 has litteras impertiri, cui competit ordines conferre, *ex reg. text. in cap. poteſt quis de reg. jur. in* 6. Hallier. *d. cap.* 3. *art.* 11. §. 4. *num.* 7. & ex eo, quamvis non citato, Pignatell. *tom.* 10. *conſ.* 158. *num.* 27. D. Gonzal. *in cap. ſignificaſti num.* 4. *de offic. Ord.*

9 Si verò de Regularibus ſit ſermo, priùs diſpicere oportet, quiſnam eorum ſit proprius Epiſcopus quoad ordines, ut poſtmodum de facultate dimiſſorias eiſdem concedendi videamus. Et quidem proprius Epiſcopus, à quo Regulares ordines tenentur recipere, non poteſt eſſe Epiſcopus originis; tum quia Regulares mortui Mundo dicuntur; tum quia adſtricti illo divino conſilio egrediendi de domo ſua, de terra ſua, de cognitione ſua, *Geneſ. cap.* 12. diſsitas & remotas à patria ſua Regiones plerumque habitant, nec eos, ut ſæpè ignotos probare poterat Epiſcopus. Nec etiam propriùs reputari poteſt Epiſcopus beneficij, ob ordinariam incapacitatem obtinendi beneficia. Quod ſi qui ſunt Regulares beneficiorum capaces, ab Epiſcopo beneficij poterunt ordinari, ex ſententia Hallier. *d. cap.* 3. *art.* 8. §. 2. *num.* 12.

10 Reſtat igitur ut Regulares quoad Ordines ſubdantur, tanquam proprio Epiſcopo, Epiſcopo domicilij, illi nimirùm, in cujus Diœceſi eſt Monaſterium, ut probat *text. in cap. ſi quis diſt.* 58. ibi: *Si quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterij conſtituere, Epiſcopus, qui hoc fecerit à cæterorum communione ſejunctus ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit, & ille neque Clericus, neque Præpoſitus perſeveret.* Id ipſum habetur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. ibi: *Ut nullatenus in eorum Eccleſiis, ſeu domibus, aut aliis eorum locis ab alio, quàm à Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc cum debita reverentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel in ea Diœceſi abſente ad dictos ordines promoveri debeant.* Cumque aliqui Regulares ex variis privilegiis Urbani II. Eugenij IV. & aliorum, ab hac juris diſpoſitione immunes ſe aſſererent, ut à quocumque Antiſtite poſſent ordinari, S. Concilium Tridentinum in *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de Refor.* omnia ſuſtullit privilegia, omneſque præcepit à proprio ordinari Epiſcopo, qui in Regularibus eſt Diœceſanus.

11 Quia tamen Tridentinum expreſsè de Regularibus non loquitur, & aliunde poſt ipſum aliquibus fuerunt ſuper hoc tributa privilegia, ut à quocumque Epiſcopo abſque Diœceſani licentia poſſent ordines ſuſcipere, ut eſt privilegium Fratribus Mendicantibus conceſſum à S. Pio V. in *Conſtitut.* quæ eſt in ordine *Bullar. la* 41. §. 7. hinc aliquæ occurrebant difficultates, & diſſenſiones, quas plenè ſuſtullit Gregorius XIII. *in ſua conſtit.* 9. reducens omnia ad terminos juris communis, teſtatus ex prædicta Bulla: *Multas magnaſque diſſenſiones, & lites inter locorum Ordinarios, & Fratrum*

ipſorum

ipſorum Ordines non ſine gravi divini cultus, & animarum detrimento ac populorum ſcandalo fuiſſe concitatas. Quibus controverſiis idem S. Pius V. mederi cogitabat: refert Hallier. *d. §. 1. num. 4.* Sed cum
12 adhuc res non ſatis eſſet liquata, pleniſſimam formam dedit Clemens VIII. *ſub die 15. Martij 1596.* prævia Sac. Congregationis Concilij ſententia in hunc tenorem: *Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito ittidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit litteras dimiſſorias concedere ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempè illius Monaſterij, in cujus familia, ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contullerit examinetur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſorialium in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verum cùm à Superioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur; in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe, &c.* Hanc Tridentinæ Synodi interpretationem & moderationem importunis Regularium flagitationibus extortam exiſtimat idem Hallier. *in d. §. 1. num. 3.* Quæ ut exactiùs obſervaretur in Regnis Hiſpaniarum, renovata fuit ab Innocentio XIII. in *Bulla Apoſtolici Miniſterij in decreto 15. anno 1723.*

13 Cùm ex dictis pateat proprium Epiſcopum Regularium quoad ordines eſſe Diœceſanum Monaſterij, in quo degunt; conſequens videtur, ut ad ipſum ſpectet Regularibus dimiſſorias concedere, ex regula ſupra tradita, quod ad illum ſpectet has litteras concedere, ad quem ſpectat ordinare, ut præter Hallierum & D. Gonzalez citatos *ſupra num. 7.* tenet Murga *de privil. conſtit. 16. num. 221.* Fagnan. *in cap. ſignificaſti de offic. Archid. num. 2.* In quod etiam facit harum litterarum inſtitutio & propria ſignificatio, quæ non niſi Epiſcopis convenit.

14 Verùm tamen, quod Prælatis Regularibus competat hujuſmodi litteras concedere, ſuadetur I. quia ex antiquis Canonibus, nullus Monachorum poterat ordinari abſque licentia & conſenſu Abbatum, ut conſtat in *cap. Monachi can. cùm pro utilitate, & can. Monachi à Monaſterio 16. q. 1.* Temerè enim videretur Epiſcopus eum Sacerdotio dignum judicare, quem Abbas, qui eum penitiùs novit, & propriùs obſervavit, indignum putaret. Atque ita meliùs Prælati Regulares poterunt de eorum probitate vita & moribus atteſtari, prout requirit Sac. Concilium. II. Quia Prælati Regulares optimè appellatione *Ordinarij* comprehenduntur in
15 *d. cap. 8. ſeſſ. 23.* ubi ſtatuitur nullum ordinari poſſe: *Niſi ejus pobitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg at. 7. num. 31.*

16 In hoc rationum conflictu, ut vera teneatur ſententia, diſtinguendum puto inter Prælatos Regulares, habentes uſum Pontificalium, cum poteſtate minores Ordines conferendi; & inter Prælatos Regulares tali uſu, & poteſtate carentes. Primi ergo abſdubio po-
17 terunt ſuis Regularibus dimiſſorias, propriè dictas, concedere, pro ſuſceptione minorum Ordinum: quia cùm ipſi tales ordines conferre valeant, rectè valent alteri poteſtatem dare, ad eoſdem ordines, ejus ſubditis conferendum; unde non obſtant his Prælatis, quæ *num. 13.* diximus, & ipſis favent *numer. præced.* dicta. Confirmat hunc diſcurſum Hallier. *in d. cap. 3. §. 4. n. 9.* in hæc verba: *Adbatibus quoque quibuſdam, & Superiori-*

bus

bus Regularium olim plura privilegia conceſſa legimus, dimiſſorias ſuis concedendi, quæ omnia ex prædictis (loquitur de decreto Innocentij III. in *cap. ſignificaſti de offic. Archid.*) *revocata vidimus: niſi quod qui ad tonſuram, & minores Ordines ſuos promovere poſſunt (cujuſmodi aliqui abſque dubio poſſunt ex prædictis) iiſdem quoque haud dubiè dimiſſorias ad iſtos Ordines dare poterunt.* Conducit Fagnan. *in d. cap. ſignificaſti n.* 11. Aliter verò judicandum eſt de his Prælatis, quoad dimiſſorias, pro Ordinibus majoribus præſtandas; quia cùm ipſi hujuſmodi Ordines conferre nequeant, nec dimiſſorias concedere valebunt, ex regula ſupra poſita, & ex traditis à Flores de Mena *lib.* 3. *q.* 4. Leandro *de Sacram. tom.* 2. *de ordin. diſ.* 10. *tract.* 6. *q.* 7. & 8. ubi plures refert: ſolumque præſtare poterunt teſtimoniales.

18 Prælati verò ſecundæ claſſis, uſum Pontificalium non habentes, ex eadem ratione, nec pro minoribus, nec pro majoribus ordinibus, quos conferre non poſſunt, dimiſſorias, propriè & ſtrictè acceptas, præſtare valent; ſolumque eis eſt concedendum, ut teſtimoniales litteras, ſive commendatitias, præſtent ſuis Religioſis, juxta dicta *num.* 14. Quæ tamen litteræ, licèt revera differant à dimiſſoriis, ut antea diximus, largè tamen, & impropriè dimiſſoriæ frequenter appellantur. Confirmat etiam hanc doctrinam idem Hallier. *d. num.* 9. ibi: *Ex ea verò regula, quam ſtatuimus, ejuſdem per ſe eſſe ordinare, cujus dimiſſorias dare inferri poteſt, quod ſicut Abbates, quamtumvis exempti, & juribus Epiſcopalibus donati, non poſſunt Sæcularibus ſibi ſubditis ordines dare, ita nec dimiſſorias concedere, quod utrumque novo jure Concilij Tridentini ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 10. *cautum eſt, niſi fortè dimiſſorias concedere dicantur, quatenus ſibi ſubditos Regulares ad Epiſcopum Diœceſanum ordinandos præſentant, vel ad alium Epiſcopum, ſed priùs à Diœceſano probatos, & examinatos, ſi ipſe abſuturus ſit, nec ordinationes habiturus, dimittant.*

19 Hæc generaliter dicta ſint pro cognitione utiliſſimæ materiæ; ad hujus tamen Concordati exornationem, ſciendum eſt, Hieroſolymitanos ſpeciale privilegium habere, quod refertur à Pio IV. in Conſtitutione, quæ incipit *Circunſpecta*, in quo ipſis conceditur, ut à quocumque Catholico Antiſtite, Sedis Apoſtolicæ communionem habente, Sacros Ordines, etiam extra tempora, poſsint accipere, prout refert Eſcaño in *propugn. Relig. Hieroſolym. diſcept.* 14. *cap.* 1. *numer.* 20. Quod ſanè privilegium æquiſsima ratione nititur, quia cùm Hieroſolymitani, ex ſua inſtitutione, cum magno Eccleſiæ commodo, à Monaſterij ſui, ſeu Regularis domicilij loco abſentes plerumque in aliis regionibus diverſentur; commodè nequeunt ab Epiſcopo Civitatis, in qua domus Regularis eſt, ordinari; atque ideo in præſenti Concordatur, ut litteræ dimiſſoriæ, ſive mavis teſtimoniales, dandæ non ſint præcisè ad Archiepiſcopum Toletanum, licèt Conventus Sanctæ Mariæ del Monte ſit in Diœceſi Toletana.

CONCORDAT. II.

20 VIdimus Prælatos Inferiores ſuis ſubditis Regularibus dimiſſorias, ſeu propriùs teſtimoniales, poſſe ad Ordines concedere; nunc verò diſcutiendum eſt, an ipſis hæc poteſtas competat reſpectu ſubditorum Sæcularium? Hoc dubium de jure communi facilè reſolvitur ne-
21 gativè ex expreſſo *text. in cap. ad hæc de offic. Archid.* ubi non obſtante illa juriſdictione, quam Archidiaconus habebat in Clericos tam in majoribus, quàm in minoribus ordinibus conſtitutos, & quod ad ipſum ex officio ſpectabat ordinandos Epiſcopo præſentare, ei de-

denegatur hujuſmodi litteras ad ordines concedere. Ex quo textu colligunt communiter Canoniſtæ Prælatum Inferiorem jure communi dimiſſorias concedere non poſſe. Quod tamen limitant in Capitulis Sede vacante, *ex cap.*
22 *Sede vacante, & cap. cùm olim de major. & obed.* & in Abbatibus, minores ordines conferre valentibus, *ex cap. quoniam 69. diſt. cap. cùm contingat de ætate, & qualit. ord. cap. Abbates de privil. in 6.*

23 Pro eo autem quod ſpectat ad jus noviſsimum, clara eſt diſpoſitio tam circa Capitula Cathedralium in *cap. 10. ſeſſ. 7. de Reform.* quod præſentem non onerat inſpectionem, quàm circa omnes Prælatos Inferiores in *cap. 10. ſeſſ. 23. de Reform.* ubi abſolutè denegatur Prælatis Inferioribus quibuſcumque dimiſſorias Sæcularibus concedere, his verbis: *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque quantumvis exemptis, non liceat in poſterum intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre, nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque etiam Eccleſiarum Cathedralium litteras dimiſſorias aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant; ſed horum omnium ordinatio ſervatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat.*

24 Clariſsima licèt ſit hæc Tridentini diſpoſitio non tamen defuerunt, qui dubitarint, an in ea comprehendantur Prælati *nullius* cum territorio ſeparato, adductis pro ſententia negativa aliquibus S. Congregationis declarationibus; quibus forſam inhærentes plerique Prælati Inferiores à concedendis dimiſſoriis non
25 deſiſtunt. Sed ſanè, ſi juris ratio, & verba Tridentini, attenduntur improbabilis cenſenda eſt hujuſmodi ſententia, ſicuti indubitata affirmativa, pro qua firmanda, aliis fundamentis omiſsis, quæ latè apud AA. proximè referendos, exponuntur, abundè facit Fagnani auctoritas, qui cùm tandiù fuerit S. Congregationis Concilij Secretarius, ejuſdem Concilij mentem optimè calluit. Hic ergo in *d. cap. ſignificaſti à num. 12. & in cap. nonnulli de reſcript. à num. 20.* poſt latè exagitatam hanc quæſtionem in *d. cap. ſignificaſti num. 24.* ita concludit: *Itaque nullus Prælatus Inferior Regularis, aut Sæcularis hodie reperitur, cui liceat Tonſuram, & minores Ordines conferre perſonis Sæcularibus, tametſi omnimodam juriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ac etiam temporalem habeant in Clerum, & Populum excluſis Epiſcopis; & ſive illorum territorium ſit intra fines alicujus Diœceſis, ſive extra: nec ſcio quemquam poſt Concilium obtinuiſſe ſuper hoc privilegium à Sede Apoſtolica. Sed nec quiſquam eorum circunſcriptis privilegiis poſt Concilium dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedit cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit. Vnde S. Congregatio olim declaravit nec Abbati Caſinenſi, nec Cavenſi, nec Farfenſi, nec Sublacenſi, nec Caſtri Durantis, nec Nonantulano, nec S. Laurentij in Campo, hanc facultatem competere.* Hucuſque Canoniſtarum Princeps Fagnanus, cujus ſententiæ accedunt Hallier. *d. cap. 3. art. 11. §. 4. num. 9.* Azor *inſtitut. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 49. quæſt. 3.* Rodriguez *in ſumma tom. 2. cap. 14. num. 9. & 11.* Miranda *in Manual. Prælator. tom. 1. q. 39. art. 3.* Barboſa ad Concilium in *d. ſeſſ. 23. cap. 10. verſ. nec ipſi Abbates.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 26. num. 25. & tom. 7. conſ. 8. num. 55. uſque ad 61. & tom. 9. conſ. 59. & tom. 10. conſ. 158.* Van-Eſpen *in jus Eccleſ. part. 2. tit. 9. cap. 5. num. 6.* & noviſsimè Scarfanton *in addit. ad Cecoper. lib. 2. tit. 4. num. 33.* ubi ait adeo indubitatam hodiè eſſe hanc ſententiam, ut nefas quodammodo videatur, hanc quæſtionem refricare.

Nec,

26 Nec, ſi quæ Sacræ Congregationis decreta in ſpeciem opponi videntur, negotium faceſſere debent; nam præterquam longè plura ſunt pro hac ſententia, modernus ejuſdem S. Congregationis ſenſus eſt, ut etiam hi Prælati *nullius* in citato decreto Conciliari comprehendantur, ut teſtatur Cardin. de Luca *de juriſd. diſc.* 16. cui ibidem hic ſenſus laudabilis videtur, ſi generaliter cum omnibus Prælatis hujus ſpeciei practicetur. Quibus ſtantibus mirum non eſt, quod plures Epiſcopi Ordines conferre renuunt ſubditis Sæcularibus Prælatorum Inferiorum, qui cum litteris dimiſſoriis eorumdem, ad eos veniunt ordinandi.

27 Quæ dicta manent circa Prælatos *nullius* potiori jure locum habent in Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, quales ſunt Hieroſolymitani, ut nimirùm ſubditis ſuis Sæcularibus dimiſſorias præſtare nequeant, quod in individuo probavit Rota in hac cauſa in *deciſ.* 70. *num.* 36. & 37. *part.* 13. *rec.* cui accedit declaratio S. Congregationis Concilij apud Farinacium in *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 11. in hæc verba: *Fuit dubitatum, an ex hoc decreto poſsint Fratres S. Ioannis Hieroſolymitani dare dimiſſorias Clericis Servientibus in eorum Eccleſiis, ut poſsint ordinari, & concluſum fuit quod non.* Tradit etiam Barboſa *ad d. cap.* 11. *Concil. num.* 12. Atque ita hoc jus in Prioratibus ſemper fuit præſervatum Archiepiſcopo Toletano, ut patet ex antiquis Concordiis, & præcipuè ex inita inter Cardin. de Quiroga, & D. Ferdinandum de Toledo, relata in *cap.* 9. *num.* 35. *part.* 1.

28 Nec in propoſito obſtat auctoritas Ferdin. de Eſcaño in *propugnac. S. Relig. Hieroſolym. diſcept.* 14. *cap.* 1. *à num.* 15. ubi generaliter aſſerit Prælatos Hieroſolymitanos ſubditis ſuis Sæcularibus dimiſſorias dare poſſe. Nam hic Auctor, ut patet *ex eod. cap.* 1. *num* 14. opus ſuum ſcripſit antequam prodirent principales deciſiones, & Sententiæ Rotales in hac cauſa; atque ideo in ea fuit ſententia, ut exiſtimaret privilegia exemptiva S. Religionis territorium ſeparatum tribuere, ac per conſequens oppida Magni Prioratus non eſſe in Diœceſi Toletana, quod non ita eſſe conſtat ex dictis in *cap.* 6. 7. & 9. *part.* 1. Quin & ſi ita eſſet, adhuc illius ſententia non teneret ex dictis *ſupra n.* 25.

29 Nec pariter obſtat conſuetudo, quam ibi allegat Vicarij S. Joannis de Acre in Civitate Hiſpalenſi, concedendi has dimiſſorias. Nam hujuſmodi, ſi quæ ſit, conſuetudo non eſt ſubſtinenda ex iis, quæ de conſuetudinibus contra decreta Conciliaria docent Card. de Luca in *annot. ad Concil. diſc.* 1. *num.* 16. D. Salgado *de Reg. protect. part.* 3. *cap.* 10. *numer.* 98. Fagnan. *in cap. ſi quis de for. compet. num.* 65. & *in cap. cùm venerabilis à n.* 42. *de conſuet.* Atque ex eadem ratione nihil obſtabit, quod Nuncius, ut idem Eſcaño ibi teſtatur, has dimiſſorias admiſerit, nam Nuncius in hac materia conformare ſe debet decretis Tridentini, ut in ſpecie docet Pegas de *compet. inter Nunc. & Archiep. cap.* 33. Pignatell. *tom.* 2. *conſ.* 1. Urſaya *diſcept. Eccleſ. diſcept.* 22.

CONCORDAT. III.

30 COngruenter ſuperioribus Concordatis agitur in præſenti de præſtanda licentia, ad Miſſam celebrandam, Clericis Sæcularibus in Eccleſiis Regularibus. Et quidem ſi agitur de Clericis incolis Prioratuum, extra dubium eſt, licentiam Archiepiſcopi Diœceſani requiri, *ex cap. cunctis* 16. *q.* 1. ubi habetur Sacerdotalium officiorum exercitium à voluntate Epiſcopi pendere, his verbis: *Cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum eſt, ut nihil abſque Epiſcopi*

proprij licentia agant : non utique Miſſas ſine ejus juſſu quiſpiam Presbyterorum in ſua Parochia agat, non baptizet ; nec quidquam abſque ejus permiſſu faciat. Sic igitur poſt ſuſceptos Ordines Clerici, ad obtinendam hanc licentiam, debent Epiſcopo oſtendere litteras ſuæ promotionis, & atteſtationes ſuorum Ordinum, ut appareat, an rite ſint ordinati, aut ſi forſam ſint ſuſpecti, ut per *cap. cùm nullus de tempor. ordinand.* & per S. Concilium Tridentinum in *d. cap. 8. ſeſſ. 23.* tenet Fagnan. *in cap. licet Heli num. 34. de ſimonia*, & cum eo Paſſerin. in *eod. cap. num. 144.*

31 Inſuper in propoſitis terminis accedere debet licentia Parochi Prioris; nam cùm Parochus quaſi Caput Parochiæ, & ejuſdem primarius & ordinarius Rector, licèt ſub Epiſcopo, cenſeatur, nemo poteſt in ejus Eccleſia ſacras functiones obire, abſque ejus permiſſu, ut notat Van-Eſpen in *jus Eccleſ. part. 2. tit. 5. cap. 9. num. 12.* Hoc tamen ita intelligendum eſt, juxta hoc concordatum, ut Parochus licentiam præſtet verbaliter, non in ſcriptis; ne aliàs videatur Parochus apponere *exequatur* in mandatis Ordinarij Diœceſani, quod eſſet abſurdum, quia Parochi poteſtas eſt œconomica tantùm, & Diœceſano ſubordinata. Deindè declarandum eſt,

32 quod ſemel ac conſtet Parocho de licentia Diœceſani, non poſsit Clericis impedire Miſſæ celebrationem in ſua Eccleſia, quod clarè inſinuatur in *hoc cap.* in illis verbis : *Et illa inſpecta* (licentia videlicet Diœceſani) *Prior debet eis uſum dare, & permiſsionem.* Verbum enim *debet* neceſsitatem importat, Fagnan. *in cap. & ſi membra num. 4. de his quæ fiunt à Præl. ſine conſen. capit. & in cap. qualiter de Cleric. non reſid. n. 37.* Et confirmari poteſt hæc declaratio ex traditis ſupra in *cap. 13. h. p.*

33 Reſtat nunc, ut videamus, an præter licentiam Ordinarij Diœceſani, requiratur licentia Vicarij Prioralis, ad celebrandum in Eccleſiis Prioratuum. In quo breviter dicimus, juxta diſpoſitionem noſtri Capitis, talem licentiam non requiri ; ſed tamen, adveniente caſu, quo aliquis voluerit obtinere licentiam generalem pro omnibus Eccleſiis Sacræ Religionis, Vicarius Prioralis eam concedere debet in ſcriptis, viſa licentia Dignitatis Archiepiſcopalis; neutiquam tamen adſtrictos eſſe Clericos incolas illorum Oppidorum hujuſmodi generalem licentiam à Priorali Vicario expoſtulare, ut deciſum eſt in *Congregat. 26. Iulij 1703. verſ. 5.* ibi: *Y ſe reſolviò, que en eſto ſe execute lo diſpueſto* en el cap. 18. de la Concordia, verſ. 3. *en cuya execucion los Presbyteros eſtraños, ò que no tubieren domicilio fixo, ò que aunque ſean de los Prioratos, quiſieren licencia abſoluta para celebrar en todas las Igleſias de aquel Partido, hayan de acudir à pedirla al dicho Vicario de la Religion, que la haya de conceder, en viſta de la deſpachada por el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal ; y que reſpecto de los demàs Clerigos ſe obſerve lo acordado en dicho Capitulo.*

34 Dubitatum tamen adhuc fuit, an licentia Vicarij Prioralis ſit neceſſaria ſaltem eo caſu, quo Clericus de uno ad alterum locum ſive Oppidum Prioratuum tranſeat? Cumque hoc dubium propoſitum fuiſſet in *Congregat. 2. Septembris 1703. verſ. 1.* magna fuit Judicum altercatio; nam Priorales, omninò in hoc caſu neceſſariam Vicarij Prioralis

35 licentiam dicebant; quia cùm ſit Prælatus Ordinarius harum Eccleſiarum, ipſi competit ſcire, quinam in eis, ad celebrandum, admittantur : quin obſtet diſpoſitio *h. 3. Concordat.* quod præcisè reſtringendum videtur ad eos Clericos, qui in Eccleſia ſui domicilij volunt celebrare, non verò ad eos, qui extra locum ſuæ reſidentiæ celebrare prætendunt. Judices vero Archiepiſcopales litteræ

h.

36 *h. cap.* inhærentes, nec in caſu propoſito, nec in alio quoquam, Clericis neceſſariam eſſe Vicarij Prioralis licentiam, admittebant; ex eo quod diſpoſitio, prohibens Clericos admitti ad celebrandum, tam jure communi inſpecto, quàm hujus Archiepiſcopatus Conſtitutione Synodali, ſolùm locum habet in Clericis ignotis, quia periculum eſt in his ne fortè criminoſi, ſuſpenſi, aut irregulares, aut aliqui, qui Sacerdotes non ſint, ad celebrandum admittantur; quæ omnia locum non habent in Clericis incolis Prioratuum, nam hi in illis oppidis noti ſunt; & aliàs jus habent tanquam Diœceſani, ut in Parochiis Religionis eis celebrare permittatur.

37 Sic igitur diſcordantibus utriuſque Dignitatis Judicibus, remiſſum fuit dubium hoc pro reſolutione ad Apoſtolicum Nuntium; ſed poſtea ipſi Judices, à remiſsione diſcedentes in *Congreg.* 20. *Auguſti* 1705. *verſ.* 1. ita convenerunt: *En la Junta de eſte dia, ſe tratò lo primero del dubio remitido en diſcordia à Nunciatura*, en el 1. Concordato de la Junta del dia 2. de Septiembre de 1703. *ſobre ſi en caſo de paſſar un Presbytero del Priorato de un Lugar à otro del miſmo territorio, neceſsita de licencia de el Vicario de la Religion, para ſer admitido en las Igleſias de ella, para celebrar el Santo Sacrificio de la Miſſa; y atendiendo à lo diſpueſto* en el cap. 18. v. 3. de la Concordia, *y à lo reſuelto por la Junta ſobre eſte particular* en el dia 26. de Julio del referido año de 1703. *ſe apartaron todos los votos de la remiſion; y de comun acuerdo, ſe reſolviò, que el Vicario Arzobiſpal, no pueda impedir à ningun Clerigo de los Prioratos, que ſi quiſiere pida licencia generàl al de la Religion, para decir Miſſa en todas las Igleſias del Priorato; pero, que reſpecto de los Clerigos naturales, ò reſidentes de aſsiento en èl, no ſea neceſſario, que preceda dicha licencia, para que ſean admitidos à celebrar, quando paſſan de un Lugar à otro de el Priorato, à ſus dependiencias y negocios, y no vaga y afectadamente, por ſer baſtante para eſto la del Vicario Arzobiſpal, que deben manifeſtàr al Cura Prior, y en ſu viſta debe permitir ſe les conceda recado para celebrar, no por eſcrito, ſino verbalmente en la forma que expreſſa dicho Capitulo de Concordia: Y que en quanto à los Clerigos eſtraños, ò vagos, ſe guarde lo ordenado en dicha Junta* de 26. de Julio de 1703.

38 Ergo nunc de Clericis peregrinis, ad Miſſæ celebrationem admittendis, ſequitur dicendum; in quo ad pleniorem doctrinam aliqua ex jure antiquo repetemus. Et quidem jam pridem à primis Eccleſiæ ſæculis proviſum fuit, ne quis Clericus externus & ignotus ſine litteris ſui Epiſcopi reciperetur, Concil. Carthagin. I. *can.* 7. ibi: *Statuat Fraternitas veſtra, ut unuſquiſque Clericus, vel laicus non communicet in plena plebe ſine litteris Epiſcopi ſui.* Quæ quidem litteræ *formatæ*, ſeu *Canonicæ* appellabantur. Synodus Laodicæna *can.* 4. ibi: *Non oportet miniſtrum altaris, vel etiam Clericum ſine Canonicis litteris, ideſt formata aliquò proficiſci.* Concilium Meldenſe *can.* 50. ibi: *Presbyteri, vel quilibet Clerici in alterius Parochiam ſine formata non recipiantur, nec retineantur, neque etiam miniſtrare ſinantur.* Et in *can.* 51. ibi: *Qui cum Senioribus de aliis provinciis ad noſtras Parochias veniunt ſine formata, miniſtrare non permittantur.* Quas igitur Græci *Canonicas* appellabant, Latini *formatas* dixere; ut ſenſit Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad finem Concilij Chalcedonenſis ibi: *Ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat.*

39 Erant planè hæ litteræ quædam veluti argumenta & teſſeræ ſinceræ fidei, ut ait Optatus *lib.* 2. *contra Parmen*: ibi: *Cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat.* In idque à Patribus earum uſus fuit adinventus, ne aliàs hæreſi, aut apoſtaſiâ in-

infecti ab Eccleſiaque ſegregati, à catholicis, catholicos eos eſſe credentibus, in communionem reciperentur; aut ne laici & prophani homines, ſe initiatos Sacris Ordinibus mentientes, in Eccleſia celebrarent. Quapropter nonniſi accuratiſsima forma, ſpecialiſſimiſque notis & ſignis litteræ concedebantur, ut videre eſt apud Gratianum in *cap. in nomine* 73. *diſt.* Buchard. *lib.* 2. *Decreti cap.* 227. latèque de earum origine, & forma agunt Ferrar. *de Litteris primitivæ Eccleſiæ.* Cujac. *in Novell.* 6. *Iuſtiniani, & in tit. de Cleric. non reſid.* Sirmondus *in notis ad Sidon. lib.* 6. *Epiſt.* 8. Ciron. *lib.* 2. *obſervat. cap.* 6. Chriſt. Lupus in *can.* 11. *&* 13. *Concil. Chalced.* Lemaiſtre *lib.* 2. *de Monach. cap.* 1. Hallier. *de Sacr. Ordin. cap.* 3. *art.* 10. §. 5. quem tranſcripſit Pignatell. *tom.* 10. *conſult.* 158. alijque relati à D. Gonzal. *in cap.* 3. *de Cler. peregr.*

40 Sed quia ad diverſos effectus variiſque ex cauſis concedebantur hæ litteræ, ideo earum in Sacris Canonibus variæ reperiuntur ſpecies, & diverſa eis fuere indita nomina, quæ earum uſum & effectum demonſtrarent. Nonnumquam tam Clerici, quàm laici, ad Eccleſiæ præſidium convolabant, & Epiſcopi ſuis litteris intercedebant, ut ſic opitulati apud quoſcumque, ad quos proficiſcerentur, pacem invenirent, ſibique conciliarent, unde hæ litteræ *pacificæ* ſunt vocatæ à Concilio Chalcedon. *can.* 11. ibi : *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, & Epiſtolis, ſeu pacificis Eccleſiaſticis viam ingredi ſtatuimus.* Quem Canonem ita interpretatur Zonaras : *Qui igitur quoquo modo præſidio indigebant, iis litteræ ab Epiſcopis tradebantur, opem, auxiliumque afferentes : & pacificæ vocabantur, quaſi pacem conciliantes iis, qui ob Principum iracundiam, vel potentium libidinem iniquo judicio damnabantur.* Sic ſimiliter cùm has litteras exoptarent fideles tam

41 Clerici, quàm laici, ut earum medio ſe Chriſtianos, & communionis Eccleſiæ participes, eſſe innoteſceret, indeque eis liceret cum aliis fidelibus in Eccleſia, & officiis Eccleſiaſticis communicare; hinc *communicatoriæ* ipſæ litteræ ſunt appellatæ à Concilio Carthagin. I. *can.* 7. Agath. *can.* 52. Illiberit. *can.* 25. relato in *cap. omnis qui* 98. *diſt.* Continebant etiam hæ litteræ Clerici commendatio-

42 nem, & ſuſceptorum ab eo Ordinum atteſtationem, unde ſæpè *commendatitiæ* dicebantur, ut in Concil. Romano ſub Gregorio VII. *can.* 13. ibi : *Preſbyteri, vel Diaconi, qui de alio Epiſcopo ad alium tranſeunt, vel quicumque Clerici, ſine commendatitiis litteris à ſuo Epiſcopo non recipiantur.* Matth. Ballaſtres in *can.* 33. *Apoſtolor.* ibi : *Commendatitiæ ſunt, quæ Clericis ad alteram Civitatem tranſeuntibus dantur ab Epiſcopis, qui ipſos elegerunt, notificantes ipſorum Sacerdotij gradum.*

43 Frequentiſsimè etiam hæ litteræ *dimiſſoriæ* appellantur, non ob id modò, quod unius Epiſcopi ſubditi medio earum alteri mittuntur Epiſcopo, ut ab eo ordinari queant; de qua ſignificatione ſatis actum in 1. *Concordat. huj. cap.* Sed propriùs quidem ex recepta illorum temporum diſciplina. Cùm etenim tunc maximè in uſu eſſent adſcriptiones, quibus Clerici certæ Eccleſiæ illigabantur ſervitio, ut vidimus *cap. anteced.* hinc factum eſt, ut à ſua Eccleſia recedere, aut eam deſerere Clerico non liceret abſque ſui Epiſcopi licentia, litteris dimiſſoriis, ab eodem impetratis, ut habetur in *Can. Laodicæno* 41. ibi : *Quod non oportet eum, qui eſt Sacratus, vel Clericus ſine Canonicis litteris iter ingredi.* Idem habetur ex Concilio Agathenſi *can.* 77. *in cap. Monachum cauſ.* 20. *q.* 4. Nec ab alio Epiſcopo externus Clericus citra piaculum recipi poterat, proprij Epiſcopi dimiſsione non præcedente, qua Clericum à vinculo, quo Eccleſiæ

ſuæ

ſuæ tenebatur abſolveret, atque à ſe dimitteret, alterique Epiſcopo eum cederet, in quod communis propriùſque dimiſſoriarum uſus erat, ut conſtat ex *Epiſtola* Auguſtini 137. *ad Cler. & Pop. Hipon.* & apertè probat Synod. Trullana *can.* 17. ibi: *Vt nullus omninò Clericus in quocumque ſit gradu poteſtatem habeat ſine proprij Epiſcopi ſcripta dimiſſoria in alienæ Eccleſiæ Cathalogum reffe ri.* Et facit Balſamon in *can.* 15. Apoſtol. ibi: *Nota quod non ſolùm commendatitiis litteris Clerico opus eſt volenti in aliena diœceſi agere, & quæ ſunt Clerici exercere; ſed etiam dimiſſoriis litteris Epiſcopi, qui eum fecit Clericum; niſi enim hujuſmodi litteras oſtendat, prohibetur ab operatione.* Et in *can.* 108. Synod. Carthag. *Nota quod qui ſine commendatitiis & dimiſſoriis litteris in aliena regione ſacrificant, erunt excommunicati, ideſt, prohibentur celebrare.*

44 Hæc verò diſciplina poſtremis hiſce ſæculis poſtquam invaluit Titulus *patrimonij*, quo ſolo plures ordinantur, nullius particularis Eccleſiæ ſervitio adſtricti, multò magis neceſſaria fuit; nam deficiente adſcriptionis arctiſsimo illo vinculo, liberior dabatur diſcurrendi ab una ad aliam Eccleſiam facultas; magiſque verendum erat, ne immorigeri & perditi homines Sacra prophanarent; quamobrem S. Concilium Tridentinum in *cap.* 16. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* antiquorum Canonum veſtigiis inhærens, nedum adſcriptiones in uſum revocare optavit, ſed inſuper cavit, ut *Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarij litteris ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda & ad Sacramenta adminiſtranda admittatur.* Similiter *ſeſſ.* 22. in decreto *de obſerv. & evit. in celebrat. Miſſ.* ſtatuit; *ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrari liceat.*

45 Dubitari forte poterat, an Diœceſanus, ſtantibus his decretis, poſsit præcipere ne Regulares in eorum Eccleſiis peregrinos Clericos ad celebrandum admittant, niſi ejus licentia præcedat? In quo dubio affirmativè eſt reſpondendum propter claras Sac. Congregationis declarationes, quas refert Ceſpedes *cap.* 5. *dub.* 89. ubi traddit, quod cùm à fratribus Bononienſibus S. Congregationi propoſitum fuiſſet dubium: an publicato generali Edicto ab illo Archiepiſcopo, ut nullus presbyteros exteros ad celebrandum admitteret, niſi prius viſa licentia Archiepiſcopi, aut ejus Vicarij Generalis, Regulares tenerentur illud obſervare? *Fuit reſponſum die* 2. *Iulij* 1620. *Ad* 12. *non licere Regularibus in ſuis Eccleſiis ad celebrandum admittere presbyteros Sæculares contra prohibitionem Illuſt. Archiepiſcopi.* Sic etiam declaraſſe Sac. Congregationem 2. Novembris 1594. *Et in Neapolitana* 17. *Auguſti* 1630. refert Barboſa in *declarat. ad cap.* 16. *Concil. ſeſſ.* 23. *n.* 5. *& de poteſt. Epiſcop. alleg.* 21. *n.* 8. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Miſſa.* Riccius *in prax. for. Eccleſ. deciſ.* 748. *in* 1. *edit. & reſol.* 365. *in* 2. *edit. & deciſ.* 294. *part.* 4. Pignat. *tom.* 8. *conſult.* 42. *num.* 5. & optimè Pax Jordan. *de re Sacra. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 362. Romaguer *ad Synod. Gerund. lib.* 1. *tit.* 4. *cap. un. num.* 2. Quibus manet illuſtrata reſolutio hujus Concordati; quod potiori ratione procedit, ex quo verſatur circa Eccleſias Parochiales, ex dictis ſupra in *cap.* 13. *h. p.*

46 Adducitur tamen in noſtro Capite quædam hujus doctrinæ limitatio, cùm nimirùm Clerici illi extranei ſunt valdè noti; tunc enim, ceſſante ratione ſupra conſiderata, poterit Parochus eos ad celebrandum admittere, ut in ſimili docent Innocent. *in cap. fin. in princ. de Cler. peregr. & in cap. tantumdem de Præbend.* Genuenſ. *in prax. Cur. Arch. Neap. cap.* 4. *verſ. Cler. unius Diœceſis.* Pax Jordan. *d. tit.* 1. *num.* 373. Cui limitationi ex eodem Jordano *numer.* 378. aliam addo, quoties nimirùm Apoſtolicum interve-

niat mandatum; illud enim ſupplet teſtimonialium defectum, & recipiendus erit is, in cujus gratiam emanavit, *cap. fraternitati de Cler. non reſid.*

47 Quæcumque diximus de Clericis peregrinis ad Miſſæ celebrationem non admittendis abſque proprij Epiſcopi teſtimonialibus, per Diœceſanum revidendis, ad Religioſos Clauſtrales & vagos ſunt extendenda; ita ut hi ſine litteris ſuorum Superiorum recipiendi non ſint, ad ordines exercendos, & celebrandum, *cap. Monachi cum tribus ſeqq. 16. q. 1.* prohibentur enim Regulares vagari, *cap. juſta, & cap. ſeq. ead. C. & q.* & compellendi ſunt ad ſua Monaſteria redire, *cap. quidam, & cap. Abbates 18. quæſt. 2.* Ex quadam tamen S. Congr. Concilij declaratione 27. Julij 1626. quam refert Nicol. *Lucubrat. Canon. lib. 3. tit. 31. num. 15. pag. 158. col. 2.* & ex eo Romaguer. *d. cap. un. num. 3.* prohibere non poſſunt Ordinarij, quod Religioſi peregrini in Eccleſiis ſuorum ordinum Miſſas celebrent abſque illorum licentia; niſi fortè concurrat frequentia caſuum cum negligentia non corrigibili Superiorum Regularium.

CAP. XIX.

Super matrimoniis Servientium.

CONCORDATUM fuit, ſpectare privativè ad Dignitatem Archiepiſcopalem cognitionem civilem, & criminalem cauſarum matrimonialium Servientium Religioni, qui habuerint tria requiſita, ſeu aliquod illorum, cum declaratione, quod poterit Vicarius Religionis in caſibus neceſſariis expedire mandata ad effectum recipiendi informationem libertatis Servientis contrahentis, & ad effectum illum publicandi in Parochia, ſeu Parochiis Religionis, & licentiam dare ad effectum nubendi; idemque exequi poterit Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis reſpectivè ad alium contrahentem non Servientem, & reſultante impedimento, recurſus in quolibet caſu habendus eſt ad Vicarium Archiepiſcopalem.

SUMMA CAPITIS.

1 *Aliquæ cauſæ utroque jure Majoribus adſervantur Magiſtratibus.*

2 *Cauſæ matrimoniales & criminales Majores Iudices exoptant.*

3 *De jure communi ſolus Epiſcopus eſt Iudex competens in cauſis matrimonialibus.*

4 *Epiſcopus juris aſsiſtentia munitur ad excludendos Prælatos Inferiores à cognitione cauſarum matrimonialium.*

5 *Prælati Inferiores juriſdictionem circa cauſas matrimoniales acquirere poſſunt aut privilegio, aut conſuetudine.*

6 *An conſuetudo immemorabilis favens Prælatis Inferioribus ſit ſublata per Conc.* in cap. 20. §. ad hæc ſeſſ. 24. de Reform.?

7 *Reſpondetur negativè.*

8 *An Prælati nullius cognoſcere poſsint de cauſis matrimonialibus?*

Ratio

9 *Ratio dubitandi pro parte negativa, ex illis verbis universalibus Concilij*: Et aliorum Inferiorum.

10 *Augetur difficultas ex taxativa ipsius Concilij in illis verbis*: Sed Episcopi tantùm &c.

11 *Confirmatur ex duabus declarationibus S. Congregat. quoad decernendas litteras monitoriales, & remittendas denunciationes matrimoniales.*

12 *Amplexatur sententia affirmativa.*

13 *Prælati* nullius *confundendi non sunt cum Archidiaconis Decanis, & aliis Inferioribus intra Diœcesim.*

14 *Causæ matrimoniales commiti solent Prælatis Inferioribus.*

15 *Explicantur verba Concilij*: Et aliorum Inferiorum.

16 *Exponitur dictio taxativa* tantùm, *qua utitur Concilium.*

17 *Respondetur primæ declarationi S. Congreg. circa facultatem decernendi excommunicationem pro rebus deperditis.*

18 *Concilium Lateranense præscripsit, ut matrimonia in Ecclesiis denuntiarentur.*

19 *S. Concil. Tridentinum rei huic ampliorem formam dedit, & arbitrio Episcoporum commisit denuntiationum remissionem.*

20 *Prælati nullius remittere possunt has denuntiationes: & respondetur declarationi Sac. Congregat. oppositæ* num. 11.

21 *Summa totius doctrinæ, quæ proposito nostro applicatur.*

COMMENTARIUM.

1 SUNT aliquæ causæ, quas magnis Judicibus esse reservandas jus censuit, ita earum suadente arduitate, & magnitudine; quasi inferiorum Judicum cognitionem, uti minus amplam, aspernari videantur. Jus Civile exempla præstat in *leg. non distinguemus* 32. §. *de liberali ff. de arbitr. leg.* 2. *C. de pedan. Iudic. leg.* 1. *C. ubi Senator.* quas optimè expendunt Cujac. *lib.* 9. *observat. cap.* 37. Morla *in empor. tit.* 2. *numer.* 145. Ejusdem profectò classis censendæ veniunt in Jure Canonico

2 causæ criminales, & matrimoniales, quarum cognoscendi copia non omnibus data est, ut dixit Alexander III. in *cap.* 1. *de consang. & affin.* ibi: *Quod non sunt causæ matrimonij tractandæ per quoslibet, sed per Iudices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum non ignorent.* Per majores igitur Judices debent terminari, ut dixit Gregorius IX. *in c. causa restitutionis* 9. *de in integr. restit.* ibi: *In matrimoniali quoque causa, liberali, vel criminali, cum majores Iudices exigant Arbiter nequit assumi.* De harum ergo causarum cognitione & competentia locus hic efflagitat ut agamus, ideoque de re hac maximè inter Episcopos & Prælatos Inferiores controversa generaliter prius erit agendum, ut postea ad præcisum punctum nostri Capitis descendamus.

3 Atque in primis certum est, cognitionem causarum matrimonialium jure communi ad Episcopum spectare, ut patet ex Concilio Nicæno I. *can.* 51. Aurelianensi III. *can.* 10. Toletano XII. & Agathensi *can.* 25. *& ex cap. multorum* 35. *q.* 6. *cap. auditis de præscript. cap. accedentibus de excessib. Prælator.* quibus consonat *lex pen. tit.* 10. *part.* 4. Licèt enim matrimonium sit contractus, est tamen Ecclesiæ sublime Sacramentum, cui par justumque Sanctissimi Patres existimarunt Superiores etiam omnium totius Orbis Judices tribuere, ut ait Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 84. *num.* 2. Suadebat hoc ipsum gravitas conjugalis causæ, in qua, ut loquitur noster Præses D. Covarr. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 1. non tantùm humana jura, sed & divina tractare opportet: in qua de maximo Sacramento agendum est: in qua denique non de re pecuniaria, non, inquam, de re levi, minimique momenti ac frivola, sed perpetua atque inviolabili humana societate est judicandum.

4 dum. Ergo ex dictis notum eſt, Epiſcopum de jure communi ſuam fundare intentionem ſuper cauſarum matrimonialium cognitione, & diſcuſsione, excluſis Inferioribus Prælatis, ut in propoſito agnoſcunt Sbroz. *de Vicar. Epiſc. lib. 2. q. 43. in princ.* Gutierr. *pract. lib. 3. q. 26. num. 1.* Sanch. *de matrim. lib. 3. diſput. 29. num. 17.* D. Præſes Covarr. *d. §. 12. num. 2.* Barboſa *d. allegat. 84. num. 2.* ubi alios refert, Fagnan. *in d. cap. accedentibus numer. 2.* ex cujus doctrina prę̃cipuè compoſitum eſt hoc Commentarium.

5 Benè tamen verum eſt, quod ipſo jure communi attento; jus cognoſcendi de cauſis matrimonialibus Inferioribus Epiſcopo competere poterat privilegio, aut conſuetudine legitimè præſcripta, ut notant DD. *in d. cap. auditis*, & probatur *ex d. cap. accedentibus*, ubi Fagnan. *num. 3.* & Covarr. *ubi ſupra num. 4.* Sed hodie ſtandum eſt diſpoſitioni S. Concilij Tridentini *in cap. 20. §. ad hæc. ſeſſ. 24. de Reformat.* ubi ſic ſtatuitur: *Cauſæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur. Etiamſi in præſenti inter Epiſcopum, & Decanum, ſeu Archidiaconum, aut alios inferiores ſuper cauſarum iſtarum cognitione lis aliqua in quacumque inſtantia pendeat.* Et infra in fine: *Non obſtantibus, quoad omnia ſupra ſcripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ ſuos tantùm teneant auctores; & aliis quibuſcumque conſuetudinibus.*

6 Poſt hanc Conciliarem ſanctionem primùm quæri poteſt; an conſuetudo immemorabilis Prælatorum Inferiorum cognoſcendi de cauſis matrimonialibus per Concilium ſit ſublata? Cui dubio 7 breviter reſpondemus, ſublatam non eſſe, ut declaravit Sacra Congregatio teſte Gonzal. *in regul. 8. Cancell. gloſſ. 33. num. 5.* Fagnan. *in d. cap. accedentibus n. 6.* Barboſa *d. alleg. 84. num. 5.* Sed licèt immemorabilis non excludatur, tamen adhuc certum eſt ex ſententia ejuſdem S. Congregationis, Epiſcopum non aliter excludi à cognitione ſimilium cauſarum, quàm ſi Prælatus Inferior immemorabilem probaverit per tres ſententias conformes; interim enim Epiſcopus erit manutenendus, ut ex Rota in *Marſicenſi juriſdictionis 26. Aprilis 1609. cor. Manzanedo*, tenet Barboſa *ubi ſupra*; quod quidem efficitur & derivatur ex illa juris aſsiſtentia & fundata intentione non ſolùm de jure communi, ſed Conciliari, favore Epiſcopi militante, reſpectu cauſarum matrimonialium & criminalium. Hic itidem notari opportet ex ejuſdem Rotæ ſententia ſublatam in præſenti à Concilio fuiſſe quadragenariam cum titulo, ſeu privilegio.

Similiter quæri poteſt, an Prælati 8 Inferiores juriſdictionem omnimodam habentes in proprio territorio ſeparato, verè *nullius*, de cauſis matrimonialibus cognoſcere poſsint poſt hanc Concilij diſpoſitionem? Præſtat dubitationi motivum tum ſupra ponderata 9 materiæ gravitas, qua attenta non per quoſlibet, ſed per diſcretos & majores Judices hæ cauſæ debent tractari. Tum ipſius Conciliaris ſanctionis tenor, nam in eo non modò Decani, & Archidiaconi, ſed generaliter omnes Prælati Inferiores excluduntur in illis verbis: *Et aliorum Inferiorum*, quæ utique ſua univerſalitate omnes Epiſcopo Inferiores excludunt, etiam illos qui ſunt *nullius*, cùm hi Epiſcopo ſint inferiores, DD. *ad cap. auditis de præſcript.*

10 Creſcit difficultas, ſi perpendimus, poſt univerſalem Inferiorum Prælatorum excluſionem, omnis dubij ſubmovendi gratia, adjectam eſſe particulam taxativam Epiſcoporum favore, ibi: *Sed Epiſcopi tantùm examini & juriſdictioni relinquantur.* In cujus dictionis ſeu particulæ adjectione, poſt excluſionem

nem tam ſpecificam, quàm generalem præcedentem, non videtur Concilij alia mens fuiſſe, quàm ut privativam, quoad omnes inferiores cujuſcumque claſsis, Epiſcoporum juriſdictionem in his cauſis clariſsimè exprimeret; cùm de natura dictionis taxativæ ſit, ponere quod affirmat, & præter id quod ponit, omne aliud excludere, *leg. 2. C. de patr. qui fil. diſtrax. leg. contractus de reg. jur.* Fagn. *in d. cap. accedentibus n. 24.*

11 Confirmatur hoc ipſum duarum ſimilium Concilij diſpoſitionum exemplo; prima *in cap. 2. ſeſſ. 25.* ubi cùm ſtatuatur per ſimilia verba taxativa excommunicationes pro rebus deperditis, ſeu monitoria ad finem revelationis, à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decerni debere; Sacra Congregatio pluries declaravit, facultatem ejuſmodi excommunicationes, ſeu monitoriales litteras expediendi Prælatis *nullius Diœceſis* non competere, ut latiùs videbimus *in cap. 23. Concord.* Secunda Conciliaris diſpoſitio in terminis cauſarum matrimonialium procedit; nam cùm quæreretur, an facultas remittendi denuntiationes competeret Commendatario, cujus Abbatia jura Epiſcopalia habebat, reſponſum eſt à Sanctiſsimo *in cap. 1. ſeſſ. 24. de Refor. matr.* appellatione Ordinarij non venire alium, quàm Epiſcopum.

12 Hæc ſunt, quæ in præſenti quoad Prælatos *nullius* haud modicam ingerunt dubitationem. Sed, his non obſtantibus, dicendum eſt ejuſmodi Prælatos in diſpoſitione *d. cap. 20.* comprehenſos non eſſe, & conſequenter adhuc poſt Concilium poſſe cognoſcere de cauſis matrimonialibus; cujus ratio eſt, nam cùm Prælati *nullius* in proprio territorio omnimoda Ordinaria, & quaſi Epiſcopali juriſdictione privativè ad Epiſcopum fruantur, unde ab Epiſcopis ſecluſa poteſtate Ordinis nonniſi nomine diſtinguuntur, ut diximus *in cap. 4. num. 101. part. 1.* confundendi, aut parificandi non ſunt cum Decanis, Archidiaconis, aliiſque Epiſcopo inferioribus intra Diœceſim, quibus adeo ratione ſuæ Dignitatis & juriſdictionis ſupereminent. Quod confirmatur, nam ex ſtylo Concilij, ubi fit mentio de Archidiaconis, Decanis, & aliis inferioribus, non comprehenduntur Prælati *nullius*, habentes juriſdictionem ordinariam privativè ad Epiſcopum, ut patet in *cap. 3. ſeſſ. 24. & in cap. 14. in fin. ſeſſ. 25. de Reform.* quæ licèt per eadem met verba loquantur, quibus *d. cap. 20. §. ad hæc* loquitur; tamen certum eſt, ex declaratione Sac. Congregationis, prout refert Fagnan. *in d. cap. accedentibus num. 31.* in neutro ex prædictis decretis comprehendi Prælatos *nullius Diœceſis*, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes in Clerum, & populum privativè ad Epiſcopum. Similiter ergo in *d. §. ad hæc* comprehenſos aſſerere non debemus, arguendo à ſolitis & ſtylo loquendi, *ad cap. cum M. Ferrarienſis*, ubi Butr. Abbas & Felin. *de conſtit.* Unde his & aliis rationibus hanc tenent ſententiam Barboſa *ad cap. 20. Concil. num. 47. in fin.* Fagnan. *ubi ſupra num. 37. & ſeqq.* Cortiada *deciſ. 128. numer. 39.* Gratian. *cap. 212. num. 23.* Cardin. de Luca *in annotat. ad Concil. diſc. 33. num. 28. & ſeq.* Rota poſt Tamburin. *in deciſ. 39. tom. 3.* & in Fuldenſi *Juriſdictionis 27. Aprilis 1705. verſ. nec huic cor. Molines.*

13

14 Nec obſtant ſuperiùs adducta, nam quoad primam conſiderationem ex materiæ gravitate, hac conceſſa, contra Prælatos *nullius* inde poſſe concludi, negamus; nam aliàs de jure communi ſæpè in his cauſis reſcribebatur Prælatis Inferioribus, ut in *cap. litteras de reſtit. ſpoliat. cap. propoſuiſti de probat. cap. accedentibus de exceſ. Prælat. cap. 1. de conſang. & affin. cap. 1. & 2. de eo qui dux. in matrim.* in quibus juribus maximè

ex-

extollitur materiæ arduitas & gravitas; & tamen ex eorumdem ſententia ſatis eſt, ſi hujuſmodi Inferiores Prælati noverint ſtatuta Canonum, & habeant juriſdictionem ordinariam, ſeu delegatam, ut poſsint eis ſimiles cauſæ committi. Atque hodie ex ſtylo Sacræ Congregationis, & Chancellariæ committuntur Prælatis, proprium territorium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, ut teſtatur Fagn. *in d. cap. accedentibus n.* 30. 36. *&* 37.

15 Deinde non obſtat altera conſideratio deducta ex contextu & verbis Concilij præſertim illis : *Et aliorum inferiorum*, nam licèt verum ſit, quod hoc verbum *inferior* abſolutè prolatum, aut oppoſitivè ad Epiſcopos, omnes indiſtinctè Epiſcopo inferiores vaga ſua & generali ſignificatione comprehendit, *cap. cum inferior de maj. & obed.* & notatur in *cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* Aliud tamen dicendum eſt, quando, non per ſe ponitur, ſed cum adjuncto, ut in præſenti fit illa adjectione *aliorum*, qua ejus generalis ſignificatio ad certam ſpeciem reſtringitur, & determinatur; nam dictio *aliorum* omnimodam ſimilitudinem importat cum expreſsis, cum quibus mediante dictione *Et* copulatur & conjungitur, juxta doctrinam Bartholi in *leg. quidam relegatus in princ. ff. de reb. dub.* quam ſequitur Rota *in recent. deciſ.* 200. *num.* 14. *part.* 7. *& in Melphitenſi Capellaniæ* 4. *Julij* 1698. *§. quin adverſari cor. Muto.* Cumque antea Concilium connumeraſſet Decanos & Archidiaconos, qui ſunt Prælati Inferiores, quamvis non de Diœceſi, tamen intra Diœceſim, Rota *deciſ.* 207. *num.* 2. *part.* 2. *diverſ.* hinc nullatenus comprehenſi dici debent Prælati *nullius Diœceſis*, non modò illa dictione *& aliorum*, ſed nec alia generaliori, ut ſi Concilium dixiſſet, *& aliorum omnium inferiorum*, quia nihilominus per hæc verba non veniunt majora, vel graviora, ut notat Fagnan. *in d. cap. accedentibus num.* 38. *ex Celem. Non poteſt de procur. & leg. fin. §. cui dulcia de trit. & ol. leg.*

16 Nec magis urget dictio taxativa *tantùm* appoſita à Concilio; juſta ſiquidem ratio interpretationis ſuadet, ut in reddenda ſignificatione aliquorum verborum, quæ continuativè veniunt, illa quæ priùs ſunt poſita & expreſſa attendere debeamus, ut ab his, juris rationi convenienter, poſteriora reſtringantur & declarentur, *leg. talis Scriptura*, & ibi Bart. *de leg.* 1. Abb. *in cap. ſecundo requiris de appell.* idem Bart. *in leg. fin. de reb. dub.* Bald. *in leg.* 1. *C. de legit. hær.* quandoquidem convenientius eſt, ut præcedentia influant in ſequentia, quàm è converſo, ut ex Bart. *in leg. quiſquis de leg.* 3. notat Fagnan. *ubi ſupra num.* 41. Accedit, non adeo rigidam eſſe naturam dictionis taxativæ, ut in diſpoſitione legis excludat caſus ſimiles, vel eamdem rationem habentes, Gloſſa in *leg. ob aſ. C. de præd. min.* Imola *conſ.* 86. Atqui notiſsimum eſt, ut ſæpiùs in hoc opere diximus, Prælatos omnimodâ quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentes in proprio territorio cum qualitate *nullius*, ſimiles eſſe Epiſcopis in poteſtate juriſdictionis, de qua agitur. Nulla ergo cauſa eſt, cur hujuſmodi Prælati excluſi dicantur à cognitione cauſarum matrimonialium ob dictionem taxativam, in ſanctione Conciliari appoſitam.

17 Tandem non facit in contrarium aliarum diſpoſitionum Concilij exemplum; nam quoad primam in *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. loquens de facultate ferendi excommunicationes pro rebus deperditis, ſtatim licet advertere magnopere ab illa noſtri Capitis differre; ſiquidem *in d. cap.* 3. non modò dictione taxativa, ſed & univerſali negativa utitur Concilium ibi : *A nemine præterquam ab Epiſcopo*, quæ dictio, ut ex Romano *conſ.* 199. *Præſens num.* 2. *verſ. ſecundo quia* notat Fagnan. *ubi ſupra num.* 48. negat omnia

poſ-

posſibilia & magis negat, quàm affirmativa affirmat. Cui ad majorem expreſsionem ſubſequitur, vigoremque addit dictio *prorſus*, quæ eſt præciſa, abſolutamque excludendi voluntatem in proferente demonſtrat, Felin. *in cap. ex parte el* 1. *de offic. deleg.* Rota *diverſ. deciſ.* 526. *n.* 4. *part.* 1. ut de hoc agentes videbimus *infra cap.* 24.

18 Altero verò ut reſpondeamus exemplo, deducto ex intelligentia, *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de Reformat.* opus eſt in præſenti diſpicere cuinam *ex d. cap.* competat facultas diſpenſandi in denuntiationibus, quæ in eo à Sacro Concilio antecedenter ad matrimonium fieri jubentur? In quo articulo eſt prænotandum; in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. relato in *cap. cùm inhibitio de Clandeſt. deſponſ.* quo magis rite ac legitimè matrimonia celebrarentur, fuiſſe ſtatutum generaliter; *ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito; ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat.* Cumque hoc eſſet ſtatutum generalis Concilij, ut verior tenenda eſt opinio illorum, qui aſſerebant Epiſcopum ſuper hoc diſpenſare non poſſe, ut tenet Petr. Palud. *in* 4. *ſent. diſt.* 28. *q.* 2. *art.* 3. *n.* 21. & S. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 16. *in fin.* Pax Jordan. *tom.* 1. *de re ſacra lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 3. Fagnan. *in cap. nimis de fil. Presbyter.* & in individuo in *cap. cùm inhibitio de clandeſt. deſponſ. num.* 2.

19 Succeſsit poſtea S. Concilium Tridentinum, & veſtigiis Lateranenſis inhærens, eodem fine ampliorem formam huic rei dedit *in cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matr.* nam matrimonium non aliter celebrari permiſsit, quàm præcedentibus tribus monitionibus, tribus feſtivis diebus inter Miſſarum ſolemnia in Eccleſia publicè faciendis; ſed quia variæ ſuboriri ac occurrere poterant cauſæ, quæ aut minus neceſſarium, aut fortè damnoſum monitionum ſeu denuntiationum aliquando redderent uſum, ideo facultatem hujuſmodi diſpenſandi ac remitendi denuntiationes Ordinariis dedit, eorum arbitrio, ac prudentiæ relicta diſquiſitione ac æſtimatione de cauſis, per hæc verba: *Niſi Ordinarius ipſe judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit.* Hoc poſito queſitum eſt, quiſnam veniret appellatione
20 Ordinarij in hoc Conciliari decreto ad effectum remittendi denuntiationes; & obtinuit, non ſolùm venire Epiſcopum, ſed etiam Prælatum *nullius* cum proprio ſeparato territorio, quia tales Prælati ſunt ſimiles Epiſcopis, & appellatione Ordinarij & Diœceſani veniunt, ut tradit, Fagnan. *in d. cap. accedentibus n.* 43. Nec tunc obſtat declaratio Sacræ Congregationis ſupra adducta, utpotè quæ tantùm loquitur de Abbatibus aliiſque Prælatis intra Diœceſim conſiſtentibus, & qui ſeparatum territorium non habent, quos, certum eſt, nec matrimoniales cauſas cognoſcere poſſe, nec denuntiationes remittere, Fagnan. *ibidem num.* 50.

21 Ex his omnibus tria licet in ſumma colligere: Primum, ad Epiſcopum tantùm de jure communi ſpectare cognoſcere de cauſis matrimonialibus, & remittere denuntiationes pro matrimoniis in ſua Diœceſi contrahendis. Secundum, Prælatos Inferiores *nullius* in ſuo proprio ac ſeparato territorio poſſe de cauſis matrimonialibus cognoſcere, & ſuper tribus monitionibus diſpenſare, virtute ſuæ quaſi Epiſcopalis juriſdictionis, ſive privilegio, ſive præſcriptione quæſitæ. Tertium, Prælatos Inferiores intra Diœceſim omni in hac parte juriſdictione carere, ſive ad cauſas matrimoniales diſquirendas, ſive

ad

ad remittendas denuntiationes. Cumque in his ultimis terminis verſetur noſtrum Caput, hinc rectè concordatum eſt, ut Archiepiſcopo tantùm & privativè quoad Magnum Priorem competat, velut Diœceſano, cognoſcere de omnibus cauſis matrimonialibus, etiam Servientium Sac. Religionis; quippè ratio ſervitij non poteſt tribuere juriſdictionem in materia reſervata per Concilium iis, qui juriſdictionem habent in territorio, quales ſunt Epiſcopi, & Prælati *nullius*, & qualis non eſt Magnus Prior. Ergo ſolùm huic erit concedendum, ut informationem poſsit recipere, ad probandum ſtatum Servientium, quia hic eſt actus extrajudicialis, pertinens ad rectum regimen ſuorum ſubditorum; quin per hoc dici poſsit, aſſumere cognitionem cauſæ matrimonialis.

CAP. XX.

Super Vicariorum reſidentia in diſtinctis Populis, ac Sede, & loco, quem occupare debent in Eccleſiis.

EA ratione, quia expertæ fuerint quam plures controverſiæ, & diſſenſiones, quæ cauſam dederunt pluribus inconvenientibus, ob concurrentiam amborum Vicariorum in Oppido de Alcazar, & ad effectum eaſdem evitandi in poſterum; Concordatum fuit, quod Vicarij dividantur, unuſque reſideat in Oppido de Alcazar, & alter in Oppido de Conſuegra, eò quia ſint capita Prioratus, & ad hunc effectum conceditur electio loci Vicario ſuę Eminentiæ. ¶ Quo verò ad id quod concernit locum ſedendi in Eccleſiis Oppidi, ubi quilibet reſederit diebus feſtivis, & ſolemnibus, quilibet Vicarius ponere poſsit ſedem à latere Epiſtolæ immediatè proximam gradibus, per quos aſcenditur ad Altare ma jus. ¶ Et quando Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis viſitationem fecerit jure delegato in qualibet ex Eccleſiis Prioratuum, ponere poſsit ſedem, & pulvinar intus presbyterium à latere Evangelij, obſervando formulam in cœremoniali deſcriptam, quoad ea omnia, quæ viſitationem concernunt. ¶ Et quando viſitationem peragat in Eccleſia, in qua Vicarius Religionis reſederit, iſte ſedere debet in ſede, & loco ſibi deſignato, ſeu in Choro, præſidendo Clero ad ejus voluntatem, & arbitrium, quin neceſſaria ſit illius concurrentia. ¶ Et ſi durante tempore viſitationis occurrit celebratio alicujus feſtivitatis ſolemnis, in qualibet ex Eccleſiis Oppidi, ubi Vicarius Religionis reſederit, Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis poſsit aſsiſtere in illa, eumque tanquam hoſpitem conſiderando, & attenta perſona, quam repræſentat, ſedem ſuam relin-

relinquere ei debeat Vicarius Religionis, & iſte accedat ad Chorum ad præſidendum Clero, vel non aſsiſtat, id relinquendo ad ejus voluntatem; & in eventum, in quem durante viſitatione occurrant duæ, vel plures feſtivitatis ſolemnes, aſsiſtere debeant Vicarij alternativè per vices, itaut incipiat Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis. ¶ Et ſimiliter concordatum fuit, quod ad effectum obviandi inconvenientibus relatis in principio hujus Capituli, non concurrant ambo Vicarij in uno, neque in alio loco eorum reſidentiæ, & nec etiam in quocumque alio de tempore proceſsionum.

SUMMA CAPITIS.

[1] *Altercationes ſuper præcedentiis aliqui abſolutè improbarunt.*

[2] *Laudabiles ſunt hæ controverſiæ, ſi debito modo exerceantur.*

[3] *Omnia jura cavent, ut ordo Dignitatum ſervetur.*

[4] *Confirmantur prædicta ſtupendo exemplo D. Hilarij.*

[5] *Optimum eſt has controverſias tranſigere.*

[6] *Tranſactiones ſuper præcedentiis favorabiles in jure habentur, & Succeſſores ligant, abſque Papæ confirmatione.*

[7] *Congreſſus & concurſus Magnatum diſcordiis ſunt expoſiti.*

[8] *Vtrique Vicario ſeparatus aſsignatur ad reſidendum locus.*

[9] *Sedes præeminens debetur Magiſtratibus.*

[10] *Quæ Sedes debeatur Diœceſano viſitanti Parochias Regulares?*

[11] *Delegatus Apoſtolicus major eſt quocumque Ordinario.*

[12] *Inferior coram Superiore præeminere nequit.*

[13] *Si tempore viſitationis Diœceſani occurrat aliqua Feſtivitas, Prioralis debet cedere Sedem Diœceſano ex urbanitate.*

[14] *Repræſentationis ratio attenditur in materia præeminentiarum.*

[15] *Si plures occurrant feſtivitates, Vicarij debent aſsiſtere alternativè.*

[16] *Alternativa eſt optimum temperamentum, ad ſedandas controverſias ſuper præcedentiis.*

COMMENTARIUM.

1 ALtercationes ſuper præcedentiis, quæ frequenter ſuſcitari ſolent, infenſiſsimæ ſunt Prælatorum Eccleſiæ concordiæ; cùm hæ controverſiæ præ aliis incredibili ardore & contentione exerceantur, unde non pauca mala ex eis oriri contingit: hinc non defuere, qui ſeſsionis quæſtionem Eccleſiaſticis Prælatis indignam eſſe, autumarunt, moti illo Salvatoris noſtri Matth. 23. 12. *Qui autem ſe exaltaverit humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur.* Sed profectò in hac, prout in aliis rebus, temperamento opus eſt, ita ut non uſus, ſed abuſus, ſive exceſſus damnetur. 2 Laudabile ſanè eſt de prærogativa Sedis diſputare, ubi proprij Ordinis defenſio tantùm incitat; reprehenſibile erit, ſi ambitu & ſuperbia contendatur. Itaque in loco proximè adducto oſtenditur graviter errare eos, qui indebitum ſibi vendicant locum, quos & Paulus Apoſtolus *ad Philip. 2. verſ. 3.* compeſcere ſtudet, dum ait: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Nec laudari debet nimia illa humilitas, per quam regendi frangitur auctoritas, *cap. quando 86. diſt.* Quin ex ingenio conſervanda eſt dignitas & auctoritas, ne Magiſtratus con-

temptibilis videatur, *leg. obſervandum de offic. Præſid.* optimè Petr. Gregor. *de Republ. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 11. ubi omnes aliqua dignitate affulgentes admonet, non debere pati, eam ſibi imminui, aut contemni, ſed in id incumbere debere, ut illæſſam & integram in ſuo gradu conſervent; ne aliàs aut ſui officij ignari dicantur, aut injuriam inferre ei exiſtimentur, à quo poteſtatem acceperunt. Igitur ſi jure, juſteque exerceantur hujuſmodi controverſiæ neutiquam damnari, ſed laudari debent; non concordiæ inimicæ, ſed ad pacem & charitatem illuſtrandam accomodatæ erunt judicandæ: utpotè in eum finem directę, ut ordo ac harmonia Reipublicę conſervetur, in quo præcipuè concordia verſatur, ut vidimus in *Proœm. n.* 26. *part.* 1.

3 Hinc accuratè jura omnia proſpiciunt, ut dignitatum ordo ſervetur in omnibus actibus & præſertim in publicis negotiis, in deferendis honoribus, in diſponendis cætibus publicis, imò & privatis, in ſententia dicenda, ut videre eſt in *cap. ſolitæ de maj. & obed. cap. ut debitus de appell. cap. ex ore de privileg.* & in Jure Cæſareo *leg. honor §. gerendum, leg. ut gradatim de mun. & hon. tot. tit. C. ut dign. ordo ſervet.* Nec in propoſito deficiunt exempla,
4 quibus hæ controverſiæ probentur; habemus illud ſiquidem ſtupendum D. Hilarij, qui cùm acceſsiſſet ad Synodum convocatam per Leonem, nec videret ſibi ullum inter Epiſcopos locum dari, imo denegari, humi ſedere voluit inter ipſos Epiſcopos, cui terra, in altum miraculosè elata, ſedem præbuit, refert Gratian. *diſcept. Forenſ. cap.* 284. *n.* 52. plura qui velit adeat Menoch. *conſ.* 51. *num.* 3. *vol.* 1. Ciriac. *forenſ. controv.* 201. Hallier. *de Hierarch. Eccleſ. pag.* 675. D. Gonzalez *in cap.* 1. *de maj. & obed.* Pignatell. *tom.* 5. *conſ.* 12. *à n.* 12. Zecoper. *de canonicor. præced. tit.* 1. Valenz. *tom.* 2. *conſil.* 1.

5 Licèt hæc, aliaque, quæ apud laudatos DD. quiſque inveniet, licitum, quin & laudabilem, harum præcedentiæ controverſiarum uſum convincant; tamen convenientius erit, ab his jurgiis abſtinere, ſuper eiſdem tranſigendo pacis deſiderio. Hoc enim præcipuè decet viros Eccleſiaſticos, ex adductis in
6 *Proœm. 1. part.* Quamobrem inter eoſdem inita tranſactio ſuper his controverſiis, potiori præ aliis tranſactionibus favore à Jure attenditur, in hoc, ut omninò ſervari & adimpleri debeat, Lother. *de re benef. lib.* 1. *q.* 16. *num.* 33. Indeque, concurrentibus requiſitis bonæ fidei, & litis dubiæ, hujuſmodi concordiæ per ſe ſolùm ſucceſſores ligant, etiam ſi Papæ confirmatio non accedat, *leg. Præſes C. de tranſact.* Gratian. *diſcept. Forenſ. cap.* 476. *à num.* 1. *& cap.* 867. *num.* 49. *&* 58. & firmavit Rota *in Conſentina præcedentiæ* 6. *Iunij* 1618. *cor. Dunozeto.* Quod quidem irregulare eſt, ut conſtat ex dictis in *Proœm. num.* 34. 2. *part.* Ex hoc capite laudibus cumulandi veniunt Archiepiſcopi Toletani, Magnique Priores Hieroſolymitani, qui ut omnem de ſuarum Dignitatum præeminentiis inter ſuos Officiales controverſiam præciderent, in hoc capite accurate convenerunt.

7 Ergo illud in primis & præcipuè curandum fuit, ne in eodem loco harum Dignitatum Vicarij concurrerent; nam Magiſtratuum, Magnatumque congreſſus diſcordiis ſunt peracomodi, unoquoque poſcente primas, & cum altero de victoria contendente. Sicque innumera obſervare licet in hiſtoria exempla rixarum, quæ in Conciliis, aliiſque publicis cætibus, ſuper ſeſsionibus, aliiſque præeminentiis, fuere excitatæ.

8 His turbellis ut occurratur, optimum remedium fuit exiſtimatum diviſio territoriorum, intra quæ quiſque Magiſtratus, ſive Prælatus incluſſus alteri invidiam non moveret, ut jam dixi in

cap.

cap. 2. *num.* 1. *part.* 1. quamobrem in præsenti rectè fuit conventum, ut horum Prælatorum Vicarij in diversis separatisque locis residerent. Quod sanè temperamentum erat expeditum, cùm in illo districtu duo essent præstantia Oppida, Alcazar de San Juan, & Consuegra, quæ Capita Prioratuum Castellæ, & Legionis fuere ab antiquo existimata. Concessa est electio Archiepiscopali Vicario, utpotè territorij Diœcesano, qui Oppidum de Alcazar selegit; ac proinde Prioralis ex tunc in Consuegra residet.

9 Hac conventa Oppidorum separatione, æqualis respectivè utrique Vicario fuit sedes assignata in Ecclesiis, locus nimirùm à latere Epistolæ, gradibus ad Aram Maximam proximus, qui sanè ob hanc proximitatem honorabilior censetur. Decet enim Magistratus, & personas publicas cum privatis non permisceri, sed loci, sessionisque præeminentia à reliquis de populo distingui; quod & ratio naturalis efflagitat, & mos omnium gentium comprobavit, *ad text. in leg. semper ff. de jur. immun. leg. omne delictum §. contumacia de re milit. & arg. text. in leg.* 1. *C. nulli licere in fræn. lib.* 11. Chassan. *in Cathal. glor. mund.* 4. *part. consider.* 46. Anton. de Butrio *in cap. statuimus* 15. *num.* 2. *de maj. & obed.* Cardin. de Luca *de præemin. in sum.* §. 2. *num.* 60. In præsenti autem rectè utrique Vicario hic præeminens locus in Parochialibus Prioratuum assignatur, quia in hujusmodi Ecclesiis uterque simul, & compatibiliter Prælati conceptum obtinet, ex dictis in *cap.* 10. & ex dicendis in *cap.* 24.

10 Hæc dicta sint circa locum utriusque Vicarij in Ecclesiis Oppidorum suæ residentiæ; sed difficultas suboriri poterat in casu, in quo Diœcesanus in aliis Oppidis assistit, causa visitationis. Quam quidem difficultatem ita submovent Concordantes, ut si Diœcesanus visitationi intendat in Oppido, in quo Prioralis non residet, tunc ei in Ecclesiis præstetur locus à Cæremoniali *in lib.* 1. *cap.* 13. *de sedib. Episcop.* præscriptus; itaque Sedem, & pulvinar intus Presbyterium à latere Evangelij collocabit. Sin autem Diœcesanus visitationem peregerit in Oppido, ubi Prioralis commoratur, tunc expeditior ad concordiam via erit, si Prioralis ea die, in qua Ecclesiæ visitatio celebratur, non adsistat, cùm, ut dicitur *in h. cap. non sit necessaria illius concurrentia.* Quod si concurrere, & assistere maluerit Vicarius Prioralis, tunc Diœcesanus sedem suam, & pulvinar tenebit in Presbyterio, & Vicarius Prioralis vel occupabit sedem initio Capitis designatam à latere Epistolæ secus gradus, per quos ascenditur ad Altare Majus; vel si voluerit, in Choro assistet, Clero præsidendo. Ratio autem hujus præcedentiæ

11 Diœcesani est clara satis; quia tunc assistit in illa Ecclesia tanquam delegatus Apostolicus, quo in sensu major, & dignior consideratur quocumque Ordinario, *cap. Pastoralis* 10. §. *præterea de offic. Ordin. cap. sanè* 11. ubi Gonzalez *num.* 9. *de offic. deleg.* Frances *in Pastor. Regular. part.* 1. *clauf.* 10. *num.* 7. & alibi fundavimus; quin etiam Vicarius Episcopi præcedit Archidiaconum, & alios Prælatos Inferiores, Valenz. *d. conf.* 101. *num.* 59. Barbosa *de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 34. Ergo potiori titulo Prælatorum Inferiorum Vicarios, propter notissima principia. Atque ideo in

12 præsenti locum habet illa regula, quod nimirùm, qui est inferioris Ordinis, non præemineat in conspectu superioris; propter quod Abbas, præsente Episcopo, non potest Baldachinum in sua Ecclesia erigere, Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 21. *q.* 3. *num.* 7. Quod illustratur exemplo Romanorum, nam apud eos in conspectu, & concursu majoris Magistratus minores fasces submittebant, ut honorem

rem deferrent, & imperio parere ſignarent, Alexand. ab Alexand. *lib. 1. dier. Genial. cap. 22.* Unde Valerius Publicola, in affectati regni ſuſpicionem adductus, cùm concionaretur, faſces populo ſubmiſit, ut ita populi jura potiora eſſe quàm Conſulis oſtenderet, Livius *lib. 2. primæ decad.* & Plutharc. *in vita Publicolæ.*

13 Submota manet occaſio controverſiæ, cùm Diœceſanus venit ad Parochias Regulares, uti viſitator & delegatus Apoſtolicus; at remanebat alius caſus conſiderandus, nimirùm cùm tempore viſitationis occurrit celebratio alicujus ſolemnis feſtivitatis in Eccleſia Oppidi, ubi Vicarius Prioralis reſidet. De hoc caſu agitur in *verſ. & ſi durante h. cap.* ubi concordatum eſt Diœceſanum illi ſolemnitati poſſe aſsiſtere; utque occaſio concurſus & controverſiæ deeſſet, pariter conventum eſt Prioralem ſedem ſuam ei cedere debere. Hujus autem conventionis ratio inſinuatur in præſenti in illis verbis: *Attenta perſona, quàm repræſentat.* Ex quo enim Vicarius Diœceſanus vices in illo diſtrictu gerit
14 Archiepiſcopi Toletani, convenienti honore debet tractari, *arg. cap. præcipimus 93. diſt.* ibi: *Tunc enim ſicut illius locum tenens honorabitur. leg. pen. ad fin. C. de aquæd. leg. Vicarius ff. de legation.* Anton. de Butrio *in cap. cùm voluntate 54. n. 16. de ſent. excom.* Gratian. *d. diſcept. 111. num. 34.* Eſcobar *de Pontif. & Reg. cap. 24 num. 135.* Accedebat etiam ratio urbanitatis, quæ Prælatos Eccleſiaſticos maximè decet: quia cùm in caſu propoſito Vicarius Diœceſanus ſit extra locum ſuæ reſidentiæ, hac ratione ut hoſpes debet honorari, ut inſinuatur *in h. cap.* in illis verbis: *Eumque tanquam hoſpitem conſiderando.*

15 Incidimus tandem in alium caſum, cùm nimirùm in terminis propoſitis, non una tantùm, ut in præcedenti, ſed plures feſtivitates occurrunt. Proponitur hic caſus *in verſ. in eventum h. cap.* & in eo concordatur, quod tunc Vicarij aſsiſtant alternativè; itaut alternativa exordiatur à Diœceſano. Hic enim modus ſedandi controverſias ſuper præcedentiis probatiſsimus expeditiſsimuſque eſt, & fundatur in Jure, *arg. Clem. 2. verſ. & ut facilius de jur. patron. & ex text. in leg. quoties, verſ. quod etſi Titius ff. de uſufr. leg. 2. in princ. & §. ult. leg. ſi uſusfructus alternis ff. quib. mod. uſusfr. amit.* & illuſtrat Gloſſa *in d. Clem. 2. verb. libere.* Bald. *in cap. 1. §. præterea col. 1. tit. de prohib. feud. alien.* Alexand. *conſ. 18. num. 25.* Socin. *conſ. 67. lib. 1.* Et hujus rei exemplum apud Romanos habemus, quorum Imperatores, ſi concurrerent, alternis menſibus, aut diebus imperabant, ut colligitur ex Livio *lib. 2. & 8.* Polyb. *libr. 3. hiſtor.* Aulo Gellio *noct. Atticar. lib. 2. cap. 15.*

CAP. XXI.

Super gubernio, & directione Proceſsionum, & loco quem in illis occupare debent Vicarij.

CONCORDATUR ſpectare privativè ad Vicarium Dignitatis Archiepiſcopalis, indicere, & gubernare Proceſsiones exeuntes ab Eccleſiis Religionis, in die Corporis Chriſti, illiuſque Octava, necnon diebus Ro-

Rogationum, Hebdomadæ majoris, & aliis. Quo verò ad id, quod pertinet ad locum, concordatur, quod Vicarius Dignitatis Archiepiſcopalis incedat in decurſu Proceſsionum, immediatè proximus Preſbytero celebranti, hoc eſt retro illum, & ante Conſilium Oppidi formans corpus Communitatis, & habeat ad ejus latus dexterum Fiſcalem Eccleſiaſticum, & ad ſiniſtrum unum ex Notariis ſuæ Audientiæ; Vicarius verò Religionis in Proceſsionibus, quæ fiunt in Oppido, ubi reſederit, incedat in loco præeminenti, quem uſque nunc occupavit, qui eſt ultimus in Choro à latere dextero Cleri, & afferat mantum Capitulare, vel pallium ſæculare, & biretum, quemadmodum ipſi beneviſum fuerit, ipſique aſsiſtant Fiſcalis, & unus Notarius ejus Audientiæ, qui incedere debent ad ejus latus dexterum extra corpus Proceſsionis.

SUMMA CAPITIS.

1 *Diœceſano privativè competit indicere proceſsiones.*
2 *Quia Diœceſano incumbit populi cura univerſalis.*
3 *Tum quia habet juriſdictionem in territorio.*
4 *Diœceſano competit formam proceſsionum præſcribere.*
5 *Diœceſanus poteſt antiquas proceſsiones tollere, aut immutare.*
6 *Controverſias præcedentiæ ortas inter quoſcumque in proceſsionibus ad Diœceſanum ſpectat componere.*
7 *Diœceſanus poteſt compellere Regulares, ut accedant ad publicas proceſsiones.*
8 *Quod etiam verificatur in Servientibus Eccleſiis Hieroſolymitanorum.*
9 *An Diœceſanus poſsit exemptos cenſuris compellere, ut proceſsionibus interſint? Remiſsive.*
10 *Quænam ſint proceſsiones publicæ.*
11 *Quænam proceſsiones privatæ ſeu particulares.*
12 *Regulares poſſunt facere proceſsiones particulares intra ambitum ſui Monaſterij, ſine licentia Epiſcopi.*
13 *An Diœceſano, vel Prælato Inferiori competat licentiam dare, ad deducendam proceſsionem à Parochia exempta?*
14 *Ratio dubitandi favore Prælati Inferioris.*
15 *Reſolvitur favore Diœceſani.*
16 *Proceſsio, ut actus juriſdictionis, nequit fieri invito Prælato territorij.*
17 *Licentia Prælati Inferioris non operatur extra ſuam Eccleſiam.*
18 *Affertur reſolutio Congregationis Concordiæ.*
19 *An ſola licentia Diœceſani poſsint Regulares ducere proceſsionem per diſtrictum Parochiæ exemptæ alterius Ordinis?*
20 *Videtur non ſufficere ſolam licentiam Diœceſani, ſed requiri conſenſum Parochi.*
21 *Fundatur contraria ſententia.*
22 *Conſenſus Epiſcopi, ut Parochi univerſalis, potiùs debet attendi, quàm conſenſus Parochi particularis.*
23 *Conceptus Parochi univerſalis competit Diœceſano, etiam reſpectu Parochiarum Regularium.*
24 *Diœceſanus poteſt præcipere, ut proceſsiones terminentur in Eccleſiis Regularibus.*
25 *Epiſcopo in proceſsionibus, & in Eccleſia primus locus debetur.*
26 *Medius locus & ulterior primus in propoſito cenſetur.*
27 *Laudatur Regis Ferdinandi humanitas erga Rectorem Complutenſem.*
28 *Diſpoſitio Cõcordiæ praxi ſimili confirmatur.*
29 *Quem locum tenere debeat in proceſsionibus Vicarius Prioralis.*

COMMENTARIUM.

1 PRoſequitur *in h. cap.* materia præcedentis; ex quo enim in proceſsionibus publicis frequentiùs controverſiæ ſuper præcedentiis ſuſcitantur, optimum viſum fuit de eis ſpeciatim agere. Et in primis illud extitit concordatum, ut Diœceſano privativè competat, indicere & gubernare proceſsiones, exeuntes ab Eccleſiis Religionis; quod quidem fundatur in Sac. Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 6. *&* 13. Ex quibus indubitabilis eſt concluſio, ad Epiſcopum Diœceſanum privativè ſpectare publicas proceſsiones indicere, Campanil. *in diverſ. Iur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 118. Franc. Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 142. D. Salgado *de reg. protect. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 70. *& num.* 102. *& ſeqq.* Van-Eſpen *in jus Eccleſ. univerſ. part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 9. *num.* 11. & reſolvit S. Congregatio *in Elbcrenſ.* 14. *Ianuarij* 1617. refert Barboſa *de poteſt. Epiſcopi part.* 3. *alleg.* 78. *n.* 3.

2 Ratio autem, ob quam Diœceſano hoc jus privativè tribuitur manifeſta eſt; quia cùm ei, ut ſupremo in ſua Diœceſi Paſtori propter populi curam ſibi commiſſam, competat preces publicas, & communes, inſtituere, ipſique populo præſcribere, modumque in illis ſervandum conſtituere, ut probat Van-Eſpen *d. cap.* 9. *num.* 7. hinc indictio & directio proceſsionum eidem tribui debet, nam precibus publicis proceſsiones annumerantur, utpotè, quæ, ad populi pietatem & devotionem promovendam, inſtituuntur. Atque in propoſito noſtro, cùm nimirùm quæſtio eſt inter Diœceſanum, & Prælatum Inferiorem, clariſſima eſt ratio, quæ pro Diœceſano facit, nam cùm indictio & directio proceſsionis ſit actus juriſdictionis, exercendus in territorio Diœceſani, & qui refertur ad populum, ſibi ſubjectum, ipſi competere debet illum auctorizare, & dirigere ob ſuam territorialem in loca & in perſonas de populo juriſdictionem, non verò Prælato Inferiori, qui intra ámbitum Eccleſiarum in certas perſonas reſtrictam juriſdictionem habet; quo ſanè argumento ſæpè in ſimilibus actibus uſi ſumus.

4 Hac ergo auctoritate poteſt Diœceſanus deſignare Eccleſias, quæ adiri debeant, ut tradit Aloyſ. Ric. *in deciſ. Cur. Neap. deciſ.* 39. *numer.* 7. *part.* 4. Similiter qua via ſint ducendæ; quo ritu & forma inſtituendæ; quæque in iis cavenda aut obſervanda ſint. Poterit etiam Epiſcopus hac ratione proceſsiones antiquitus inſtitutas, & multo tempore
5 obſervatas, vel in totum abrogare, aut immutare, cùm juſta cauſa interveniat, ut puta ſi in eas abuſus irrepſiſſe videat, Van-Eſpen *d. cap.* 9. *num.* 21. ubi affert exemplum Synodi Colonienſis anni 1536. in qua proceſsiones rogationum, quæ per agros & campos peragebantur, moderatæ ſunt ea tradita ratione, quod harum proceſsionum inſtitutio rationem quidem habeat, nempè quod populus oret, ut ſegetes ac fruges terræ à Domino conſerventur: *Verùm ut alia plurima*, inquit, *ita & hic mos hominum malitia depravatus eſt, quod per occaſionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat inſtituta, pleraque ſcelera committantur. Quamobrem nobis ſatius videtur, ut hæ aliæque ſupplicationes ac proceſsiones, de cætero intra ſepta Eccleſiarum religiosè fiant, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus habeaturque tum pius rei ac tempori conveniens ad populũ commonitorius ſermo.*

6 Ex hoc eodem jure Diœceſani in indictione, & directione proceſsionum, pendet poteſtas eidem adjudicata componendi omnes, & quaſcumque controverſias præcedentiarum inter Eccleſiaſticas perſonas tam Sæculares, quàm

quàm Regulares, ortas in publicis proceſsionibus, ut dicitur *in d. cap.* 13. *ſeſſ.* 25. de cujus compoſitionis modò & forma latè Canoniſtæ, videndus Barboſa *d. alleg.* 78. *num.* 26. D. Salgado *d. cap.* 9. *à num.* 97. Similiter ex eodem jure profluit poteſtas Epiſcopi Diœce-
7 ſani ad compellendos quoſcumque Clericos, etiam exemptos ſive Sæculares, ſive Regulares, quin & Monachos, ut accedant ad publicas proceſsiones, iis tamen exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt, ita S. Concilium Tridentinum *d. cap.* 13. & explicant lateque proſequuntur Emman. Rodrig. *quæſt. Regular. tom.* 3. *q.* 36. Barboſa *in remiſ. ad d. cap.* 13. *num.* 4. *& d. allegat.* 78. *à num.* 1. Zerola *in prax. Epiſcop. part.* 1. *verb. proceſsiones* §. 2. Gratian. *deciſ.* 232. D. Salgad. *d. cap.* 9. *à num.* 102. Pignat. *conſ.* 30. *num.* 1. *tom.* 4. *conſ.* 46. *per tot. tom.* 3. *& conſ.* 54. *tom.* 8. Quod adeo
8 procedit ex ſententia Sacræ Congregationis, relata ab his ferè omnibus, ut etiam Sacerdotes inſervientes in Eccleſiis Hieroſolymitanorum Equitum, compelli poſsint à Diœceſano, ut his proceſsionibus interſint. Quo quidem, inquit D. Salgado *d. cap.* 9. *numer.* 103. ſublata fuit antiqua Doctorum controverſia *in cap. nimis el* 2. *de exceſſib. Prælat.* an ſcilicet, & quando potuiſſet Epiſcopus Regulares vocare ad proceſsiones, necne.

9 An autem Epiſcopus, ut exemptos compellat ad proceſsiones, cenſuris contra eos uti poſsit? Fuit quæſtio inter Doctores antiquos apprimè ventilata, ſed ut verior hodie recepta eſt inter Canoniſtas ſententia affirmativa, quæ fundata manet *in cap.* 5. *h. p. n.* 17.

10 Quæ dicta ſunt hucuſque, procedunt in generalibus, & publicis proceſsionibus, de privatis verò aliæ ſunt regulæ; unde ſcire opportet, quæ ſint publicæ proceſsiones, & quænam ſint privatæ. In noſtro quidem Capite connumerantur tantùm, ut publicæ proceſsiones Corporis Chriſti, Hebdomadæ majoris, & quæ fiunt in diebus rogationum, (quarum introductio in Hiſpania noſtra fuit antiquiſsima, ut videre eſt apud Morales *lib.* 11. *Chron. general. Hiſpan. cap.* 43. *fol.* 51. Loayſa *in collect. Concil. Hiſpan.*) Sed revera illæ exempli cauſa tantùm recenſitæ, prout frequentiores, dici debent; cùm proceſsiones generales aliæ, præter enumeratas, eſſe poſsint; ut erunt extra dubium, quæ extraordinariè ab Epiſcopo indicuntur generaliter pro bono vel honore publico, ut Jubilæi, nativitatis, vel adventus Principis, proque divina ope imploranda, ac ſimilibus, ut tradunt Ric. *in prax. part.* 1. *deciſ.* 367. *num.* 7. Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 24. *q.* 8. *num.* 2. Lezana *quæſt. Regular.* 9. *num.* 47. *part.* 1. Pignatell. *d. conſ.* 30. *num.* 3. *tom.* 4. Declaravitque S. Congregatio Concilij anno 1595. ac pro illius obſervantia ubique locorum reſpondere ſolet S. Rituum Congregatio. Inter proceſsiones publicas enumerantur etiam illæ, quæ ſunt de conſuetudine aliquarum Eccleſiarum particularium, vel quas Epiſcopus generales declaravit, cujuſmodi ſunt proceſsiones, quæ fiunt in vigilia vel feſto Titularis, vel Patroni, ut habetur in Rituali Romano *in tit. de proceſſ.* & poſt alios tradit Barboſa *d. allegat.* 78. *num.* 2. & 14. qui ſibi non contrariatur in *num.* 86. nam ibi loquitur, quando fiunt proceſsiones ab altera tantùm Eccleſia ſine declaratione Epiſcopi.

11 Particulares verò proceſsiones ſunt eæ, quæ fiunt in aliqua Eccleſia particulari à Capitularibus, & Clericis illius, ob aliquas ſpeciales cauſas, Barboſa *ibidem num.* 6. Pignatell. *d. conſ.* 30. *num.* 5. Has autem privatas & particu-
12 lares proceſsiones fieri poſſe à Regularibus in ſuis Monaſteriis ſine licentia Epiſcopi, indubitatum eſt; quia Concilium

cilium *in d. cap.* 13. locum habet tantùm in proceſsionibus publicis; & aliunde dum Regulares intra ſua Monaſteria, & Eccleſias ſe continent, in nihilo perturbant juriſdictionem Diœceſani: unde ſi extra ambitum ſuæ Eccleſiæ & Monaſterij velint proceſsionem ducere, pariter etiam indubitatum eſt, licentiam Epiſcopi Diœceſani requiri, Zerola *d. 1. part. verb. proceſsiones verſ. ad quartum extra Clauſtra.* Campanil. *in diverſ. Iur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *ſub num.* 118. *in fin.* ubi impugnat ſententiam Caroli de Graffis *conſ.* 20. *de Regular.* exiſtimantis, poſſe Regulares per triginta paſſus extra ambitum proceſsiones facere, ſine licentia Epiſcopi, per *text. in cap. ſicut antiquitus* 17. *q.* 1. cui ipſe reſpondet.

13 Dubium autem eſſe poteſt, ubi agitur deducenda proceſsione privata ab aliqua Eccleſia Parochiali exempta, quæ ſuum habeat Inferiorem Prælatum Ordinarium; an nimirùm tunc neceſſaria ſit licentia Diœceſani, vel an ſufficiat licentia Prælati Inferioris? Ratio autem dubitandi illa ſtatim ſe offert, quod prohibitio, ſupra poſita, ducendi has proceſsiones extra ambitum Monaſteriorum, ideo fuit inducta, ne Jura Parochorum turbarentur, ſi Regulares alienam Parochiam ingrederentur, ad aliquod officium, vel Eccleſiaſticam functionem exercendam, abſque voluntate ipſius Parochi, contra *text. in cap. Epiſcopi, & ſeq.* 7. *q.* 1. *cap. nullus* 9. *q.* 2. *cap. ſcriptum* 6. *q.* 1. Atqui in caſu poſito hoc ceſſat inconveniens, nam ſupponimus exemptos proceſsionem ducere per propriam Parochiam; videtur ergo dicendum, quod Regulares in diſtrictu ſuæ Parochiæ proceſsionem ducere poſsint cum conſenſu Prælati Regularis, Epiſcopi licentia non requiſita.

15 Hac tamen dubitandi inſuperhabita ratione, tenendum eſt, neutiquam poſſe exemptos illam proceſsionem extra ipſius Eccleſiæ ambitum facere abſque licentia Diœceſani. Et ratio eſt, quia
16 licèt in caſu propoſito non lædatur jus Parochiale; læditur tamen jus Diœceſanum, ſi licentia non intervenit Epiſcopi; quia cùm actus proceſsionis ſit actus juriſdictionis, ut aſſerit Ric. *part.* 1. *deciſ.* 90. *num.* 2. Cardin. de Luca *de præemin. diſc.* 43. *num.* 5. & ad illos de populo referatur; hinc auctorizari & permitti non debet ab alio, quàm ab eo, qui in ipſum populum juriſdictionem habet: & licèt, attento jure Parochiali, dicatur proceſsionem duci in proprio diſtrictu; tamen, attenta juriſdictione Epiſcopi, ſemper verificabitur, proceſsionem fieri in alieno territorio, contra prohibitionem *text. in cap.* 1. *diſt.* 1. quæ illuſtratur *ex text. in §. ferè inſtit. de rer. diviſ. & leg. peragrum C. de ſemita & aqua*, quibus probatur nulli venatori licere alienum fundum ingredi aucupandi, ſive venandi cauſa, invito domino fundi, licèt aliàs cuilibet ſit licita, libereque permiſſa aucupatio & venatio, *leg.* 3. *leg. naturaliter §. apum quoque ff. de adq. rer. dom.* D. Salgado *d. cap.* 9. *num.* 75. Ex quibus ſimiliter licèt inferre quoad prohibitionem proceſsionum, & aliorum ſimilium actum in territorio Diœceſani, eo invito. Nec licentia, aut permiſsio Prælati Inferioris,
17 cui ſubeſt Eccleſia Parochialis, à qua exit proceſsio, ſufficiet abſque licentia Diœceſani, quia cùm limitata cauſa limitatum producat effectum, *leg. in agris* 16. *de adq. rer. dom.* hinc ejuſmodi licentia ſolùm poterit operari reſpectu ipſius Eccleſiæ, intra cujus ambitum continetur hujuſmodi Prælati juriſdictio, Cardin. *in Clement.* 1. *num.* 1. *de ſtat. Monach.* ubi dicit Monaſteria eſſe territorium Abbatis, non extra: ac proinde nihil deſſerviet quoad facultatem ducendi proceſsionem per territorium Diœceſani, ſive extra Eccleſiam;

atque

atque tunc intrat illa satis nota regula, quod licèt quis posſit in ſuo, quod voluerit, facere, non tamen in alienum aliquid immittere, *leg. licet ſicuti §. ariſto ff. ſi ſervit. vindic. leg. 1. §. idem ait ff. de aqua pluv. arcen.* Ex quibus abundè diluta manet ſupra poſita dubitandi ratio.

18 Et in noſtris terminis ceſſat omninò dubium ex declaratione Judicum Concordiæ in *Congregatione diei 26. Maij 1706. verſ. 1.* ibi : *En la Junta de eſte dia, ſe tubieron preſentes los autos formados por ambos Vicarios, ſobre la proceſsion, que con la Eſigie de un Santiſsimo Chriſto ſe hizo en Tembleque, el dia 30. de Septiembre de 1703. y ſe acordò ſe remitan los ſuyos al Vicario Arzobiſpal, para que continue ſus procedimientos, y compareciendo en ſu Tribunal el Prior de dicha Villa, le deſpache luego en la forma, que ſe le aviſarà. Y que en adelante, ſe guarde, y obſerve lo diſpueſto por el Santo Concilio de Trento, y la Concordia en orden, à que no ſe hagan proceſsiones publicas extraordinarias en los Prioratos fuera de las Igleſias, menos que precediendo licencia del Vicario de la Dignidad Arzobiſpal.*

19 Dubitari hic etiam poteſt, an in terminis poſitis Eccleſiæ Parochialis exemptæ in Diœceſi, & alteri Prælato Inferiori ſubditæ, poſsit Diœceſanus aliis Regularibus, qui fuerint in eodem Oppido, præſtare licentiam ducendi proceſsionem per diſtrictum Parochiæ, invito Rectore? Et ſanè in hoc caſu videtur dicendum Regularibus non ſufficere

20 licentiam Diœceſani, ad ducendum proceſsionem, ſed neceſſariam etiam eſſe licentiam Parochi; quod ſuaderi videtur auctoritatibus ſupra adductis, quæ docent Regulares extra ambitum ſuorum Monaſteriorum proceſsiones ducere non poſſe per diſtrictum Parochiarum ſine Cruce Parochiali, eis tamen permitti cum conſenſu Parochi, Lezana *in ſumm. quæſt. Regular. tom. 2. cap. 1. num. 51.* Proſperis *de territor. ſepar. q. 8. num. 4.* Ex quo videtur, in hac materia præcipuè eſſe attendendum jus Parochi.

21 Sed his non obſtantibus, tenendum eſt, in prædicto caſu Diœceſani licentiam ſufficere ad effectum, de quo quærimus, quin neceſſarius ſit conſenſus Parochi. Cùm enim in quolibet Diœceſis Oppido duo à Canoniſtis Parochi conſiderentur, univerſalis, nimirùm, qualis eſt Epiſcopus Diœceſanus ob univerſalem curam in univerſa Diœceſi, ſibi competentem; & particularis, qui hujus vel illius Eccleſiæ particularis regimini præponitur; tota quæſtio eò recidit, ut videamus, utrius Parochi conſenſus potior potentiorque ſit in hoc caſu; & ſanè ſi perpendimus, Parochi particularis poteſtatem inferiorem eſſe & comprehenſam in illa Superiori, &

22 univerſali Parochi univerſalis tanquam in fonte & in capite; ratio ipſa ſuadet, præcipuè, quin & ſolùm, Epiſcopi voluntatem eſſe attendendam, conſenſu, vel diſſenſu Parochi particularis inſuperhabito. Et ſententiam, & rationes complectitur Eminent. Card. de Luca *in Miſcell. diſc. 15. num. 7.* quem tranſcribere non piget; ait enim : *Ideoque magna differentia eſt inter jus ſimplicis Parochi, & illud Ordinarij ſeu Diœceſani; quoniam jus Parochi eſt ſolùm territoriale, non autem adeo juriſdictionale, ut eſt illud Diœceſani; ac etiam quia Diœceſanus tanquam primus Parochus, ſive Parochus Parochorum, necnon tanquam Iudex & Superior agnoſcendo, quod irrationabilis ac indiſcreta ſit Parochi aliorumque Clericorum Sæcularium oppoſitio, propter conſuetas ſpirituales emulationes, ita tum conſenſum tanquam indebitè denegatum ſupplere poteſt; adeo ut ita cum conſenſu, & licentia Domini territorij actus gerantur; & conſequenter magna differentia eſt inter unum, & alterum, atque facilius datur caſus peragendi proceſsiones ſine licentia Parochi ſuppleta per Ordinarium; longè autem difficilius, ut*

id

id liceat ipſomet Ordinario ſpreto : cum prorſus incongruum videatur, ut in ejus Diœceſi & territorio hujuſmodi Eccleſiaſticæ functiones fiant, ſub quarum colore abuſus, & corruptelæ introduci poſſunt.

23 Nec quiſquam putet, hunc Parochi univerſalis conceptum in Diœceſano operari ſolùm in Eccleſiis Sæcularibus, ut omninò illi ſubditis, non verò in Eccleſiis Regularibus propter exemptionem; nam veriſimum eſt, Epiſcopum Diœceſanum intelligi Parochum univerſalem quarumcumque Eccleſiarum, in ſua Diœceſi exiſtentium ſive Sæcularium, ſive Regularium & exemptarum; nam hic conceptus Parochi univerſalis pendet ex illa univerſali cura Epiſcopo in tota Diœceſi competente; cùm autem privilegia exemptiva in nihilo offenderint hanc univerſalem curam, quæ ſemper illibata & integra in Epiſcopo, velut Supremo Paſtore, remanſit, ut abunde probavimus *ſupra in cap. 6. & 10.* hinc non obſtante exemptione, idem conceptus, eademque conſideratio durat adhuc reſpectu Eccleſiarum exemptarum & Regularium.

24 Ex quibus in propoſito etiam caſu addendum eſt, poſſe Diœceſanum præcipere, ut Parochiales exemptæ aperiantur, ad recipiendam Regularium proceſsionem, ab eo permiſſam; quod etiam ex eo evincitur, nam etſi Eccleſiæ eſſent Regulares & non Curatæ, poſſet Diœceſanus præcipere, ut in eis proceſsio terminaretur, ibique Miſſa celebraretur, quin Regulares contradicere poſſent, juxta reſolutionem Sacræ Congregationis Rituum in *Firmana 25. Ianuarij* 1603. quam refert Barboſa in *ſum. Apoſtol. collect. 642. num. 7.* fortiori ergo ratione in Eccleſiis Curatis, licèt alias exemptis, id erit admittendum.

25 Reſtat nunc altera pars noſtri Capitis, in qua deſignatur locus, quem uterque Vicarius reſpectivè debet occupare; & quidem quoad Vicarium Diœceſanum res erat ſatis expedita, nam cùm repreſentet perſonam Toletani Archiepiſcopi, illius territorij Diœceſani, primus utique, & dignior locus tam in Eccleſia, quàm extra, in proceſsionibus eidem præſtandus venit, *ex cap. Epiſcopus in Eccleſia 95. diſt.* ex S. Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6. de Reform.* Qua de re in præſenti concordatum fuit, hujuſmodi Vicarium incedere debere in decurſu proceſsionum poſt Presbyterum celebrantem, & medium inter Fiſcalem Eccleſiaſticum, & ſuæ Audientiæ Notarium. Qui certè locus primus & honoratiſsimus dici debet, quia in ipſo incedendi ordine Prælatio & dignitas oſten-
26 ditur, dum agmen Eccleſiaſticum claudit: non ſecus ac in pompa Triumphali apud Romanos ulterior locus erat honoratior, quia in eo procedebat Imperator, Livius *lib. 45.* loquens de triumpho Æmilij Pauli, ſic ait: *Ipſe poſtremo Paulus in curru magnam, cum dignitate alia corporis, tum ſenecta ipſa, majeſtatem præſe ferens.* Vide & Suetonium in Julio *cap. 49.* Item eſt locus honoratiſsimus, quia medius, ut eſt notum omnibus bonarum litterarum cultoribus, ex Sueto-
nio *in Claudio cap. 24. De majore negotio acturus in Curia medius, inter Conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.* Sic apud Spartianum legitur, Adrianum Imperatorem, cùm vidiſſet ſervum ſuum inter duos Senatores medium ambulaſſe, miſsiſſe hominem, qui ei colaphum daret, ac diceret: *Nolli inter eos ambulare, quorum potes adhuc eſſe ſervus.* Nollem hic præterire ſilentio memorandum po-
27 tentiſsimi Regis Catholici Ferdinandi exemplum: cùm enim Rex humaniſsimus noſtrum Majus Collegium Academiam Complutenſem inviſere inſtituiſſet, inter alia honorificentiæ & ſplendoris plena monimenta, illud memoriæ reliquit, ut inter ipſum & Eminentiſsi-

mum

mum Dominum meum Cardinalem, Rector, qui tunc aderat, medius incederet, ut ita seriem studiorum, omnemque aliam Reipublicæ litterariæ rationem eis indicaret, refert Comec. *de reb. gest. Ximen. lib. 4. fol. mihi 86.*

28 Hæc autem assignatio loci in præsenti facta frequenter praxi est recepta, & ita receptum esse in Oppido de Talavera, ubi alius residet Vicarius Archiepiscopi Toletani, testatur Michael Ferro Manriq. *de præcedent. q. 52. num. 21.* ubi ait: *In processionibus autem Vicariorum locus est ulterior tanquam nobilior; & ita incedunt cum suis vestibus ordinariis post Hebdomadarium pluviali indutum; à latere autem solitum est in Oppido nobili de Talavera, quod duo Ministri ex Audientia Ecclesiastica Vicarium comittentur, ne solus deformis & contemptibilis appareat.* Et hunc ordinem incedendi defendit idem Ferro *d. tract. quæst. 30. num. 14.* ubi ulteriorem locum in processionibus post celebrantem asserit proprium esse illorum, qui jurisdictionem tam interiorem, quàm exteriorem habent, unde Parochis talem locum esse denegandum propugnat.

29 Nunc verò inquirendum venit, qualis in processionibus designetur Vicario Priorali locus; & quidem Concordantes consuetudini, quæ in his controversiis præcipua debet esse lex & regula, standum esse judicarunt, atque ideo convenerunt, quod Vicarius Prioralis in processionibus, quæ fiunt in Oppido ubi resederit, incedat in loco præeminenti, quem usque tunc occupavit, qui est ultimus in Choro à latere dextero Cleri, & afferat mantum Capitulare, aut si maluerit, pallium sæculare, & biretum; ipsique assistant Fiscalis, & unus Notarius suæ Audientiæ, qui incedere debent ad ejus latus dexterum extra corpus processionis. Paucis tamen ab hac Concordia stipulata, dubium emersit, super loco assignando Vicario Priorali in processionibus, quando Vicarius Diœcesanus non concurrit; propositum fuit hoc dubium in *Congregatione diei 5. Septembris 1699. vers. 2.* & in ea Judices pro Dignitate Archiepiscopali deputati judicabant, non alium Vicario Priorali locum esse tribuendum in processionibus in tali casu, quàm ille qui expressè designatur in *h. cap.* ob ejus generalem & indistinctam dispositionem, cujuslibet casus comprehensivam: deputati verò pro Dignitate Priorali ex adverso judicabant, dispositionem *h. cap.* & factam in eo loci designationem procedere tantùm in casu, in quo Diœcesanus in eadem processione concurrit; unde Diœcesano non interessente, incedet post Presbyterum celebrantem, non secus ac diximus de ipso Diœcesano *supra num. 25.* Stante hoc inter Judices dissidio Apost. Nuncius *sub die 9. Ianuarij 1700.* votum Judicum Prioralium confirmavit.

CAP. XXII.

Super custodiis circumeuntibus in nocte Nativitatis Domini, Iovis Sancti, & aliis.

RESOLUTUM fuit, quod in nocte Nativitatis Domini, ac Feriæ quintæ in Cœna Domini, & aliis, in quibus concurrit Populus ad orandum in Ecclesiis Ordinis S. Joanis, custodiæ intrent in illas locorum, in quibus qui-

quilibet ex Vicariis ambarum Dignitatum reſederit, ad effectum circumeundi, & evitandi quamlibet indecentiam, ſive irreverentiam cultui Divino.

SUMMA CAPITIS.

1 *Proponitur materia Capitis, ut ſingularis.*
2 *Prælati Eccleſiaſtici debent vigilare ſuper cultu & decentia Eccleſiarum.*
3 *Maximè in noctibus, in quibus populus concurrit in eiſdem.*
4 *Vigilias in Eccleſiis prior ætas recepit, & probavit.*
5 *Tractu temporis multa mala experta ſunt in his pernoctationibus.*
6 *SS. Eccleſiæ Patres vigilias primùm moderarunt, poſtea tandem ſuſtullerunt.*
7 *Laudatur ſuper hac re edictum Eminentiſ. D. Cardinalis de Aſtorga.*
8 *In Primatiali Eccleſia Toletana viget adhuc antiquarum vigilarum uſus.*
9 *Illuſtre exemplum excubiarum in Toletano Templo.*
10 *Ius excubandi poteſt eſſe vel œconomicum, vel juriſdictionale.*
11 *Ius excubandi in una Eccleſia pluribus poteſt competere, diverſis reſpectibus.*
12 *Diœceſanis tribuitur per Canones delegata juriſdictio, in concernentibus cultum & decentiam Eccleſiarum.*

COMMENTARIUM.

1 QUÆ *in h. cap.* diſquiritur materia, evincit ſingulare ſtudium, à Concordantibus impenſum, ne quid ommitterent intactum, quod diſcordiæ occaſionem in poſterum poſſet adducere. Cùm profectò quæſtionem ſuper jure excubandi, in terminis generalioribus, inter Judicem videlicet Eccleſiaſticum & Sæcularem, extraordinariam dicat Ferro Manriq. *quæſt. Vicarial. part.* 1. *q.* 11. & in noſtris particularibus terminis inter Prælatos Eccleſiaſticos Diœceſanum unum, & alterum intra Diœceſim, ſingulariſsima certè ſit, & à nullo, quem viderim, pertractata.

2 Ergo ad plenam noſtri Capititis illuſtrationem prænotandum eſt, Prælatis Eccleſiaſticis per Sacros Canones enixè injungi, ne quid in Sacroſanctis Eccleſiis admittant, quod cultum poſſit turbare, aut oculos divinę Majeſtatis offendere, ne *ubi peccatorum eſt veniæ poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehedatur peccata committi*, ut dicitur *in cap. decet* 2. *de immun. Eccleſ. in* 6. Et

3 quamvis, hoc ipſo, tempore in omni Prælatis incumbat vigilantia circa cultum & reverentiam Eccleſiarum; dilegentiorem tamen curam & exactiorem ſollicitudinem eos adhibere opportet in illis noctibus, in quibus fideles in Eccleſiis cõcurrunt, juxta communem populi Chriſtiani morem, ut in nocte Nativitatis, & Feriæ quintæ in Cœna Domini; vel juxta peculiarem alicujus Provincię, aut Oppidi devotum uſum. Tunc enim, ut majus delinquendi adeſt periculum, nam ipſæ noctis tenebræ velut invitant ad delinquendum, *leg.* 1. §. 10. *de inſp. ventre.* §. 2. *de obligat. quæ ex dilecto.* major Prælatorum debet eſſe ſuperintendentia, ut vel has vigilias, & nocturnos in Eccleſia cœtus prohibeant; vel ſaltem moderentur, Eccleſiam ipſam perluſtrando. Quod ab ipſo Eccleſiæ exordio factum apparet.

4 Antiquiſsimæ enim ſunt hæ fidelium in Eccleſiis, ſeu cœmeteriis pernoctationes; nam à primis Eccleſiæ ſæculis moris fuit, ut in veſpere feſtivitatum Domini noſtri, & Sanctorum ejus, populus conveniret, & piis actionibus, & orationibus vigilias concelebraret, de quarum vigiliarum uſu & forma loquitur, D. Baſil. *in Pſalm.* 144. *& in Epiſt.* 63. D. Gregor. *in lib.* 4. *Epiſtolar. cap.* 12. D. Cypr. *in tract. de orat. Domin.*

&

& in cap. Clericus. cap. Eleutherius. cap. fin. 61. diſt. cap. de his 50. diſt. cap. ſtatuimus de conſecrat. diſt. 4. & latè Petr. Gregor. *Syntagm. Iur. cap. 17.* Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap. 25.* Mendoza & D. Gonz. *ad can. 35. Concil. Illiberitani.* Tractu verò temporis, *quoniam* (ut ait S. Chri-
5 ſoſtomus *lib. 3. de Sacerdot.*) *novit ingenioſiſsimus Diabolus per bona opera ſuum virus diſſeminare*, factum eſt, ut frigeſcente charitate, hic devotus ac pius vigiliarum uſus paulatim in abuſum & exceſſum deſciverit, indeque choreæ, ludi, commeſſationes, aliaque turpia irrepſere, de quibus Cenedo *collect. 11. ad 6. Decret al.* Mendoza *in d. can. 35.* loquens de vigiliis S. Martini in Gallia.

6 Hac igitur de cauſa Sanctiſsimi Eccleſiæ Patres harum vigiliarum uſum primùm moderarunt, ut D. Ambroſius peſuaſionibus S. Monicæ, Baron. *an. 57. ex num. 137. & ad Martyrolog. ſub die 5. Ianuarij*, & Hiſpani Patres *in d. can. 35.* Concilij Illiberitani. Poſtmodùm, propter expertos abuſus, plenè ſuſtullerunt, ſubrogatis in earum locum jejuniis, quæ Sanctorum vigilias appellamus, antiquarum vigiliarum nomine tantùm retento. Baptiſta Mantuan. in Februar.

Id quoq; nam ſcitu locus eſt digniſsimus, addã
Quod noſtri in Templis atavi vigilare ſolebãt,
Excubiaſque pati, ſolemnia mane ſequenti
Feſta recepturi; morem nova ſuſtullit ætas.
Nam quia nox ſceleri ſolet eſſe occaſio, & illud
Obſervãt, qui furta volunt cõmittere, tempus,
Iejunare diem, viſum eſt ſapientius, illam,
Quæ præit, & clauſo noctem dormire cubili.

Sic in Concilio Copriniacenſi anni 1260 ita habetur: *Cùm ex vigiliis, quæ in Eccleſiis fiunt, frequenter multa turpia inſequantur, & frequentiſsimè vulnera inferantur, propter quæ eædem Eccleſiæ reconciliatione, quæ per ſolos Epiſcopos debet fieri, indigere noſcuntur; ſtatuimus, & præcipimus firmiter, ne de cætero in prædictis Eccleſiis, vel cœmeteriis, vigiliæ fiant.* Similis ſanctio adeſt in Concilio Toletano III. *can. 23. & ult. & in Clement. Gravi de celebrat. Miſſar.* Quibus conſonat Synodus Toletana anni 1682. *in conſtit. 2. tit. de Relig. domib.* Atque ob eoſdem abuſus & exceſſus Eminentiſsimus D. Cardi-
7 nalis de Aſtorga Archiepiſcopus Toletanus purioris Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio, & æſtuanti Domus Domini zelo flagrans, noviſsimè edixit, ut in nocte Feriæ quintæ in Cœna Domini Eccleſiæ omnes claudantur noctis hora decima. Quod utique edictum generaliter obſer-
8 vatur in hac Archidiœceſi una, alterave Eccleſia peculiari de cauſa excepta: prout excipi debet, & in *d. conſt. 2.* excipitur Primatialis Eccleſia Toletana: in hac enim magnificentiſsima Eccleſia viget adhuc antiquorum Canonum, & veterum Eccleſiæ conſuetudinum exquiſita obſervantia; ſicque officia ſingula ſuis temporibus explentur, vigiliæ obſervantur, & matutinum mediæ noctis tempore quotidie perſolvitur, cum magna Religione & devotione, ſuppetentibus in hoc ejuſdem Eccleſiæ maximis proventibus, copiaque Miniſtrorum.

9 In hoc etiam Toletano Templo excubiæ ſunt in uſu; itaque in illis noctibus in quibus populus frequens concurrit, receptum eſt, ut Vicarius Generalis, Rector Civitatis, & Decanus ipſius Eccleſiæ, vel alius in Dignitate conſtitutus, unuſquiſque cum ſuis Miniſtris, alternatim Eccleſiam circumluſtret. In quo quidem illuſtri exemplo duo eni-
10 tent. I. Jus hoc excubandi, & circumeundi Eccleſiam competere poſſe vel ob poteſtatem œconomicam, qualis reſidet in Decano, vel ob juriſdictionem territorialem, qualis datur in Prætore Civitatis, & in Vicario Epiſcopi. II. Idem jus excubandi reſpectu ejuſdem loci, ſeu
11 Eccleſiæ pluribus poſſe competere compatibiliter, diverſis reſpectibus: favor enim cultus, qui maximus eſt, *leg. 43. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* hoc ſuadet,

non ſecus ac dicebamus *ſupra in cap.* 10. *num.* 6. in cauſis, ad curam animarum & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectantibus, ad quas utique præſens caſus reduci poteſt. Itaque Vicario Priorali, tanquam Prælato Ordinario harum Eccleſiarum, competit indubitanter in eis excubias agere. Vicario verò Archiepiſcopali, uti Ordinario univerſali territorrij; cui in hac materia ſpecialis etiam conceſſa eſt juriſdictio delegata in Eccleſias & perſonas exemptas in *d. cap. decet de immun. Eccleſ. in* 6. *in Clement. Gravi de celebrat. Miſſar.* juncta ibi Gloſſa *verb. Superiores*, & tandem in S. Synodo Tridentina in *ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.* 8. *& in ſeſſ.* 22. *in decreto de ſervand. & vitand. in celebrat. Miſſar.* Ex quibus decretis non modò firmatur jus hoc excubandi Diœceſano competens in Eccleſiis exemptis; ſed quod generaliter poſsint præcipere quæcumque illarum cultum, & Miſſæ Sacrificio debitam reverentiam, reſpiciant; ut puta ne in his Eccleſiis clamores fiant, ne Parlamenta aut prophanæ Congregationes adunentur, ne ludi theatrales, monſtra larvarum, lubricæ feſtivitates, choreæ & ſaltationes exerceantur, Van-Eſpen *in repag. can. part.* 2. §. 12. Barboſa *de Parocho part.* 1. *cap.* 13. *à numer.* 18. Pignatell. *tom.* 8. *conſ.* 42. junctis, quæ diximus *ſupra in cap.* 2. *num.* 34. *& in cap.* 13. *num.* 12.

12

CAP. XXIII.

Super expeditione cenſurarum monitorialium.

CONCORDATUM fuit, quod juxta formam diſpoſitam à Sacro Concilio Tridentino, & declaratione Sacræ Congregationis, ſpectet privativè ad Dignitatem Archiepiſcopalem, & ad ejus Vicarium Generalem, aut ad perſonam, cui dederit Prælatus commiſsionem ſpecialem, concedere, & expedire cenſuras monitoriales generales ad effectum revelandi; quodque Vicarius Religionis non poſsit eas expedire generales, etiam limitatas ad ſuos ſubditos, & in caſibus, qui occurrent, poterit recurſus haberi ad Sanctam Sedem, expoſcendo licentiam ad iſtum effectum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Litteras monitoriales pro rebus ſubtractis, vel deperditis decernere Diœceſano privativè competit.*

2 *Prælati Inferiores etiamſi ſint* nullius *has litteras nequeunt expedire.*

3 *Confirmatur hoc ipſum decretis S. Congregationis, quæ in locis* nullius *ad Sedem Apoſtolicam, recurrendum cenſuit pro his litteris obtinendis.*

4 *Prælati Inferiores* intra Diœceſim *omnino ſunt prohibiti has litteras expedire.*

5 *Archiepiſcopus Toletanus, ejuſque Generalis Vicarius poſſunt has litteras expedire in Oppidis Prioratuum.*

Ref-

6 *Reffellitur aliquorum ſententia, qui hanc facultatem Vicario Generali Epiſcopi aſſerunt in Concilio denegari.*

7 *Vicarius Archiepiſcopi degens in Prioratibus poteſt etiam has litteras decernere ex ſpeciali commiſsione.*

COMMENTARIUM.

1 COmpetere Archiepiſcopo Toletano privativè in Oppidis Magni Prioratus decernere excommunicationes, quæ pro rebus deperditis, vel ſubtractis, ad effectum revelandi ferri ſolent, conventum fuit in hoc Capite juxta diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 3.* ubi ſic dicitur : *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſsis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur.* Poſt quam utique ſanctionem omni prorſus dubio vacat, facultatem litteras has monitoriales expediendi ita Epiſcoporum propriam eſſe effectam, ut nullomodò competere poſsit Prælatis Inferioribus cujuſcumque claſsis, quamvis *nullius* ſint, ut evincitur ex illis verbis taxativis, & reſtrictivis *Nemine*, & *Prorſus*, de quorum intellectu, & ſignificatione ſatis diximus in *cap. 19. à n. 17.*

2

3 Utque nullus hæſitationi relinquatur prætextus ita ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio Concilij; quæ non modò prohibuit has litteras expediri ab iis, qui juriſdictionem habent *nullius* cum territorio ſeparato; ſed ſi in his territoriis ſeparatis earum neceſsitas adſit, ad viciniorem Epiſcopum recurri vetuit pro earum expeditione; ut videre eſt apud Gallemart. *in declarat. Concil. ad d. cap. 3.* ibi : *Congregatio Concilij cenſuit, Abbati, aliive inferiori, quamvis nullius Diœceſeos exiſtat, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtineat, poſt Concilium non licere excommunicationes, quæ pro rebus deperditis, vel ſubtractis ferri ſolent, decernere, ſed debere ejus ſubditos ad eas obtinendas Sedem Apoſtolicam adire.* Similiter hoc ipſum confirmans aliam adducit Sacræ Congregationis declarationem idem Gallemart, his verbis : *Excommunicationes, quæ ad finem revelationis ferri ſolent, concedi non poſſunt à Commendatore Abbatiæ hominibus ſibi ſubjectis, quæ dicitur eſſe nullius Diœceſeos, minus à vicinis Epiſcopis juriſdictione ipſius Abbatiæ, cum ea verò Sedi Apoſtolicæ ſubjecta, ſit nullius Diœceſeos. Dicatur præterea, ſi quibus hoc remedio opus erit, confugiendum eſſe eis ad ipſam Sedem Apoſtolicam, à qua hujus generis excommunicationes impetrent.* Aliæque declarationes videri poſſunt apud Farinac. & Barboſ. *in d. cap. 3.* Fagnan. *in cap. accedentibus de exceſsib. Prælator. num. 25.* ubi refert, quod cùm Cardinalis Farneſius obtinens in Commendam Abbatias S. Zeni, & Farfæ, in quibus habet jura Epiſcopalia dubitaſſet, an poſſet concedere excommunicationes ad finem revelationis, Sac. Congregatio reſpondit, non poſſe. Aliaque decreta refert Cardin. Petra *ad conſtit. 4. Callixti III. ſect. 2. n. 64. & ſeq.*

4 Dicta circa Prælatos *nullius* à majoritate rationis extendenda ſunt ad Prælatos Inferiores *intra Diœceſim*, ut his omninò interdicatur monitoriales litteras expedire; unde rectè tenet Fr. Man. Rodriguez *quæſt. Regular. tom. 2. q. 59. art. 4.* Miranda *in Man. Prælator. tom. 2. q. 35. art. 12.* Hieronym. Rodriguez *in compend. quæſt. Regular. reſol. 62. num. 4.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi allegat. 96. numer. 13.* Prælatos Regulares Conventuales in ſubditos ſuos hujuſmodi monitoria dirigere non poſſe : & ob hoc ipſum rectè in noſtro Capite fuit conventum Vicarium Prioralem has generales litteras, etiam limitatas ad ſuos ſubditos, expedire non poſſe.

5 Reſtat igitur ut dicamus, in Oppidis Prioratus facultatem excommunicationes has refendi, ad Archiepiſcopum privativè ſpectare, & ad ejus Vicarium Generalem. Licèt enim fuerint aliqui, ut Narbona *de appellat. à Vicar. ad Epiſcop.* Ugolin. *de poteſt. Epiſcopi cap.* 45. *in princ. verſ.* 2. Campanill. *in diverſ. jur. Canon. rubr.* 11. *cap.* 15. *num.* 103. qui exiſtimarunt Vicarium Generalem propter verba reſtrictiva Concilij, *A nemine &c.* non poſſe ex vi generalis commiſsionis hæc monitoria expedire, ſed ſpeciali ad hoc indigere commiſsione; tamen verior eſt, & praxi recepta contraria ſententia, quam tenet Fr. Emman. *in ſum. tom.* 2. *cap.* 79. *num.* 1. Sbroz. *de Vicar. Epiſcop. lib.* 2. *q.* 171. *num.* 2. Zerola *in prax. Epiſc. part.* 1. *verb. Vicarius n.* 17. Gratian. *deciſ.* 97. *à num.* 14. Lazar. *de Monitor. ſect.* 1. *q.* 6. *à num.* 1. Franc. Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part.* 3. *cap.* 17. *num.* 17. Gutierr. *Can. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Garcia *de benefic. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 94. & alij relati à Barboſa *d. alleg.* 96. *num.* 7. qui hanc ſententiam fundant aliquibus Sacræ Congregationis declarationibus, quæ etiam faciunt, ut eadem facultas competat Vicario Generali, Sede Epiſcopali vacante. Nec huic ſententiæ obſtant ſæpiùs expenſa verba reſtrictiva Concilij, nam, ut ait Joan. Sanch. *in Select. diſput.* 50. *n.* 23. & Gutierrez *ubi ſupra.* ideo Concilium eis utitur, ut excludat omnes alios Prælatos Epiſcopo Inferiores etiam nullius Diœceſis, qui ante Concilium hujuſmodi excommunicationes ferre ſolebant; non verò, ut excludat Epiſcoporum Vicarios Generales, & ſimiliter Capitulares.

6 Sed an Vicarius ab Archiepiſcopo conſtitutus in Oppidis Prioratuum, poſſit hæc monitoria decernere dubitari poterat? Quo in dubio dicendum eſt, quod cùm hujuſmodi Vicarius ſit foraneus, ut notum eſt, & patet in *cap.* 24. talem facultatem non habet, ut tenent Lazar. *d. q.* 6. *num.* 9. Ugolin. *d. cap.* 45. *in princ. verſ. excipiuntur.* Rici. *in prax. for. Eccleſ. reſol.* 235. *in fin.* Barboſa *d. allegat.* 96. *num.* 9. *& ad d. cap.* 3. *Concil. num.* 7. benè tamen verum eſt, quod ei competere poteſt, ex ſpeciali commiſsione Archiepiſcopi, cùm generaliter hæc facultas ab Epiſcopo poſsit delegari, dummodò delegatio concedatur perſonis circunſpectis, idem Barboſa *ubi ſupra*, & hoc voluere Concordantes in noſtro Capite in illis verbis: *Ad ejus Vicarium Generalem, aut ad perſonam, cui dederit Prælatus commiſsionem ſpecialem.*

CAP. XXIV.

Super nominatione Eccleſiarum, & forma tituli quo uti debent Vicarij.

CONCORDATUM fuit, quod Dignitas Archiepiſcopalis, illiuſque Miniſtri in expeditionibus, quas facient pro Eccleſiis Religionis, poſsint uti abſolutè verbo: *Noſtris Eccleſiis*; ſed tantummodò expreſsè ponendo: *Pro eo quod ſpectat ad juriſdictionem delegatam*: & ad hoc, ut in modo, quo ſe intitulare debebunt Vicarij, dignoſcatur diſtinctio juriſ-

juriſdictionum cujuſlibet eorum, Concordatum fuit, quod in poſterum Vicarius Religionis Sancti Joannis in mandatis, & quibuſcumque expeditionibus tradendis ejus nomine intituletur, & vocetur : *Vicarius, & Viſitator Eccleſiaſticus, Ordinarius Eccleſiarum Regularium, Hoſpitalium, & ſubditorum Religionis Sancti Ioannis in iſtis Prioratibus Caſtellæ, & Legionis pro Domino Magno Priore, qui eſt, vel fuerit illorum.* Quodque Vicarius Archiepiſcopalis Dignitatis intituletur : *Vicarius, & Viſitator Ordinarius Diœceſanus locorum, & diſtrictuum Prioratuum Sancti Ioannis.* Et in eventum, in quem idem Vicarius habeat ſpecialem commiſsionem ad effectum viſitandi jure delegato Eccleſias Religionis Sancti Joannis, poſsit pariter ſe intitulare : *Ac ſimiliter Viſitator Delegatus Apoſtolicus Eccleſiarum Regularium Sancti Ioannis, vigore ſpecialis commiſsionis Domini Archiepiſcopi Toletani, qui pro tempore fuerit.*

SUMMA CAPITIS.

1 *Vſurpatio titulorum controverſiis ſæpè locum dedit.*
2 *Implicat dari & nominari duos Epiſcopos aut Ordinarios abſolutè reſpectu ejuſdem territorij.*
3 *An Prælati Inferiores intra Diœceſim abſolutè* Ordinarij *poſsint appellari?*
4 *Proponitur ratio dubitandi pro ſententia affirmativa.*
5 *Amplexatur & fundatur ſententia negativa.*
6 *Solvitur ratio dubitandi.*
7 *Prælatus Inferior* intra Diœceſim *dicitur Ordinarius tantùm ſecundumquid, in materia adaptabili.*
8 *Applicatur hæc doctrina* huic Capiti.
9 *Prælati nullius* Ordinarij *abſolutè dicuntur.*
10 *Comprehenduntur etiam appellatione* Diœceſani.
11 *An Prælati Inferiores nominari poſsint in Canone Miſſæ ad illa verba :* Antiſtite noſtro?
12 *Reſp. negativè quoad Inferiores* intra Diœceſim, *I. quia eis non congruit ſignificatio verbi* Antiſtes.
13 *II. Quia alia eſt intentio Eccleſiæ.*
14 *III. Quia incongruum eſſet, ut Prælati Inferioris nominatio præcederet nominationem Regis.*
15 *Confirmatur hæc ſententia decretis Sacrarũ Congregationum.*
16 *Reſpondetur etiam negativè quoad Prælatos* nullius?
17 *Quiſnam in locis* nullius *nominandus ſit in Canone, & Collecta Miſſæ?*
18 *Variæ afferuntur opiniones, quæ examinandæ relinquuntur.*

COMMENTARIUM.

1 AMplitudo titulorum, nominumque auctoritas magnoperè hominum animos allicit & delectat; unde haud mirùm ſi pompam nominum captare & ſollicitè conquirere, plurimos videmus. Quiſque enim, ut majorem, quam ſibi competit, poteſtatem oſtentet, celſiore nomine ac titulo ſatagit decorari; ut à Summo quandoque Prælatorum Eccleſiæ gradu, ad inferiores uſque eveniſſe, hiſtoriæ docent. Increpavit Bernardus quondam in *Epiſt.* 42. Abbates, qui Epiſcoporum nomine ac titulo anxios judicavit. Anxietas hæc plerumque cauſam dedit controverſiis titulorum; nam & perſæpè, non niſi cum alteriùs detrimento, quiſquam

2 uſurpato nomine augeſcit. Sicut enim ſolidæ ejuſdem poteſtatis in eiſdem perſonis, lociſve exercitium penes duos ſimul incompatibile experitur, ita ſolidæ ejuſdem poteſtatis ſignificatio repugnat; ac proinde ſicut implicat ejuſdem poteſtatis ſimultaneus concurſus, ita & ejuſdem nominis. Iidem ſanè Canones, qui, duos in eadem Diœceſi Epiſcopos concurrere, non permittunt, duos æquè ejuſdem Diœceſis Epiſcopos intitulari prohibent, ut *ad cap. quoniam de offic. Ordin.* tenent Canoniſtæ. Sicut enim Epiſcopalis poteſtatis Jus eſt individuum, ita & nomen; nec aliter eſſe poterat, niſi vel ipſius ſolidæ poteſtatis & nominis ſciſſura fieret; vel uni nomen tantùm, alij, cum nomine, Jus uſumque daremus, quod quàm inſolens à mente Canonum alienumque ſit, vel ex ipſo ſingulari caſu, qui ex magna cauſa admittitur, & proponitur in *cap. ſi Epiſcopus de Paroch.* convincitur. Atque ex eiſdem principiis repugnat, ut duo reſpectu ejuſdem territorij abſolutè *Ordinarij* dicantur *ex d. cap. quoniam de offic. Ordinar.* & ex doctrina Hoſtienſis *in cap. cùm contingat de for. compet.*

3 Hinc facilè deciditur quæſtio, quæ inquirit, an Prælati Inferiores *intra Diœceſim* veri, & proprij *Ordinarij* dici ac nominari poſsint? In qua quæſtione du-
4 bitari faciunt Pariſ. *de reſignat. benefic. lib. 3. q. 11. num. 20.* Chochier *de juriſd. in exempt. part. 1. q. 1. num. 9. & ſeq.* ubi cum aliis affirmant appellatione Ordinarij non ſolùm venire Epiſcopum, *cap. cùm Epiſcopus de offic. Ordin. cap. cùm contingat de for. compet.* ſed etiam quemcumque alium, qui ordinariam juriſdictionem habeat canone, præſcriptione, aut privilegio: unde inferunt, quod ſi Concilium, aut Pontifex, aliquod Ordinariis committat, id non modò Epiſcopis, ſed & quibuſlibet Ordinariis commiſſum cenſebitur: cùm verò ſit innegabile Prælatos Inferiores *intra Diœceſim*, juriſdictionem ordinariam in loco & perſonis exemptis habere, juxta doctrinam Abbat. *in cap. ut famæ ſub num. 6. verſ. item puto de ſentent. excom.* Navarr. *conſ. 9. num. 1. de privil.* Lother. *de re benefic. lib. 1. q. 24. num. 100.* hinc dicendum videtur eos appellatione & titulo *Ordinarij* uti ac inſigniri poſſe.

5 Sed tamen adhuc dicendum eſt, Prælatum Inferiorem *intra Diœceſim* veri Ordinarij appellatione non comprehendi, nec *Ordinarium* abſolutè ſe poſſe intitulari; & ratio eſt, quia implicat adeſſe in eodem loco duo Capita, ac duos Judices univerſales, & æquales, *ex d. cap. quoniam*, & ex doctrina Hoſtienſ. *in cap. cum contingat de for. compet.* ac proinde implicat eadem æquali ac abſoluta denominatione duos inſigniri. Si enim Epiſcopus, quia de jure fundatam intentionem habet ſuper omnia loca, & perſonas ſuæ Diœceſis, abſque reſtrictione hac abſoluta denominatione gaudet, hoc ipſo patet, ſic intitulari non poſſe, qui non eadem dignitate & prærogativa potitur; ne aliàs dignitates & juriſdictiones confundantur. Epiſcopus ergo denominatur abſolutè *Ordinarius*, quia nativam univerſalem juriſdictionem habet in ſuo territorio; Prælatus verò Inferior reſtrictam habet juriſdictionem & territorium non habet, ſed eſt in territorio Epiſcopi; unde *loci Ordinarius* denominari nequit, neque ea appellatione venit, quod ſæpè probavimus in *capp. huj. Concord.* cum Cardin. de Luca *de juriſd. diſc. 1. num. fin.* atque ita declaravit S. Congregatio Concilij *in una Burgi S. Sepulchri Iuriſdictionis 15. Decembris 1696.* nam cùm quæſitum eſſet: *An Abbas S. Mariæ in Balneo poſſit ſe inſcribere, & intitulare Ordinarius Vallis S. Mariæ in Balneo?* Sacra Congregatio reſpondit *negativè*. Aliam declarationem refert Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 81. in app. numer. 4.*

Nec

6 Nec jam obſtat, hos Prælatos Inferiores *intra Diœceſim* juriſdictionem Ordinariam habere: nam, ut diximus ſæpè in hoc opere, hujuſmodi Prælatorum Ordinaria juriſdictio limitata eſt ad certos actus, & perſonas in materia adaptabili, & ad territorium non extenditur, in quo, non obſtante exemptione, & reſpectivè juriſdictione Prælati Inferioris, remanet adhuc Epiſcopus Ordinarius univerſalis de jure communi. Ita-
7 que Prælatus Inferior *intra Diœceſim* ſolùm dici poteſt Ordinarius de jure ſingulari, *& ſecundumquid*, ac propterea appellatione Ordinarij non venit, niſi in materia illi adaptabili ſine Epiſcopi præjudicio, ut ex doctrina Gloſſæ in *cap. 3. in verb. locorum de offic. Ordin. in 6.* advertit Felin. *in cap. poſt ceſſionem n. 1. de probat.* Lother. *d. q. 24. num. 103. & ſeq.* & ita intelligendi, & ad hos terminos reducendi ſunt Pariſ. & Chochier *ſupra citati.* Barboſa *appell. 117. num. 1.* Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 1. q. 4.* Fagnan. *in cap. poſt ceſſionem n. 3. de probat.* & benè diſtinxit Rota in hac cauſa in *deciſ. 70. num. 53. part. 13. rec. & in Toletana Iuriſdictionis ſuper Tribunali 17. Iunij 1689. numer. 12. cor. Molines.*

8 Juxta hanc doctrinam ſpecialiter in hoc Capite cautum & conventum eſt, circa denominationem tam Vicarij Diœceſani, quàm Prioralis; licèt enim ex cæteris hujus Concordiæ Capitibus clariſsimè appareat comprehenſio & differentia utriuſque juriſdictionis; præſtantiùs tamen viſum eſt, in re altercationibus obnoxia, diſsidij cauſam præcidere, ſpeciali ſuper titulis adhibito concordato, quo diſtinctio inter utramque juriſdictionem luculenter appareret; itaque hoc Caput breviarum aut epitome hucuſque dictorum cenſeri poteſt, nam quod prolixè dictum eſt per ſingula Concordiæ capita, circa actus particulares juriſdictionis, unicuique Vicario reſpectivè competentes, hoc velut in ſumma comprehenditur in hoc Capite; in quo habemus Vicarium Archiepiſcopalem in Prioratibus, uti verum Diœceſanum Supremi Capitis univerſaliſque Ordinarij conceptum ac titulum habere; Vicarium verò Prioralem Ordinarium eſſe juxta terminos ſuorum privilegiorum, quæ utique comprehendunt Eccleſias, Hoſpitalia, & ſubditos Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ; quæ quidem limitata & reſtricta denominatio Ordinarij compatibilis eſt cum illa Diœceſani, ut vitetur abſurdum ſupra ponderatum *ex cap. quoniam de offic. Ordin.* Quin cùm perpenderent Concordantes in eiſdem Sacræ Religionis Eccleſiis concurrere juriſdictionem Ordinariam Magni Prioris, & delegatam Archiepiſcopi, ex peculiari ratione tradita ſupra *in hac 2. part. cap. 10.* & ex hoc concurſu aliquam oriri poſſe circa denominationem & titulum cõfuſionẽ, cautum eſt, ut circa eaſdem Eccleſias competentis juriſdictionis qualitas in expeditionibus exprimeretur; ita ut Prioralis earum Judex *Ordinarius*, Diœceſanus verò *Delegatus* intitularetur; quo ſanè reſpectu & expreſsione hic etiam verbo *noſtris Eccleſiis* in mandatis uti poſsit, noſtrum ſiquidem dicimus, etiam id quod non plenè noſtrum eſt, *leg. rectè 25. de verb. ſignif. leg. 2. ff. de condit. inſtit.*

9 Hæc rectè dicta ſint de Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*; nam quoad Prælatos *nullius*, nulli dubium eſt, quin abſolutè veri Ordinarij dicantur, quodque in Canone ſive Conſtitutione, aliquid committente Ordinariis locorum, ipſi comprehendantur; & ratio eſt, quia cùm per veritatem, & non per intellectualem abſtractionem habeant omnimodam Ordinariam juriſdictionem in ſuo diſtrictu, admodum Diœceſis conſtituto, ut latè in *1. part. cap. 4. & ſeqq.* ita ut juriſdictio eorum, ad differentiam illius,

quæ

quæ competit aliis Inferioribus Prælatis exemptis, dicatur quaſi Epiſcopalis ob ſuam univerſalitatem; hinc hujuſmodi
10 Prælati abſolutè, & ſine reſtrictione aliqua dici poſſunt *Ordinarij*; quin & appellatione *Diœceſani* veniunt, etiam in materia nova ac præjudiciali, juxta Abbat. *in Clem. Diœceſanis de vit. & honeſt. Clericor.* Gloſſa *in Clem.* 1. §. *volumus. verb. Diœceſanis*, juncto ibi Cardinal. *quæſt.* 4. *num.* 2. Imola *num.* 28. Vitalin. *num.* 4. Fagnan. *in cap. accedentibus num.* 29. *de exceſsib. Prælator.* Unde frequenter dicimus in hoc opere hos Prælatos *nullius* per omnia Epiſcopis exequari, demptis iis, quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis, aliiſque, in quibus Sacri Canones eorum poteſtatem moderarunt. Nec tributa his Prælatis abſolutæ denominatione *Ordinarij*, ulla adeſt implicantia, ſive monſtroſitas duorum Capitum, ut in caſu præcedenti: nam ex quo diſtrictus ille ſive territorium ſeparatur à Diœceſi, Epiſcopus manet omninò excluſſus, & ita non concurrit cum Prælato Inferiori, qui ex tunc incipit eſſe unicum & univerſale illius territorij Caput, atque ita intelligitur, *text. in d. cap. quoniam de for. comp.*

11 Hic opportunè dirimendum venit pulchrum quodam dubium; an nimirùm Prælati Inferiores vocari valeant *Antiſtites*, ita ut nominari poſsint in Canone Miſſæ, ad illa verda *Antiſtite noſtro*, vel in Collecta (quæ ex ſpeciali Apoſtolico indulto dicitur in Eccleſiis Hiſpaniæ, ut refert Romag. *ad Conſtit. Gerund. lib.* 3. *tit.* 17. *cap.* 9. *à num.* 1.) ad illa verba *Antiſtitem noſtrum*? Et quidem quoad Prælatos Inferiores *intra Diœceſim* facilis eſt reſolutio negativa I. nam hoc verbum *Antiſtes*, cujus notatio eſt *ante*
12 *ſtans*, & quod vi ipſa primatum quemdam dicit, ut notat Calvin. *in lexic. verb. Antiſtes*, nonniſi de Epiſcopo Diœceſano directè verificari poteſt, ut advertit Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. Pax Jordan. *Elucubrat. libr.* 1. *prælud.* 1. *num.* 19. Ac proinde Prælato Inferiori accomodari nequit; nam notiſsimum eſt, quod cui verborum proprietas non congruit, convenire non poteſt diſpoſitio, *ex text. in leg.* 4. §. *toties de damn. infect. leg. quod conſtitutum ff. de militar. teſtam.* Rota *part.* 3. *recent. deciſ.* 328. *ſub num.* 1.

13 II. Nam Eccleſiæ intentio tam in Canone, quàm in Collecta, ea eſt, ut preces Deo fundat pro Reipublicæ Chriſtianæ ſtatu ſpirituali & temporali, necnon pro perſonis principalibus ejuſdem, pro quibus orare tenetur; ut pro Papa ex Concilio Vacenſ. *ſub Leone I. can.* 4. & tenet Clem. Roman. *libr.* 8. *Conſtit. cap.* 18. Durand. *in ration. lib.* 5. *cap.* 36. *numer.* 17. Bellarmin. *de Miſſ. lib.* 2. *cap.* 6. & 21. *tom.* 3. Suarez *in* 3. *part. D. Thom. q.* 83. *art.* 4. & *diſp.* 93. *ſect.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 34. *q.* 13. Pro Epiſcopo, ſeu Antiſtite ex Apoſt. *ad Hæbr.* 13. *verſ.* 7. & ibi Gloſſ. interlineal. Innocent. III. *de celebrat. Miſſar. cap.* 5. D. Auguſtin. *Epiſt.* 110. Azor *ubi ſupra.* Et pro Principe Sæculari ex eodem Apoſtolo 1. *ad Thimot.* 2. Bellarm. Durand. & Azor *ubi ſupra.* D. Thom. 3. *part. q.* 83. *art.* 4. *in corpore, verſ. circa oblationem*, & habetur in Concilio Aurelianenſ. *can.* 3. Atqui nullibi ſcripta invenitur obligatio ab Eccleſia impoſita orandi pro Prælatis particularibus Inferioribus; manet igitur hujuſmodi Prælatis adaptari non poſſe præfata verba.

14 III. Conſiderari opportet, tam in Canone, quàm in Collecta, nominationem Antiſtitis in ordine præcedere, illam, quæ fit Regis, quæ præcedentia præſumi facit, ut illic ſolùm intelligantur Epiſcopi, quorum dignitas ſpiritualeque munus, ex ſua inſtitutione, ſuperior excellentiorque habetur, illa Principum Sæcularium, *ad text. in cap. ſolitæ*

de

de maj. & obed. cap. duo ſunt 12. *q.* 1. *cap. un.* §. *unde in veteri de Sacr. unct.* Nacianz. *Orat. ad Cives.* Ambroſ. *de Dignit. Sacerd. cap.* 2. Bellarm. *controv. lib.* 3. *cap.* 9. *ad fin.* Pax Jordan. *Elucubrat. tom.* 1. *prælud.* 11. *num.* 18. quæ utique ratio applicari nequit Prelatis Inferioribus Ordinis Epiſcopalis expertibus.

15 Favent etiam huic ſententiæ Sacrarum Congregationum decreta. Sic enim Gavant. *in Rubr. Miſſal. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 8. *ſub* §. 2. *in fin.* ait : Caveant etiam Regulures ne in Canone nominent Superiores ſuos, ut Antiſtites, ex decreto *Sacræ Rituum Congregationis* 12. *Novembris* 1615. & in terminis Collectæ idem admittendum ait Mendo de *Ordin. Militar. diſquiſ.* 7. *num.* 109. ibi: In Canone Miſſæ loco Epiſcopi nequeũt Regulares apponere nomen Superioris ſui Ordinis. Sic declaravit Congregatio Cardinalium *die* 12. *Novembris* 1615. conſulta à Cæſare Epiſcopo Novarienſi in Hiſpaniis Nuncio, quæ declaratio affertur ab Emman. Rodrig. *tom.* 4. *ſum. cap.* 51. *num.* 13. & ab aliis, ex qua infert Diana 2. *part. tract.* 14. *reſol.* 40. peccare mortaliter Religioſum, qui loco Epiſcopi Generalem ſuæ Religionis apponeret; ſed à mortali eum excuſſant plures allati à P. Quintanaduenas *ubi nuper ſingular.* 36. Nomen autem Generalis Ordinis nec in Collecta poteſt loco Epiſcopi præfigi, quod ob identitatem rationis colligitur ex declaratione præfata. Sic etiam declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione Concilij in una Hiſpaniarum refert Pignatell. *tom.* 1. *conſ.* 297. ibi : *An Religioſi peccarent ſi omitterent in Canone Miſſæ commemorationem pro Epiſcopo loci, vel in ejus loco ponerent Superiorem Religionis? Reſpondeo affirmativè, ita reſpondit Sacra Congregatio Concilij in una Hiſpaniarum conſulta à Nuncio Apoſtolico, dixitque eos mortaliter peccare, cum ſit ad unguem obſervandum Miſſale, nec in Collectis Miſſæ poſſe aliquid addere ſub eadem pœna præter orationem ſolitam pro Rege, & ejus prole atque exercitu.* Hoc ipſum comprobat Pax Iordan. *Elucubr. lib.* 4. *tit.* 1. *ſub n.* 336. ibi: *Abbates verò etiam exempti, Prælati Epiſcopo Inferiores, Religionũ Superiores, aut ejuſmodi, nominandi minimè ſunt, quia non ſunt Antiſtites.* Et concluſionem generalem reſpectu omnium Prælatorũ Inferiorum, firmat Biſſ. *in Hierurg. Sacra tit.* 5. *num.* 119. ibi : *Superiores Regulares numquam poſſunt nominari in Canone ad illa verba* : Antiſtite noſtro *quacumque Dignitate ſint præditi ſive ſint Abbates, ſive etiam Generales, idque propter Bullam B. Pij V. quod nihil propria auctoritate addatur in Miſſa ſine Sedis Apoſtolicæ licentia.*

16 Hæc reſolutio non modò ſibi locum vendicat in Prælatis Inferioribus *intra Diœceſim*, ſed etiam in Prælatis *nullius*; & ratio eſt, quia hujuſmodi Prælati, quocumque nomine nuncupentur, ſub nomine *Antiſtitis* non veniunt, nec fruuntur omnibus prærogativis Epiſcoporum, præſertim, quæ ſunt debitæ ratione Ordinis, ſeu ſtatus Epiſcopalis, ut in terminis Gavant. *ubi ſupra verſ. ſed quis Epiſcopus.* Villaroel *tom.* 2. *Goviern. Eccleſ. q.* 12. *art.* 6. *num.* 34. Sed nunc quæret fortaſſe aliquis, quiſnam Prælatus nomi-
17 nari debeat in Canone Miſſæ, ſeu Collecta ad illa verba : *Antiſtite noſtro*, ſeu *Antiſtitem noſtrum*, in prædictis locis *nullius*? Cui dubitationi Paſqual. *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 217. *num.* 7. reſpondet, vel
18 hujuſmodi Antiſtitis commemorationem eſſe omittendam, ut Romæ fieri teſtatur; vel nominandum eſſe illius Provinciæ Metropolitanum, qui reſpectu Juris Metropolitici, vocari *Antiſtes noſter* à celebrante poteſt. Alij verò, ut Gavant. & Villaroel *ubi ſupra*, Epiſcopum viciniorem nominari volunt, inter has autem Paſqualigij, & Gavanti opiniones quænam tenenda ſit, in præſenti ſtatuere non vacat.

***

CAP.

CAP. XXV.

Super jure Patronatus, & juriſdictione Conventus Monialium Ordinis Sancti Bernardi Oppidi de Conſuegra.

CONCORDATUM fuit, quod juxta inſtrumentum fundationis iſtius Monaſterij de tempore Domini Principis Philiberti, tunc M. Prioris, ſpectant ad Dignitatem Prioralem jus Patronatus, & loca præſentationis in dicto Monaſterio. Quo verò ad juriſdictionem, illiuſque gubernium, concordatum fuit, quod debeant ſpectare ad unam ex duabus Dignitatibus, Archiepiſcopalem, ſeu Prioralem, quemadmodum votum dederit major pars Monialium per vota ſecreta, & ad effectum illa recipiendi, id peragere debebunt duæ perſonæ deputatæ, una videlicèt pro qualibet Dignitate, & in omnem caſum remanet jus explorandi voluntatem Novitiarum de tempore profeſsionis Dignitati Archiepiſcopali, & cætera omnia, quæ per Sacrum Concilium Tridentinum, & Bullas Apoſtolicas reſervata ſunt Ordinariis, tanquam delegatis in Monaſteriis Monialium exemptarum.

SUMMA CAPITIS.

1 *Moniales hujus Càp. ab initio ſub jure patronatus, & juriſdictione Magni Prioris fuerunt.*

2 *Declarato Archiepiſcopo Toletano Diœceſano Prioratuum, in arbitrio Monialium fuit Prælatum eligere.*

3 *Major pars Monialium Magn. Priorem elegit.*

4 *Hujuſmodi Moniales ſubſunt plenè ordinariæ juriſdictioni M. Prioris, & in aliquibus caſibus delegatæ Archiepiſcopi.*

5 *Moniales omnes de jure communi Epiſcopis ſubſunt.*

6 *Superventis privilegiis, tres Monialium ſpecies eſſe cæperunt.*

7 *Moniales Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectæ ſubſunt Epiſcopis, uti delegatis, in concernentibus regimen ſpirituale.*

8 *Moniales ſubjectæ Prælatis Inferioribus ab eiſdem ſunt gubernandæ & regendæ.*

9 *Subſunt tamen Epiſcopis uti delegatis quoad explorationem voluntatis, cuſtodiam clauſuræ, & extraordinarios Confeſſarios.*

10 *An Monaſteria Monialium, aliis Monialibus ſubjecta, ſubſint hodie Epiſcoporum delegatæ juriſdictioni, quoad earum gubernium?*

11 *Reſpondetur affirmativè.*

COMMENTARIUM.

1 POST illas S. Rotæ deciſiones & ſententias in *cap. 9. 1. part.* relatas, quibus Archiepiſcopus Toletanus Ordinarius Diœceſanus Oppidorum Prioratuum fuit declaratus, du-

dubium occurrebat circa jurisdictionem in Cœnobio Monialium Ordinis Sancti Bernardi in Oppido de Consuegra. Cùm enim hoc Monasterium, erectum fuisset à Serenissimo Principe Philiberto de Austria Mag. Priore per id tempus, in quo idem Mag. Prior omnimodam jurisdictionem Ordinariam in his Oppidis sibi vindicabat; hinc in limine fundationis nedum ad Juspatronatus Sac. Religionis Hierosolymitanæ visum fuit spectare, sed ad jurisdictionem Magni Prioris, qui tunc loci Ordinarius existimabatur. His in terminis aliquid con-
2 cedendum erat communi existimationi, *arg. text. in leg. 3. ff. de offic. Prætor.* necnon favor erat ampliandus, accedente fundationis ratione. Itaque licèt postea fuisset detectum, Ordinariam jurisdictionem illius territorij, non ad Magnum Priorem, sed ad Archiepiscopum, spectare; non statim judicatum est, Moniales has Archiepiscopi jurisdictioni esse applicandas, sed supposito Jurepatronatus competente M. Priori ex titulo fundationis; quoad jurisdictionem rectissimè conventum extitit, ut res de novo ageretur, & Monialibus in sua libertate constitutis, in earum esset arbitrio & electione cui potiùs Prælato vellent subesse. Quod
3 cùm res fuisset expedita, juxta formam præscriptam in *hoc cap.* exceptis omnium Monialium suffragiis, sub die 1. Octobris 1699. septem ex eis Archiepiscopum elegerunt, decem verò Magnum Priorem, cui ex tunc, ut Ordinario Prælato, subsunt; ut constat ex instrumento compilato in collectione Decisionum & Concordiæ novissimè Matriti edita *fol.* 159. *à tergo.*

4 His positis, tenendum est Moniales, de quibus in præsenti, subjectas esse ordinariæ jurisdictioni Magni Prioris, & ab ordinaria Archiepiscopi jurisdictione esse omninò exemptas. Quamvis ex Sac. Concilio Tridentino, & aliis Apostolicis Constitutionibus plures sint casus, in quibus Archiepiscopi delegatæ jurisdictioni debent subesse. Quod ut percipiatur, sciendum est, Moniales, sicut & Regulares
5 viros, indistinctè ex jure communi, & antiquo, nativæ Episcopi Diœcesani potestati fuisse obnoxias, quod generaliter firmatur ex Concil. Arelatensi V. *can. 3. anno* 554. apud Sirmond. *tom.* 1. *Concilior. & ex Clement. attendentes de stat. Monach.* Abbas *in cap.* 1. *de stat. Monach. & in cap. dilectus de offic. Ordin.* Bertachin. *de Episc. lib.* 4. *pa t.* 2. *q.* 35. *numer.* 80. *cum seq.* & nos *in cap.* 3. *part.* 1.

6 Postea verò cùm Sedes Apostolica justis quidem de causis privilegia Monialibus concedere cæpisset, quoad propositum jurisdictionis, tres Monialium species in usu esse cœperunt; nam quædam Episcopis sunt relictæ, nulla mutatione inducta, quoad eorum omnimodam ordinariam jurisdictionem, & de his in præsenti non loquimur. Quædam verò immediatè Sedi
7 Apostolicæ sunt subjectæ speciali privilegio, & quamvis S. Concilium Tridentinum hæc privilegia non revocaverit, nec earum exemptionem; tamen cùm experientia fuisset compertum, Monasteria Monialium proximo custode indigere, qui propè excubaret, easque regeret, ideo in *cap.* 9. *sess.* 25. *de Regular.* hujusmodi Monasteria subjecta fuere jurisdictioni delegatæ Episcoporum, quod & cautum erat *in d. Clement. attendentes.* Ex quibus in hujusmodi Monasteriis, Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, præcipere poterit Episcopus, uti delegatus, quodcumque ipsorum spirituale regimen concernat, quamvis non ita quoad regimen temporale ex Sententia Sacræ Congregationis, Barbosa *in d. Clement. attendentes num.* 2. Tamburin. *de jur. Abbatiss. disp.* 14. *q.* 3. *num.* 2.

Aliæ

8 Aliæ verò Moniales ſubjectæ ſunt Prælatis Inferioribus, vel ſui Ordinis quod eſt frequentiſsimum, vel alieni, ut in hoc caſu particulari; & tunc certum eſt has Moniales plenè ſubeſſe juriſdictioni & gubernio Prælati Inferioris ex S. Concilio *in d. cap. 9. ſeſſ. 25. de Regular.* Tributa tantùm Epiſcopis juriſdictione delegata in aliquibns caſi-
9 bus, ut puta ad explorandam voluntatem, ad habitum recipiendarum, ad formam *cap. 17. ſeſſ. 25. de Reformat.* junctis Sac. Congregationis declarationibus, de quibus Pignatell. *tom. 1. conſ. 356. & conſ. 397.* Necnon ad clauſuram introducendam, violatam reſtituendam, inviolatamque conſervandam, *ex cap. 5. ſeſſ. 25. de Regular.* in quo plura occurrunt, circa quæ Epiſcopi juriſdictio explicetur, ut latiſsimè videri poteſt apud Pignatell. *tom. 6. conſ. 15. & tom. 8. conſ. 47.* & apud illius compendiatorem Paſcucium in *titul. de Monialib.* Mathæuc. *in Official. Curiæ cap. 11.* Card. Petra *ad Conſt. 4. Calliſti III. ſect. 2. num. 143.* Similiter ad extraordinarium confeſſorem deputandum, *ex cap. 10. ſeſſ. 25. de Regular.* junctis declarationibus Sac. Congregationis quas referunt Callemart. & Barboſa *ad d. cap. 10.* & Conſtit. Gregorij XV. quæ incipit: *Inſcrutabili*, & quoad Regna Hiſpaniarum noviſsimè diſpoſuit Innocentius XIII. in Bulla *Apoſtolici miniſterij in decreto* 19. & in hac ultima claſsi cenſeri debent Moniales noſtri Capitis, quod ex dictis manet illuſtratum.

10 Verùm adhuc occurrit pulchrum dubium, an nimirùm Monaſteria Monialium, aliis Monialibus ſubjecta, cenſenda ſint, quoad propoſitum juriſdictionis, comprehenſa *in d. cap. 9. ſeſſ. 25. de Regular.* ita ut tota juriſdictio delegata, quoad Monialium gubernium Epiſcopis attribuatur; vel potiùs, ut aliæ Moniales Inferioribus Prælatis ſubjectæ, ſub eorumdem cura & gubernio conſiſtant? Rationem dubitandi præſtat Archid. *in cap. un. de*
11 *ſtat. Regular. in 6.* ubi firmat, quod major Prælata ſi juſtè fuerit impedita, quominus Monaſteria ſibi ſubjecta poſſit gubernare & viſitare, per alium id facere poſsit. Sed tamen contraria ſententia verior videtur, quia poſt leges clauſuræ Abbatiſſa, ſeu Provincialiſſa nequit à Monaſterio ſuo exire, ut hujuſmodi viſitet Monaſteria, Gloſſa in *d. Clement. attendentes. verb. alia.* Barboſa *de jur. Eccleſ. libr. 1. capit. 45. numer. 38.* Rota *deciſ. 44. numer. fin. part. 10. recent.* unde ab ipſa rectè gubernari nequeunt, & proximo Rectore indigere videntur, ut ita habeat locum diſpoſitio *d. cap. 9.* Atque hoc videtur eſſe de mente Sac. Congregationis Concilij in *Hyerarcenſi viſitationis 26. Ianuarij 1692.* in qua firmavit jus delegatum Epiſcopi viſitandi Monaſterium Monialium B. Mariæ Vallis Viridis in Oppido Caſtri veteris ſubjectum juriſdictioni Prioriſſæ Meſſanenſis, nedum quoad clauſuram, ſed etiam in aliis, quæ ad earum regimen & gubernium ſpectant.

*** ***
***

CAP.

CAP. XXVI.

Et ultimum Concordiæ ſuper reparatione, & exactione decimarum locorum Prioratuum.

IN primis concordatur, quod ad Dignitatem Prioralem ſpectat, & pertinet integra perceptio decimarum in omnibus terminis Oppidorum de Argamaſilla de Alva, & Turleque, abſque eo, quod relinquatur tertia pars Dignitati Archiepiſcopali juxta deciſionem Rotæ extenſam à R. P. D. Molines, Sacræ Rotæ Auditore, *ſub die* 21. *Aprilis* 1690. quæ incipit : *Ius percipiendi tertiam partem decimarum.* ¶ Secundò concordatur, pariter ſpectare ad Dignitatem Prioralem integram perceptionem decimarum locorum *de las Sernas*, *& Donadios*, exiſtentium in locis Prioratuum, & hoc ſecundùm formam ejuſdem deciſionis, & idem concordatur quoad *Dehesas*; & declaratur, quod ſi Dignitas Prioralis extenderit poſt annum 1610. terras nuncupatas *Sernas*, *Donadios*, *& Dehesas*, ad alias, ex quibus ſoluta fuerit tertia pars Dignitati Archiepiſcopali, hæc percipere debeat in poſterum tertiam partem, dando, prout dari debet per Dignitatem Archiepiſcopalem nota extenſionum factarum ad alias terras, & probata per illam, tam extenſione, quàm qualitate, quod ſcilicèt dictæ terræ aliàs ſolverint tertiam partem Dignitati Archiepiſcopali. Hæc comprobatio, ſive liquidatio, ſuppoſito, quod non verſetur in terminis regularibus judicij contradictorij, fieri debet à Miniſtris Dignitatis Archiepiſcopalis, cum aſsiſtentia Prioralis, per media magis conducentia ad habendam certitudinem facti, ſtatim, atque obtenta fuerit confirmatio Apoſtolica hujus concordiæ, & interim non debet inquietari, nec perturbari Dignitas Prioralis in poſſeſsione, in qua extat, integræ perceptionis decimarum relatarum. Et vice verſa concordatur, quod ſi terræ *Dehesas*, *Sernas*, *& Donadios*, ex quibus Dignitas Prioralis percipiebat integrè decimas, abſque eo, quod tertiam partem relinqueret Dignitati Archiepiſcopali uſque ad dictum annum 1610. reſtrictionem paſſæ fuerint poſt eundem annum 1610. & in eo, quod remanſerit extra Deheſam, Sernam, & Donadium, perceperit Dignitas Archiepiſcopalis tertiam partem; probata ex parte Prioralis Dignitatis hac conditione juxta

modum, & formam præfatos, quoad ea, quæ concernunt extenſionem, remanere debet integra perceptio Dignitati Priorali. In eventum, in quem fiat liquidatio, & comprobatio prædicta terrarum, in quibus Dignitas Prioralis ſe extenderit ad percipiendas integrè decimas, concordari debet, & ex nunc concordatur, quod Dignitas Archiepiſcopalis percipiat tertiam partem illarum, & in caſu neceſſario, ad hoc, ut in futurum diſtinctum, & clarum remaneat jus utriuſque Dignitatis, fieri debet nota confinium, & limitum terrarum de Sernas, & Donadios, & quodlibet dubium, quod occurret circa præmiſſa, concordari debet ab ambabus Dignitatibus, nominando quælibet duas perſonas, quarum reſolutioni ſtari debet, & in eventum diſſenſionis deputabitur tertius, & illius loco erit Dominus Nuncius ſuæ Sanctitatis in his Regnis, vel ejus Generalis Auditor. ¶ Tertio ad formam ejuſdem deciſionis expeditæ *ſub die* 21. *Aprilis* 1690. concordatur, quod Dignitas Archiepiſcopalis debeat percipere unam tertiam partem, & Prioralis duas tertias partes decimarum terrarum, & bonorum, quæ cum fuerint infructifera, fuerunt redacta ad culturam, & vocantur Novalia, & pariter terrarum, in quibus mutata fuit cultura fructuum, facta probatione à Dignitate Archiepiſcopali, quod ex fructibus, qui antiquo tempore ſerebantur in his terris, percipiebat tertiam partem, & eorum loco ſubrogati, plantati, ac ſeminati fuerint alij. Et ad effectum verificandi, & liquidandi numerum terrarum, in quibus contingit redactio infructiferarum ad novam culturam, & mutatio, ac ſubrogatio fructuum loco aliorum, prout evenit in hortis, dari debet à Dignitate Archiepiſcopali nota illarum, & comprobari (juxta formam relatam in puncto ſecundo) hæc mutatio fructuum, & fractura terrarum infructiferarum, ad quarum integram perceptionem decimarum ſe extenderit Dignitas Prioralis poſt annum 1610. & interim non debet perturbari in poſſeſsione quam habet, & dubia, quæ ſuper hoc facto, ejuſque liquidatione occurrent, concordari debent juxta formam ſupra relatam. ¶ Quarto concordatur, quod reſpectu decimarum debitarum ab Equitibus, Fratribus, Parochis Prioribus Religionis, illorumque Locumtenentibus ex eorum bonis patrimonialibus, quælibet ex duabus Dignitatis ſequatur ſuum jus; Religio ſcilicèt pro ſuis duabus tertiis partibus, & Dignitas Archiepiſcopalis pro ſua tertia parte contra Decimatores, & debitores. Idem concordatum fuit, quoad decimas bonorum Capellaniarum jurium Patronatus, operum piorum, & Confraternitatum ſæcularium, & pariter circa id, quod attinet ad ter-

tiam

tiam partem decimæ de Soſſa, & Barrilla, in qua Religio non impediet Dignitatem Archiepiſcopalem, quominus utatur jure ſuo contra Decimatores debitores. ¶ Quinto concordatur, quod ſolvi non debet Dignitati Archiepiſcopali tertia pars decimarum bonorum, quæ uſque ad præſens tempus acquiſiverint fabricæ Eccleſiarum Parochialium, Eremitoriorum, & Hoſpitalium Religionis Sancti Joannis, & in hac concordia non remanent comprehenſæ novæ acquiſitiones bonorum, quas in futurum obtinebunt, quia in iſtis ſtandum erit determinationi juris. ¶ Sexto concordatur, quod Dignitas Prioralis vigore ſuorum privilegiorum poſsit cognoſcere de omnibus cauſis civilibus concernentibus exactionem decimarum, & reddituum ſpectantium ad illam, & ad ejus Religionem, tam contra Clericos, quàm contra perſonas Sæculares, abſque eo, quod per hoc impediatur, quominus in eventum, in quem ex parte Prioralis Dignitatis conveniri velint ſui debitores coram Dignitate Archiepiſcopali, hoc ad libitum facere valeat; & pariter concordatur, quod in eventum, in quem aliqua perſona privilegiata cum foro Religionis, ſit debitrix Dignitatis Archiepiſcopalis, & participantium in decimis, ex quo ſit affictuaria illorum, ſive Collector fructuum, quos debeat ſolvere, & non in alio caſu, poſsit conveniri, non obſtantibus ſuis privilegiis, coram Miniſtris Dignitatis Archiepiſcopalis, remanente pariter in arbitrio, & voluntate creditoris, quod poſsit convenire debitorem coram Dignitate Priorali. ¶ Ultimo concordatur, quod poſtquam approbata fuerit hujuſmodi concordia à ſua Sanctitate, ſi aliqua inſurgunt dubia in ea non comprehenſa ſuper juriſdictione, ſeu quævis alia, quæ oriantur inter Miniſtros utriuſque Dignitatis, concordari debent juxta formam expreſſam in hoc ultimo Capitulo; quod, & cętera omnia hic expreſſa cõcordarunt, quod omni perpetuo tempore obſerventur, & ſuper illis inſtrumentum ſtipuletur ab ambabus Dignitatibus, earumque nominibus ſubſcripſerunt quatuor Deputati, & nominati, à præfatis Dignitatibus. Declaratione tamen adjecta, quæ cenſeatur repetita in principio, medio, & fine, & in qualibet parte præſentis inſtrumenti, quod omnia, & ſingula in eo contenta, & amicabiliter concordata inter utramque Dignitatem, intelligantur enunciata, diſpoſita, & declarata inter ipſas partes, & in præſenti cauſa tantùm, ad ſolum finem, & effectum terminandi controverſiam ſupra expreſſam, & obſequendi clementiſsimis monitis Sanctiſsimi Domini noſtri Innocentij XII. fœliciter regnantis, itaut nunquam quoad alios caſus, etiam ſimiles, loca, & perſonas tranſeant in exemplum, nec

liceat cuicumque alteri illa uti, aut eam in judicio, vel extra allegare, quemadmodum etiam neque per eam præjudicatum cenſeatur, nec juriſdictioni Ordinariorum, nec privilegiis Religionis, & non aliàs &c. ¶ Inſuper expreſsè convenerunt partes præfatæ, quod per hanc præſentem concordiam, cenſeantur, & ſint cum effectu ſublatæ, & penitùs extinctæ omnes, & quæcumque prætenſiones, & lites hinc inde motæ, & forſan movendæ contra tenorem, & firmitatem præſentis concordiæ, cum hoc ſolùm, quod non intelligatur ſublata facultas Dignitati Priorali proſequendi judicium reſtitutionis in integrum ſuper prætenſo territorio ſeparato, ſed in hoc caſu licitum quoque ſit è converſo Dignitati Archiepiſcopali proſequi ſuas lites, & prætenſiones, quamvis in præſenti tranſactione ſopitas, cum hoc tamen, quod pendentibus dictis judiciis, vel altero ex eis, præſens concordia manere debeat in ſuo robore, & inviolabiliter obſervari uſque ad rem judicatam contrariam alteri ex partibus reſpectivè.

SUMMA CAPITIS.

1 *Ad Epiſcopum ſpectat totius patrimonij Eccleſiaſtici adminiſtratio.*

2 *Bona Eccleſiæ in partes fuerunt diviſa, quarta Epiſcopo relicta.*

3 *In Hiſpania portio Epiſcopi Canonica eſt tertia pars.*

4 *Epiſcopus de jure fundatam habet intentionem ſuper portione ſua Canonica, etiamſi Parochiæ ſint diſtinctæ, ſeu Monaſteriis unitæ.*

5 *Archiepiſcopus Toletanus fundatam habet intentionem ad percipiendam tertiam partem decimarum in Oppidis Prioratuum.*

6 *Hieroſolymitani opponebant ſua privilegia & præſcriptionem, ut in aliquibus bonis ſibi jus decimandi vindicarent.*

7 *Monachi antiquitus decimas & oblationes ſicut laici pendebant.*

8 *Gregorius VII. Monachos exemit à decimis perſonalibus & prædialibus.*

9 *Hadrianus IV. exemptionem Gregorij reſtrinxit ad novalia, exceptis Ciſtercienſibus, Templariis, & Hieroſolymitanis.*

10 *Alexander III. plenè Hadrianum imitatur.*

11 *Exemptio decimarum non extenditur ad prædia conducta, nec ad aliis elocata.*

12 *Queruntur Epiſcopi de damno Eccleſiarum, ex his exemptionibus orto.*

13 *Innocentius III. adhortatur Ciſtercienſes, ut quærelis Epiſcoporum juſto temperamento occurrant.*

14 *Ciſtercienſes ſtatuunt in Capitulo Generali, ut de omnibus prædiis, poſtea acquirendis, decimæ ſolverentur.*

15 *Innocentius III. in Concilio Lateranenſi approbat ſtatutum Ciſtercienſium, & ex eo regulam generalem pro omnibus privilegiatis quoad decimas ſtatuit.*

16 *Quæſtiones ſuper decimis ſi ſint de prædiis acquiſitis ante Concilium, terminandæ ſunt juxta diſpoſitionem Hadriani, ſi de acquiſitis poſt Concilium, juxta* cap. nuper de decim.

17 *Exemptio à decimis prædialibus poſt Concilium non ſubſtinetur, niſi in privilegio derogetur* d. cap. nuper.

18 *De amplis privilegiis Hieroſolymitanorum ſuper decimis, remiſsivè.*

19 *Derogatum cenſetur* d. capit. nuper, *ſi in privilegio derogetur alicui Concilio Generali, & poſtea ſubdatur* : Et aliis Conciliis.

Idem

Idem ſi dicatur: Non obſtante aliqua Conſtitutione in Generali Concilio edita.

20 *De moderandis privilegiis circa decimas remiſsivè.*

21 *Monachi ex præciſo titulo Monachatus decimas exigere non poſſunt.*

22 *Primus titulus, quo Monachi decimas obtinuerunt, fuit paupertas Monaſteriorum.*

23 *Secundus titulus, donatio laicorum, juncta Eccleſiæ tolerantia.*

24 *Tertius titulus, adminiſtratio Sacramentorum, & ipſis factæ uniones Eccleſiarum.*

25 *Regulares poſſunt præſcribere jus activum, & paſsivum decimandi.*

CONCORDAT. I. & II.

26 *Sacra Rota decidit Archiepiſcopo non deberi tertiam partem decimarum ex prædiis nuncupatis* Deheſas, Sernas, & Donadios, *necnon ex ſitis in diſtrictu de Argamaſilla, & Turleque.*

27 *Fundamentum Deciſionis non fuit pertinentia prædiorum ad Sac. Religionem, ſed præſcriptio, ab ea comprobata.*

28 *Vbi deficit Religionis præſcriptio, & adeſt Archiepiſcopi poſſeſsio, huic tertia pars debetur ex reſolutione Apoſtol. Nuncij quoad deheſam de Vrda.*

29 *Refertur declaratio Congregationis Concordiæ quoad deheſam de Tirez, & Borregas.*

30 *Alia declaratio ſuper decimis animalium, quæ in proxima deheſa paſcuntur.*

31 *Si prædia* (*de quibus* num. 26.) *poſt annum* 1610. *extendantur tertia pars debetur Archiepiſcopo reſpectu extenſionis.*

32 *Fundatur hæc declaratio in ſtricta & odioſa natura præſcriptionis.*

33 *Onus probandi extenſionem incumbit Archiepiſcopo; & quare.*

CONCORDAT. III.

34 *De omnibus prædiis Incolarum Prioratus debetur tertia pars Archiepiſcopo.*

35 *Contra autem de illis, in quibus integram decimam præſcripſit M. Prior.*

36 *Quid circa novalia, & prædia, in quibus mutata eſt cultura.*

CONCORDAT. IV.

37 *Circa decimas de bonis patrimonialibus Hieroſolymitanorum remiſsivè.*

CONCORDAT. V.

38 *Bona quæſita Eccleſiis, Eremitoriis, & Hoſpitalibus S. Religionis uſque ad tempus Concordiæ immunia ſunt ab onere tertiæ partis; ſecus poſt Concordiam acquiſita.*

39 *Proponitur objectio contra diſtinctionem.*

40 *Satisfit objectioni.*

CONCORDAT. VI.

41 *M. Prior habet juriſdictionem ad exigendas decimas Religioni debitas.*

42 *Diœceſanus procedere poteſt contra exemptum affictuarium, aut fructuū collectorem.*

43 *Generaliter Epiſcopo competit cauſas decimales cognoſcere.*

CONCORDAT. FIN.

44 *De Congregatione Concordiæ.*

COMMENTARIVM.

1 CVM de Epiſcopalis poteſtatis diviſione ageremus inſinuavimus jus Epiſcopi circa decimas ad poteſtatē *Adminiſtrationis*, & ſic ad ejuſdem legem diœceſanam, ſpectare. Ab initio ſiquidem cum univerſa Diœceſis cura attributa etiam Epiſcopo perſpicitur totius patrimonij Eccleſiaſtici adminiſtratio, & fidelis diſpenſatio, ut patet in *can.* 38. *Apoſt.* ibi: *Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam gerat Epiſcopus, & adminiſtret tanquam Deo intuente*; quod ipſum habetur in Concilio Antiocheno *can.* 25. & in Gangrenſi *can.* 7. & 8. & *in cap. decimas* 1. 16. *q.* 7. ibi: *Has verò decimas ſub manu Epiſcopi fore cenſemus: ut ille, qui cæteris præeſt, omnibus juſte diſtribuat.*

2 Hanc Eccleſiaſticarum facultatum ſoli Epiſcopo creditam molem, poſtmodum placuit pro meliori regimine in quatuor partes diſtribuere,

quarum prima Epiſcopo cedebat, ſecunda Presbyteris, Diaconis, & Clero; tertia Eccleſiarum fabricæ; quarta pauperibus, ita habetur in *cap. conceſsio*, & *in cap. de reditibus* 12. *q.* 2. In Conciliis verò Hiſpaniæ tripartita partitio fuit
3 inducta, tertia parte Epiſcopo conceſſa, ut patet in Concilio Toletano IV. *can.* 32. relato in *cap. conſtitutum* 16. *q.* 1. & ex Toletano IX. *can.* 6. & Toletano XVI. *can.* 5. & 7. circa quas partitiones plura obſervant le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 10. Thomaſin. *de vet. & nov. Eccl. diſcipl. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12. & *ſeqq.* & præcipuè *cap.* 15. *n.* 8.

4 Hæc teſtimonia ſufficiunt, ut affirmemus Epiſcopum de jure communi ſuam intentionem fundatam habere, ut portionem ſuam Canonicam, ſive quarta, ſive tertia pars ſit, exigat, & percipiat. Hæc autem Epiſcopi fundata intentio, & ipſi favens juris aſsiſtentia, ubi Parochiæ non ſunt diſtinctæ, ut frequenter accidere in Hiſpania notat Cardinal. de Luca *de decimis diſc.* 1. *num.* 4. indubitata eſt, non modò quoad Epiſcopi Canonicam portionem, ſed quoad omnes decimas, *ex cap. fin. de Paroch. & cap. quoniam* 13. *de decim.* & ibi Butr. & Abbas, quia in hoc caſu ſolus Epiſcopus univerſæ Diœceſis Parochus conſideratur, uti Rector & Caput Eccleſiæ Cathedralis, quæ unica etiam tunc cenſetur Parochia, Azor *inſtit. Moral. lib.* 7. *cap.* 25. §. *nono quæritur.* Gonzal. *ad regul.* 8. *Chancell. gloſſ.* 6. *num.* 76. Rota *deciſ.* 164. *num.* 2. *apud Burat.* Sed etiamſi Parochiæ ſint diſtinctæ, pariter fundata eſt de jure Epiſcopi intentio ſuper portione ſua Canonica, ex *cap. cùm contingat* 29. *de decim.* ubi latè Fagn. *n.* 23. Quin etſi Parochiæ alicui Monaſterio ſint unitæ, ut patet *ex cap. conquerente de offic. Ordinar.* ubi inter jura Epiſcopalia in his Eccleſiis diſſertè enumerat Pontifex quartam decimarum.

5 Hæc cùm ita ſint incontroverſa erat in propoſito noſtro juris aſsiſtentia favens Archiepiſcopo Toletano ad perceptionem tertiæ partis decimarum in Oppidis Prioratuum, utpotè exiſtentibus in Diœceſi Toletana; quod jus in genere confirmabatur ex antiquiſsimis Concordiis anni 1228. & 1229. relatis in *cap.* 9. *part.* 1. & agnovit Rota in *deciſ.* 70. *num.* 16. & *ſeq. part.* 13. *rec.* ac tandem, particulari ſuper hoc diſputatione adhibita, *in deciſ.* 21. *Aprilis* 6 1690. *cor. Molines.* Quia tamen illa generalis juris aſsiſtentia limitatur, vel privilegio, vel præſcriptione; & utrumque opponebant Hieroſolymitani, ut reſpectu aliquorum bonorum jus decimandi ſibi vindicarent; ideo *in d. deciſ.* 21. *Aprilis*, & ex ea *in h. cap.* plures caſus diſtinguuntur. Ante quorum particularem explicationem, cùm materia *h. cap.* verſetur num circa jus paſsivum, num circa jus activum decimandi, duo in præſenti diſquirere opportet. I. Quomodò & quando Regulares præſertim Hieroſolymitani à decimarum præſtatione ſint exempti. II. Quomodò & quando decimarum perceptio ad ipſos fuerit derivata. In primo ipſorum Regularium, & Religionis bona reſpicimus. In ſecundo bona comprehendimus laicorum.

7 Et quoad I. notum eſt Monachos, priuſquam è laicorum gradu, quo antea continebantur, ad Clericorum officia conſcendiſſent, Epiſcopis & Parochis, à quibus ſpiritualia accipiebant, officia pietatis & Religionis pendere debuiſſe; ſicque & oblationes, & decimas ad morem reliqui populi eis contribuebant, ut de oblationibus expreſſus eſt locus Hieronymi in *Epiſt.* 1. *ad Heliodor.* ibi: *Clerici paſcunt oves; ego paſcor. Illi de Altari vivunt; mihi quaſi arbori infructuoſæ ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non defero.* Et de decimis plenè teſtatur Anthiochus *homil.* 120. ibi:

Præ-

Præcipuè autem Monachi offerre Deo debent primitias & decimas, nec eas modò, quæ in conſpicuo ſunt hoc eſt iis, quæ aliorum munere ipſis diſtribuuntur, aut ex opere manuum reſiliunt commoda, ſed & ſpirituales hoſtias.

8 Ut autem cœpit diſciplinæ ratio mutari, & deſierunt Monachi à Parochis Sacramenta recipere, hinc decimas exolvendi præcipua ceſſare ratio cœpit, unde à Gregorio VII. ut fert communior opinio, initium datum exemptioni Monachorum à decimis ſive perſonalibus, ſive prædialibus. Statutum Gregorij poſt Concilium Lateranenſe *pag.* 13. tale eſt: *Statuimus, ut Monaſteria ex ſuis prædiis nullomodo decimas ſolvere cogantur, quia ſi legitimè dandæ ſunt, orphanis & peregrinis dandæ ſunt. Indignum eſt enim, ut à Clericis exigantur, qui propter eum cujus ſunt decimæ pauperes efficiuntur. Nam pauperes Domini ſunt, pauperum hæreditas pauperibus ejus erogandæ eſt, illis videlicet, qui propter amorem illius quæ poterant poſsidere dimittunt, eumque nudi ſequentes, poteſtati ſe alterius ſubmittunt.* Ex his Gregorij verbis deprehendimus primam cauſam, quin & præcipuam eximendi à decimis prædia Monachorum, fuiſſe paupertatem Monaſteriorum; unde etſi hoc privilegio aliquantulùm diminuerentur redditus Eccleſiarum, & Epiſcopi & Parochi æquo animo illud ferre tenebantur. Atque hinc etiam juſtiſsimum idem Gregorius putavit, ut ſi manualibus operibus aliquod ſibi lucrum Monachi paraſſent, decimarum onere non gravarentur, quippè in ipſorum alimoniam ſuæque inopiæ levamen convertebatur, ait enim: *Magna ratione nititur dictum privilegium, nam Monachi quidquid lucrantur non ſibi, ſed communicati acquirunt pro fratrum ſubſtentatione, & reſiduum in pauperes expendunt; unde injuſte ab eis decimæ exiguntur.* Univerſalem etiam legem circa hoc edixit, qua & Canonicos Regulares fuit complexus Paſchalis II. *in cap. decimas 16. q. 1.*

9 Res ita ſe habuit ad ætatem uſque Hadriani IV. circa annum Chriſti 1154. Hic enim Pontifex nonnullas de Monachorum decimis Conſtitutiones edidit, in quibus abſolutam libertatem Monachis à ſuis Prædeceſſoribus tributam à decimis prædialibus, ad ſola novalia reſtrinxit, teſte Alexandro III. in *Concilio Lateranenſi part.* 13. *cap.* 3. De prædiis autem & agris, quæ olim culta fuerunt, integram decimam perſolvi voluit *in cap. commiſſum de decim.* Ab hac tamen regula, à ſe diſpoſita, excepit Hadrianus Ciſtercienſes Templarios, & Hieroſolymitanos, ut conſtat *ex cap. ex part.* 10. *de decim.* ubi horum exemptio extenditur ad prædia, quæ vel ipſi propriis manibus, aut ſumptibus excolerent. Succeſsit Alexander III. qui per omnia Hadrianum imitatus eſt in ea Epiſtola, quam anno 1170. Ar-
10 chiepiſcopo Tarraconenſi reſcripſit, & habetur *in d. cap. ex parte*, his verbis: *Sed prædeceſſor noſter Adrianus ſolis fratribus Ciſtercienſis Ordinis, & Templariis, & Hoſpitalariis decimas laborum ſuorum quos propriis manibus, vel ſumptibus colunt, indulſit: cæteris verò, ut de novalibus ſuis quos propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſolvant: quem ſumus ſuper his imitati.* Atque ut Ciſtercienſium privilegium ad ſola novalia non reſtringeretur, cavit idem Alexander *in cap. ad audientiam eod. tit.* Ut autem hęc privilegia de prędiis propriis, & proprio labore colendis loquebantur, duo circa ea declaravit idem Alexander, I. ut hæc indulta
11 non comprehenderent prædia conducta, decimis ante obnoxia, ita habetur in *cap. dilecti 6. de decim.* II. ut ſimiliter hæc non extenderentur privilegia ad fundos, qui aliis excolendi locabantur, ita in *cap. licèt eod. tit.*

Hæc

12 Hæc privilegia, quæ, ut vidimus, juſta neceſsitatis cauſa fuerunt introducta, æquo animo tulerunt Epiſcopi, cùm Monaſteria paupertate premebantur; cùm verò poſtea Monaſteriorum redditus, & bona plurimùm excreſcerent, & hinc Eccleſiis & Parochis maximum ſequeretur detrimentum, acres Epiſcoporum ſubſequutæ ſunt quærimoniæ, ut conſtat ex Petro Bleſſenſi, *Epiſt.* 82. Joan. Sarisbar. *lib.* 1. *de nug. Curial. cap.* 21. *& Epiſt.* 92. & ex Alexandro III. *in cap. Juggeſtum de decim.*

13 Quod cùm hæ quærelæ delatæ eſſent ad Innocentium III. adverſus Ciſtercienſes præcipuè, hic Pontifex anno 1213. ad eoſdem Ciſtercienſes in Capitulo Generali congregatos dedit Epiſtolam, quæ eſt in *lib.* 16. *Epiſt.* 85. in qua eos adhortatur, ad juſtum ſuper hac re temperamentum amplexandum, utque ampliùs urgeret, eis minitatur fore, ut proximo Concilio omnia illorum privilegia abrogarentur. *Scientes*, inquit, *vobis eſſe merito formidandum, ne propter clamores ejuſmodi Sacrum Concilium auctore Domino in proximo celebrandum, privilegia veſtra coarctanda provideat, vel etiam revocanda. Cùm privilegium mereatur amitttere, qui conceſſa abutitur libertate.*

14 Monitis Innocentij PP. Capitulares, ut par erat, permoti, decreverunt, ne de cætero poſſent prædia emi, quodque ea, quæ novi Conventus fundandi ratione emerentur, darentur ad colendum aliis, à quibus Eccleſiæ decimas exigerent, & de omnibus prædiis, poſtea acquirendis, decimas ſolverent, quæ priùs ſolvebantur à dominis prædiorum; vel potiùs ea reſpuerent, ſi ſolvere nollent: ita Manrique *Annal. Ciſtercienſ. tom.* 4. *anno* 1213. *cap.* 12. Hoc

15 autem Ciſtercienſium Capitulare ſtatutum probatum extitit Innocentio, atque ideo nedum illud confirmavit in Concilio Generali Lateranenſi IV. anni 1215. quod refertur in celebri *cap. nuper* 34. *de decim.* ſed juxta ipſum generalem legem omnibus privilegiatis indixit, ut de omnibus prædiis, poſt dictum Concilium acquirendis, etiamſi ea propriis manibus & ſumptibus colerent, decimas ſolverent Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur, niſi aliqua compoſitio adfuerit.

16 Hic eſt univerſus ſtatus exemptionum à decimis de jure communi, quo attento univerſæ quæſtiones ſuper exemptione decimarum ita terminandæ ſunt, ut ſi agatur de prædiis ſeu poſſeſſionibus, acquiſitis ante Concilium Lateranenſe obſervari debeat diſpoſitio Hadriani *in d. cap. ex parte*, & diſtinctio inter ipſos privilegiatos in eo adhibita: ſi verò agatur de prædiis, poſt dictum Concilium acquiſitis, locum habeat generalis quoad omnes privilegiatos diſpoſitio ejuſdem Concilij *in d. capit. nuper.*

17 Ab hac tamen Lateranenſis Concilij diſpoſitione plures poſtea ſpecialibus privilegiis ſe excipere & ſubtrahere ſunt conati; hacque de cauſa cùm frequentes eſſent controverſiæ ſuper ipſorum privilegiorum ſubſiſtentia & efficacia, in eam tandem deventum eſt ſententiam, ut non aliter hujuſmodi privilegia liberent à diſpoſitione hujus Concilij, quàm ſi in eis contineatur derogatio *d. cap. nuper*, prout continetur in privilegio Ciſtercienſibus conceſſo à Martino V. *in Conſtit.* quæ incipit: *Militantis Eccleſiæ*, & eſt 8. *tom.* 1. *Bullarij*, & PP. Societatis Jeſu à Gregorio XIII. *in Conſtit.* quæ incipit: *Paſtoralis officij*, & eſt 51. *tom.* 2. *Bullar.* Cæteri qui in ſuis privilegiis hujuſmodi derogationem non habeant præfatum Conciliare decretum obſervare tenebuntur, ut expreſsè Fagnan. *in d. cap. nuper num.* 28. Cardin. de Luca *de decim. diſc.* 1. *n.* 14. Pignatell. *tom.* 8. *conſ.* 8. *num.* 20. *& ſeq.* Cardin. Petra *ad d. Conſtit.* 6. *Honorij III.*

ſect.

ſect. 2. *num.* 92. plenè Rota *deciſ.* 96. *num.* 2. *poſt. Tamburin. de jur. Abbat. deciſ.* 103. *num.* 2. *part.* 7. *deciſ.* 22. *num.* 4. *part.* 10. *deciſ.* 201. *num.* 3. *part.* 19. *recent. deciſ.* 181. *num.* 8. *&* 9. *cor. Cerro.* & ita ſæpiùs reſolvit S. Congregatio, prout refert Pignat. *d. conſ.* 8.

18 De ampliſsimis in hac parte privilegiis Religionis Hieroſolymitanæ latè Eſcaño *in propugn. diſcept.* 12. *cap.* 1. & Rota in *Hiſpalenſi Decimarum* 27. *Iunij* 1644. *cor. Corrado*, quæ eſt *la* 302. *part.* 9. *& in deciſ.* 185. *num.* 11. *&* 12. *cor. Othobono, & in deciſ.* 194. *num.* 11. *&* 12.

19 Benè tamen verum eſt quod cùm hæc quæſtio non tam poteſtatis, quàm voluntatis ſit, ideo ſi conſtet de mente Papæ derogare volentis, etiamſi expreſsè & nominatim non derogetur *d. cap. nuper*, cenſebitur derogatum, ut ſi in privilegio derogetur alicui Concilio Generali, & poſtea ſubdatur clauſula: *Et aliis Conciliis &c.* vel ſi dicatur: *Non obſtante aliqua Conſtitutione in Generali Concilio edita*, ut ex Rota *in Conchenſ. exemptionis decimarum* 17. *Martij* 1589. *cor. Orano, & deciſ.* 316. *num.* 11. *part.* 5. *recent.* & ex Garcia *de benef. part.* 4. *cap.* 5. *num.* 40. tenet Fagnan. *in d. cap. nuper num.* 30. *& ſeq.* Card. Petra *tom.* 4. *ad Conſtit.* 10. *Gregorij XI. num.* 8.

20 De his autem privilegiis moderandis tum ob defectum cauſæ impulſivæ, paupertatis nimirùm privilegiatorum; tum ob damnum & præjudicium quod Parochialibus Eccleſiis, & Clero Sæculari generatur, aliaque magni ponderis inconvenientia, latè agit Pignatell. *d. conſ.* 8. *per tot.* ubi etiam refert moderationem adhibitam in Regnis Caſtellæ, & Legionis à Leone XI. quam poſtea confirmavit Urbanus VIII. & de ea agitur in *Hiſpalenſi decimarum* 29. *Maij* 1638. *cor. Cerro.* Illamque tandem *num.* 8. concluſionem, ut de mente S. Congregationis, hodieque tenendam, ſtatuit, *ut Regulares teneantur ſolvere decimas illorum bonorum, ex quibus laici, dum illa poſsidebant, illas ſolvebant.*

21 Hucuſque ſatis enituit quomodò Monachi, & alij privilegiati à decimarum ſolutione fuerint exempti. Nunc autem ſuccedit diſpiciendum alterum, quod ſupra propoſuimus, quomodò videlicet ad Monachos decimarum perceptio fuerit derivata. Et quidem cùm decimæ ex ſua inſtitutione, & jure Levitico Clericis tantum Sacramentorum adminiſtratoribus debeantur, *cap. non eſt* 22. *de decim.* D. Gonzal. *in cap. cum ſint homines* 18. *num.* 2. *eod. tit.* Et Monachi, ut latè diximus *in cap.* 3. *part.* 1. *& in cap.* 1. *part.* 2. à Clericorum officio & functionibus longè ex ſua inſtitutione diſtarent; hinc certum eſt ad Monachos ex præciſo titulo Monachatus decimas non ſpectare, ut colligitur ex Innocentio Papa *in cap. ſi Monachus* 16. *q.* 1. Unde alij detegendi ſunt tituli ac modi, quibus Monachi jus decimandi ſunt adepti.

22 Primus ergo antiquiſsimus titulus, ſeu ratio ad decimas obtinendas, qui ex Monaſteriorum paupertate proficiſcitur, cenſendus venit. Sicut enim hac de cauſa Monachos à decimis redendis æquum fuit liberare, ita ex eadem juſtiſsimè fuit receptum, ut Monachi ab aliis decimas exigerent, quas Pontifices & Epiſcopi ſibi utendas fruendas cedere ſolebant, ut de Hiſpaniæ Epiſcopis patet in Concilio Toletano IX. *can.* 5. In quam ſanè largitatem ipſa decimarum natura invitabat, ut arguit Ivo Carnotenſis *Epiſt.* 192. his verbis: *Licèt enim decimæ & oblationes principaliter Clericali debeantur militiæ; poteſt tamen Eccleſia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Chriſti Crucem, ſequuntur pauperem Chriſtum.*

Secundus

23 Secundus titulus ſive modus, quo Monachi decimas obtinuerunt, fuit donatio ſive conceſsio laicorum, juncta tolerantia Pontificum & Epiſcoporum; cùm enim ante Concilium Lateranenſe laici decimas uſſurpaſſent, & detinerent, tolerarunt Pontifices & Epiſcopi, ad majora ſcandala vitanda, ut ita uſſurpatæ decimæ à laicis, poſſent Monaſteriis donari, ut docet Le Maiſtre *de decim. lib.* 1. *cap.* 12. Eminent. Cardin. Petra *tom.* 4. *ad Conſtit.* 3. *Gregorij XI. num.* 30. & nos diximus in *cap.* 1. *n.* 24. *h. p.*

24 Tertius autem titulus eſt adminiſtrationis. Cùm enim Monachis, jam ad Sacros Ordines admiſsis, Parochiæ & plebes regendæ committerentur, quin & plures Eccleſiæ perpetua annexione Monaſteriis applicarentur, conſequens parque erat, ut pro Sacramentorum adminiſtratione decimæ penderentur eiſdem Monachis, *d. cap. ſi Monachus* 16. *q.* 1. Itaque decimæ ratione hujus tituli tot modis ad Monachos ſunt derivatæ, quot Eccleſiæ eorum poteſtatis factæ ſunt, de quo latè dixi in *d. cap.* 1. *h. p.* Atque hac ratione in hoc Capite Dignitati Priorali duæ tertiæ decimarũ partes aſsignantur, quia Parochiæ hujus diſtrictus ad Hieroſolymitanos ſpectare judicatum eſt.

25 Tandem jus decimandi ſive paſsivum, ſive activum competere poteſt Regularibus per præſcriptionem, vel immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo, *ad cap. de quarta de præſcript. cap. cùm in tua* 30. *cap. dudum. cap. in aliquibus* 32. *cap. nuper* 34. *de decim.* Moneta *de decim. cap.* 50. *quæſt.* 4. *num.* 65. & 96. & *q.* 5. *n.* 106. & 107. D. Covarr. *var. reſol. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 8. *verſ. primum hinc conſtat.* Card. de Luca *de decim. diſc.* 1. *num.* 31. *in fin.* Cardin. Petra *ad d. Conſt.* 6. *Honorij III. num.* 42. Rota *deciſ.* 485. *num.* 7. & *cor. Coccino deciſ.* 100. *à num.* 11. *ad* 16. & *deciſ.* 35. *num.* 9. *part.* 19. *recent.* Et hoc jure uſi ſunt Hieroſolymitani, ut Archiepiſcopum excluderent à perceptione tertiæ partis decimarum ex aliquibus prædiis Magni Prioratus, ut ſtatim videbimus.

CONCORDAT. I. & II.

26 EX dictis *numer. præced.* ſatis clarè apparet fundamentum hujus Concordati; nam cùm pro parte Magni Prioris ſatis probata appareret antiquiſsima conſuetudo, ſive poſſeſsio immemorabilis decimas integrè percipiendi ex prædiis ſitis in diſtrictu Oppidorum de Argamaſilla & Turleque, necnon ex aliis prædiis nuncupatis, *Sernas, Donadios, & Deheſas*, quæ propria ſunt S. Religionis; hinc rectè fuit reſolutum in Sacra Rota *in deciſ.* quæ *in h. cap.* refertur, & amplexatur à Concordantibus, ad Magnum Priorem integrè ſpectarè jus decimandi in his prædiis, nec ex eis tertiam partem Archiepiſcopo eſſe præſtandam.

27 Notandum tamen eſt in citata deciſsione præcipuum fundamentum exemptionis decimarum deſumi ex præſcriptione, non autem ex pertinentia horum prædiorum ad S. Religionem; unde etſi conſtet aliqua paſcua, quæ nos dicimus *deheſas*, propria eſſe Religionis, ſi tamen Archiepiſcopus probet poſſeſsionem decimas percipiendi in ea erit manutenendus, ut in particulari dubio ſuper deheſa de Urda judicabant Judices Archiepiſcopales in *Congregat.* 24. *Septembris* 1702. *verſ.* 1.

28 ibi: *Se diſputò el dubio formado por los Vicarios de las dos Dignidades, ſobre ſi à la Arzobiſpal toca el tercio de diezmos en la Deheſa de Vrda, aſsi de Ganados, como de Panes: Y los Señores D. Juan de Vicuña, y D. Balthaſar de Azevedo, fueron de ſentir, que no; y que todo el diezmo redondo pertenece à la Dignidad Prioral*, ſegun el cap. 26. de la Concordia, *en que expreſ-*

ſa-

ſamente ſe le reſerva el diezmo entero de las deheſas conſiſtentes en el Priorato de San Juan. Y los Señores D. Alonſo Portillo, y D. Manuel Menchero, fueron de contrario dictamen, por decir, que en dicha Deheſa toca el tercio de todos los diezmos à la Dignidad Arzobiſpal, reſpecto de que la Concordia no concede à la Prioral indiſtinta, y abſolutamente el diezmo de ellas, ſino ſegun la forma de la deciſion ante Monſeñor Molines en 21. de Abril de 1690. lo qual ſe limita à las deheſas proprias de la Religion, y donde no tiene poſſeſsion la Dignidad Arzobiſpal: extremos, que no verificandoſe en el caſo preſente por ſer deheſa de la Villa, y eſtàr la Dignidad en poſſeſsion de cobrar dicho tercio, queda incontrovertible. Cùm ita Judices diſcordarent, dubium remiſſum fuit pro reſolutione ad Nunc. Apoſtolicum. At poſtea, utraque parte à remiſsione diſcedente, in *Congregat. 7. Decembris 1705. verſ. 2.* favore Archiepiſcopi deciſum fuit, his verbis: *Se reſolviò de comun acuerdo, que en dicha deheſa, toca el tercio de diezmos à la Dignidad Arzobiſpal, aſsi de Ganados, como de Panes, por las razones expreſſadas en el dubio por los Miniſtros de dicha Dignidad &c.*

29 Tota ergo difficultas ſtat in probanda poſſeſsione Religionis, & illius proprietate in prædio controverſo: prout ſanè evenit quoad deheſam de Tirez, circa quam, ſuborto dubio, ut reſolveretur in *Congregat. 5. Septembris 1699. verſ. en quanto*, ita conventum eſt: *Los Vicarios de ambas Dignidades, procuren con toda paz, y ſolo con fin de averiguar la verdad, verificar ſi dicho termino de Tirez, es deheſa diſtincta de la de Borregas* (in hac enim clarum erat jus Dignitatis Prioralis) *y ſiendo, de que tiempo à eſta parte, y ſi es propria de la Religion, ò perteneciente à la Villa de Villacañas, ò à otros particulares. Como, y en que conformidad, y que Dignidad ha percivido los diezmos de ella, en quanto al tercio aſsi de Granos, como de Ganados; y de que tiempo à eſta parte.* Cùm autem ex inſtrumentis & informationibus, ſuper hoc factis, fundaretur plenè jus Dignitatis Prioralis, *in Congreg. 28. Ianuarij 1702. verſ. lo tercero*, ejus favore ita fuit à Judicibus conventum. *Que dichas deheſas (de Tirez, y Borregas) aunque con diſtintos nombres, es una ſola, y propia de la Sagrada Religion, y por eſta razon le toca el percivir, y llevar enteramente à la Dignidad Prioral todos los diezmos, que ſe cauſan de todo lo que ſe ſiembra, coge, y cria en dicha deheſa; ſin que la Dignidad Arzobiſpal pueda tener ni pretender derecho alguno, aora ni en ningun tiempo &c.*

30 Stante hac declaratione minus difficultatis habuit reſolutio alterius dubij, quod ſuper decimis animalium, quæ in eiſdem prædiis paſcere ſolent aliqua parte anni, ortum erat, & de eo actum fuit *in d. Congregat. 28. Ianuarij verſ. 4. & in alia 4. Martij 1703: & 3. Iunij ejuſd. an. verſ. 1.* & latè diſcordantibus Judicibus in *Congregat. 2. Iulij 1703. verſ. 2.* Ac tandem in *Congregat. 7. Decembris 1705.* ita conventum eſt: *Teniendo preſentes todos los papeles concernientes à eſte punto, y lo reſuelto por la Junta en 28. de Enero de 1702. en que ſe declarò ſer eſta deheſa propria de la Religion, y que la pertenece el diezmo entero de lo que ſe ſiembra, coge, y cria en ella; no obſtante, que en los ganados parezca militàr diferente, razon de paſtàr alguna parte del año fuera de dicha deheſa: Se reſolviò de comun acuerdo, que toca, y pertenece enteramente à la Dignidad Prioral el diezmo de todo genero de ganados que aìjan, paſtan, y crian en dicha deheſa, y paſtan en ella la mayor parte del año &c.*

31 Adjicitur tamen *in 2. Concordat.* quædam declaratio, quod ſi nimirùm præfata prædia, nuncupata *Sernas, Donadios, & Deheſas* poſt annum 1610. fuerint aucta & extenſa, adjectis aliis prædiis, quæ decimari ſolita erant; reſpectu

pectu augmentorum, aut extenſionum tertia pars ſolvatur Dignitati Archiepiſcopali, ita ut exemptio reſtringatur ad connumerata prædia, prout erant dicto anno 1610. non verò extendatur ad augmentum. Ratio autem hujus declarationis ea eſt, quia præcipuum, ut vidimus, fundamentum *cit. deciſsionis*, & declaratæ in ea exemptionis horum prædiorum deſumitur ex antiqua, & non perturbata poſſeſsione Religionis uſque ad tempus litis motæ in S. Rota, quod fuit dicto anno 1610. ut conſtat *ex cap. 9. part. 1.* Cùm autem prædia, quæ de novo applicantur & adjiciun-
32 tur, nequeant dici poſſeſſa, ac per conſequens nec præſcripta, *leg. quod meo. §. fin. de acq. poſſ. & leg. 1. §. ſi quis hoc interdicto ff. de itin. act. privato.* & aliunde præſcriptio, in qua fundatur exemptio, ſit odioſa, *leg. fin. C. de annal. except. cap. vigilanti §. 1. de præſcript.* Hinc ſicut non extenditur ad prædia adjecta poſſeſsio nec præſcriptio, ita nec exemptio, *arg. text. in cap. tua cap. cùm contingat*, & ibi Fagn. *num. 9. & 15. de decim.* D. Gonzal. *in cap. commiſſum, num. 9. eod. tit.*

33 Onus autem probandi hanc extenſionem, quodque pars aut terra adjecta decimam ante præſtaret Dignitati Archiepiſcopali, eidem Dignitati incumbit; quia ut in ſimili ratiocinatur Cardin. de Luca *de decim. diſc. 4. num. 17.* licèt Archiepiſcopi intentio ſatis ſit fundata quoad ſuam Canonicam portionem, ut ſupra vidimus, adeo ut qui eum excludere voluerit, teneatur concludenter exemptionis exceptionem probare, juxta diſtinctionem, de qua apud Mantic. *deciſ. 241.* Gregor. & Add. *deciſ. 228.* tamen in hoc caſu Dignitas Prioralis ſuam exceptionem jam quoque benè fundatam habet ex hoc Concordato, & tributa in eo exemptione quoad prædia recenſita. Cumque ad hanc exceptionem evitandam, teneatur Dignitas Archiepiſcopalis replicare, aucta eſſe hujuſmodi prædia, adjectis aliis decimationi obnoxiis; hinc dubietas & turbiditas conſiſtit in replicatione, quæ probanda eſt ab eo, qui eam proponit, & allegat per modum limitationis, Mantica, & Gregor. *ubi ſupra* Cardin. Petra *in d. Conſtit. 6. Honorij III. num. 68.* Rota *deciſ. 894. num. 3. cor. Cerro.* Sicut per contrarium ſi relata prædia poſt dict. annum 1610. fuerint reſtricta, onus erit Dignitatis Prioralis probare reſtrictionem, qua probata, decimas integrè percipiet.

CONCORDAT. III.

34 IN præcedenti Concordato actum eſt de decimis prædiorum, ad S. Religionem, Magnumque Priorem ſpectantium; nunc verò agendum eſt de prædiis perſonarum particularium. Et in iis præciſivè à poſſeſsione & præſcriptione M. Prioris, indubitatum eſt deberi Archiepiſcopo ſuam tertiam
35 partem; ſed quia ex doctrina ſupra ſtatuta, ubi agitur inter perſonas Eccleſiaſticas locus eſt præſcriptioni non modò quoad jus paſsivum, ſed etiam quoad activum decimandi, pariter erat incontroverſum, quod Dignitati Prioriali deberentur integræ decimæ, excluſivè ad Archiepiſcopum, illorum prædiorum, è quibus ante annum 1610 ipſam integrè exegiſſe conſtaſſet. Dubium tamen eſſe poterat circa ea præ-
36 dia, quæ cùm eſſent infructifera, redacta ſunt ad culturam, & novalia dicuntur; & circa ea, in quibus mutata fuit cultura fructuum, aliis ſubrogatis; quia in his nimirùm Dignitas Prioralis poſt dict. annum 1610. integram decimam ex titulo præſcriptionis ſibi deberi aſſerat. Et in hoc dubio ex eadem ratione & doctrina conventum eſt in præſenti Archiepiſcopū teneri probare, hujuſ-

hujuſmodi prædiorum novam culturam, aut fructuum mutationem & ſubrogationem poſt præfatum annum 1610 contigiſſe, & inſuper ipſum ab antiquo ex hujuſmodi prædiis tertiam ſuam partem percepiſſe : aliàs enim Dignitas Prioralis in ſua poſſeſsione manutenenda erit. Quæ conventio ex dictis in præcedenti concordato illuſtratur & confirmatur, unde ad IV. properamus.

CONCORDAT. IV.

37 IN hoc Concordato non adeſt aliqua formalis reſolutio, quia in eo non verſatur controverſia inter Magnum Priorem, & Archiepiſcopum, ſed hos inter & particulares decimarum debitores; ideoque etiam & nos in eo explicando non immoramur. Circa decimas tamen de bonis patrimonialibus Equitum, & Religioſorum videri poteſt, *deciſ.* 605. *per tot. apud Seraphin. deciſ.* 341. *apud Faricium, & deciſ.* 477. *part.* 1. *recent. deciſ.* 302. *part.* 9. *deciſ.* 100. *&* 192. *part.* 11.

CONCORDAT. V.

38 OCcurrit etiam agendum de decimis bonorum Parochialium, Eremitoriorum, & Hoſpitalium ad S. Religionem ſpectantium. Et circa hoc ſub diſtinctione convenerunt Concordantes, ita ut ſi hujuſmodi bona proponantur, quæſita uſque ad tempus hujus Concordiæ, immunia ſint à præſtatione tertiæ partis; ſi verò poſt Concordiam fuerint acquiſita ſtandum ſit juris communis diſpoſitioni.

39 Sed ſanè hæc diſtinctio improbabilis apparet; quia cùm hujuſmodi bona ex eo quod ſpectent ad Eccleſias & loca Regularia, propria Religionis, ſub illiuſque privilegiis comprehenſa judicari debeant, ex traditis in *cap.* 1. *&* 2. *h. p.* hinc non reſtricta & limitata immunitas à decimis, ſed abſoluta fuit declaranda, quæ non ſolùm præſentia, ſed etiam futura bona, & poſſeſsiones comprehenderet, quia generalitas privilegiorum hujus Sac. Religionis hujuſmodi limitationem non patitur ex iis, quæ congerit Eſcaño *d. diſcept.* 12. *cap.* 1.

40 Huic tamen difficilli objectioni reſponderi poſſe puto Auctores hujus Concordiæ in formatione hujus Capitis, præ oculis habuiſſe Rotalem deciſionem *ſuper decimis*, quæ in ipſo refertur, & eidem ſe conformaſſe. In hac autem deciſione declaratum non fuit bona ad S. Religionem ſpectantia abſolutè à decimis eſſe exempta : nec, ad adſtruendam exemptionem contra Archiepiſcopum in illis prædiis, nuncuparis *Donadios, Sernas, & Deheſas*, quæ propria ſunt Religionis, Rota conſtituit fundamentum ſuæ Deciſionis in pertinentia prædiorum ad Religionem, nec in illius privilegiis; ſed tantùm in præſcriptione, ut jam antea vidimus. Unde Concordantes prædictæ Deciſioni inhærendo tam in hoc, quàm in 1. & 2. *Concordato*, hanc omnimodam & abſolutam exemptionem non agnoverunt, nec in ea ſe fundarunt, ſed regulam poſſeſsionis & præſcriptionis ſunt ſequuti; ac proinde juxta illius exiſtentiam, vel defectum in his bonis & prædiis, exemptionem, vel reſpectivè onus decimarum declararunt, & traditas diſtinctiones firmarunt, juxta regulam de qua *numer.* 26.

CONCORDAT. VI.

41 DUas partes continet hoc Concordatum prima tribuit juriſdictionem M. Priori ejuſque Vicario, ut in cauſis decimalibus, in quibus controvertitur intereſſe Sac. Religionis poſsit procedere contra Sæculares ſive Clericos, ſive laicos, quod utique apertiſsimè fundatur in privilegiis hujus Sacris Ordinis, rela-

tis ac renovatis à Pio IV. *in ſua Conſtit.* quæ incipit *Circunſpecta in §. 23. 30. & 31.* in quibus, Judicibus S. Religionis conceditur juriſdictio, & poteſtas procedenti contra quoſcumque ſive Regulares ſive Sæculares in cauſis, ad ipſam Religionem illiuſque bona, & Theſaurum ſpectantibus. Si tamen Religio hoc privilegio uti noluerit, poterit debitorem Sæcularem coram ſuo Judice Ordinario convenire; ea eſt enim natura beneficij & privilegij, ut invito non conferatur, *leg. hoc jure 19. ff. de donat.*

42 Altera pars hujus Concordati pariformiter diſponit, ut Vicarius Diœceſanus poſsit procedere contra privilegiatum & exemptum, qui Archiepiſcopali Dignitati, aut aliis in decimis participantibus ſit debitor, dummodò ſit decimarum affectuarius, aut fructuum Collector; & ratio eſt, quia qui ab aliquo Judice recipit officium ſive adminiſtrationem, etſi exemptus, coram ipſo conveniri poteſt, & reſponderi tenetur ad tradita *in c. 9. n. 64.* Si tamen creditor maluerit hunc exemptum coram Vicario Priorali convenire poterit, non ſecus ac per contrarium diximus in caſu præcedenti. Utramque partem hujus Concordati confirmarunt Judices Concordiæ in *Congregat. 17. Octobris 1699. verſ. fin.* ibi: *En la duda, que ſe ha ofrecido, ſobre proceder criminalmente el Vicario de la Religion, contra un Clerigo de San Pedro, y un Secular de la Villa de Vrda, ſobre fraudes de diezmos: Se concordò no haber excedido, y haber podido proceder, y que procede legitimamente, y podrà proceder en adelante en las que ſe ofrecieren de eſta claſſe. Y que pueda hazer, y haga lo miſmo el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal, aunque ſea contra Religioſos de San Juan, y los demas exemptos, que gozan de ſus privilegios: Siendo de la miſma calidad, y por la miſma cauſa.*

43 Generaliter tamen loquendo juriſdictio in cauſis decimalibus, & earum cognitio ad Diœceſanum ſpectat, *ex cap. fin. de rer. permut. cap. tua nobis §. fin. de decim. cap. cauſam de præſcription. Clement. diſpendioſam de judic.* Barboſa *in leg. Titia à num. 39. de ſolut.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 238. à n. 9.* Anſald. *de juriſd. part. 2. tit. 4. cap. 1. à num. 18.* D. Solorzan. *de jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 1. num. 56.* Faria *ad Covarr. lib. 1. cap. 17. num. 145.* Cortiada *deciſ. 186. numer. 3.* & optimè Pereyra *de manu Reg. part. 2. cap. 7. num. 38.* Themud. *deciſ. 2. num. 5. & ſeqq. deciſ. 187. & 260.* Brito *de locato part. 3. cap. 2. à 54.*

CONCORDAT. FIN.

44 IN hoc ultimo Concordato præſcribitur forma decidendi dubia, quæ ſuper hujus Concordiæ interpretatione oriri poterant, de quo etiam conventum manet *in hoc cap. in 2. Concord. in fin.* Forma autem eſt ea, quam ſupra *in Proœm. h. p. num. fin.* inſinuavimus, ut nimirùm duo utrinque Judices Arbitri ſeligantur, qui rem ex juris ratione tranſigant, & ex his Judicibus componitur *Congregatio Concordiæ.* Quod ſi, prout eſt hominum indoles, Judices diſſentiant, Apoſtolicus in Hiſpania Nuncius uti tertius adeatur, prout factum vidimus in penè omnibus *huj. Concord. capp.* Reliqua autem in hoc Concordato adjecta, ſatis ſunt clara, ſolùmque reſpiciunt nequid juribus utriuſque Dignitatis per hanc Concordiam detrahatur, & ut hæc concordia perpetuo obſervetur: quamobrem Capitum Concordiæ explicationem jam abſolvimus.

(✻)

✻✻✻ ✻✻✻ V ✻✻✻ ✻✻✻
✻✻✻ ✻✻✻ ✻✻✻ ✻✻✻

CON-

CONCLUSIO BREVIS
INNOCENTIANI.

CUM autem ſicut pro parte eorumdem Ludovici Cardinalis, & Præſulis, ac Caroli Prioris nobis denuò nuper expoſitum fuit, ipſi die ix. currentis menſis Decembris per ſuos reſpectivè Procuratores ad id ſpecialiter deputatos, nempè dilectos filios Joachimum de Errazu, & Joannem Valentinum, tranſactionem, ſeu concordiam præfatam, ad formam, & tenorem minutæ præinſertæ, quam nos, auditâ deſuper dictorum Prælatorum ſententia, approbavimus, injerint, prout ex publico deſuper, per Acta dilecti etiam filij Matthiæ Belluci Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Secretarij confecto inſtrumento, conſtare dicitur. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſsis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. ¶ Nos igitur illorum votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, dictumque Carolum Priorem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tranſactionem, ſeu concordiam inter partes prædictas initam, ut præfertur, confectumque deſuper inſtrumentum juxta minutam præinſertam, cum omnibus, & ſingulis pactis, & conditionibus, aliiſque in ea contentis, & expreſsis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti, etiam ſolemnitatum quarumcumque, in ſimilibus etiam de neceſsitate obſervandarum, & alios quoſlibet defectus, ſi qui deſuper quovis modo intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, intelligi, vel prætendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus. ¶ Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſsimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari;

ſicque, & non aliter in præmiſsis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſvè quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fœl. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit Eccleſiæ Toletanæ, Prioratus, & Hoſpitalis prædictorum, aliiſvè quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & inſererentur præſentibus, pro plenè, & ſufficienter expreſsis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. ¶ Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſsis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die xii. Decembris M. DC. XCVIII. Pontificatus noſtri Anno octavo. Loco ✠ ſigilli. I. F. Cardinalis Albanus.

SUM-

SUMMA CONCLUSIONIS.

1 *Concordiæ validitas ſubſiſtentia, & perpetuitas exprimitur ab Innocentio pluribus clauſulis.*

2 *In Signatura Gratiæ denegata fuit* Oris aperitio *ad oppugnandam Concordiam.*

3 *Super hoc ipſo reſcripſit Clemens XI. Cardinali Pontocarrero.*

4 *In Caſtellæ Senatu agnoſcitur Concordiæ ſubſiſtentia, & tres Regiæ proviſiones expediuntur.*

5 *In Tribunali Nunciaturæ hoc ipſum ſæpiùs confirmatur.*

1 AD optatam operis noſtri metam, Deo juvante, perventi ſumus, utque concludamus in ultima Innocentiani Brevis parte libet obſervare confirmationem à Pontifice indultam Concordiæ, quam pro viribus illuſtravimus. Utitur quidem Innocentius ampliſsimis illis clauſulis, quæ pactis conventis robur, ac perpetuam firmitatem præſtare poſſunt. Ex quo haud meritò illius ſubſiſtentia in dubium potuit revocari, ut latè fundavi *in Proœmio h. p.* & non ſemel probavit eventus. Quamvis enim ab anno 1699. Nuncij
2 Apoſtolici, uti litterarum Apoſtolicarum executoris, auctoritate interpoſita, Concordia hæc ad effectum eſſet perducta unanimi utriuſque partis conſenſu; anno tamen 1705. occaſione cujuſdam dubij ſuper intelligentia *cap.* 26. in Signatura Gratiæ petita fuit à Hieroſolymitanis *oris aperitio*, ut hac conceſſa, ſubſiſtentiam hujus tranſactionis oppugnarent. Aſt in hoc Tribunali *nihil*, juxta illius ſtylum fuit decretum, per hæc verba:

Fabricius tituli S. Chriſogoni S. R. E. Presbyter Cardinalis Spada Sanctiſsimi D. D. noſtri Papæ Præfectus: Fidem facimus qualiter in Signatura Gratiæ habita die Iovis 15. Ianuarij 1705. in cauſa Toletana propoſita à R. P. D. Cornelio pro ſua Religione Hieroſolymitana, ejuſque V. Theſaurario contra Curiam Archiepiſcopalem Toletanam reſcriptum fuit nihil, *& ad Ordinarium Toletanum. Datum ex ædibus noſtris hac die* 11. *Martij* 1705. *C. Cerrus Auditor.*

3 Et de hac re Clemens XI. ſuas litteras in forma Brevis benevolentiæ & honoris plenas dedit ad Eminent. D. Cardinalem Portocarero in hunc tenorem:

Venerabili Fratri noſtro Ludovico Epiſcopo Præneſtino S. R. E. Cardinali Portocarrero: Clemens Papa XI. Venerabilis Frater noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In cauſa Toletana juriſdictionis, quæ inter circunſpectionem tuam pro juribus Inſignis iſtius Metropolitanæ Eccleſiæ, & inter Ordinem S. Ioannis Hieroſolymitani pro rationibus, quæ ad ejuſdem Ordinis Theſaurum pertinere dicebantur coram Nobis ipſis in nuper habita Signatura Gratiæ acriter utrinque acta eſt: gaudebamus quod Nobis contigerit, ſervata, ut plane oportebat juſtitia, votis ac precibus tuis obſecundare. Initam itaque jam pridem inter partes Concordiam ſervandam eſſe, nihilque, *quo eadem oppugnari poſſet concedēdum eſſe petentibus judicavimus; qua in re ſicut viam omnem producendis cumulandiſque litibus præcidere arbitrati ſumus, ita cupimus, ut intelligas Nos libenti prorſus animo id præſtitiſſe, quod debitum officij à Nobis expoſtulabat, benevolentiæ enim, qua te proſequimur propter eximias tuas virtutes, ſedulamque operam, quam tanti nominis Eccleſiæ indeſinenter impendis, multa, ac præcipua argumenta tibi præbere cupimus, Venerabilis frater noſter, cui Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anullo Piſcatoris die 26. Septembris 1705. Pontificatus noſtri anno V. Vliſſes Joſeph Archiepiſcopus Theodoſianus.*

4 Hæc in Romana Curia : in Hiſpania verò actum etiam eſt de Concordiæ validitate in Conſilio Regio ad Regis conſultationem, & pariter illius ſubſiſtentia fuit declarata tribus Regiis proviſionibus, quas optimùm putavi hic inſerere.

EL REY.

EL REY Don Manuel de ,Tobalina Bernardo ,de Quirós, The- ,niente de Gran Prior ,de la Religion de San ,Juan en eſtos mis ,Reynos de Caſtilla, y Leon, y à los ,que os ſuccedieren en eſta Dignidad: ,Sabed, que el M. R. en Chriſto Padre ,Don Franciſco Valero y Loſſa, Arzo- ,biſpo de Toledo, Primado de las Eſ- ,pañas, de el mi Conſejo, me ha repre- ,ſentado, que las Competencias, liti- ,gios entre las dos Dignidades, Arzo- ,biſpal, y Prioral, ſobre Juriſdiccion, ,y otros derechos, en los Lugares de ,Conſuegra, Alcazar, y demàs de aquel ,Partido, avian ſido tan inveteradas, ,que ſu antiguedad competìa caſi con ,los principios de la Religion de San ,Juan, que eſte avia tenido ſu origen ,en Jeſuralen, el año de mil ciento y ,treinta, y en el miſmo ſiglo, yà ſe avia ,eſtendido en mis Dominios, por Do- ,nacion, que el año de mil ciento y ,ochenta y tres, hizo à eſta Sagrada ,Milicia el Señor Rey Don Alfonſo el ,Octavo mi predeceſſor, de dicha Villa ,de Conſuegra (entonces Lugar) pues ,el año de mil docientos y veinte y ocho ,y ſiguientes, yà ſe avian ſuſcitado entre ,los Grandes Priores, y Arzobiſpos de ,Toledo reñidas controverſias, que ſe ,avian terminado por amigables Con- ,cordias, reſervandoſe en ellas à la ,Dignidad Arzobiſpal el govierno en ,lo Eccleſiaſtico, la tercera parte de los ,Diezmos, la Procuracion, Cathedra- ,tico, inſtitucion de los Clerigos Regu- ,lares, y Seculares, la obediencia, y ,otros derechos pertenecientes à las ,Leyes Dioceſanas, y Juriſdiccional: ,Que como en aquellos tiempos, la ,ſinceridad, y buena fee, ſe hazian tan- ,to lugar en la eſtimacion comun, aquie- ,tandoſe las partes à lo Concordado, ſe ,avia caminado con tranquilidad, haſta ,que el año de mil quatrocientos y no- ,venta y uno, y mil y quinientos, el ac- ,tual Gran Prior, por sì, ò por ſus Mi- ,niſtros, avia exercido diferentes actos, ,que pareciendo ofenſivos al Arzobiſ- ,po, avian dado motivo à nuevas diſ- ,cordias, las quales tambien ſe avian ,ſerenado, por tranſacciones, y ami- ,gables ajuſtes, Capitulados en los ,años de mil quinientos y diez, y mil ,quinientos y diez y ſeis; en que fuera ,de otros muchos derechos, ſe avia ,preſervado al Arzobiſpo, el de la ,Viſita Eccleſiaſtica, y el de exercer ſu ,Juriſdiccion en los Clerigos Seculares, ,pertenecientes al Priorato, con facul- ,tad de poderlos proceſſar : Que por ,ſer tan natural la inconſtancia en los ,juicios humanos, tampoco avia baſta- ,do para la quietud eſta nueva, y ſe- ,gunda providencia; pueſto que en el ,año de mil ſeiſcientos y diez, ſiendo ,Arzobiſpo de Toledo el Cardenal Don ,Bernardo de Roxas y Sandoval, ſe ,avian convalidado con mas ardor las ,controverſias, y apartadoſe la parte ,de la Religion, de los medios antes ,practicados de compoſicion por Con- ,cordia, intentando deſechar entera- ,mente de sì eſte que le parecìa yugo ,peſado, contemplando por tal la Ju- ,riſdiccion de el Arzobiſpo de Toledo; ,à cuyo efecto, avia comparecido, ante ,la Santidad de Paulo Quinto, el Gran ,Prior de San Juan, Don Philiberto ,Manuel de Saboya, quexandoſe de ,los agravios, que ſuponìa, hazerle el

Pre-

,Prelado de Toledo, exerciendo juriſ-
,diccion en los Lugares de el Priorato,
,ſin tocarle, ni pertenecerle en manera
,alguna, aſsi por ſer eſte *nullius* Dioceſis,
,como tambien por ſer el Gran Prior,
,Dueño de lo eſpiritual, y temporal en
,aquel Partido. Y aviendoſe opueſto la
,parte de la Dignidad Arzobiſpal, oìdas
,las pretenſiones de las partes, ſe avia
,cometido el conocimiento, y determi-
,nacion de todas ellas, à la Sagrada Rota,
,de donde ſe avian deſpachado Dimiſſo-
,riales, y en virtud de ellas ſe hizieron
,en eſtos mis Reynos todas las diligen-
,cias, juſtificaciones, y probanzas de
,teſtigos, è inſtrumentos que los intere-
,ſados avian eſtimado, conducentes à la
,manifeſtacion de ſu juſticia; y antes que
,eſta ſe declaraſſe, avia paſſado conſide-
,rable tiempo, ò yà por que fuè preciſo
,ſe gaſtaſſe en la formacion de los Autos
,referidos, ò lo que era mas veroſimil,
,por aver entrado en el Govierno, y Ad-
,miniſtracion del Arzobiſpado el Infante
,Cardenal Don Fernando de Auſtria,
,que fuè el año de mil ſeiſcientos y diez
,y ocho, à cuya autoridad pudo tener
,reſpeto la Religion de San Juan, temien-
,do no adelantar ſus derechos: Que
,aviendo fallecido el Infante el año de
,mil ſeiſcientos y quarenta y uno, le avia
,ſuccedido en el Arzobiſpado, el Carde-
,nal Don Gaſpar de Borja, que apenas
,avia llegado à tomar poſſeſsion, quan-
,do quedò vaco, y le ſucediò el Cardenal
,Don Baltaſar de Moſcoſo, en cuyo
,tiempo, y mudado yà el ſiſtema, por
,aver entrado à gozar, el Gran Priorato
,Don Juan de Auſtria, ſe avia renovado
,el juicio con la mayor efficacia; y re-
,producidos todos los Autos en la Rota,
,ſe puſo la cauſa en eſtado de juridica
,determinacion, concurriendo à ſolici-
,tarla la parte de la Dignidad Prioral, y
,ſu Religion, fiada, no ſolo en ſus Privi-
,legios, ſino en la proteccion de Don
,Juan ſu Gefe, que tambien ſe avia
,moſtrado parte formal en la cauſa, por
,Poder otorgado en quatro de Febrero
,de el año de mil ſeiſcientos y quarenta
,y ſiete, y que lo miſmo avia executado
,el Gran Maeſtre de Malta, y toda la
,Religion Hieroſolymitana, que fueron
,admitidos al juicio, en el eſtado, y ter-
,minos que ſe hallaba: Que llegado el
,caſo de la difinitiva, ſe avia reconocido,
,que todas eſtas diligencias ſolo avian
,ſervido, de aumentar teſtigos califica-
,dos al derecho de la Dignidad Arzobiſ-
,pal, pues por quatro deciſiones unifor-
,mes de la Rota; la primera, de nueve
,de Mayo de mil ſeiſcientos y cinquenta
,y nueve; la ſegunda, de veinte y uno
,de Mayo de mil ſeiſcientos y ſeſenta; la
,tercera, de veinte y ſiete de Enero de
,mil ſeiſcientos y ſeſenta y dos; y la quar-
,ta, en onze de Enero de mil ſeiſcientos y
,nueve, à que ſe avian ſeguido tres ſen-
,tencias conformes; no ſolo ſe avia de-
,clarado, y reconocido el buen derecho
,de la Dignidad Arzobiſpal, en ſus pre-
,tenſiones, ſino es, que ſe avia Executo-
,riado, en el juicio poſſeſſorio plenario,
,manteniendola, y amparandola en el
,uſo, y exercicio de la omnimoda juriſ-
,diccion privativa, quo ad Magnum
,Priorem, en el Pueblo Lego, y Cleri-
,gos Seculares, de todos los Lugares de
,el Priorato, con conocimiento de todas
,ſus cauſas Civiles, Criminales, Matri-
,moniales, y Beneficiales, y demàs Ecle-
,ſiaſticas, en que ſe avia incluìdo tambien,
,el derecho de percibir la tercera parte
,de los Diezmos, de los adeudados por
,Vecinos de aquellos Pueblos; y aſsi-
,miſmo, ſe avia declarado, pertenecer à
,la Dignidad Arzobiſpal, la juriſdiccion
,delegada, en todo lo perteneciente à
,Cura de Almas, Adminiſtracion de Sa-
,cramentos, aſsi contra los Curas Prio-
,res, como contra los demàs ſirvientes
,en las Igleſias Regulares Parroquiales de
,la Religion: Que quando ſe avia pro-
,nunciado la ultima ſentencia confirma-

toria

,toria de las antecedentes, avia paſſado ,à mejor vida el Cardenal Moſcoſo, y ,ſuccedidole en la Dignidad Arzobiſ-,pal Don Paſqual de Aragon, quien avia ,defendido los derechos de ſu Mitra, co-,mo lo avia acreditado, ſolicitando ſe ,deſpachaſſen Executoriales à favor de ſu ,Dignidad; y contemplando la Rota, ſer ,eſto muy debido, y correſpondiente à el ,eſtado de los Autos, por la conformi-,dad de las ſentencias, y no aver inter-,puesto apelacion, ni aun para lo Devo-,lutivo alguna de las partes, ſe avia de-,cretado, que ſe deſpachaſſen, y con ,efecto, las avia expedido Geronymo ,Priolo, Auditor de aquel Tribunal Su-,premo: Que por las dificultades, que ,ſe avian ofrecido, en la intimacion de ,eſta Executoria à las partes vencidas, y ,aver ſobrevenido la temprana muerte ,de el Cardenal Aragon, no ſe avia ade-,lantado mas en ſu tiempo, y ſiendo pro-,movido à la miſma Dignidad el Carde-,nal Don Luis Fernandez Portocarrero, ,avia conſiderado deſde ſu entrada en el ,Arzobiſpado, ſer de la primera obliga-,cion de ſu cargo Paſtoral, no omitir di-,ligencia alguna, de quantas conduxeſ-,ſen, à que llegaſſe à efecto, y execucion ,lo que tantos, y tan benemeritos Ante-,ceſſores ſuyos por deſcargo de ſus con-,ciencias, bien, y utilidad de ſus Subdi-,tos de el Priorato, avian litigado, y ,vencido à coſta de tantas fatigas, expen-,ſas, y contradicciones; en cuyo con-,cepto, avia procurado la intimacion de ,las Executoriales, que no ſin gran difi-,cultad ſe avia conſeguido, executan-,doſe con la formalidad debida, en la ,perſona de Don Ignacio de Balandia, ,que por fallecimiento de Don Juan de ,Auſtria, avia ſuccedido en la Dignidad ,de Gran Prior: Que eſte autorizado ,Miniſtro, y parte principal, y aun unica ,de la controverſia, y primera repreſen-,tacion en eſtos mis Reynos de Eſpaña, ,de la Sagrada Milicia de San Juan en ,Jeruſalen, no avia querido deſcaecieſſe ,en ſu tiempo la vigoroſa defenſa de ſus ,Privilegios, y pretenſas exempciones; ,y aſsi tan lexos avia eſtado de obedecer, ,las Executoriales, que antes avia hecho ,expreſſa contradiccion, à lo que por ellas ,ſe diſponìa; y conſtituyendo Procura-,dores, para que los impugnaſſen, por ,los terminos Juridicos, lo que avia dado ,motivo à nuevo recurſo à la Rota, don-,de ſin embargo de las eficaces repreſen-,taciones contrarias, ſe avia mandado ,deſpachar Declaratoria contra el Gran ,Prior Don Ignacio de Balandia, de las ,Cenſuras fulminadas en la Executoria, ,caſo que dentro de ſeis meſes no ſe con-,formaſſe llanamente con ſu obedeci-,miento, de que ſe avia deſpachado De-,creto con nueva Deciſion por Antonio ,Pauluci, Auditor de aquel Tribunal, en ,doze de Junio del año de mil ſeiſcientos ,y ochenta y dos; y por el eminente re-,zelo de ſer declarado en las Cenſuras ,Apoſtolicas, avia deſiſtido en lo apa-,rente dicho Gran Prior de las contradi-,ciones principales, ſin apartarſe en lo ,oculto de continuarlas, como ſe avia ,dexado reconocer; en que aviendo ſo-,licitado la parte de la Dignidad Arzo-,biſpal, que el mi Conſejo mandaſſe im-,partir el auxilio, para que protexido de ,èl, la Juriſdiccion Eccleſiaſtica ſe entraſſe ,à entablar, continuar, y reſtablecer ſin ,diſturbios, la que concedian, ò mas pro-,priamente declaraban las Executoriales, ,ſe avia opueſto acerrimamente à eſta ,juſta demanda la Parte de la Religion, ,lo que no era veroſimil, paſſaſſe à exe-,cutàr ſin noticia, y conſentimiento de ſu ,Prelado, y Superior, mas como era tan ,notoria la juſticia de la Dignidad Arzo-,biſpal, ninguna opoſicion avia ſido baſ-,tante, para que dexaſſe de reconocerla ,el mi Conſejo; en cuyo concepto avia ,mandado impartir el auxilio pedido, y ,que paſſaſſe un Alcalde de mi Caſa, y ,Corte con Miniſtros auxiliando al Juez

Apoſ-

,Apoſtolico, de quien ſe confiaban las ,diligencias de poner en poſſeſsion, uſo, ,y practica la Juriſdiccion, aſsi Ordina- ,ria, como Delegada, perteneciente à la ,Dignidad Arzobiſpal, la qual avia que- ,dado mas firmemente acreditada por ,eſte nuevo Succeſſor, como ſe manifeſ- ,taba de aver concurrido, y conſpirado ,à reconocerla, y autorizarla con la Su- ,prema poteſtad Pontificia, la ſoberana ,determinacion de la Autoridad Regia, ,que aun lo referido no avia ſido baſtante ,para el fin que deſeava, por que avien- ,do entrado, no ſin graviſsimos oſtaculos ,la Juriſdiccion Arzobiſpal en el Priora- ,to; y hallandoſe la Prioral deſtituìda de ,otro recurſo, que el de inſtaurar el jui- ,cio en la Rota, ſe avia valido de eſte me- ,dio, haziendo en aquel Tribunal los ma- ,yores esfuerzos, ſobre que ſe declaraſſe ,atentada la poſſeſsion, y tambien los ,Autos juriſdiccionales, hechos en ſu vir- ,tud, con el motivo de aver excedido ,Don Martin de Bonilla, Juez Apoſtoli- ,co, los terminos, y facultad de ſu comi- ,ſion, ſobre que abierto el juicio; por ,otras tres deciſiones Rotales, de quatro ,de Mayo de mil ſeiſcientos y ochenta y ,cinco, y diez y ſeis de Enero, y diez de ,Junio de mil ſeiſcientos y ochenta y ſeis, ,ſe avia declarado por legitima, y bien ,tomada la poſſeſsion, en quanto no ex- ,cedìa los limites de las Executoriales, ,de que ſe avia deſpachado ſentencia que ,avia paſſado à coſa juzgada, por el Au- ,ditor Alexandro Urſino, en tres de Julio ,del miſmo año; que excluìda eſta opo- ,ſicion de atentados, avia recurrido la ,parte del Gran Prior, por ultimo ſub- ,terfugio, à esforzar, que en el año de la ,poſſeſsion ſe avian cometido varios ex- ,ceſſos, eſtendiendola à mas de lo que ,preſcrivian las Executoriales; y en ,quanto à eſta pretenſion avia logrado ,ſe declaraſſe aver excedido el Juez exe- ,cutor en tres puntos; el primero, en la ,remocion de los Priores Paroquos de ,las Igleſias de el Priorato; el ſegundo, ,en aver removido tambien à el Vicario, ,pueſto por el Gran Prior para el exer- ,cicio de la Juriſdiccion Ordinaria, en ,los Regulares, y ſirvientes dentro de ,los Monaſterios, y Igleſias, Hermitas, ,y Oſpitales de la Religion; y el tercero, ,en aver pretendido ſe pagaſſe à la Dig- ,nidad Arzobiſpal tercera parte de Diez- ,mos de aquellos bienes, que ſiendo de ,la Religion, eſtaban en poſſeſsion de ,exemptos à tiempo de expedirſe las ,Executoriales de la Dignidad Arzobiſ- ,pal, mandando, que en eſto no ſe inno- ,vaſſe, haſta tanto que ſe tomaſſe otra ,determinacion, que de eſtos derechos ,tambien avia logrado Executoriales la ,Dignidad Prioral, decretadas en treinta ,de Enero de mil ſeiſcientos y ochenta y ,ſiete; de cuyo ſuceſſo ſe deducian dos ,ventajas à favor de la Dignidad Arzo- ,biſpal, una que en eſtas miſmas Execu- ,toriales de la Religion ſe la avia confir- ,mado, y reſervado la Juriſdiccion Dele- ,gada Apoſtolica, que fuera de la Ordi- ,naria en el Pueblo Lego, y Clerigos ,Seculares, tenia executoriada en las ,Igleſias, y Miniſtros de la Religion para ,todo lo concerniente à Cura de Almas, ,y Adminiſtracion de Sacramentos; la ,ſegunda, que haziendoſe cargo la Dig- ,nidad Arzobiſpal de la veneracion con ,que ſe deben executar, y obedecer los ,Decretos judiciales, pronunciados en ,Tribunal competente, quando llegaban ,à elevarſe à la autoridad de executoria- ,das; tan lejos avia eſtado de contro- ,vertir deſpues ninguno de eſtos puntos, ,que en nada mas avia penſado, que en ,ſu puntual obſervancia, de que pudiera ,tomar exemplo la Parte de la Religion; ,que abierta nuevamente ſobre los pun- ,tos expreſſados la Audiencia de la Rota, ,avia querido bolver ſobre el todo la ,Parte de la Religion, pero caſi ſiempre ,con infeliz ſuceſſo, pues aunque avia ,logrado ſe declaraſſen por Regulares,

las

,las Igleſias de el Priorato, no avia podi-
,do conſeguir la idèa (con que tirava à
,la raìz) de territorio ſeparado; y por
,el convencimiento claro de eſtàr el Prio-
,rato dentro de los limites de el Arzobiſ-
,pado de Toledo; tampoco avia podido
,abanzàr en la pretenſion, de que durante
,el litigio, ſe exercieſſe la Juriſdiccion
,Delegada por el Obiſpo de Cuenca,
,como mas vecino; y finalmente, avia
,ſido vencida la Religion en el dubio mas
,controverſo de Autos, y Decretos con-
,trarios de las dos Vicarìas, declarando
,la Rota, que caſo que tal ſucedieſſe, hu-
,vieſſen de provalezer (ſalva la apela-
,cion à legitimo Superior) los del Vica-
,rio Arzobiſpal por la convincente razon
,de ſer Delegada Apoſtolica la Juriſdic-
,cion que exercìa en las Igleſias, y Miniſ-
,tros de la Religion, y conſiguientemente
,ſuperior, y mas privilegiada que la ordi-
,naria, perteneciente al Gran Prior, y
,ſus Miniſtros en dichas Igleſias; que de
,eſtas, y otras controverſias, cada dia
,ſuſcitadas, avian ſalido al publico tan-
,tos papeles, y deciſiones, que no era
,facil numerarlas, como ni tampoco ajuſ-
,tar los crecidiſsimos gaſtos de las Partes,
,en Agentes, Abogados, y Miniſtros,
,propinas, y otros derechos, al miſmo
,tiempo que en la Nunciatura de mis
,Reynos no ſe ceſſava en deſpachar inhi-
,biciones, y dirimir competencias entre
,los dos Vicarios, Arzobiſpal, y Prioral;
,de ſuerte, que todo era una continua
,guerra, ò pelea judicial; de cuyos ſu-
,ceſſos, y conſequencias eſtaban yà llenos
,los Libros, y cargados de proceſſos los
,Tribunales; que avia durado lo mas fer-
,viente de el ardòr de eſtas diſputas, deſ-
,de que el año de mil ſeiſcientos y ochen-
,ta y dos, ſe avia reſtablecido la Juriſdic-
,cion Arzobiſpal en el Priorato, haſta el
,de mil ſeiſcientos y noventa y dos, en
,que las partes interaſſadas, ò ſuperiores
,de una, y otra Dignidad, avian llegado
,à tocar el deſengaño, de que ſus repeti-
,das, y porfiadas controverſias de nada
,mas ſervian, que de fomentar parcialida-
,des, y diſcordias en aquel Partido, de
,dar ocaſion à los Subditos de vivir con
,libertad, amparandoſe, yà de la una,
,yà de la otra Juriſdiccion; y de hazer ſe
,conſumieſſe en gaſtos de pleytos, ſino
,el todo, la mayor parte de las Rentas de
,aquellos Lugares en perjuicio de las
,Igleſias, y Pobres; y eſtimulados con
,eſtos, y otros prudentes motivos, aſsi
,el Cardenal Portocarrero, como el Gran
,Prior de San Juan (que lo era entonces
,el Principe Carlos de Lorena) ſe deter-
,minaron à cortàr de una vez la raìz de
,eſtas diſenſiones, por medio de una Con-
,cordia, en que ſe decidieſſen conforme
,à derecho las dudas, haſta entonces
,controvertidas en el ſupueſto de aver de
,pedir confirmacion à la Santa Sede, de
,lo que aſsi ſe convinieſſe, y decretaſſe;
,que en eſte concepto ſe diputaron, por
,parte de la Religion de los Aſſeſſores de
,ſu Aſſamblea Abogados de gran credito;
,y por la Dignidad Arzobiſpal dos de
,ſus primeros Miniſtros, los quales deſ-
,pues de muy repetidas Juntas, y traba-
,jadas conferencias, eſtrivando en las
,vaſas fundamentales de las Executorias
,de una, y otra Dignidad, facilmente
,pudieron diſcernir lo que pertenecia à
,una, y otra Juriſdiccion, y fabricàr la
,deſeada Concordia de veinte y ſeis Ca-
,pitulos, y muchos de ellos comprehen-
,ſivos de varios, y diſtintos caſos, con
,tanta expecificacion, y claridad, que
,en ſu viſta parecia no podia ofrecerſe
,alguno, en que no ſe hallaſſe prompta,
,y patente la deciſion; mas por ſi en lo
,futuro ocurrieſſe alguna nueva emer-
,gencia, haſta entonces no experimen-
,tada, à fin de que eſta caſualidad no en-
,cendieſſe la llama de la diſcordia, ſe avia
,tomado acuerdo en el ultimo de los re-
,feridos Capitulos, reſolviendo, que ſi
,tal acontecieſſe, ſe huvieſſe de dirimir la
,diſputa ſin proceſſo judicial, por dos

Mi-

„Miniſtros, diputados por cada una de las „dos Dignidades, y en diſcordia de eſtos „por el Nuncio de ſu Santidad, en eſtos „mis Reynos; que fenecida, ò perficio„nada, aſsi la minuta, è inſtrumento de „Concordia, à fin de que nada le faltaſſe „para ſu mayor firmeza, y validacion de „comun conſentimiento de las Partes, ſe „avia remitido à la Corte Romana, para „que ſu Santidad ſe dignaſſe confirmarla; „como en efecto, deſpues de viſta una, y „otra vez, en la Junta de Prelados, que „para eſto ſe avia diputado: La Santidad „de Innocencio Duodecimo, que regìa la „Nave de San Pedro, ſe ſirviò de Apro„barla, y Confirmarla en expefica forma, „por ſu Breve de doze de Diziembre del „año paſſado de mil ſeiſcientos y noventa „y ocho, concediendo à todos, y à cada „uno de ſus Capitulos, el vigor de la in„violable, y Apoſtolica firmeza; y man„dando, que qualeſquiera Juezes, deter„minaſſen ſegun ſu tenor, con otras Clau„ſulas concernientes à ſu obſervancia, „cumplimiento, y perpetuidad: Que à „principios de el año de mil ſeiſcientos y „noventa y nueve, avia llegado à eſta mi „Corte el Breve Confirmatorio, y como „expedido à inſtancias de una, y otra „Dignidad, ambas avian concurrido à „exhibirle, y manifeſtarle ante el Nuncio „de ſu Santidad en eſtos mis Reynos, „pidiendo de comun acuerdo, que como „Executor de los Decretos Apoſtolicos, „libraſſe ſus Mandamientos, para la ob„ſervancia, y execucion de el ſobredicho „Reſcripto: Y que aſsi ſe avia decretado „inmediatamente, y hecho la debida inti„macion à las Partes, ſin tardanza alguna „avian dado cumplimiento à lo que reſ„pectivamente les pertenecìa; en cuya „conſequencia, hecha impreſsion de la „Bula Apoſtolica, ſe avian embiado Co„pias autenticas al Priorato, para ſu ob„ſervancia, y ſe avian deputado arbitros „para la deciſion de los dubios, que nue„vamente ſe ofrecieſſen; y lo fueron por „parte de la Dignidad Arzobiſpal, el „Doctor Don Alonſo Portillo, Vicario „que fuè de eſta Villa de Madrid, y el „Doctor Don Manuel Menchero, Abo„gado de Camara de el Cardenal Porto„carrero; y por parte de la Religion, „los Licenciados Don Juan de Vicuña, „y Don Balthaſar de Acebedo, Aboga„dos de los primeros creditos en la mi „Corte, y Aſſeſſores de la Sacra Aſſam„blea, los quales concurriendo en repeti„das, y dilatadas Juntas, fueron deter„minando, y evaquando las nuevas con„troverſias, que ſuſcitaban los Vicarios „de una, y otra Dignidad, ò yà fueſſe „reſolviendolas, de comun conſentimien„to, ò yà remitiendolas en diſcordia al „Tribunal de la Nunciatura, donde en „conformidad de el ultimo Concordato, „ſe deliberaba, y decidia lo correſpon„diente; de forma, que con lo que ſe „avia trabajado, y adelantado por los „medios referidos, apenas ſe darìa caſo „en la Juriſprudencia Canonica de com„petencias entre Tribunales Eccleſiaſti„cos, que no ſe hallaſſe decidido, ò yà „ſea en la Concordia, ò yà en los Decre„tos, y declaraciones de ella, hechas por „la referida Junta, y por la Nunciatura „de eſtos mis Reynos: Que con eſta uni„forme, y arreglada conſonancia, avia „empezado à reſtituirſe la ſerenidad, tan„tos años deſterrada de aquel Partido, ſe „avia ido entablando una, y otra Juriſ„diccion en ſu reſpectivo exercicio, y ſe „avian experimentado los grandes bene„ficios, que eran conſiguientes al buen „regimen de los Subditos en lo Eſpiritual, „y eſpecialmente ſe avia demoſtrado, la „utilidad en la execucion de la Viſita „Eccleſiaſtica, que en virtud de la Juriſ„diccion delegada Apoſtolica, avia hecho „el Vicario de la Dignidad Arzobiſpal, „en caſi todos los mas Lugares de el Prio„rato, de que ſe avia ſeguido gran ſufra„gio à las Animas de los Fieles difuntos, „en el cumpliniento de crecidiſsimo nu-

mero

,mero de Miſſas atraſſadas, y muy eſpe-
,cial beneficio à los vivos, por el deſ-
,cargo de ſus conciencias, gravadas con
,la retardacion, y juntamente, de gran-
,de utilidad por todos reſpectos, por la
,planta que ſe iba eſtableciendo para las
,futuras Viſitas: Que con la felicidad
,enunciada, y ſin tropiezo de conſidera-
,cion, caminaba el exercicio de la Juriſ-
,diccion, de ſuerte, que faltaba muy po-
,co para concluir la Viſita General Dio-
,ceſana, quando avia alterado el pro-
,greſſo, à interrumpido los adelanta-
,mientos la muerte del Cardenal Porto-
,carrero, que avia ſobrevenido el año de
,mil ſetecientos y nueve, de que avian
,tomado ocaſion los Miniſtros de S. Juan,
,para reſiſtirſe à todos los Mandamientos
,del Vicario Arzobiſpal, con el funda-
,mento, de que ſolo ſe podian expedir en
,virtud de la Juriſdiccion delegada Apoſ-
,tolica, la qual eſpirando con la vida de el
,Prelado, no avia podido paſſar à el Cabil
,do Sedevacante; y aunque de eſte reparo
,ſe avia procurado dàr, y diò ſatisfaccion
,competente; y tambien ſe avia formado
,ſobre èl competencia, que por recurſo
,regular, ſe avia introducido en el mi
,Conſejo, que no avia llegado el caſo de
,determinarſe, contemplando, que dan-
,do Yo Prelado à aquella Igleſia, ceſſarìa
,el Aſſumpto de la diſputa, pues no ſe le
,podia negar la Delegacion Apoſtolica;
,mas como la vacante avia ſido dilatada,
,ſe avian experimentado en ella, tantos
,deſordenes, è inconvenientes, y eſcan-
,dalos, que ſin llanto no ſe podian referir;
,y los principales ſe expreſſavan en re-
,preſentacion con Autos, que à princi-
,pios del año de mil ſetecientos y quince,
,avia hecho al mi Conſejo el Cabildo de
,Toledo: Que en eſte tiempo, y circunſ-
,tancias avia debido el humilde rendi-
,miento de el Arzobiſpo à mi Poderoſa,
,y Real Clemencia, la honroſa memoria
,de acordarſe de èl para la Prelacìa, en
,cuyo ingreſſo, avia podido eſperar toda
,buena correſpondencia con la Religion,
,aſsi por ceſſar la duda que motivò las
,controverſias en la Sedevante, como por
,ſu natural inclinacion à evitar pleytos,
,y diſcordias, y aver comparecido à exa-
,men algunos de los Curas Priores, que
,antes ſe avian reſiſtido à eſta juſta, y de-
,bida providencia eſtablecida en el Ca-
,pitulo Septimo de la Concordia; mas
,la experiencia avia acreditado en breve,
,que padecìa engaño ſu confianza, pueſto
,que en los Miniſtros de la Religion, ſe
,avia deſcubierto, la novedad, de negarſe
,al cumplimiento de los deſpachos expe-
,didos por el Vicario de la Dignidad
,Arzobiſpal, enmedio de llevar la Clau-
,ſula expreſſada, de que ſe uſaba de la
,Juriſdiccion delegada: Que el funda-
,mento de eſta inobediencia, ſolo conſiſ-
,tìa, en decir, que ſiendo exemptas las
,Igleſias, y ſubditos de la Religion, no
,podia exercer en ellas, ni en ſus Priores
,Juriſdiccion alguna otro que ſu Vicario
,Regular, de quien pretendian huvieſſe
,de preceder licencia, ò exequatur, para
,que ſe publicaſſen, y executaſſeu en ellas
,los Decretos, ò Autos de el Vicario Ar-
,zobiſpal, por cuyo medio, querìan ha-
,zer la Juriſdiccion Dioceſana, y Apoſ-
,tolica, dependiente de la ſuya, y ſubor-
,dinada à ella; pues como los Edictos
,para Ordenes, y Capellanias, publica-
,ciones para Matrimonios, Cenſuras Ge-
,nerales, Edictos para la Viſita, y todos
,los deſpachos concernientes à el regi-
,men eſpiritual ſe avian de publicar en
,dichas Igleſias de la Religion, reſiſtirſe
,à ſu obedecimiento, era deſarmar caſi
,en el todo la Juriſdiccion Arzobiſpal,
,pues nada importàra que eſta ſe deſve-
,laſſe en las juſtas providencias que pe-
,dian por forma ſemejantes deſpachos,
,ſe avia de eſtàr en el Arbitrio del Vica-
,rio de la Religion, el dàr licencia para
,que ſe publicaſſen, y conceder, ò negar
,el exequatur, haziendo à ſu Juriſdiccion
,Ordinaria, ſuperior à la Apoſtolica

de-

,delegada, contra lo que dictava la ra-
,zon, y tantas vezes ſe avia decidido, y
,declarado: Que la obligacion del cargo
,Paſtoral, avia eſtrechado ſu conciencia
,à hazeros participante à vos el referido
,Frey Don Manuel de Tobalina, como
,tal Theniente de Gran Prior, y quien
,corria con el Govierno, y Adminiſtra-
,cion de todo lo Juriſdiccional en aque-
,llos Lugares; y haziendoos cargo, ve-
,niſteis en que ſe ſuſcitaſſe la planta, con
,que ſe caminaba à el tiempo de la muer-
,te del Cardenal Portocarrero, y nom-
,braſteis à Don Balthaſar de Acebedo,
,y Don Andrès Diez Navarro, para que
,en conformidad de el Capitulo veinte y
,ſeis de la Concordia, juntos con Don
,Franciſco de Mera, y Don Bartholomè
,Ferras, à quienes diputò el Arzobiſpo
,para el miſmo efecto, reſolvieſſen las
,dudas pendientes, y que ſe originaſſen
,deſpues entre los dos Vicarios; y con
,efecto avian dado principio à ſus Juntas,
,ordenando, entre otras coſas, que para
,la mas puntual obſervancia de dicha
,Concordia, ſe arreglaſſen à ella, en to-
,dos los caſos, y dubios que decidìa; y
,aſsimiſmo obſervaſſen, y executaſſen lo
,reſuelto antecedentemente, por la Junta
,formada en tiempo del Cardenal Porto-
,carrero, y determinaciones dadas en
,diſcordia por el Nuncio de eſtos mis
,Reynos: Que con eſta juſtificada, y
,genuina providencia, ſe podia imagi-
,nar averſe encontrado el rumbo de la
,tranquilidad, lo que avia eſtado muy
,lexos de producir eſte efecto, pues à
,pocos meſes ſe avia tropezado en mayo-
,res eſcollos, por que los Miniſtros de la
,Religion, no ſolo avian repitido el ex-
,ceſſo de no dàr cumplimiento à los deſ-
,pachos del Vicario del Arzobiſpo, ſino
,que tirando à deſtroncàr todo lo antece-
,dente, avian ſacado à luz la nueva idèa,
,de que la referida Concordia, por ſer
,perſonal, avia expirado, con las muer-
,tes de el Cardenal Portocarrero, y el
,Gran Prior de San Juan el Principe
,Carlos de Lorena, con quien ſe avia
,eſtipulado; y en ſu conſequencia, todo
,lo determinado por las Juntas, en cuyo
,ſupueſto, y como ſi fuera eſta una verdad
,innegable: El Theniente de Vicario de
,la Religion, avia renovado à ſus ſubdi-
,tos, el orden, de que no obedecieſſen
,los Deſpachos, y Decretos de la Juriſ-
,diccion delegada, que exercìa el Vicario
,de el Arzobiſpo, opueſtoſe à que eſte
,hizieſſe los aforos de los Regulares, y
,exemptos de la Religion, en medio de
,pertenecerle como Delegado Apoſto-
,lico, en virtud del Breve de Millones,
,como de èl conſtava, y eſtava determi-
,nado por el Nuncio de ſu Santidad, en
,el miſmo caſo, y aver paſſado à otros
,atentados procedimientos, todos con
,tal deſembarazo, como aver ſuſpendido
,del exercicio de tales à dos Curas Priores
,de Santa Maria de Conſuegra, y de He-
,rencia, por aver dado poſſeſsion de dos
,Capellanias, en virtud de Deſpachos ex-
,pedidos, en fuerza de la Juriſdiccion de-
,legada por los Miniſtros de la Dignidad
,Arzobiſpal, uſando en lo referido de
,una nueva, y extraordinaria Juriſpru-
,dencia, qual era el ſuſpenderles de el
,exercicio de Parrochos, pero no de la
,Renta; à fin, de que dexando la Cura
,de Almas en poder de Mercenarios,
,queden exemptos de la Juriſdiccion
,Dioceſana, y en la realidad ſea jubila-
,cion, ò premio, lo que en la apariencia
,ſonaba con voces de caſtigo, y eſto por
,tan deſpreciable motivo, como el de
,quitar à aquellos dos Subditos à la Dig-
,nidad Arzobiſpal, y ampliar la ſuya à
,los Thenientes, ò ſubſtitutos, que regu-
,larmente eran Clerigos Seculares, y por
,ſirvientes quedaban ſujetos à ſu Juriſ-
,diccion Ordinaria: Que ſe dexava co-
,nocer bien, que toda eſta maquina eſtri-
,vaba en muy flaco, y debil fundamento,
,qual era el enunciado, pues no cabìa en
,juicio deſapaſsionado, la impreſsion,

,de que un inſtrumento tan autentico, y ,ſolemne, como la referida Concordia, ,ſolicitada por ambas Dignidades, para ,imponer fin à tantas controverſias, con- ,firmada por ſu Santidad, con la clauſula ,expreſſa, de que tuvieſſe perpetua, è ,inviolable firmeza, y expedida en con- ,firmacion de Sentencias, y Executorias ,Rotales; ſolo huvieſſe de ſer perſonal, ,por la vida de los Eſtipulantes, desfigu- ,rando la repreſentacion con que la avian ,otorgado, no como particulares, ſino ,es cada uno reſpectivamente en nombre ,de ſu Dignidad, y dexando las contro- ,verſias en el miſmo, ò en peor eſtado ,que antes; que aun en terminos menos ,eſtrechos es, y fuera innegable ſu perpe- ,tuidad, y principal efecto de obligar los ,Succeſſores de ambas Dignidades, aten- ,diendo la diferencia que conſtituye à ,cerca de ſemejantes Concordias la ver- ,dadera, y comun opinion, contradiſtin- ,guiendo las que ſe avian quedado en los ,terminos de ſola eſtipulacion de las par- ,tes, de aquellas en que intervino la au- ,toridad, ò confirmacion Apoſtolica, ,pues aunque contra las primeras ſe pu- ,dieſſen oponer los Succeſſores, y diſpu- ,tar ſu perpetuidad, militava lo contra- ,rio en las ſegundas, por que la Suprema ,Poteſtad en lo Eſpiritual de el Vicario ,de Chriſto, que las autorizava con ſu ,Aprobacion entre otros efectos, las co- ,municava el valor de perpetuas, y no ,comprehendidas en los Decretos de el ,Tridentino, adaptables unicamente à ,las primeras; pues nunca pudiera dexar ,de parecer diſſonante à toda razon, que ,eſtuviera en arbitrio de los inferiores, ,contravenir à las reſoluciones, en que ,no ſolo avia pueſto ſu Santidad la mano, ,ſino es que las avia convalidado con ſu ,Apoſtolica confirmacion; que lo miſmo ,tenia reconocido, y aun confeſſado con ,ſus allanamientos la parte de la Religion ,aun deſpues del ingreſſo del Arzobiſpo ,en el Arzobiſpado, como ſe demoſtrava ,por el hecho de aver nombrado Juezes, ,que en conformidad de lo diſpueſto en ,el Capitulo veinte y ſeis de la referida ,Concordia, determinaſſen los dubios ,emergentes, como con efecto, lo avian ,empezado à executar concurriendo en ,Juntas, con los de la Dignidad Arzobiſ- ,pal; y bien ſe dexava comprehender ,quan inutiles ſerìan eſtas reſoluciones, ,en el ſupueſto de no durar la Concordia, ,quando en ella unicamente ſe concedia ,Juriſdiccion para dirimir en eſta forma ,arbitraria las dudas, y controverſias: ,Que de todo lo expreſſado, ſe eviden- ,ciava, que aunque en lo aparente ſe va- ,lìan los Miniſtros de la Religion para ſus ,maximas, de aver expirado la Concor- ,dia; eſte no era mas que preteſto, con ,que querìan paliar ſu inobediencia, ſien- ,do el motivo de ſus ideas, fundado en lo ,que ellos miſmos publicaban, deſde que ,ſe hizo la gracia de el Gran Priorato, al ,Sereniſsimo Infante Don Fernando, mi ,muy Caro, y Amado Hijo, con cuyos ,ſuceſſos, avian cobrado nuevos alientos, ,preſumiendo que en ſu Proteccion, ha- ,llarian eſcudo, y defenſa, para todas ſus ,operaciones, y eſpecialmente para deſe- ,char la ſugecion del Prelado de Toledo, ,afianzada con tantas Bulas Apoſtolicas, ,en cuyo concepto caminaban, no ſolo ,deſlumbrados, ſino que ofendìan mi Real ,juſtificacion, de cuyo Soberano arbitrio ,dependia la ſanta educacion del Infante, ,haziendome el agravio, de perſuadirſe, ,que pueda Yo autorizar la ſinrazon, ò ,inclinar mi Real animo à favorecer lo ,que fuere contrario à Juſticia, y à De- ,ciſiones Canonicas, corroboradas con ,Regios Decretos, para que ſuſcitandoſe ,nuevas diſcordias, entre las Juriſdiccio- ,nes ſe conſuman en pleytos las rentas de ,las dos Dignidades, como avia ſucedido ,en la antecedente, y teniendolos diſcor- ,des, lograſſen aplicarſe yà al uno, yà al ,otro Superior, ſegun les tuvieſſe mas ,cuenta, inſtruidos, por la eſperiencia,

de

»de que esta desunion, les avia producido »(à su parecer) favorables efectos, si como »tales se debian estimar, los que no iban »dirigidos à la perfeccion Christiana; al »mismo tiempo, que para sus intereses, »se unìan contra las dos Dignidades, de »que era prueba, entre otros exemplares, »lo que resultava de el Capitulo veinte y seis de la Concordia en su numero »quarto, en èl siguiendo el Norte de las »Decisiones de la Rota, se reserbava à »una, y otra Dignidad su derecho, para »que le sigan sobre los diezmos, adeuda»dos por los Cavalleros Freyles, Parro»cos, y otros sirvientes, por razon de »sus bienes Patrimoniales, de que perte»necìan à la Prioral dos partes, y à la Ar»zobispal, la tercera: Y aviendo muchos »de estos individuos, que los gozaban »copiosissimos en el Priorato, por mas »diligencias que se avian hecho por la »Dignidad Arzobispal, en fuerza de Au»tos favorables de el mi Consejo, y Nun»ciatura, hasta aora no se avia podido »conseguir, el pagamento de un solo gra»no, y lo mismo se tenia entendido suce»dia à la Dignidad Prioral, en lo respec»tivo à sus dos tercias partes, por que en »esto que era interese uniforme de los »Superiores, conspiraban de comun »acuerdo, contra uno, y otro aquellos »subditos, en defensa de sus presumptos, »ò ideados Privilegios: Que todo lo que »llevaba representado el Arzobispo, nada »era voluntario, ni dudoso, pues constava »autenticamente de las Executoriales, y »Decisiones de esta Causa, de el instru»mento de Concordia, de los Autos, y »Testimonios, que acompañaban su re»verente suplica: Y que si para fenecer »los pleytos, no bastaban las Executorias »de Tribunales competentes, y para diri»mir los pleytos, y litigios, no era sufi»ciente la autoridad de cosa juzgada, »puesta yà en practica, y execucion, y »quitar la raiz, y fomento de las compe»tencias, no tenia correspondiente acti»vidad, y valor, una transaccion, y Con»cordia solemne de las Partes interesadas, »corroborada con la Confirmacion de un »Breve Pontificio, que avia yà llegado à »tener efecto? No descubria la razon, ni »el discurso, què medio humano se halla»rìa de imponer fin à los litigios, y de »cumplir lo que tanto encargavan todas »las disposiciones Canonicas, Civiles, y »Regias, en orden al regular, y mas breve »fenecimiento de las causas, por lo mu»cho que conducia à la quietud, y bien »publico, que no sean inmortales las con»troversias: Que assi como no fuera justo, »ni razonable, quisiesse el Arzobispo, ade»lantar los derechos de su Dignidad, ò ad»quirir, los que no le pertenecian, tam»poco podria dexar de ser gravemente, »culpable, perder, ò no conservar lo que »por legitimos titulos le tocavan, y eran »debidos, en fuerza de los que estavan »ponderados, tenian establecida en el »Priorato de San Juan, ambas Jurisdic»ciones Ordinaria, y Delegada, que en »virtud de la primera, tenia indisputable»mente por subditos, todos los indivi»duos de el Pueblo Lego, y Clero Secu»lar; y por lo respectivo à la segunda, »tambien lo estaban los Parrocos, The»nientes, y Ministros de la Religion, en »todo lo concerniente, directa, ò indirec»tamente à la Cura de Almas, y adminis»tracion de Sacramentos, en cuyo su»puesto innegable, era igualmente cierto, »que se le avia de pedir estrecha cuenta »de sus Almas, y Conciencias, con el »rigor que explicavan los Santos Padres, »sin que fuesse disculpable, la omision, »descuydo, ò negligencia que huviesse »tenido en solicitar su bien: Què mal »podrìa cumplir con tan estrecho vinculo, »y muy escrupuloso gravamen de Con»ciencia, y evitar las lastimosas conse»quencias, que sucederìan en aquel Par»tido, si mi Soberana, y Poderosa justifi»cacion, como Rey, como Dueño, y co»mo Padre del Serenissimo Infante Gran

,Prior, no me intereſſaſſe en atajàr los ,referidos inconvenientes, deſafueros, è ,inobediencias, que cada dia ſe experi- ,mentavan; como ſe avia intereſado el ,Emperador Carlos Quinto, mi Señor, ,y quarto Abuelo de glorioſa memoria; ,pues en el año de mil quinientos y veinte ,y ſeis (no teniendo tan aclarados ſus ,derechos la Dignidad Arzobiſpal) à ,conſulta del mi Conſejo, avia mandado ,expedir ſus Regias Proviſiones, orde- ,nando al Gran Prior, no moleſtaſſe, ni ,inquietaſſe al Arzobiſpo de Toledo, en ,la Juriſdiccion omnimoda que exercìa ,en el Priorato, y que intentava contra- ,decir, en fuerza de un nuevo Privilegio ,concedido por el Papa Clemente Sep- ,timo, à la Religion Hieroſolymitana: ,Por todo lo qual me ſuplicò el referido ,Arzobiſpo de Toledo, que informado ,de la verdad, de lo referido que ſe com- ,probaba en los Inſtrumentos que incluìa ,ſu inſtancia, y conſtando de la certeza de ,ſus expreſsiones, fueſſe ſervido expedir ,mis Reales Ordenes, à Vos el dicho The- ,niente de Gran Prior, à los Miniſtros de ,la Sacra Aſſamblea, y Vicario de la Re- ,ligion, para que en todo, os arreglaſſe- ,des, à la obſervancia de las Executoria- ,les, y Concordia otorgada entre las dos ,Dignidades, y que para los Dubios, que ,nuevamente incidieſſen, ſe continuaſſen ,las Juntas que diſponia el ultimo Con- ,cordato, en la forma que ſe practicava ,en tiempo de el Cardenal Portocarrero, ,y aun deſpues que el Arzobiſpo avia en- ,trado en el Arzobiſpado, pues de eſta ,ſuerte, ſe reſtableceriа la quietud en ,aquel Partido, y podriа aplicarſe à la ,ſolicitud de ſus Eſpirituales aumentos, ,debiendoſe eſtos, como lo eſperava, à ,mi Catholica, y Real Piedad, y ſuma ,juſtificacion: Y los Inſtrumentos, que ,incluyò la repreſentacion del Arzobiſpo ,de Toledo, fueron los Executoriales de ,la Rota, conſeguidos por la Dignidad ,Arzobiſpal, haſta el año de mil ſeiſcien- ,tos y ſeſenta y nueve; la Concordia que ,và referida, hecha entre las dos Digni- ,dades, Aprobada, Confirmada por la ,Santidad de Innocencio Duodecimo, en ,doze de Diziembre de el año de mil ſeiſ- ,cientos y noventa y ocho; y un Teſti- ,monio, por donde calificò, que deſpues ,de la Sedevacante, y eſtando yà en poſ- ,ſeſsion el Arzobiſpo, ſe avian nombra- ,do Juezes por ambas Dignidades, para ,la obſervancia de la Concordia, y teni- ,do varias Juntas, mandandola guardar, ,como tambien los Decretos de las Jun- ,tas celebradas en tiempo de el Cardenal ,Portocarrero, y reſoluciones del Nuncio ,de ſu Santidad, calificandoſe por el miſ- ,mo Teſtimonio, que poſteriormente ſe ,avian ſubſtraìdo los Miniſtros de la Re- ,licion, de executar, y obedecer varios ,Deſpachos de el Vicario de la Dignidad ,Arzobiſpal: ¶ Y aviendo remitido al mi ,Conſejo eſta dependencia, con los inſtru- ,mentos citados, viſta en èl, con la refle- ,xion que requiere materia de tanta im- ,portancia, y conſultandome ſobre ello: ,He venido en condeſcender à la ſuplica ,de el Arzobiſpo, para que ſe logre el ,ſoſiego, y tranquilidad de los Subditos ,de el Priorato; y en conſequencia de ,ello, mandè deſpachar eſta mi Cedula. ,Por la qual os encargo, que ſiendoos ,moſtrada, veais la Concordia que và re- ,ferida, eſtipulada entre ambas Dignida- ,des, en tiempo del Cardenal Don Luis ,Fernandez Portocarrero, Arzobiſpo, ,que fuè de Toledo, y el Principe Don ,Carlos de Lorena, Gran Prior, que ,tambien fuè de la Religion de San Juan, ,en eſtos mis Reynos de Caſtilla, y Leon, ,Aprobada, y Confirmada, por la San- ,tidad de Innocencio Duodecimo, en ,doze de Diziembre de el año de mil ſeiſ- ,cientos y noventa y ocho: Y en lo que ,toca à la Dignidad Prioral, obſerveis, y ,guardeis, y hagais obſervar, y guardar ,putualmẽte en todo el Priorato la citada ,Concordia, ſin la contravenir en manera alguna;

,alguna; y en conformidad de lo reſuelto ,en el ultimo Capitulo de ella, nombreis ,por vueſtra parte, dos perſonas, que ,juntas con las dos que nombrare el Ar- ,zobiſpo de Toledo, decidan, y determi- ,nen las dudas que ocurren, y ſe ofrecie- ,ren en adelante, en la obſervancia de la ,referida Concordia, y exercicio de am- ,bas Juriſdicciones, que ſerà de mi Real ,gratitud, y de mi Real deſagrado, ſi exe- ,cutais lo contrario; y en eſte caſo toma- ,rè la providencia, que pareciere mas ,conveniente, à fin de reſtablecer en mis ,Reynos la Paz que Dios me ha recomen- ,dado: Y mando, que al traſlado auten- ,tico de eſta mi Cedula, ſe le dè tanta fee ,y credito como à la original. Dada en la ,Torre de la Parada, à quatro dias de el ,mes de Septiembre de mil ſetecientos ,y diez y ſiete años. YO EL REY. ,Por mandado del Rey Nueſtro Señor. ,Don Franciſco de Caſtejon.

EL REY. Theniente de Gran Prior ,de la Religion de San Juan en eſtos mis ,Reynos de Caſtilla, y Leon, y à los que ,os ſucedieren en eſta Dignidad, ſabed: ,Que por mi Real Reſolucion, à Conſulta ,de el mi Conſejo, de treinta y uno de ,Mayo de el año proximo paſſado de mil ,ſetecientos y diez y ſiete, en viſta de lo ,que me repreſentò el M. R. en Chriſto ,Padre Don Franciſco Valero y Loſſa, ,Arzobiſpo de Toledo, Primado de las ,Eſpañas, de el mi Conſejo, fuy ſervido ,mandar deſpachar, y con efecto ſe deſ- ,pachò mi Real Cedula en quatro de Sep- ,tiembre del miſmo año de ſetecientos y ,diez y ſiete, encargandoos vieſſedes la ,Concordia eſtipulada entre las Digni- ,dades Arzobiſpal de Toledo, y Prioral ,de San Juan, en eſtos mis Reynos de ,Caſtilla, y Leon, en tiempo de el Car- ,denal Don Luis Fernandez Portocarre- ,ro, Arzobiſpo, que fuè de Toledo, y el ,Principe Don Carlos de Lorena, Gran ,Prior, que tambien fuè de la Religion de ,San Juan, en dichos mis Reynos de ,Caſtilla, y Leon, Aprobada, y Confir- ,mada por la Santidad de Innocencio ,Duodecimo, en doze de Diziembre del ,año de mil ſeiſcientos y noventa y ocho; ,y que en lo que tocaba à la Dignidad ,Prioral, obſervaſedes, y guardaſedes, y ,hizieſſedes obſervar, y guardar, pun- ,tualmente en todo el Priorato la citada ,Concordia, ſin la contravenir en manera ,alguna: Y que en conformidad de lo ,reſuelto en el ultimo Capitulo de ella, ,nombraſedes por vueſtra parte dos per- ,ſonas, que juntas con las dos que nom- ,braſſe el Arzobiſpo de Toledo, decidie- ,ſen, y determinaſſen las dudas que ocur- ,rieſſen, y ſe ofrecieſſen en adelante, en ,la obſervancia de la referida Concordia, ,y exercicio de ambas Juriſdicciones, que ,ſeria de mi Real gratitud, y de mi Real ,deſagrado, ſi executavais lo contrario; ,y que en eſte caſo, tomaria la providen- ,cia que pareciеſſe mas conveniente, à fin ,de reſtablecer en mis Reynos la Paz que ,Dios me ha recomendado. ¶ Deſpues ,de lo qual Frey Don Manuel de Tobalina ,Bernardo de Quiros, Cavallero Comen- ,dador de la dicha Orden de San Juan, y ,Preſidente de la Aſſamblea, en eſtos di- ,chos mis Reynos de Caſtilla, y Leon, ,me ha repreſentado, ſer tantos, y tan ,grandes los agravios, que contiene la ,citada Concordia, contra los intereſes, ,derechos, y Juriſdiccion de la Religion ,de San Juan, y de el Sereniſsimo Infante ,Don Fernando, mi muy Caro, y Amado ,Hijo, Gran Prior de la referida Religion ,en eſtos mis Reynos de Caſtilla, y Leon, ,y de las exemptiones perſonales de los ,Religioſos, y Subditos, y Vaſſallos de el ,Gran Prior, y de las exempciones Rea- ,les de las Igleſias, y demàs Lugares Pios ,de el Gran Priorato, que de juſticia no ,debia practicarſe, antes bien reſcindirſe ,la referida Concordia; y que mucho ,menos ſe debia practicar, por contener ,en sì muchos Capitulos de Nulidad,

,como era; no aver tenido Poderes los ,Arbitros de ella, para eſtipularla en ,Eſpaña; y que los que avian ſido legiti- ,mos Podatarios, la avian contradicho; ,à que concurria tambien, que la narra- ,tiva que ſe avia hecho à ſu Santidad, ,para la Aprobacion, avia ſido ſinieſtra, ,y ſubrepticia; demàs, de que ſiendo el ,motivo, y fin principal de las Concor- ,dias evitar pleytos, ſe avia experimen- ,tado deſde el año de mil ſeiſcientos y ,noventa y nueve, que ſe avia empezado ,à practicar, haſta el de ſetecientos y ,ocho, que ſe avian ſuſcitado muchos ,mas pleytos en el Gran Priorato, que ,en los ducientos años antecedentes, ſi- ,guiendoſe à lo referido, el no aver pe- ,dido licencia, ni conſentimiento à ſu ,Gran Maeſtre, y Religion, no debien- ,do por sì el Principe Carlos de Lorena, ,executar eſta Concordia tan contraria ,à las Juriſdicciones, Privilegios, y ,exempciones, y Rentas, que pertene- ,cen à ſu Religion, Dignidad Prioral, ,Religioſos, à las Igleſias, y demàs ,Lugares Pios de el Gran Priorato; y ,finalmente, por que el referido Principe ,no pudo por sì executar eſta Concor- ,dia, por hallarſe en la ocaſion en la me- ,nor edad, y ſin el uſo por sì de las Juriſ- ,dicciones de la Dignidad Prioral; por ,cuyos motivos, y otros muchos que ,manifeſtariais, ſi fueſſe de mi Real agra- ,do; me ſuplicò, fueſſe ſervido mandar ,ſuſpender la reſolucion que ſe huvieſſe ,tomado, ſobre que ſe practicaſſe la refe- ,rida Concordia, por muchos agravios, ,inconvenientes, inquietudes, y pleytos ,que ſe avian experimentado, y ſe avian ,de ſeguir en perjuicio de la Autoridad, ,y de los intereſes de el Infante Gran ,Prior, y de ſu Dignidad, Subditos, y ,Vaſſallos, haziendoſe preſente, que en ,el año de mil quinientos y noventa y ,ſiete, ſe avia eſtipulado otra Concordia ,entre el Archiduque Alberto, Arzobiſ- ,po de Toledo, y el Principe Philiberto ,Emanuel de Saboya, Gran Prior que ,fuè de Caſtilla, la qual era mas practica- ,ble para ambas Dignidades, y que eſto ,no ſe oponia à ſeguir en Roma el pleyto ,de propriedad, que eſtaba pendiente; ,y para continuar la pretenſion de el Pri- ,vilegio de ſu Santidad de Nullius Dioce- ,ſis, con ſeparacion de el Territorio de el ,Gran Priorato, de la Dioceſis de Tole- ,do, que eſte medio, no ſolo fuera de ,gran decoro al Infante Gran Prior, ſino ,es de mucho util à ſus intereſes, y rentas ,del Gran Priorato. ¶ Y el dicho M. R. ,en Chriſto Padre Don Franciſco Valero ,y Loſſa, Arzobiſpo de Toledo, tambien ,me ha repreſentado, aver ſolicitado, ,que mi Real zelo ſe intereſſaſſe en que ſe ,reſtableciеſſe entre ſu Juriſdiccion, y la ,de la Religion de San Juan, la Concor- ,dia que và citada, como providencia ,neceſſaria para aſſegurar la paz, y aten- ,der ſin los embarazos que traen conſigo ,las competencias ruydoſas de las Juriſ- ,dicciones à el govierno eſpiritual; y que ,avia ſido ſervido expedir la Real Cedula ,citada; y que aviendoſeos intimado, ,como Theniente del Infante Gran Prior, ,no ſe avia obedecido con la puntualidad ,que merecìa la grevedad de eſta materia, ,y era debida à mi Real reſolucion: Y ,aviendo entendido, que era vueſtro ani- ,mo ponderarme, que era perjudicial à ,los derechos de la Religion la Concor- ,dia; que la avia otorgado el Principe ,Gran Prior en la menor edad; y que por ,eſte medio, no ſe aſſegurava la quietud, ,ni ſe afianzava la paz; motivos, que con ,tan madura reflexion deſeſtimè, teniendo ,bien preſentes eſtos, y otros ſemejantes ,pretextos, con que ſe avia pretendido ,fundar eſta novedad, para reſucitàr las ,antiguas diſcordias: Eſperaba deberme ,el Arzobiſpo, me dignaſſe mandar ſe ,executaſſe, y cumplieſſe la mencionada ,Real Cedula, por que no ſe podia con- ,ſiderar gravada la Religion, en la Con- ,cordia que otorgaron ambas Dignidades

con

,con maduro Acuerdo, ni defecto alguno ,eſtando Confirmada en expecifica for- ,ma por ſu Santidad, lo que baſtaria para ,ſanar qualquier defecto, aun quando ſe ,les debiera confeſſar; y era bien noto- ,rio, que en el tiempo que ſe avian arre- ,glado las Juriſdicciones à la Concordia ,no avia avido litigio alguno, que no ſe ,huvieſſe ajuſtado, como ſe ordenava en ,el Breve de ſu Santidad; y que quando ,mereciera alguna eſtimacion vueſtro re- ,petido alegato, eran excepciones, que ,ſe debieran proponer en el Tribunal de ,ſu Santidad, arreglandoſe en interin à ,la eſtipulacion; por cuyo motivo, quan- ,do en el tiempo de el Emperador Carlos ,Quinto, mi Señor, y quarto Abuelo ,(que eſtà en gloria) ſe expidieron Rea- ,les Proviſiones, para que el Gran Prior, ,con el pretexto de el Privilegio de la ,Santidad de Clemente Septimo, no in- ,quietaſſe la Juriſdiccion omnimoda que ,poſſeìa la Dignidad, aunque avia recla- ,mado el Gran Prior con iguales moti- ,vos, no avia ſido oido, y ſe avian dado ,eſtrechiſsimas ordenes, para que no in- ,quietaſſe al Arzobiſpo, interin que acu- ,diendo à ſu Santidad, obtuvieſſe la cor- ,reſpondiente declaracion: Por cuyas ,razones, me ſuplicò el Arzobiſpo, man- ,daſſe ſe obedecieſſe la Real Cedula, y ,guardaſſe la Concordia. ¶ Las quales inſ ,tancias, con mis Reales Decretos de ,treze, y treinta de Septiembre de el ,dicho año de mil ſetecientos y diez y ,ſiete, fui ſervido de remitir al mi Con- ,ſejo, para que me conſultaſſe lo que ſe ,le ofrecieſſe, y pareciesſe; y aviendolo ,hecho aſsi, en ſu viſta, mandè deſpachar ,eſta mi Cedula: Por la qual os encargo, ,que ſiendoos moſtrada, veais la Real ,Cedula de que ſe haze mencion, expe- ,dida por mi Real Perſona en quatro de ,Septiembre de el dicho año de mil ſete- ,cientos y diez y ſiete, que tambien os ,ſerà moſtrada, y ſin embargo de la re- ,preſentacion hecha por el dicho Don ,Manuel de Tobalina, la guardeis, cum- ,plais, y executeis, y hagais guardar, ,cumplir, y executar en todo, y por todo ,como en ella ſe contiene, ſin la contra- ,venir, ni permitir, que ſe contravenga ,en manera alguna, y en ſu execucion, y ,cumpliniento, en lo que toca à la Dig- ,nidad Prioral de San Juan, obſerveis, ,guardeis, y cumplais, y hagais que ſe ,obſerbe, y guarde, y cumpla putual- ,mente en todo el Priorato la citada Con- ,cordia, ſin la contravenir en manera al- ,guna; y en conformidad de lo reſuelto ,en el ultimo Capitulo de ella, nombreis ,por vueſtra parte dos perſonas, que ,juntas con las dos que nombrare el Ar- ,zobiſpo de Toledo, decidan, y deter- ,minen las dudas que ocurrieren, y ſe ,ofrecieren en adelante, en la obſervan- ,cia de la referida Concordia, y exerci- ,cio de ambas Juriſdicciones, que ſerà ,de mi Real gratitud; y de mi Real deſa- ,grado ſi executais lo contrario; y en eſte ,caſo tomarè la providencia que pare- ,ciere mas conveniente, à fin de reſtable- ,cer en mis Reynos la Paz que Dios me ,ha recomendado, como os lo tengo ad- ,vertido en la Real Cedula antecedente. ,Dada en Madrid à nueve dias del mes de ,Enero de mil ſetecientos y diez y ocho ,años. YO EL REY. Por mandado de el ,Rey Nueſtro Señor. Don Franciſco de ,Caſtejon.

EL REY. Theniente de Gran ,Prior de la Religion de San Juan en eſtos ,mis Reynos de Caſtilla, y Leon, y à los ,que os ſucedieren en eſta Dignidad, ſa- ,bed: Que por el M. R. en Chriſto Padre ,Don Franciſco Valero y Loſſa, Arzo- ,biſpo de Toledo, Primado de las Eſpa- ,ñas, de el mi Conſejo, ſe me ha repre- ,ſentado, que aviendo ſolicitado ſe pu- ,ſieſſen en execucion dos Cedulas mias, ,en que mandava obſerbar, y guardar la ,Concordia otorgada entre ſu Dignidad ,Arzobiſpal, y la de Gran Prior de Caſ- ,tilla, Confirmada por la Santidad de

Inno-

,Innocencio Duodecimo en expecifica ,forma, y obſerbada deſde el año paſſa- ,do de mil ſeiſcientos y noventa y nueve, ,con el Theniente de Gran Prior, y por ,vôs ſe inſinuava, no teniades facultad ,para nombrar Juezes, que decidieſſen ,los dubios que ſe ofrecieſſen, en confor- ,midad de la miſma Concordia, para que ,por eſte medio ſe entablaſſe la paz que ,tanto ſolicitava, y deſeava, pues la dila- ,cion era ſumamente eſcrupuloſa, por ,las conſequencias que en el govierno ,Eccleſiaſtico de eſſe diſtrito ſe experimen- ,taban, ſuſcitandoſe por parte de la Reli- ,gion cada dia queſtiones, y pleytos, que ,ſe hallavan decididas con Executoriales ,de la Sagrada Rota, y de los Juezes de ,Dubios de la miſma Concordia, lo que ,era ſenſible; quien no ſolicitava adqui- ,rir derechos no pertenecientes, ſino era ,à conſervar los adquiridos con titulos ,tan legitimos, y poder practicar el paſto ,Eſpiritual entre aquellas Ovejas, como ,antecedentemente me lo tenia repreſen- ,tado; por lo qual me ſuplicò, tomaſſe ,la providencia conveniente, à fin de que ,obſervaſedes, y cumplieſedes las referi- ,das Cedulas expedidas, para que por ,eſte medio, ceſſaſſen las competencias ,que ſe avian ſuſcitado, y ſuſcitavan en- ,tre las dos Juriſdicciones, en perjuicio ,de el regimen Eſpiritual de aquellos ,Subditos: Y por vueſtra parte, ſe me ,ſuplicò, mandaſſe recoger, y que no ſe ,executaſſe la referida Cedula, deſpa- ,chada por el miſmo Conſejo, y que ſe ,hizieſſe ſaber al Arzobiſpo, que dicha ,Concordia, no ſe podia, ni debia prac- ,ticar, y que era preciſo venir à un nuevo ,tratado, que fueſſe capàz de eſtablecer ,la Paz deſſeada entre las Dignidades, y ,el Gran Priorato, ò por el medio que ſe ,avia Concordado en el año de mil qui- ,nientos y noventa y ſiete, entre el Ar- ,chiduque Alberto, Arzobiſpo de Tole- ,do, y el Principe Philiberto de Saboya, ,Gran Prior, que avia roto el Arzobiſpo ,Sandoval, el año de mil ſeiſcientos y ,quatro, ò por otro medio propueſto, y ,Aprobado, y deſpues deſvaratado en el ,año de mil ſeiſcientos y noventa y ſeis; ,y caſo que el Arzobiſpo no quiſieſſe ve- ,nir en algunos de eſtos medios, me in- ,terpuſieſſe con ſu Santidad, para que ,concedieſſe à eſſe Gran Priorato, un Pri- ,vilegio *Nullius Dioceſis*, ſeparandole en ,todo, y por todo de la Dioceſis de To- ,ledo, concediendoſe al dicho Gran ,Prior, y à ſus Suceſſores en la Digni- ,dad Prioral, toda la Juriſdiccion Ecle- ,ſiaſtica Eſpiritual, y todos los diezmos ,de el Territorio de el Gran Priorato, ,excluyendola de el todo de la Juriſdic- ,cion de dicho Arzobiſpo: que por eſte ,medio, demàs de ponerſe en Paz dicho ,Priorato, ſe lograrìa en ſus intereſes un ,tercio mas de renta, facilitando mucho ,la pretenſion, el exemplar del Convento ,de el Eſcorial, que gozava con todo ſu ,Territorio de eſte beneficio, à pedimen- ,to de el Señor Phelipe Segundo; y con ,mas razon en el Gran Priorato, pues en ,las Bulas de la Dioceſis de Toledo, no ſe ,contenia el Territorio de el Gran Prio- ,rato, ni entre los Lugares, y Territorios ,expreſſados en ellas, como ſucedia al ,Eſcorial, y ſu Territorio; que no era ,tanto gracia, como juſticia, que ſe con- ,cedieſſe à dicho Territorio de el Gran ,Priorato, otro Privilegio *Nullius*, à ,nueſtro pedimento, concurriendo de- ,màs, el ſer muy conveniente, para qui- ,tar de raiz la ocaſion de pleytos, è in- ,quietudes: Y viſto por los del nueſtro ,Conſejo, con lo que ſe dixo por el Fiſcal ,de èl, à quien ſe mandò lo vieſſe, y con- ,ſultado con mi Real Perſona, ſe acordò ,dàr eſta mi Cedula: Por la qual os en- ,cargo, que ſiendoos moſtradas, veais ,las Reales Cedulas, de que ſe haze men- ,cion, expedidas por mi Real Perſona, ,en quatro de Septiembre del año de mil ,ſetecientos y diez y ſiete, y nueve de ,Enero de eſte año, que originales, con

eſta

,eſta os ſeràn moſtradas, y ſin embargo ,de la repreſentacion que me aveis hecho ,las guardeis, cumplais, y executeis en ,todo, y por todo, como en ellas ſe con-,tiene, ſin las contravenir, ni permitir ,que ſe contravenga en manera alguna, ,y en ſu execucion, y cumplimiento, en ,lo que toca à la Dignidad Prioral de San ,Juan, obſerveis, guardeis, y cumplais ,puntualmente la citada Concordia, ſin ,la contravenir en manera alguna; y en ,conformidad de ello, nombreis por ,vueſtra parte dos perſonas, que juntas ,con las dos que nombrare el Arzobiſpo ,de Toledo, decidan, y determinen las ,dudas que ocurrieren, y ſe ofrecieren ,en adelante, en obſervancia de la refe-,rida Concordia, que para ello os doy ,Poder, y facultad tan baſtante como es ,neceſſaria. La qual cumplireis, con ,apercibimiento, que ſi executaredes lo ,contrario, ſerà de mi Real deſagrado. ,Fecha en San Lorenzo à veinte y cinco ,de Octubre de mil ſetecientos y diez y ,ocho años. YO EL REY. Por mandado ,del Rey Nueſtro Señor. Don Franciſco ,de Caſtejon.

¶ En la Villa de Madrid à diez ,dias de el mes de Noviembre de mil ſete-,cientos y diez y ocho años, yo el Eſcri-,vano notifiquè, è hize notorio la Ce-,dula antecedente, y las dos que refiere, ,y las puſe de manifieſto al Excelentiſsimo ,Senor Frey Don Pedro Davila y Guz-,man, Cavallero del Orden de San Juan, ,Comendador de Beade, y Morentaina, ,Embaxador Ordinario en eſta Corte por ,ſu Sagrada Religion, y Lugar Theniente ,de ſu A. S. el Sereniſsimo Infante Don ,Fernando, Gran Prior de Caſtilla, y de ,Leon, en ſu Perſona, dixo, que obede-,ce lo mandandado por dichas Reales ,Cedulas, ſin perjuicio, y con proteſta, de ,que no pueda parar perjuicio al derecho ,de dicho Señor Sereniſsimo Infante Gran ,Prior, ni à ſu Dignidad Prioral; y para ,que le conſte, pidiò à mi el Eſcrivano ,le dieſſe traſlado autentico de la ſe-,gunda, y tercera Cedula, reſpecto de ,eſtar dado de la primera, eſto reſpondiò ,ſu Excelencia, y en cumplimiento de ,eſta reſpueſta, le entreguè dicho traſla-,do autentico, con inſercion de eſta dili-,gencia, de que doy fee. Frey Don Pedro ,Davila y Guzman. Ante mi. Gaſpar de ,Cevallos.

§ Poſt hæc anno 1720. iterum de Concordiæ ſubſiſtentia Miniſtri Prioralis controverſiam ſuſcitarunt. Sed re ad Apoſtolici Nuncij Tribunal delata, ibique plenè examinata, ſub die 20. Maij novum prodiit decretum, in quo non ſecus ac in alio 27. Novembris 1717. Concordiæ obſervantia, illius tenore inſerto, præcipiebatur, ut per extenſum habetur in noviſsima Collectione Concordiæ, & Deciſionum Matriti excuſſa hoc ipſo Anno Salutis noſtræ 1753. in quo ad majorem Dei gloriam, & Prælatorum Eccleſiæ concordiam laborem noſtrum plenè abſolvimus.

S. D. H. E. G.

INDEX.

S. D. H. E. C.

IHS

INDEX RERUM DUABUS HISCE PARTIBUS CONTENTARUM.

Numeri Romani I. II. *Partes designant, Numeri Arabici Caput, & cujusque Capitis numeros.*

A

ABBAS.

Vide *Prælatus Inferior*, *Monachi*, & *Pontificalia*.

Primi Regularium Prælati Abbates dicebantur I. cap. 4. num. 16.

Recentiorum Ordinum conditores nomen Abbatis humilitatis causa declinarunt. ibid. n. 22.

Hoc nomen solum dicit sollicitudinem, & potestatem œconomicam ut Patris & Magistri. ibid. n. 24.

Abbatis electio ad Monachos, institutio ad Episcopum spectabat. I. c. 3. n. 49.

Antiqui Abbates laici erant, & ultimum gradum in Ecclesiæ ordine habebant. I. c. 4. n. 18. & 20. & 21.

Posteriores Abbates ad magnam dignitatem conscenderunt. ibid. n. 17. & seqq.

Munus Abbatiale ex sua institutione non dicit jurisdictionem. ibid. n. 24.

Potestas Abbatis dicitur præeminentia fraternalis. ibid. n. 25.

Hanc potestatem exercebant Abbates dependenter ab Episcopo. ibid. n. 26. & 28.

Sæculo VI. variis privilegiis tribuitur Abbatibus privativa potestas in pertinentibus ad claustralem disciplinam, & temporalium administrationem. ibid. n. 27.

Hęc Abbatum potestas erat œconomica, non judicialis. ibid. n. 28. & seq.

Excommunicatio per Abbates inflicta, de qua frequens mentio in regula S. Benedicti, non erat censura Ecclesiastica ibid. n. 30.

ABBATISSÆ.

An conferre valeant beneficia existentia in propriis Ecclesiis. II. c. 6. n. 17.

Sententia negativa cõformior juri communi, ibid. n. 18. & seqq.

Ex privilegio aut præscriptione possunt conferre. ibid. n. 21. & 4. seqq.

Si habent Ecclesias pleno jure sibi subjectas, & vnitas Monasterio, possunt nominare Vicarios amobiles, per Episcopum aprobandos. ibid. n. 26.

Post leges clausuræ, nequeũt exire adviſitanda Monasteria sibi subjecta. II. c. 25. n. 11.

ABSENTIA. V. *Residentia.*

ABVSVS quorundam Episcoporum causam dederunt exemptionibus. I. c. 3. n. 38. & c. 4. n. 54. V. *Monachi.*

Abusus exemptorum causam præstant, privilegia moderandi. V. *Privilegium*, & *Derogatio.*

ACEPHALI.

Non sunt admittendi. I. c. 3. n. 10. & c. 4. n. 40.

Locus absolutè Acephalus dari nequit. I. c. 5. n. 8. & 21.

ACTVS Vide *Præscriptio.*

ADMINISTRATIO. V. *Episcopus.*

Est pars Episcopalis potestatis, cujus objectum est cura animarum. I. c. 1. n. 59.

Propter eam vocatur Episcopus speculator, superintendens, & superinspector. ibid. n. 60.

Et ob eamdem conceditur Episcopo Cathedra in Ecclesia. ibid. n. 61.

Licèt Episcopus alios hujus administrationis, & curę participes faciat; in ipso tamen sem per universalis permanet. ibid. n. 63.

Ex hac administratione plura jura exoriuntur. ibid. n. 64.

Totius patrimonij Ecclesiastici administratio competit Episcopo. II. c. 26. n. 1. V. *Bona.*

ADMINISTRATORES, Vide *Opera pia*, & *Rationes.*

Adscripti.

ADSCRIPTI.
Servitio Eccleſiarum an & quatenùs earum Servientes conſiderentur. II. c. 17. V. *Servientes.*
Eccleſia ſemper optavit, ut Clerici certis Eccleſiis adſcribentur. ibid. n.2. & ſeq.
Clericos adſcribere certæ Eccleſiæ Epiſcopo competit. ibid. n. 4.
Adſcripti arctiſsimo reſidentiæ vinculo tenebantur. ibid. n.5.
Et quadam ſervitutis ſpecie. ibid. n.6.
Comparantur colonis agrorum. ibid. n.7.
Illuſtratur hæc comparatio. ibid. n. 8. & ſeq.
ÆDIFICATIO.
Eccleſiarum permitti non debet, niſi publica Epiſcopi interveniat auctoritas. II. c. 3. n. 1. & ſeqq.
De licentia requiſita pro erectione Cathedralium, & Collegiatarum Remiſsivè. ibid. n. 5.
Locus novæ Eccleſiæ conſtruendæ ab Epiſcopo eſt diſsignandus. ibid. n. 8.
Eccleſia non eſt ædificanda, niſi dos ab Epiſcopo deſignetur. ibid. n.9.
Vbi non conſtat de dotis aſsignatione non creditur Epiſcopi licentiam præceſsiſſe. ibid. n. 10.
Nova Eccleſia ædificanda nõ eſt cum alterius Eccleſiæ præjuditio. ibid. n.11.
Si alicui concedatur, ut in ſuo diſtrictu non ædificetur Eccleſia abſque ejus licentia, non de licentia auctoritativa, ſed de prohibitiva eſt intelligendum. ibid. n.16.
Et reſtringitur conceſsio ad ſpeciem Eccleſiarum in ea expreſſam. ibid. n.17.
ÆDIFICATIO fortalitiorum jure Regio prohibetur. II. c. 3. n. 51. & 60.
De ædificatione conventuum. V. *Monaſteria.*
ÆQVALITAS Vide *Concordia*, & *Ordo.*
ALIENATIO prohibita cenſetur cum prohibetur tranſactio. II. Procem. n.27.
Rerum Eccleſiæ fieri non poteſt abſque beneplacito apoſtolico. ibid. n.28.
ALTERNATIVA accomodatiſsima eſt ad ſedandas controverſias. II. c.20. n.15.
AMPLIATIO Vide *Refectio.*
ANIMA hæres inſtituta coram Eccleſiaſtico judice conveniri debet. II. c.11. n.35.
Si hæres inſtituatur, ad quem ſpectet teſtamenti viſitatio? V. *Teſtamentum.*
Si hæres inſtituatur à Clerico, confectio inventarij ad judicem Eccleſiaſticũ pertinet. ibid. n.31. 34. & 36.
Animarum cura V. *Adminiſtratio*, & *Parochi.*
ANTIQVITAS magnam habet auctoritatem. I. c.5. n.1.
ANTISTES quiſnam propriè appelletur. II. c.24. à n.12.
APOSTOLI.
Acceperunt à Chriſto æqualem Ordinis poteſtatem. I. c.1. n. 7. 19.
Subordinati fuerunt D. Petro. ibid. n. 8.
Plures fundarunt Eccleſias per ſe, vel per ſuos diſcipulos. ibid. n.14. & 61.
Eis ſucceſſerunt Epiſcopi latè ibid. à n.11. V. *Epiſcopi.*
Acceperunt à Chriſto poteſtatem juriſdictionis. ibid. n. 27. 31.
Eorum juriſdictio fuit univerſalis in toto orbe ibid. n.33.
Apoſtoli ab uno Magiſtro edocti unam regulam ſervarunt in fundatione Eccleſiarum. I. c. 2. n. 13.
Cur Majores ad Vrbes proficiſcerent. ibid. n. 43.
An eorum prædicatio fuerit univerſalis in toto Orbe? ibid. à n. 55.
APOSTOLI nomen V. *Epiſcopi.*
APPROBATIO V. *Examen.*
ARBITRI juris diſtinguuntur ab arbitris arbitratoribus. II. Procem. n.42.
ARCHIDIACONVS.
Ex ſua inſtitutione nudus eſt Miniſter, & juriſdictione caret. I. c.4. n.12.
Magna tamen auctoritate ab antiquo gaudebat. ibid. n.13. V. *Examen.*
Erat tamen Epiſcopo ſubjectus, & delegata tantùm juriſdictione utebatur. ibid. n. 14. V. *Prælatus Inferior.*
ARCHIEPISCOPVS.
Poteſt deferre Crucem Pontificalem per loca exempta. II. c.1. n.60. & ſeq.
Archiepiſcopus Toletanus Primas eſt Hiſpaniæ, & Metropolita Provinciæ Carthaginenſis. V. *Primatus.*
Ejuſdem juriſdictio in Oppidis Prioratus. I. cap. 9. & in toto opere V. *Vicarius Diœceſanus.*
ASSISTENTIA JVRIS.
Favet Epiſcopo pro exercenda juriſdictione in loca, & perſonas omnes ſuæ Diœceſis. I. c. 2. n. 84.
Reſultat ex probatione ſituationis in Diœceſi ibid. n. 85.
Ipſa ſola ſufficit, ut Epiſcopo concedatur manutentio, etſi non conſtet de poſſeſsione. ibidem n. 87. & ſeqq.

Non

Non excluditur, niſi expreſſo privilegio, aut immemorabili canonizata per tres ſententias conformes. ibid. n. 89.

AVCTOR.

Auctoris proteſtatio in hoc opere ſcribendo. I. c.9. n.2.

Auctores factionarij in materia juriſdictionali improbantur. I. c.8. n.78.

Auctor dici poteſt, qui confirmat II.Procem. n.7.

B

BALDACHINVM non poteſt erigi ab Abbate, præſente Epiſcopo. II. c.20. n.12. V. *Pontificalia.*

BENEDICTIO V. *Conſecratio.*

Ita eſt actus juriſdictionis, ut inter privilegia Epiſcopalia cenſeatur, & pendeat à poteſtate Ordinis. II. c.3. n.75. & c.8. n.15.

BENEFICIA.

Permutari nequeunt abſque auctoritate Diœceſani. II. c.6. n.75. V. *Permutatio.*

Eorum proviſio de jure communi ſpectat ad Epiſcopum. II. c.7. n.1.

Sita in Eccleſiis Regularibus an ſint Regularia? & Reſp. negativè latè ibid. à n.3.

Non cenſentur exempra, quamvis Eccleſia ſit exempta. ibid. n.16. & ſeq.

Diverſum corpus ab Eccleſia, in qua ſunt efficiunt. ibid. n.13. & ſeq.

Non dicunt acceſsionem formalem cum Eccleſia, ubi ſunt ſita, ſed tantum aliquam materialem. ibid. n.28.

Eorum qualitas deſumitur ex ſtatu eorum, per quos reguntur. ibid. n.30.

Quamvis à Regularibus fundentur, ſi vocantur ad ea Clerici Sæculares, ſunt Sæcularia. ibid. n.31.

Situatio in Eccleſia Regulari præſtat Regularitatis præſumptionem. ibid. n.27.

Eorum collatio Epiſcopo reſervatur ex Tridentino. ibid. n.35.

Circa eorum collationē in locis M.Prioratus, & lites ſuper eis decidendas. V. *Capellaniæ.*

Eccleſiaſtica & collativa verificari nequeunt abſque Epiſcopi auctoritate. II. c.8. n.5.

Erigi nequeunt niſi ab habente jus Pontificale, & Diœceſanum. ibid. n.8. & ſeqq.

Quod ampliatur. n.20.

Erigi etiam poſſunt à Prælatis *nullius*, habentibus uſum Pontificalium. ibid. n.11. & 2. ſeqq.

Secus ab Inferioribus intra Diœceſim niſi ex ſpeciali privilegio. ibid. n.14. & 18.

Eorum bona ſiunt ſacra, & ſpiritualia abſque ulla mixtura temporalium. ibid. n.7.

De eorum bonis alienandis & comutis à Beneficiatis deſumendis. V. *Capellaniæ.*

Quoad eorum viſitationem. V. *Viſitatio.*

BENEPLACITVM Apoſtolicum quid operetur, & quomodo requiratur in tranſactionibus. II. Procem. à n.26. ad 34. Vid. *Tranſactio.*

BONA Eccleſiæ adminiſtrare Epiſcopo competit. V. *Adminiſtratio.*

In partes fuerunt diviſa. II. c.26. n.2.

Eorum quarta pars Epiſcopo fuit relicta. ibi.

In Hiſpania eſt tertia pars. ibid. n.3. V. *Decimæ.*

Bona erigere in ſpiritualia, ad quem ſpectet. V. *Beneficia*, & *Capellaniæ.*

C

CAMPANA ſignum juris Parochialis. II. c.1. n.18.

Templariis, & Hoſpitalariis in ſuis Oratoriis de jure communi prohibetur. ibid.

CAPELLÆ V. *Oratoria*, & *Eremitoria.*

Capellæ Regularium, in quibus inſtitutæ ſunt confraternitates, viſitari poſſunt à Diœceſano. II. c.9. n.51. V. *Confraternitates.*

Exempta Eccleſia non cenſetur exempta Capella.

CAPELLANI Regij teſtamentum à quo ſit viſitandum. II. c.11. n.16.

CAPELLANIÆ.

Sitæ in Eccleſiis Regularibus. II. c.7. n.3. & ſeqq. V. *Beneficia.*

Earum collatio ex Tridentino reſervata eſt Epiſcopo. ibid. n.35.

Ante Tridentinum propria erat illius cui reſervabatur. ibid. n.34.

Circa hoc attendendæ ſunt conditiones à fundatoribus appoſitæ. ibid. n.33.

Earum collatio in Prioratu competit Archiepiſcopo. ibid. n.32.

Si verò poſt Tridentinum reſervatur collatio Mag. Priori, competit utrique dignitati jus conferendi alternativè. ibid. n.36. & 2. ſeqq.

Collatio non reſervata in fundatione alicui ex Dignitatibus competit Archiepiſcopali. ibid. n.39. & ſeq.

Lites ſuper his decidere privativè ſpectat ad Diœceſanum. ibid. n.49. & 2. ſeqq.

Quod procedit, etſi collatio ſpectet ad Inferiorem. ibid. n.44. & 2. ſeqq.

An Inferior collator poſsit edicta relaxare? ibid. à n.47. V. *Edicta.*
Tradere poſſeſsionem Capellaniæ ſpectat ad illum, ad quem collatio. ibid. n.63.
Cum Diœceſanus jubet aliquem immiti in poſſeſsionem non requiritur exequatur Vicarij Prioralis. ibid. n.64. & 2. ſeqq.
Capellaniæ privata auctoritate fundatæ, non ſunt beneficia, nec collativæ. II. c.8. n.2.
Eas erigere competit habenti jus Pontificale, & Diœceſanum. ibid. n.5. 8. & 9.
Aliter fundatæ conſiderantur ut legata pia ſub diſpoſitione teſtatoris, & ſuorum hæredum. ibid. n.3.
An erigi poſsint à Prælatis Inferioribus? ibid. à n.11. V. *Beneficia.*
An ſint ab Epiſcopo viſitandæ? II. c.9. n.5. V. *Viſitatio.*
Ad earum bona alienanda, ſubroganda, aut permutanda aſſenſum præſtat Diœceſanus. II. c.9. n.8.
Computa earum deſumere competit Diœceſano. ibid. n.9. & 2. ſeqq.
Prælatus *nullius* poſt hæc computa deſumere ibid. n.12.
Item Prælatus *intra Diœceſim* ſi reditus deſtinantur ad Miſſas celebrandas in ſua Eccleſia. ibid. n.13.
Quænam ſint Sæculares, & quæ Regulares. ibid. n.46. & ſeq.

CAPVT.

Caput Diœceſis eſt Epiſcopus. II. c.13. n.1.
Duorum Capitum in uno corpore monſtrum jus abhorret. I. c.7. n.16. & II. c.24. n.2.
CATHEDRA in Eccleſia Epiſcopo competit. I. c.1. n.61.
Epiſcopatum ipſum deſignat. ibid. n.62.
CATHEDRATICVM ad legem diœceſanam ſpectat. ibid. n.87.

CENSVRA.

Nulla eſt ubi adeſt defectus juriſdictionis. II. c.5. n.14.
An Ordinarius contra exemptos cenſuris uti poſsit cùm illi ſubjiciuntur à Concilio, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus? ibid. n.15.
Reſp. affirmativè. ibid. n.17.
In caſibus in quibus viget exemptio, nequit Epiſcopus cenſuris uti contra exemptos. ibid. n.52.
Exempti incurſi in cenſuras poſſunt ab Epiſcopo denuntiari, ſi in curſio ſit publica, & non notoria, ſed non poſſunt declarari. ibi. à n.42.

CITATIO.

Eſt actus juriſdictionis. II. c.5. n.33.
Exerceri non poteſt in non ſubditum. II. c.7. n.52.
Nequit expediri niſi à judice, & cum juriſdictione. ibid. n.57. & 59.
Habens præceptum annexum eſt ſententia interlocutoria. ibid. n.58.

CIVITAS. V. *Vrbs.*

Solet interdici in pœnam Magiſtratus. II. c.5. n.6.

CLAVSVLA delegatoria non ſemper importat juriſdictionem delegatam. I. c.1. n.98. & ſeqq. II. c.10. n.14.
Quare à Concilio Tridentino ſæpè fuerit appoſita. I. c.1. n.102.

CLERICI à Monachis diſtincti. I. c.3. n.15. & ſeqq.
Eorum dignitas extollitur. ibid. n.16. & ſeq.
Eorum dura dominatio in Monachos. ibid. n.40.
Ab Epiſcopis benignè ſunt tractandi. ibid. n.69.
Eorum quæſtiones cum Monachis ſuper decimis, & Eccleſiis. II. c.1. n.16. & 25.

CLERICI SÆCVLARES, & Regulares confundendi non ſunt. II. c.7. n.18.
Prioralem Viſitatorem urbanè tractare debent. II. c.10. n.40.
Nominari poſſunt Rectores Hoſpitalium. II. c.16. n.39.
Non autem Eremitæ à Vicario Priorali. ibi. n.40.
Poſsidentes Capellanias in Eccleſia Regulari non cenſentur illius Servientes. ibid. n.37.
De Clericis admittendis ad Miſſam celebrandam. V. *Miſſa.*
Eis non licebat antiquitus diſcedere à propria Eccleſia abſque Epiſcopi licentia. II. c.17. in toto, & c.18. n.43. V. *Reſidentia.*
De viſitandis eorum teſtamentis. V. *Teſtamenta.*

COLLATIO. V. *Inſtitutio.*

Dat jus in beneficio etiam ſine poſſeſsione. II. c.6. n.2.
Capellaniarum & beneficiorum Prioratus ad quem ſpecter. V. *Capellania.*

COLLECTOR quis ſit & illius nomina. II. c.4. n.1.
Eius electio ad Parochum ſpectat. ibid. n.2. & ſeq.
Quoad eleemoſinas Miſſarum. V. *Miſſa.*
Collectoriæ debitores coram quo ſint conveniendi. ibid. n.4.

COMPLVTVM D. Bernardus Archiepiſcopus à Mauris recepit. I. c.5. n.34.

Com-

COMPLVTENSIS RECTOR à Rege Ferdinando honoratur. II. c.21. n.27.
CONCILIA Africæ, Galiæ, & Hiſpaniæ circa primas Monachorum exemptiones expenduntur latè I. c.3.
De Concilio Romano ſub S. Gregorio. ibid.
Conciliis generalibus an derogetur abſque eorum ſpeciali mentione. I. c.8. à n.66.
Et in propoſito Concilij Lateran *in cap. nuper de decim.* II. c.26. n.19. & ſeq.
CONCORDIA. V. *Tranſactio.*
Innumera bona affert. I. Proœm. n.8.
In lite debet perquiri. ibid. n.23.
Conſiſtit in ordine. ibid. à n.26.
In eo præcipuè verſatur, ut jura ſua cuique ſerventur. ibid. à n.24. & c.1. n.42.
Præcipuè exoptanda inter ſublimes perſonas. II. Proœm. n.10.
Abſque Principatu ſtare non poteſt. I. c. 1. n.1.
CONCORDIA PASTORALIS latiſsimè commendatur. I. Proœm. in toto.
Evangelio Conciliis, & Patribus commune fuit votum, ut Concordia Paſtoralis floreſceret. ibid. n.11.
Vt eam teneret S. Malachias, Epiſcopatum ſuum partiri voluit. ibid. n.13.
Nazianzenus Epiſcopatu diſceſsit, exulemque egit. ibid. n.14.
Hiſpaniæ Epiſcopi propter eam duos in eadē Diœceſi Epiſcopos permiſerunt. ibi.n.15.
Similiter Africæ Epiſcopi. ibid. n.16.
Concordia inter Archiepiſcopos Toletanos, & MM. Priores celebrata commendatur ob ejus copiam ac methodum. I. Proœm. n.38.
Optimum præbet exemplum ad ſimiles controverſias ſedandas. ibid.
Suadetur & confirmatur ab Innocentio XII.
An potuerit celebrari abſque interventu M. Magiſtri. ibid. n.14. & ſeqq.
De illius validitate, & perpetuitate. ibid. & in Concl. Brev. V. *Tranſactio.*
CONFIRMATIO.
Ex ſui natura refertur ad actum validum. I. c.8. n.72. & ſeq.
Retro trahitur. ibid. n.75.
In forma communi parùm aut nihil prodeſt. ibid. n.73.
Quæ dicatur in forma ſpecifica. II. Proœm. n.11. 36. & ſeq. V. *Privilegium*, & *Tranſactio.*
Confirmationes privilegiorum poſt Tridentinum frequenter intentatæ, I. c.8. n.63.
Rarò tamen in his confirmationibus Tridentino derogatum. ibid. n.67.
Quin conſueta eſt clauſula: *Dummodo decretis Tridentini non ſint contraria.* ibid. n.69.
Confirmatio privilegij in forma communi tantùm confirmat privilegium validum. ibid. n.72.
Deſervit tamen quoad aliquos effectus. ibid. n.76.
In forma ſpecifica vires tribuit privilegio invalido. ibid. n.80.
Confirmationes plerumque in forma communi præſtantur. ibid. n.81.
CONFRATERNITATES.
Erigere iidem poſſunt, qui beneficia. II. c.8. n.22.
De earum origine, remiſsivè. ibid. n.23.
Earum diſtinctio à fine, & veſtitu. ibid.n.24. & ſeq.
Sanctæ ſunt ac meritoriæ. ibid. n.26.
Fundari nequeunt abſque licentia, & aprobatione Diœceſani. ibid. n.27. & 3. ſeqq.
Aliter erectæ Collegia illicita cenſentur.ibid. n.32.
Epiſcopus, & Prælatus *nullius*, non autem Inferior intra Diœceſim eas erigere poſſunt. ibid. n.34. & ſeq.
Ad quem ſpectet earum erectio, & confirmatio in locis M. Prioratus. ibid. à n.36.
Vt confratres ſua exercitia peragant in Eccleſia, nequit impedire Vicarius Prioralis. ibid.n.40.
Confraternitates ſunt opera pia Epiſcopo ſubjecta. II. c.9. n.48.
Exemptæ non ſunt ex eo quod Eccleſia, in qua ſunt, ſit exempta. ibid. n.50.
Earum ornamenta ſeparari debent ab ornamentis Eccleſiæ, & alibi poſſunt à Confratribus aſportari. ibid. n.57. & ſeq.
Earumdem bona adminiſtrare ad Confratres ſpectat. ibid. n.59.
Eas extinguere, aut expellere ab Eccleſiis nequit Vicarius Prioralis. ibid. n.61.
Earum Officiales removere ex juſta cauſa poteſt Diœceſanus, etſi Officialis ſit exemptus. ibid. n.62. & 2. ſeqq.
Earum adminiſtratio dimittenda eſt coram Diœceſano. ibid. n.65.
De earum viſitatione quoad onera Miſſarū. ibid. n.66. V. *Viſitatio.*
CONGREGATIO Concordiæ, quæ ſit II. Proœm. n.fin. & c.26. n.44.
Congregationes Monaſticæ formatæ ſunt Sæculo Eccleſiæ IV. II. c.1. n.5.

Caſinenſis, & Cluniacenſis laudantur. I. c. 4. n. 49. & 50.
Cluniacenſis in Hiſpania, & in toto ferè Occidente Monaſticam diſciplinam renovavit. ibid. n. 51.
CONSECRATIO (& *Benedictio*) propria, & impropria diſtinguitur. II. c. 3. n. 66.
Fieri non poteſt niſi ab habente juriſdictionē in territorio. ibid. n. 67.
Epiſcopus in aliena Diœceſi nequit Eccleſiam conſecrare, etſi ipſe eam fundaverit. ibid. n. 68.
An Prælati Inferiores poſsint Eccleſias conſecrare? Reſp. negativè. ibid. n. 70. & ſeqq.
Reconciliare Eccleſiam ſpectat ad Epiſcopū Diœceſanum. ibid. n. 73.
Frequentior eſt Eccleſiarū benedictio, quàm conſecratio ibid. n. 74.
Benedictio Eccleſiarum reſervatur Epiſcopis ex Eccleſiæ deſtinatione. ibid. n. 76.
Prælatis Inferioribus poteſt competere munus benedicendi ex privilegio, ſecus ex conſuetudine. ibid. n. 77. & ſeq.
Rarò tamen hoc privilegium conceditur. ibid. n. 84.
Priori S. Mariæ del Monte ſuit denegatum. ibid. n. 85. & ſeqq. V. *Ordo.*
CONSERVATOR ſi ſit Clericus Sæcularis manet ſubjectus Diœceſano in cauſis privatis, ſecus in concernentibus conſervatoriam. II. c. 16. n. 44. & ſeq.
CONSILIVM in rebus arduis debet adhiberi. II. Proœm. n. 35.
Aliquando licentiam ſeu auctoritatem ſignificat. II. c. 3. n. 46.
CONSVETVDO contra decreta Tridentini non ſubſtinetur. II. c. 18. n. 29.
CONTROVERSIÆ graves quandoque ſuerunt inter SS. Prælatos. I. Proœm. n. 18. & ſeq.
Periculoſiſsimæ ſunt cum Romano Pontifice ibid. n. 33.
Recenſentur aliquæ ſuper jure primatiali. ibid. n. 34.
Super jure Metropolitico. ibid. n. 35.
Super jure Diœceſano. ibid. n. 36.
Super finibus, & terminis jus maximè aboret. I. c. 2. n. 82.
Agitatæ inter Archiepiſcopos Toletanos, & MM. Priores Hieroſolymitanos latè referuntur. I. c. 9.
Super territorio ſeparato cum Prælatis Inferioribus quomodo judicandæ. I. c. 5. 6. & 7.
In controverſiis juriſdictionibus locum non habet interdictum uti poſſidetis. I. c. 2. n. 91.
CONVENTVS. V. *Monaſteria.*
S. Mariæ del Monte à quo, & quando fundatus I. c. 9. n. 16.
Velenſis, & Legionenſis ſunt Capita Ordinis Jacobæi. II. c. 3. n. 92.
CORPVS Eccleſiæ unum, ſanum, & pulcherrimum eſſe debet. I. c. 1. n. 40.
Corporis connexio membrorum omnium concordiam requirit. ibid. n. 41.
Præcipuè tamen Prælatorum. ibid. n. 42.
CRVX Pontificalis deferri poteſt ab Archiepiſcopo per loca exempta. II. c. 1. n. 60. & ſeq.
CVLTVS Eccleſiarum curandus eſt à Diœceſano in Eccleſiis, & Oratoriis. II. c. 2. à n. 34. & c. 9. n. 22. & c. 22. n. 2. & fin. V. *Viſitatio*, & *Excubiæ.*
CVMVLATIVA juriſdictio expeditur per prævention em. II. c. 3. à n. 142.
Excipè in cauſis ad curam animarum pertinentibus. II. c. 12. à n. 2.
CVRA animarum. V. *Adminiſtratio.*
Ab Epiſcopo ſeparari nequit. II. c. 6. n. 28.
Solus Epiſcopus poteſt eam aliis committere. ibid. n. 28.
In pertinentibus ad eam locum non habent privilegia exemptiva. II. c. 10. n. 4.
CVSTODIA Eccleſiarum. V. *Excubiæ.*

D

Decanus ex ſua inſtitutione juriſdictione caret. I. c. 4. n. 12.

DECIMÆ.

Vbi Parochiæ non ſunt diſtinctæ, de jure debentur Epiſcopo. II. c. 26. n. 4.
Vbi Parochiæ ſunt diſtinctæ, tertia pars debetur Epiſcopo. ibid.
Archiepiſcopi Toletani intentio eſt fundata ſuper tertia parte decimarum in Oppidis Prioratus. ibid. n. 5.
Monachi antiquitus oblationes, & decimas ſicut laici exolvebant. I. c. 3. n. 20. & II. c. 26. n. 7.
Gregorius VII. Monachos exemit à decimis perſonalibus, & prædialibus. d. c. 26. n. 8.
Hadrianus IV. exemptionem Gregorij reſtrinxit ad novalia, exceptis Ciſtercienſibus Templariis, & Hoſpitalariis. ibid. n. 9.
Alexander III. plenè Hadrianum imitatur. ibid. n. 10.

Exemptio decimarum non extenditur ad prędia conducta, nec aliis elocata. ibid. n.11.
De damnis exemptionum decimarum quęruntur Epiſcopi. ibid. n.12.
Innocentius III. hortatur Ciſtercienſes, ut quęrelis Epiſcoporum juſto occurrant temperamento. ibid. n.13.
Ciſtercienſes ſtatuunt in Capitulo Generali, ut de omnibus prædiis poſtea acquirendis decimæ ſolverentur. ibid. n.14.
Innocentius approbat ſtatutum Ciſtercienſiũ & ex eo regulam generalem pro omnibus privilegiatis ſtatuit. ibid. n.15.
Quæſtiones ſuper decimis, ſi de prædiis acquiſitis ante Concil. Lateran. terminandæ ſunt juxta ſtatutum Hadriani, ſi de acquiſitis poſtea, juxta *cap. nuper de decim.* ibid. n. 16.
Exemptio à decimis prædialibus poſt Concil. non ſubſtinetur, niſi in privilegio derogetur *d. cap. nuper.* ibid. n. 17. V. *Concilia*, & *Privilegium.*
De moderandis privilegiis circa decimas remiſsivè. ibid. n.20.
Monachi ex præciſo titulo Monachatus decimas exigere non poſſunt. ibid. n.21.
I. titulus, quo Monachi decimas obtinuerunt fuit paupertas Monaſteriorum. ibid. n.22.
II. donatio laicorum, juncta Eccleſiæ tolerantia. ibid. n.23.
III. adminiſtratio Sacramentorum, & ipſis factæ uniones Eccleſiarum. ibid. n.24.
Regulares poſſunt præſcribere jus activum, & paſivum decimandi. ibid. n.25.
Omnes decimæ prædiorum nuncupatorum *Deheſas*, *Sernas*, *& Donadios*, Prioratuum debentur M. Priori ex præſcriptione. ibid. n.26. & ſeqq.
Declara. ibid. n.28. & 31.
De omnibus prædiis Incolarum Prioratuum debetur tertia pars decimarum Archiepiſcopo; niſi M. Prior plenam decimam præſcripſerit. ibid. n.35.
Quid circa novalia, & prædia, in quibus mutata eſt cultura. ibid. n.36.
Circa decimas de bonis patrimonialibus Hieroſolymitanorum, remiſsivè. ibid. n.37.
Bona quæſita Eccleſiis, Eremitoriis, & Hoſpitalibus Sac. Religionis uſque ad tempus Concordiæ immunia ſunt ab onere tertiæ partis: ſecus poſtea quæſita. ibid. n. 38. & ſeqq.
Decimas Religioni debitas exigere competit M. Priori. ibid. n.41.
Diœceſanus poteſt procedere cõtra exemptũ affictuarium decimarum, aut fructuum collectorem. ibid. n.42.
Cauſæ decimales ab Epiſcopo tractari debent ibid. n.43.
DECISIONES S. Rotæ non faciunt rem judicatam. II. Proœm. n.65.
Deciſiones Rotales in cauſa M. Prioratus latè referuntur I. c.9.
DECLARATIO (V. *Interpretatio*) non eſt actus juriſdictionis, & exerceri poteſt à non habente juriſdictionem. II. c.5. n.37
Nihil addit, ſed quod erat detegit. ibid. n.38.
An Ordinarius poſsit declarare exemptos incurſos in cenſuras à jure latas? latè ibid. à n.29.
Reſpondetur facta diſtinctione inter declarationem, & denuntiationem; & factum publicum, & notorium. ibid. latè à n.41.
DECLARATORIA in facto publico expedienda eſt judicialiter. ibid. n.46.
Contra, quando factum eſt notorium. ibid. n.47.
Declaratoria cenſurarum quando judicialiter, vel extrajudicialiter fiat, judicandum ex facti qualitate. ibid. n.50.
DECRETA. V. *Parochi exempti.*
DEDICATIO. V. *Conſecratio.*
DELEGATA. V. *Juriſdictio.*
Quænam ſit. I. c. 1. n. 94.
Competit Archiepiſcopo in Eccleſias & Parochos exemptos in pertinentibus ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum. I. c.9. n.52. & II. c.1. n.35.
Comprehendit non ſolùm ea, quæ directè reſpiciunt curam animarum, ſed quæ ab ea dependent. II. c.2. n.28. & c.10. n.27.
Comprehendit reſtaurationem Eccleſiarum. ibid. c.2. n.28.
Extenditur ad concernentia ornatum, & cultum Eccleſiarum. ibid. n.32. & c. 9. n. 22. & c. 22. n. fin.
Exerceri poteſt nedùm in viſitatione, ſed extra eam. II. c.2. n.40.
Impediri non debet per prævention em. II. c.3. n.137. & c.12. n.5.
Compatibilis eſt cum juriſdictione Ordinaria Prælati Inferioris. ibid. n.136. & c.10.n.4. & ſeqq.
Comprehendit vitam, & mores Parochorum II. c.12. à n.26.
Comprehendit etiam edicta publicanda in Eccleſiis circa regimen Eccleſiaſticum. II. c. 13. in tot.

DELEGATIONES à Sede Apoſtolica antiquitus factæ Epiſcopis ſæpè occurrunt. I. c. 1. n. 95.
DELEGATVS exercere poteſt ſuam jurisdictionem abſque licentia Ordinarij. II. c. 3. n. 125.
Major, & dignior eſt Ordinario in materia delegata. ibid. n. 126. & c. 20. n. 11.
Delegato non creditur, niſi litteras delegationis oſtendat. II. c. 16. n. 59.
DELICTA commiſſa in Parochiis Regularibus reſpectu curæ animarum, & administrationis Sacramentorum, ab utroque Vicario puniri poſſunt cumulativè, & ſimultaneè. II. c. 3. n. 136. & ſeqq.
Si delicta non reſpiciunt curam animarum, uterque etiam procedet cumulativè, ſed non ſimultaneè. ibid. n. 139.
Vicarius Prioralis privativè cognoſcit de delictis Servientium commiſsis in Eccleſiis. ibid. n. 145.
Quid ſi delictum inchoetur intra Eccleſiam, & extra eam perficiatur, vel è contra. latè ibid. à n. 148. ad fin.
Pro uno delicto duplici correctioni, & pœnę non eſt quis ſubjiciendus. II. c. 12. n. 3.
Excipe in cauſis ad curam animarum ſpectantibus. ibid. n. 7.
Delicta Parochorum, & Servientium à quo ſint punienda. V. *Parochi*, & *Servientes*.
DENVNTIATIO cenſurarum diſtinguitur à declaratione. II. c. 5. n. 41.
Denuntiare cenſuras non eſt actum juriſdictionis exercere. ibid. n. 43.
DENVNTIATIONES Matrimoniales ſtatutæ ſunt à Concil. Lateran. II. c. 19. n. 18.
Præceptæ etiam ſunt à Tridentino. ibi. n. 19.
Eas remittere competit Epiſcopis, & Prælatis *nullius*. ibid. n. 11. 19. & 20.
Non autem Inferioribus intra Diœceſim. ibid. n. 21.
DEROGATIO. V. *Concilia*, & *Privilegium*.
DESERTVS locus qualis intelligatur latè I. c. 5. à n. 55.
DESTRVCTIO Eccleſiæ cum auctoritate Superioris, & ſine ſpe refectionis perimit illius ſtatum, & privilegia. II. c. 3. n. 64. & ſeq.
Fieri non debet abſque licentia Epiſcopi. ibid. n. 82.
Nec niſi magna ex cauſa. ibid. n. 83.
DIOECESIS.
Origo hujus vocis, & quinque ejus ſignificationes. I. c. 2. n. 4.
DIOECESIVM PARTITIO ad Eccleſiæ Concordiam fuit inducta. ibid. n. 5.
Quidam putant à Dionyſio fuiſſe diviſas, ſed refelluntur. ibid. n. 9. & ſeq.
Alij Conſtantinum, quod pluribus diſplicet. ibid. n. 11. & ſeq.
Sed ſubſtineri poteſt hæc ſententia, executione, non poteſtate attenta. ibid. n. 19.
Seu occaſionaliter, propter Orbis diviſionem à Conſtantino factam. ibid. n. 20.
Alij putant hanc partitionem in D. Petrum, & SS. Apoſtolos eſſe referendam, quod probatur. ibid. n. 13.
Diœceſes dividere ſicut creare, & unire ad Eccleſiam tantùm pertinet. ibid. n. 18.
Nulla eſt circa hoc poteſtas Principum Sæcularium. ibid. & nn. ſeqq.
Vnde reprehenditur aſſentatio Græcorum, dividendi Epiſcopatus poteſtatem Imperatoribus tribuens. ibid. n. 19.
Quam formam Apoſtoli ſervaverint in dividendis Provinciis, & Diœceſibus. V. *Sedes*.
An hæc diviſio fuerit ab initio univerſalis in toto Orbe? Reſp. negativè, latè ibid. à n. 54. & c. 5. n. 18.
Quonam tempore Diœceſes in Hiſpania fuerint diviſæ. V. *Hiſpania*.
De Diœceſium diſmembratione per privilegium, vel per præſcriptionem. I. c. 6. & 7. V. *Exemptio*.
DICTIO taxativa ponit quod affirmat, & præter, id omne aliud negat. II. c. 19. n. 10.
Limita in caſibus ſimilibus, vel eamdem rationem habentibus. ibid. n. 16.
Vniverſalis negativa negat omnia poſsibilia, & magis negat, quàm affirmativa affirmat ibid. n. 17.
Dictio *prorſus* eſt præciſa, & abſolutam voluntatem oſtendit. ibid.
Dictio *penitùs* idem quod prorſus. I. c. 5. n. 56.
DIGNITAS.
Cujuſque eſt conſervanda. I. Proœm. n. 20. & II. c. 20. n. 2. & ſeqq.
Epiſcopi magna eſt. I. c. 1. in tot. & c. 24. n. 14.
Quæ ad eam ſpectant, ſolùm exercere poteſt Epiſcopus conſecratus, non electus. ibid. n. 68.
Nec de facili ſpectant ad Prælatos Inferiores ibid. n. 69.
Dignitas numquam perit. II. Proœm. n. 40.
Dignitates peculiari veſtitu, & ornatu diſtingui oportet. II. c. 1. n. 89. & c. 3. n. 93. & 116.

Di-

DIMISSORIÆ.
Confundi non debent cum teſtimonialibus. II. c. 18. n. 6.
Quare ita dicantur. ibid. n. 43.
Illas concedere Sæcularibus competit Epiſcopo proprio ordinationis. ibid. n. 8.
Prælati habentes poteſtatem minores Ordines conferendi, dimiſſorias propriè dictas ad hos ordines dare poſſunt, ſecus quoad majores. ibid. n. 17.
Prælati non habentes uſum pontificalium, non concedunt propriè dimiſſorias, ſed tantùm teſtimoniales. ibid. n. 18.
Prælati Inferiores ſubditis ſuis Sæcularibus dimiſſorias concedere non poſſunt. ibid. à n. 20. & ſeqq.
An Capitulum Sede vacante dimiſſorias concedere poſsit. ibid. n. 22. V. *Ordines.*
DOMICILIVM. V. *Forus.*
DOMINIA diſtingui opportuit ad humanam ſocietatem ſervandam. I. c. 2. n. 5.
Dominium patris in peculio caſtrenſi vivente filio eſt obumbratum, mortuo eo detegitur. I. c. 4. n. 73. & ſeqq.
Idem prope in dominio agri à flumine occupati. ibid.
Dominium in proximiora transfunditur. I. c. 5. n. 28.
DONATIO non extenditur ultra jus dantis II. c. 6. n. 1.
DVX in Eccleſiaſtica militia eſt Epiſcopus. II. c. 17. n. 2. & ſeq.

E

ECCLESIA.
Eſt grex, Domus, caſtrorum acies. I. Proœm. n. 5. 6. 7. & 30.
Maximo ordine eſt diſpoſita. ibid. n. 29. & ſeqq.
Comparatur corpori, & illuſtratur latè hæc comparatio. I. c. 1. à n. 38. ad 51.
Ad eam ſpectat Epiſcopatus creare, dividere, & unire. I. c. 2. n. 18.
Eccleſiarum præcedentia, & dignitas unde ſit deſumenda. ibid. latè à n. 33.
Eccleſia Acephalos abhorret. I. c. 2. n. 10.
Semper optavit, ut Epiſcoporum auctoritas, & eorum cum Monachis concordia integra ſervaretur. I. c. 3. in tot. V. *Monachi.*
Cur, & quando Prælatos Inferiores admiſerit. I. c. 4. à n. 1. ad 62.
Qualiter mutationes recepti juris admittat. I. c. 8.
Plures fundatæ ſunt ab Apoſtolis. I. c. 1. n. 14.
Qualiter ad Monachos pervenerint, & Monaſteriis ſint unitæ. II. c. 1. à n. 19. ad 33. V. *Regulares.*
Eas reſtaurare eſt opus pium. II. c. 2. n. 22.
Eccleſiæ variis nominibus deſignantur. II. c. 3. n. 3.
Omnes à Cathedrali pendere creduntur. ibid. n. 7.
Antiquitus raræ erant, & non niſi in Majoribus Vrbibus. ibid. n. 21.
De earum *ædificatione, refectione, tranſlatione, conſecratione,* & *deſtructione.* V. *hæc verba.*
Sitę in territorio Matricis, huic cenſentur ſubjectæ. II. c. 7. n. 5.
Diverſum corpus faciunt à beneficio, ſivè confraternitatibus, in eis exiſtentibus. ibid. n. 13. & ſeq.
Nulla prætet Cathedralem fundat intentionē ſuper aliarum ſubjectione. ibid. n. 23.
De Eccleſiarum viſitatione. II. c. 10. in tot. V. *Viſitatio.*
Eccleſia ſemper optavit reſidentiam Clericorum. II. c. 17. n. 2.
De Eccleſiarum cuſtodia. V. *Excubiæ.*

ECCLESIA EXEMPTA.
Dicitur *eſſe in Diœceſi.* I. c. 4. n. 78.
Non autem *de Diœceſi*, quoad juriſdictionem actualem. ibid. n. 79.
Non poteſt dici extra Diœceſim. II. c. 1. n. 56.
Parochiales exemptæ num formaliter, num materialiter conſiderantur. II. c. 1. n. 34.
Diverſis reſpectibus conſideratæ ſubjiciuntur Epiſcopo, & Prælato Inferiori. ibid. n. 35. & ſeq. & c. 2. n. 7. & 28. & c. 10. n. 6.
Quomodo ſubſint Epiſcopo, & Prælato Inferiori, quoad earum *rationes reſtaurationem, interdictum, collationem,* & *Pontificalia.* V. *in his verbis.*
Eccleſia exempta non cenſetur exempta Capella, aut beneficium in ea exiſtens. II. c. 7 n. 16. & c. 9. n. 50.
De viſitatione cumulativa Eccleſiarū exemptarum. II. c. 10. V. *Viſitatio.*
Parochiales exemptæ ſubduntur Epiſcopo quoties neceſſe eſt ad explendum Eccleſiaſticum Diœceſis regimen. II. c. 13. n. 5.
Quomodo ſubſint circa proceſsiones. II. c. 21. V. *Proceſsiones.*

ECCLESIÆ SÆCVLARES, aut REGVLARES.
Eccleſiæ omnes in exordio Sæculares fuerunt II. c. 1. n. 3.

Nec

Nec impedit primos Clericos communi vitæ fuiſſe addictos. ibid. n.4. & 6.
Penuria Clericorum Sæcularium aliquando effecit, ut Monachis Parochiæ traderentur. ibid. n.20.
Beneficientia Pontificum plures Eccleſias Monachi obtinuerunt. ibid. n.21. & ſeq.
Item donationibus Epiſcoporum. ibid. n.23.
Item donationibus laicorum. ibid. n.24.
Diſſenſiones inter Clericos, & Monachos propter Eccleſias his acquiſitas. ibid. n.25.
Quod temperamentũ in hoc Concilia ſumpſerint. ibid. n.26. & ſeq. V. *Decimæ.*
Diſtinctio inter Eccleſias Sæculares,& Regulares explicatur. ibid. à n.29.
Eccleſię *pleno jure* ſpectantes ad Monaſteria, ſunt Regulares. ibid. n.30.
Contra ſpectantes quoad temporalia tantùm ibid. n.31.
Jus Patronatus, Monachis competens in aliqua Eccleſia, illam non facit Regularem. ibid. n.32.
In M. Prioratu quænam ſint Regulares. ibid. n.34.
In Eccleſia Regulari poſſunt eſſe beneficia ſæcularia. II. c.7. n.11. V. *Eccleſia exempta, Pontificalia, interdictum, & immunitas.*

EDICTA.

Diœceſani circa Capellanias, & alia circa regimen Eccleſiaſticum, publicanda ſunt in Parochialibus exemptis. II. c.13. n.8. & ſeqq.
Idem dicendum de edictis circa reverentiam in Eccleſiis tenendam. ibid. n.12.
Vt publicentur hæc edicta, non requiritur *exequatur* Prælati Inferioris. ibid. n.13. & ſeq.
De forma edictorum viſitationis,ab utroque Vicario ſervanda. II. c.10. n.42.
An Prioralis expedire poſsit edicta ad Capellanias, quarum collatio ipſi competit? latè II. c.7. à n.47.
ELEEMOSINÆ factæ imagini confraternitatem habenti, ſpectant ad confratres. II. c.2. n.13. & ſeq.
Sed ſi non adſit confraternitas ſpectant ad Parochum. ibid. n.15. & ſeqq.
Ad quem ſpectet rationes earum exigere. ibi.

EPISCOPI.

Concordiæ debent eſſe ſtudioſiſsimi. I. Procem. in tot. V. *Concordia.*
A Chriſto fuerunt inſtituti. I. c.1. n.3.
Apoſtolis ſucceſſerunt propriè in poteſtatem Ordinis. ibid. à n.18.
Impropriè tamen in poteſtatem juriſdictionis ibid. n.35. & c.2. n.7.
Antiquitus vocabantur *Apoſtoli.* ibid. n.15. & ſeq.
Poſtea ab hoc nomine ſe abſtinuerunt. ibid. n.17.
Quod ferme accidit cum nominibus *Papæ, Apoſtolici, Beatiſsimi Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi.* ibid. n.23.
Epiſcopus vocatur *ſpeculator, ſuperinſpector, & ſuperintendens.* ibid. n.60.
Eſt in ſua Diœceſis primus *Sacerdos Parochus Prælatus, Antiſtes, Paſtor, Dux, Magiſtratus, & Caput.* V. *in his verbis.*
Inter Epiſcopos magna eſt differentia. ibid. à n.48. V. *Gradus.*
Epiſcopi auctoritas, & poteſtas quam latè diffundatur in perſonas, & loca omnia ſuæ Diœceſis. V. *Poteſtas, Ordo, Dignitas, & Juriſdictio.*
De Epiſcoporum concordia cum Monachis. I. c.3. V. *Monachi.*

EREMITORIA.

Intelliguntur eſſe Capellæ Eccleſiæ, in cujus diſtrictu conſiſtunt. II. c.2. n.37.
Veniunt appellatione Eccleſiæ. ibid. n.38.
Exempta ſubduntur Diœceſano, & Prælato Inferiori quoad cultum. ibid. n.39. V. *Oratoria.*
EREMITÆ. V. *Servientes.*

EXAMEN.

Subire debet coram Epiſcopo Parochus à Prælato Inferiori proviſus. II. c.6. n.56. & 4. ſeqq.
Non eſt inſtitutio auctorizabilis, ſed prævia ad eam diſpoſitio. ibid. n.60.
Non repugnat, ut ab alio quam Epiſcopo quandoque peragatur. ibid. n.62. & ſeq.
Iterandum eſt in caſu tranſlationis de una in aliam Eccleſiam. ibid. n.70. & 2. ſeqq.
Metus examinis Parochos diligentiores facit. ibid. n.73.
PAROCHI approbati, iterum examinandi non ſunt niſi ex nova, & juſta cauſa, ut eſt rumor imperitiæ. II. c.14. n.7. & 9.
Quod maximè procedit in Parochis examinatis abſque formali concurſu. ibid. n.8.
OECONOMVS ad tempus approbatus, finito tempore novo examini ſubjicitur. II. c.15. n.8.
EXCOMVNICATIO ferri non poteſt niſi à juriſdictionem habente. II. c.4. n.30.
Eſt graviſsima pœna, & remedium ſubſidiarium. ibid, & II. c.3. n.112.

Ob alienam culpam apponi nequit. II. c. 5. n.7. V. *Censura*, & *interdictum*.

EXCVBIÆ.

Adhibendæ sunt in Ecclesiis in noctibus, in quibus populus concurrit. II. c. 22. n. 2. & seq.

Quomodo peragantur in Ecclesia Toletana. ibid. n.9.

Jus excubandi potest esse vel œconomicum, vel jurisdictionale. ibid. n.10.

Potest pluribus competere diversis respectibus. ibid. n.11.

EXECVTIO. V. *Testamenta*.

EXEQVVTORES sustinent vicem hæredum cum anima hæres instituitur. II. c. 11. n.24. & 27.

A quo & quando cogi possint ad executionẽ. V. *Testamenta*.

EXEMPTIO.

Est subductio ab uno, & subjectio ad alterũ. I. c.4. n.42.

Comparatur emancipationi. ibid. n. 55. & c.5. n.5. & 2. seqq.

Exemptiones damnandæ non sunt propter exemptorum abusus. d.c.4. n.60.

Ab Episcopis sunt conservandæ. ibid. n.61.

Supponunt subjectionem antecedentem. ibid. n.69.

Ex jure singulari proveniunt. ibid. n.70.

Exemptio non liberat à lege diœcesana. ibid. n. 65.

Non destruit radicitus jurisdictionem Episcopi, sed eam tegit, & suspendit. ibid. n.73.

Unde ea remota, reviviscit ordinaria Episcopi jurisdictio. ibid. n.74.

Non tollit jus reverentiale Episcopi. ibi. n.76. & 79. & II. c.1. n.51. & seqq.

Non liberat à situatione, & denominatione Diœcesis. I. c.4. à n.78. usque ad 82. & 2. c.1. n.56.

Non destruit unitatem, & connexionem corporis Diœcesis. II. c.13. n.2.

Præsentia tantùm comprehendit. II. c.1. n. 37.

Nõ præsumitur, nec extenditur de re ad rem, nec de loco ad locum. II. c.7. n.17.

Strictè debet interpretari. I. c. 6. n.8. & 19. V. *Privilegium*.

Exemptio quoad certos actus compatibilis est cum jurisdictione ordinaria in reliquis. ibid. n.19. V. *Privilegium*.

Exemptiones Regularium à Sæculo XI. in usu esse cæperunt. I. c.3. in tot. & c.4. à n. 43.

Refelitur opinio eas referens ad jus divinum. I. c.3. n.13. 71. & 72.

Episcoporũ adversus eas querelæ I.c.4.n.44.

Justissimæ sunt, & justissimis de causis introductæ. I. c.4. à n.45. ad 57. V. *Monachi*.

Immunitates à lege Diœcesana Monachis concessæ à Sæculo VI. earum fuerunt velut rudimenta. ibid. n.57.

Moderatæ sunt à Sæculo XV. in Conciliis Constantiensi, Lateranensi V. & Tridentino. I. c.4. n.59.

Exemptionis divisio in *infimam*, *mediam*, & *maximam*, sivè *nullius*. I. c.4. n.63.

Infima est quę liberat à jurisdictione actuali, non verò à lege Diœcesana, nec à jure reverentiali, nec à situatione in Diœcesi. ibid. à n.64. ad 82.

Dicitur *simplex passiva*, & quo sensu. ibid. n.66. & seq.

Media tribuit jurisdictionem in Clerum, & Populum Sæcularem, compatibilem tamẽ cum jurisdictione Episcopi. ibid. n.85.

Quo sensu dici possit activa. ibid. n.86.

Non est confundenda cum exemptione maxima. ibid. n.89.

Solvit territorium, sed non Diœcesim. ibid. n. 90.

Hodie parùm aut nihil differt ab infima. ibid. n. 96.

Maxima sivè *nullius* non modò liberat à subjectione, sed à jure reverentiali, situatione, & denominatione Diœcesis. ibi. n.99. & 3. capp. seqq.

EXEMPTIO *nullius nativa*.

An verificari possit? latissimè I. c.5. à n.1.

Resp. I. exemptio alicujus loci propriè, & absolutè nativa est impossibilis. ibid. n.4.

Resp. II. possibilis est hæc exemptio relativè ad Episcopum. ibid. n.16. & seqq.

In Hispania difficulter probari potest. ibid. n. 65.

Obtineri nequit nisi libertati nativæ loci accedant privilegia. ibid. n.67.

EXEMPTIO *nullius dativa*.

Eam concedere non possunt Episcopi, sed solus Papa. I. c.6. n 1. & seq.

Rarò conceditur, & magnis de causis. ibid. n.4. 5. 45. & 53.

Illius concessio debet clarissimis verbis constare. ibid. n.11. 29. 34. & 46.

Nec probatur per inductiones, & argumenta æquivoca. ibid. n.12.

Nec ab identitate aut majoritate rationis. ibid. n.13.

Ex-

Explicantur ampliſsimæ clauſulæ, quæ exẽptionem hanc tribuere videntur. ibid.n.15. ad 28.

Niſi in privilegio contineatur expresè territorij ſeparatio, quæcumque clauſulæ, etſi ampliſsimæ, ſimplicem tantùm exemptionem important. ibid. n.29.

Generalia exemptiva privilegia ad ſummum tribuunt impropriam territorij ſeparationem. ibid. n.30.

Nullus ordo poteſt ſibi aſſerere hanc exemptionem ex generalibus privilegiis, quod patet exemplo Ordinis Hieroſolymitani. ibid. n.31. & ſeq.

Proponitur formula privilegij territorij ſeparati. ibid. n.33.

An qualitas *nullius* verificari poſsit in Eccleſia verè, & materialitèr ſita in aliqua Diœceſi? latè. ibid. à n.35. ad 47.

Hæc ſpecies *nullius* induci poteſt à Papa. ibi. n.40.

Aducuntur aliqua exempla. ibid. n.42.

In caſu quæſtionis licèt non detur territorij materialis ſeparatio, poteſt dari formalis. ibid. n.43.

Pontifices velle hanc *nullius* ſpeciem inducere non facilè credendum eſt. ibid. n.45.

Hæc ſpecies *nullius*, ſi veritas attenditur repugnat, unde admittenda non eſt, niſi verbis apertiſsimis conſtet. ibid. n.46.

An inducatur præfata ſpecies *nullius* ex ſola ſubjectione Eccleſiæ Prælato aliàs *nullius*? ibid. n.47.

Fundatur pars affirmativa ſententia Lapi in ſimili caſu, & exemplo Abbatiæ Caſinenſis. ibid. n.48. & ſeq.

Amplexatur pars negativa, ut ultra ſubjectionem requiratur expreſſa voluntas Papæ; ibid. n.51. & ſeq.

Declaratur doctrina Lapi, ut procedat cum donatio fit alteri Epiſcopo, non verò Prælato Inferiori. ibid. n.55. & ſeqq.

Nec adhuc obtinuit ſententia Lapi, ſed contraria Calderini. ibid. n.58.

Non obſtat exemplum Abbatiæ Caſinenſis propter ejus effrenata privilegia. ibi. n.60.

EXEMPTIO *nullius præſcriptiva.*

An ſit admittenda? I. c.7. in tot.

Proponuntur contrariæ Canoniſtarum ſententiæ, & conciliantur. ibid. à n.4.

Cum fines & limites Diœceſis clarè conſtant præſcribi nequit abſolutè territorium ſeparatum in loco eiſdem limitibus incluſſo. ibib. n.7. & ſeqq.

Si verò de limitibus non conſtat, nec de certa ſituatione loci, tunc immemorabilis admittitur. ibid. n.22.

Immemorabilis non admittitur in hoc caſu, ut præſcriptio, ſed ut privilegium præſumptum. ibid. n.23.

Immemorabilis ut excludat Epiſcopum canonizari prius debet per tres ſententias conformes. ibid. n.24. & ſeq.

Difficilimum eſt in hac materia verificare immemorabilem. ibid. n.26.

Obitèr de centenaria præſcriptione, quæ in propoſito parificatur cum immemorabili. ibid. n.27.

Juriſdictio Epiſcopalis univerſalitèr ſumpta cum territorio ſeparato præſcribi nequit per quadragenariam. ibid. latè à n.28. & ſeqq.

Impoſsibile eſt in facto, ut Prælatus Inferior probet ſe exercuiſſe omnes actus juris Epiſcopalis. ibid. n.35.

Juriſdictio Epiſcopalis diſtributivè ſumpta præſcribi poteſt per quadragenariam. ibid. n.45.

Niſi jus eam expreſsè rejiciat. ibid. n.46.

In caſu præſcriptionis, inferioris juriſdictio etiã compatibilis, & ſubordinata juriſdictioni Epiſcopi. ibid. à n.47. ad 52.

Vt quadragenaria admittatur debet eſſe titulo munita. ibid. n.52. V. *Titulus.*

Vt actus exerciti proficiant Prælato Inferiori probanda eſt ſcientia, & acquieſcientia Epiſcopi. ibid. n.57.

Prælatus Inferior tantùm præſcribet actus, quos exercuiſſe probaverit. n.58.

Epiſcopi univerſalis juriſdictio conſervatur per unicum actum, reſpectu actuum ejuſdem ſpeciei. ibid. n.59. & ſeq.

EXEMPTI.

Ab Epiſcopo, neceſſario ſubjiciendi ſunt Prælato Inferiori. I. c.4. n.39. & ſeqq. & 68.

Epiſcopalia jura turbare non debẽt. ibi. n.61.

Sicut eorum privilegia ſervanda ſunt ab Epiſcopis. ibid.

Non poteſt in eis Epiſcopus exercere juriſdictionem. ibid. n.65. & II. c.1. n.50.

Epiſcopũ tamen debent honorare. I.c.4.n.77. & II. c.1. n.52. & ſeqq.

Et in materia communi regimen Diœceſis concernente Epiſcopo obedire tenentur. II. c.13. n.3.

Et in cauſis ad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationẽ pertinentibus. II. c.10. & 12. V. *Parochi*, & *Eccleſiæ.*

Cogi poſſunt ad reſtaurationem Eccleſiarum II. c.2. n.27.
An eis competat defenſio immunitatis ſuarũ Eccleſiarum? latè II. c.3. à n.100.
Exempti quoad delicta, cenſuras, teſtamenta, matrimonia, & proceſsiones. V. *in his verbis*, & V. *Servientes*.
An ordinarius uti poſsit cenſuris in caſibus, in quibus à jure ei ſubjiciuntur? II. c.5. à n.16.
Exemptorum exceſſus non arguunt in juſtas eſſe exemptiones. I. c.8. n.10. & ſeqq.
In Concilio Tridentino ponderati ſunt ab Epiſcopis, ut privilegia funditùs revocarentur. ibid. n.21.
Contra exempti, privilegia omnia intemerata conſervari flagitarunt. ibid. n.22.

F

FACTVM cenſetur, quod de proximo eſt faciendum. II. c.16. n.54.
FICTIO poſtliminij admiſſa eſt à Sacris Canonibus. I. c.5. n.38. & 58.
FILIATIO requirit univocas, & rigoroſas provationes. II. c.7. n.25.
FINES. V. *Limites*.
FORVS.
Domicilij præcipuus eſt. II. c.3. n.140.
Ratione delicti ſortitur forus. ibid. n.141.
Quis ſit judex competens quando delictum patratur in duorum territoriis. ibid. à n.148.
Quando forus mutetur ob privilegium ſuperveniens. II. c.16. à n.22. V. *Serviens*.
FVLDENSIS Abbatia, & illius inſigne privilegium. I. c.4. n.34. & ſeqq.
FVNDATIO Eccleſiarum. V. *Ædificatio*.
FVNDATOR. V. *Beneficia*, & *Capellaniæ*.
FVNVS Religioſorum pertinet ad Prelatum Regularem ſi in Monaſteriis decedant, aut ad ipſum ſi comodè aſportari valeant. II. c.11. n.40.
An Religioſi extra Clauſtra decedentes poſſint, irrequiſito Parocho, ad Monaſterium aſportari? Remiſsivè ibid. n.42.
Si inteſtati non adſit hæres, ad judicem ſpectat funeris impenſas facere; ſi autem ſit hæres, hic cogendus eſt, ut faciat. ibid. n.43.
Cognitio controverſiæ inter laicos ſuper jure ſepulturæ in Parochiis exemptis ad quem ſpectet. II. c.1. à n.38.

G

GALLI Dioniſium Areopagitam primum ſuæ Eccleſiæ fundatorem aſſerunt. I. c.2. n.35.
Galliæ Concilia circa antiquas Monachorum exemptiones. I. c.3. n.34. & ſeq. & 52.
GENERALIS in toto ſuo Ordine habet univerſalem, & ordinariam juriſdictionem. I. c.4. n.68.
De ejus poteſtate quoad Miſſarum reductionem. II. c.9. n.42.
Nominari nequit in Collecta, aut Canone Miſſæ quaſi *Antiſtes*. II. c.24.
GRADVS.
Prælatorum Eccleſiæ ad Paſtoralem Concordiam ſervandam ſunt diſpoſiti. I. Proœm. à n.30. & latè c.1. à n.39. ad 52.
Quales ſint gradus Epiſcopalis dignitatis. ibid. à n.47.
Hi gradus ſemper fuerunt in Eccleſia, quamvis non ubique ſtatim apparuerint. I. c.2. n.16. & ſeq.
Referendi ſunt divinæ Chriſti inſtitutioni, & à forma Collegij Apoſtolici ſunt petendi. ibid. à n.29. V. *Sedes*.
GRÆCI ſuis Imperatoribus creandi, & dividendi Epiſcopatus poteſtatem tribuebant. I. c.2. n.21.
Bizantinæ Eccleſiæ fundatorem S. Andream dicunt. ibid. n.34.
Eorum malæ artes ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum aſtruendum. ibid. n.46. & ſeq.
S. GREGORIVS amplas immunitates Monachis conceſsit, quæ explicantur latè I. c.3. à n.32.

H

HABITATIO in Servientibus requiſita ad effectum privilegij verificatur in quibuſcumque domibus Religionis. II. c.16. n.14.
Modus vivendi in his domibus debet eſſe collegiativus. ibid. n.15.
HABITVS non facit Monachum. II. c.16. n.47.
HÆRES. V. *Anima*, & *Teſtamenta*.
HÆREDITAS jacens repræſentat defunctum. II. c.10. n.30.
HIERARCHIA. V. *Gradus*, & *Sedes*.
HIEROSOLYMA.
Primum habuit Epiſcopum S. Jacobum fratrem Domini. I. c.2. n.38.

Poſt

Poſt Jacobum Apoſtoli in ea congregati Simeonem elegerunt. ibid.
Dicitur Mater Chriſtiani nominis. ibid.
A Romanis tamen diruta, & ab Ælio Hadriano proximè reſtituta, & nomen, & prærogativam amiſit, ac Ælia eſt vocata ibid. n.39.
Ejus Epiſcopus quintum locum inter Patriarchas obtinuit. ibid.

HIEROSOLYMITANA RELIGIO.

Laudatur. I. c.4. n.53. & c.9. n.3.
Ortum habuit anno 1099. d. n.3. & ſeqq.
Illius inſtitutum Hoſpitalitatem, & Militiam complectitur. ibid. n.8.
Conſociatio Religioſæ profeſsionis, & Militiæ laudatur, & probatur. ibid. n.9.
Pontifices, & Reges ampliſsima privilegia ei conceſſerunt. ibid. n.10.
Hiſpaniæ Reges eidem impenſiſsimè favent; ibid. n.12. & ſeq.
Alphonſus VIII. Rex Caſtellæ Caſtrum de Conſuegra ei donavit. ibid. n.13.
Julius II. hanc donationem confirmat. ibid. n.14.
Cauſæ hujus Religionis cum quibus tractari debeant. II. Procem. à n.14.

HIEROSOLYMITANI RELIGIOSI.

In tres claſſes dividuntur. I. c.9. n.8.
Varij illorum nomina. ibid. n.11.
Illorum privilegia ſunt juſtiſsima. I. c.4. n.53.
Cæterarum Religionum privilegia excedunt I. c.6. n.31.
Pretium ſanguinis dici poſſunt. I. c.8. n.60.
Excommunicari, aut interdici non poſſunt ab Epiſcopis. I. c.5.
Subſunt plenè ſuis Prælatis Regularibus. II. c.16. n.9.
Poſſunt accedere ad quemcumque Epiſcopum pro ordinibus ſuſcipiendis. II. c.18. n.19.
Quatenùs eximantur à decimis. II. c.26. V. *Monachi*, *Exempti*, *Parochi*, & *Eccleſiæ*.

HIEROSOLYMITANI PRÆLATI.

Ad quam claſſem ſint reducendi. I. c.4. n.84.
Sunt veri ordinarij intra limites ſuarum commendarum. II. c.16. n.6.
Tribunal habere poſſunt. ibid.
Exequandi non ſunt cum aliis Prælatis Regularibus. ibid. n.8.
De eorum juriſdictione. V. *Prælatus Inferior*, *Eccleſiæ*, *Parochi*, & *Servientes*.

HISPANIA.

In ea prædicarunt SS. Paulus, & Jacobus. I. c.2. n.36. & 37.
Illius Epiſcopi Concordiæ Paſtoralis fuere amantiſsimi. I. Procem. n.15.
In Monachos fuerunt liberales. I. c.3. n.68.
HISPANIÆ *Diœceſes* à S. Jacobo fuerunt diviſæ juxta aliquos. I. c.2. n.69.
Verius eſt fuiſſe diviſas à ſeptem Epiſcopis miſis in eam à D. Petro. ibid. n.70.
Incertum tamen quas Eccleſias ipſi fundaverint. ibid. n.71.
Sæculo II. apparent Epiſcopi certis ſedibus præfixi. ibid. n.72.
Affirmari poteſt Sæculo IV. Diœceſes fuiſſe in ea diviſas. ibid. n.73.
Theodomirus, & Receſvinthes aliquibus dividendis Diœceſibus operam dederunt. ibid. n.74.
Alia Diœceſium diviſio ſub Vvamba Rege. ibid. n.75.
Poſt hanc diviſionem nulla alia generalis fuit facta, etſi plurimùm circa Diœceſes ſit variatum. ibid. n.76.
Poſtliminio reſtituuntur. I. c.5. à n.36.
Hiſpaniæ Monachi quinam fuerint primitivi I. c.3. n.7.
Pluribus immunitatibus decorati fuerunt à Conciliis Hiſpaniæ, quæ expenduntur, ibid. n.35.64. & ſeqq.
Sæculo VI. Epiſcopis erant ſubjecti. ibi. n.66.
Concilium Illerdenſe exponitur. ibid. n.67.
Auctæ ſunt eorum immunitates in Concilio Hiſpallenſi II. Toletano IV. & VII. ibi. n.68
Quouſque extenderentur hæ immunitates explicatur. ibid. n.70. & ſeq.
Sæculo XI. vigebat adhuc poteſtas Epiſcoporum in Monachos. ibid. n.71.
Monaſteria Hiſpaniæ reformata ſunt à Cluniacenſibus. I. c.4. n.51.

HOSPITALIA REGULARIA.

Subſunt ordinariæ juriſdictioni M. Prioris. II. c.2. n.3.
Eorum computa deſumere eidem competit, ibid. n.9.
HOSPITALE erigi poteſt privata auctoritate. II. c.3. n.40.
Non tamen erit Eccleſiaſticum, & Religioſum abſque licentia Epiſcopi. ibid. n.41.
Hoſpitalia omnia, quatenùs loca pia ſunt Epiſcopis ſubſunt. ibid. n.43.
An ab Epiſcopo viſitari poſsint? V. *Viſitatio*.
Hoſpitalarij. V. *Hieroſolymitani*.
Bona quæſita Hoſpitalibus Regularibus uſque ad tempus concordiæ immunia ſunt ab onere tertiæ partis Archiepiſcopo præſtandæ. II. c.26. n.38.

HOSPITIA Regularium nequeunt fundari abſque Epiſcopi licentia. II. c.3. n.37.
Limita in Hoſpitiis, in quibus Religioſi tranſitoriè degunt. ibid. n. 38.

I

IMPERIVM propter concordiam introductum. I. c. 1. n.1. & ſeqq.
Perpetuò cohæret juriſdictioni. II. c.12.n.20.
Imperij Romani diviſio facta fuit à Conſtantino. I. c.2. n.20.
Non comprehendebat omnes Orbis Provincias. ibid. n.27.
IMPERATORES Græci magnam ſibi auctoritatem uſurparunt circa creationem Epiſcopatuum. ibid. n.21.
IMPERITIA. V. *Examen.*
IMMVNITAS Monachis conceſſa à lege Diœceſana qualiter intelligatur. V. *Monachi.*
Immunitatis cauſæ reſervantur Epiſcopis à Gregorio XIV. II. c.3. n.94.
De eis cognoſcere non poſſunt Prælati Inferiores etſi *nullius*. ibid. 95.
Ad Diœceſanum ſpectat cognoſcere an caſus ſit de exceptis, & permittere ut reus extrahatur ab Eccleſia. ibid. n.98.
Vicario Priorali non competit defenſio judicialis immunitatis Eccleſiarum Regularium. ibid. à n.101.
Cui reſervatur cognitio cauſæ immunitatis; reſervatur ejuſdem judicialis defenſio. ibid. n.106.
Per violentam extractionem rei offenditur juriſdictio Diœceſani. ibid. n.107.
Vicarius Prioralis poteſt extrajudicialiter immunitatem defendere. ibid. n.109.
Poteſt etiam in hac defenſione cenſuris uti. ibid. n.110.
Sed hoc non niſi in ſubſidium. ibid. n. 112. & ſeq.
Extrajudiciali huic defenſioni locus non eſt cum Ordinarius adiri poteſt, aut poſt factam extractionem. ibid. n.114. & ſeq.
Immunitatem defendere competit etiam Principibus Sæcularibus. ibid. n. 103. & 121.
Ad extractionem rei ab Eccleſia exempta non requiritur licentia Prælati Inferioris. ibid. n.123. & ſeqq.
Epiſcopi procedere poſſunt contra quoſcumque violatores immunitatis, etſi exemptos. ibid. n.131.
Procedunt etiam privativè ad Nuncios. ibid. n.134.

INDVLGENTIÆ.

Earum conceſsio pertinet ad juriſdictionem Epiſcopalem. II. c.13. n.17.
Eas concedere de jure divino ſolum pertinet ad Papam. ibid. n.19.
De jure ordinario competit Epiſcopis ratione ſuæ Dignitatis. ibid. n.20.
Nulli Prælati Inferiores poſſunt eas concedere. ibid. n.21. & ſeq.
Ex competentia juriſdictionis quaſi Epiſcopalis non infertur hæc facultas. ibid. n.23. & ſeq.
Concedi nequeunt à Vicario Epiſcopi, aut Capituli Sede vacante. ibid. n.25.
Concedi etiam poſſunt à Prælatis Inferioribus ex privilegio, non ex conſuetudine. ibid. n.26.
Publicari debent ab Epiſcopo, aut Prælato *nullius*: non verò ab Inferiori intra Diœceſim. ibid. n.27.
Vicarius Prioralis nequit concedere licentiâ Quæſtoribus æleemoſinarum, ut indulgentias publicent. ibid. n.28.
INDVLTA V. *Pontificalia, Conſecratio*, & *Privilegium.*
IMMEMORABILIS præſtat facultatem allegandi meliorem titulum de mundo. I. c.7. n.23.
An per eam territorium ſeparatum poſsit acquiri, & quomodo conſtare debeat? V. *Exemptio nullius præſcriptiva.*
Compatitur cum memoria initij, & contrarij ſtatus. I. c.5. n.54. & 59. V. *Memoria.*
INFERIOR dici poteſt vel ratione minoris gradus præcisè, vel ratione ſubjectionis. I. c.4. n.7.
Inferiori prohibetur judicare in cauſa Superioris. II. c.16. n.67.
Coram Superiore præeminere nequit. II. c.20. n.12.
Neceſſe eſt ad concordiam, ut alij ſint Inferiores, alij Superiores. I. Procem. à n.25.
INNOCENTIJ XII. P.M. compendiaria notitia. II. Procem. n.6.
INSIGNIA Pontificalia alia ſunt honorifica, alia juriſdictionalia. II. c.1. n.85. & ſeqq.
Honorifica geſtari poſſunt in alieno territorio, ſecus juriſdictionalia. ibid. & n.88. V. *Pontificalia.*
Virga eſt inſigne juriſdictionale, ſecus Toga. ibid. n.87.

Inſtitutio, collatio, nominatio, & præſentatio ſæpè promiſcuè accipiuntur; ſed revera differunt. II. c.6. n.4.
Dividitur in corporalem, collativam, & auctorizabilem. ibid. n6.
Corporalis quæ ſit. ibid. n.7.
De jure communi ſpectat ad Archidiaconũ. ibid. n. 8.
Collativa quænam ſit. ibid. n.9.
Hæc præſtat titulum proviſo. ibid. n.10.
Auctorizabilis quænam ſit. ibid. n.11.
Hæc importat curæ commiſsionem. ibid. n.12.
Collativa de jure communi ſpectat ad Diœceſanum. ibid. n.14.
Prælatis Inferioribus poteſt competere privilegio, aut conſuetudine. ibid. n.15.
Habet pro ſubjecto ipſum beneficium. ibid. n. 38.
Competit Prælatis Hieroſolymitanis in beneficiis ſuarum Commendarum. ibid. n.16.
An Abbatiſſæ præſtare eam poſsint. V. *Abbatiſſæ.*
Auctorizabilis quoad Eccleſiam Parochialẽ, etſi exemptam à ſolo Epiſcopo præſtari poteſt. ibid. n.27. & 33.
Habet pro ſubjecto curam populi. ibid. n.38.
Non competit Prælato Inferiori, etſi Eccleſia *pleno jure* concedatur. ibid. n.42.
Aliter ſi concedatur *pleniſsimo jure*, ſivè cum populo. ibid. n.43.
An per præſcriptionem poſsit acquiri Prælatis Inferioribus? ibid. n.45.
Reſp. negativè, & fundatur. ibid. n.46. & 22. ſeqq.
Simultaneè, & ſub Epiſcopo à Prælatis Inferioribus concedi poteſt. ibid. n.49.
Acquiri poteſt per immemorabilem unà cum univerſa juriſdictione, ſecus ſeparata. ibid. n.52. & ſeq.
Quadragenaria ad hoc non ſufficit. ibid. n. 54.
Privilegio effici repugnat, ut Inferior *intra Diœceſim* hanc inſtitutionem præſtet. ibid. n.50. & ſeq.

INTERDICTVM.

Quid ſit? II. c.5. n.2.
Ejus rigor ex antiqua diſciplina. ibid. n.10.
Dividitur in locale, & perſonale. ibid. n.3.
Quid & quotuplex ſit locale. ibid. n 4.
In pœnam perſonarum fulminatur, licèt locũ directè reſpiciat. ibid. n.5. & 6.
Ob alienam culpam apponi poteſt. ibid. n.7.
Innocentes etiam afficit. ibid. n.8.
Contra corpora inanimata, & univerſalia compoſita ex perſonis animatis ferri poteſt ibid. n.9.
Ejus rigor ex antiqua diſciplina. ibid. n.10.
Moderatur plurimùm ex noviori jure. ibid. n. 11.
An Eccleſiæ exemptæ interdici poſsint ab Epiſcopo? latè ibid. à n.13.
Antiquo jure ſervandum erat in quibuſcumque Eccleſiis. ibid. n.18.
Idem de jure novo, privilegiis non obſtantibus. ibid. n.19. & ſeq.
Privilegia circa hoc conceſſa, ſunt moderatoria, non deſtructoria. ibi. n.21. & 4. ſeqq.
Hæc privilegia moderatoria ſublata non ſunt per Tridentinum. ibid. n.25.
Privilegium Hieroſolymitanis à Pio IV. circa hoc conceſſum exponitur. ibid. n.26.
Moderatoria interdicti privilegia, quam utilitatem afferant. ibid. n.27.
Nequit apponi à Prælatis Inferioribus intra Diœceſim in ſuis Eccleſiis. ibid. n.67. & 2. ſeqq.

INTERPRETATIO.

Privilegij ſoli Principi convenit. II. c.16. n.66.
In conceſsionibus privilegiorum Papæ reſervatur. ibid. n.70.
Nonnumquam Judicibus conceditur. ibid. n. 75.
Conciliantur pugnantia jura. ibid. n.76.
Definitur interpretatio. ibid. n.77.
Diſtinguitur à declaratione. ibid. n.78.
Interpretatio legum prohiberi non debet. ibid. n.79.
Diſtinguuntur tres ſpecies interpretationis. ibid. n.80.
Interpretatio neceſſaria, & generalis ſoli Principi competit. ibid. 81.
Interpretatio non generalis, nec neceſſaria, nec abſolutè auctoritativa competit Judicibus. ibid. n.82.
Cùm verba privilegij ſunt clara, nequit Judex interpretare, ſed poteſt dicere, an illud locum habeat. ibid. n.83.
Cùm verba privilegij ſunt obſcura, & quæritur de illius mente Ordinario eſt prohibita interpretatio. ibid. n.84.
In caſu privilegij dubij permittitur Ordinario cognitio indirecta, ut judicet, an privilegium ſuffragetur, & an ſua ſit juriſdictio. ibid. n.88.
A declaratione Ordinarij in his caſibus appellare poſsunt exempti ad Sedem Apoſtolicam. ibid. n. 89.

INTESTATI cauſæ ſunt mixti fori. II. c.11. n.45.
In eis Judex diſponit ex Caſtellæ conſuetudine, ſivè ſint legitimi hæredes, ſivè non. ibid. n.44.
Judex Eccleſiaſticus quoad hoc eſt Epiſcopus, & Prælatus *nullius*, ſed non Prælatus *intra Diœceſim*. ibid. n.46.
Cauſæ inteſtati Hieroſolymitanorum ſpectãt ad ſuos Prælatos. ibid. n.47.
Paritèr ſi Hieroſolymitanus aut ſerviens ſuccedant ab inteſtato. ibid. n.48.
INVENTARIVM conficere pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, cùm Clericus inſtituit animam ſuam hæredem. II. c.11. n. 31. & 34.
Si verò laicus ſit hæres, pertinet ad ſæcularem ibid. n.37.
JVBILEA. V. *Indulgentiæ.*
JVDEX quando dicatur judicialitèr, vel extrajudicialitèr procedere in declaratione cenſurarum. II. c.5. à n.46.
In cauſis beneficialibus. II. c.7. n.56.
Judex in cauſa propria nemo eſſe poteſt, ſecus in cauſa Magiſtratus. II. c.16. n.68. & 73.
Judex cognoſcere poteſt in exceptionibus ſui fori. ibid. n.72.
Judicibus aliquando conceditur privilegia interpretare. ibid. n.75. V. *Interpretatio.*
Judex partes monere, & aliquando cogere poteſt ad tranſactionem. II. Procœm. n.22.
JVDICIVM ubi cæptum fuerit, ibi finem debet accipere. II. c.16. n.29.
Reditur in invitum. ibid. n.82.

JVRISDICTIO.

Sua cuique *juriſdictio* conſervanda. I. Procœ. n.39.
Impoſsibilis eſt juriſdictio, quam quis habeat à ſemetipſo. I. c.5. n.10. & ſeq.
In Lege Veteri dedit Deus juriſdictionem Moyſi, & Aaron, deinde Judicibus, & Regibus. ibid. n.12.
Juriſdictio Eccleſiaſtica reſidet in Papa, ut in fonte ab ipſoq̃ in alios derivatur. ibid. n.15.
Juriſdictio in proximiora tranſcendit. ibid. n.28. & 30.
Abſque poteſtate coercendi nulla eſt. II. c. 12. n.20. & ſeqq. & c.5. n.61.
Ea conceſſa veniunt, quę ad illius exercitium conducunt. II. c.12. n.20. & c.5. n.59.
Duplex habet ſubjectum, locus & perſonæ. I. c.2. n.3.

JVRISDICTIO EPISCOPI.

Neceſſario cohæret muneri Epiſcopali. I. c.1. n.65.
Derivatur à Papa in Epiſcopos. ibid. n.28. & 2. ſeqq. & n.44.
Inferior eſt juriſdictione Rom. Pontificis. ibid. n.32. 47. & ſeqq.
Terminis Diœceſis concluditur. ibid. n.34. & c.2. n.7. V. *Diœceſis.*
Poteſt ab Eccleſia concedi Prælatis Inferioribus. ibid. n.52. & 69.
Non eſt æqualis in omnibus Epiſcopis. ibid. n.43. 48. & ſeqq.
Propter eam competit Epiſcopo Tribunal. ibid. n.66.
Quæ ad eam ſpectant, expediri poſſunt ab Epiſcopo electo. ibid. n.68.
Dividitur in ordinariam, & delegatã. ibi. n.92.
Quæ ſit Ordinaria. ibid. n.93.
Quæ ſit delegata. ibid. n.94.
Delegata tribuitur à Tridentino pluribus in locis. ibid. n.96.
Cùm Epiſcopo conceditur juriſdictio, qua jure communi carebat, erit delegata. ibid. n.98.
Contra, ſi antea ei competebat, nam tunc erit ordinaria, etſi adjiciatur clauſula delegatoria. ibid. n.98. V. *Clauſula.*
An juriſdictio Epiſcopis tributa in cauſis ad curam animarum pertinentibus ſit Ordinaria, vel delegata? latè II. c.10.
An juriſdictio Epiſcopi poſsit præſcribi. V. *Exemptio nullius præſcriptiva.*
De Epiſcopi juriſdictione in Monachos, & Monaſteria. I. c.3. & 4. V. *Monachi.*
Epiſcopi juriſdictio comprehendit omnes cauſas Eccleſiaſticas. I. c.1. n.66.
De Epiſcopi juriſdictione in cauſis immunitatis. II. c.3. à n.94. V. *Immunitas.*
In cauſis criminalibus exemptorum. II. c.3. 12. & 16.
In cauſis cenſurarum. ibid. c.5. & 23.
In cauſis beneficialibus. ibid. c.6. & 7. V. *Capellaniæ.*
In cauſis matrimonialibus. ibid. c.19. V. *Matrimonium.*
In cauſis decimalibus. ibid. c.26. V. *Decimæ.*
De Epiſcopi juriſdictione in Eccleſiis exemptis quoad illarum reparationem, & ornatum. ibid. c.2. & 10.
Quoad illarum ædificationem, refectionem, tranſlationem, conſecrationem, ſeu benedictionem ibid. c.3.
Quoad interdictum. ibid. c.5.
Quoad viſitationem. ibid. c.10.
Quoad edicta in eis publicanda. ibid. c.13.
Quoad excubias in eis peragendas. ibi. c.22.

JVRISDICTIO IN PAROCHOS.
Quoad examen approbationem, & remotionem. II. c.6. & 14.
Quoad punitionem delictorum. ibid. c.12.
JVRISDICTIO IN SERVIENTES.
Quoad eorum delicta in Eccleſiis. II. c.3.
Quoad eorum teſtamenta. ibid. c.11.
Quoad eorum cauſas civiles, aut criminales. ibid. c.16. & 17.
Quoad eorum matrimonia. ibid. c.19.
JVRISDICTIO *Prælatorum Inferiorum.*
Pendet à privilegiis exemptivis. I. c.4. n.39. ad 43.
Cognoſci nequit, niſi cognita comprehenſione exemptionum. ibid. n.62.
Inferiorum *intra Diœceſim* limitata eſt, & compatibilis cum juriſdictione Epiſcopi, ibid. n.94. & c.7. n.51. & II. c.13. n.4.
Prælatorum *nullius* omnimoda eſt, & abſoluta. I. c.4. n.96. & II. c.24. n.9. V. *Exemptio*, & *Prælatus Inferior.*
JVS ſuum unicuique conſervare ad concordiam expedit. I. Proœm. n.39.
Jus univerſale poſsideri nequit. I. c.7. n.34.
Jus idem ſemper manet, licèt varientur adjuncta. ibid. c.8. n.4. V. *Lex.*
Jus an rei appellatione comprehendatur? II. Proœm. n.30. & 32.
Jus ſingulare trahi non debet in exemplum. ibid. c.3. n.91.
Jus civile attendi non debet in materiis ſpiritualibus. ibid. c.3. n.42. & c.7. n.26.
Juris antiqui notitia commendatur. I. c.3. n.4.
JVSTITIA ſolidiſsimum eſt concordiæ fundamentum. I. Proœm. n.41.

L

LEGES ſivè ſacræ, ſivè prophanæ ſæpè mutari ſolent. I. c.8. n.2. & ſeq.
Leges tollere Principis eſt. ibid. n.27.
Perpetuæ ſunt ex voto Legiſlatoris. ibi. n.32.
Si tractu temporis nocivæ, redantur ſervandę non ſunt. ibid. n.33.
Diverſis temporibus diverſæ leges conveniunt. ibid. n.11.
Earum interpretatio ad quem ſpectet. V. *Interpretatio.*
LEX Diœceſana, & Juriſdictionis quid ſignificent; & jura ad unamquamque ſpectantia. Latiſsimè I. c.1. à n.67. uſq. ad 84.
LIMITATIO in dubio non præſumitur. I. c.2. n.90.
LIMITES temporales nihil commune habent cum limitibus Eccleſiaſticis. I. c.2. n.78.
Limites Diœceſium juris publici ſunt. ibid. n.81.
Præſcribi non poſſunt. ibid. c.7. à n.7.
Mutandi non ſunt. ibid. n.8.
Nec confundendi. ibid. n.15.
LIS qualis requiratur ad tranſactionem. V. *Tranſactio.*
LITES præcavere prudentiæ opus eſt. II. Proœm. n.49. V. *Controverſiæ.*
LITTERE formatæ quid ſint. II. c.18. n.39.
Quid pacificæ. ibid. n.40.
Quid communicatoriæ. ibid. n.41.
Quid commendatitiæ ſivè teſtimoniales. ibid. n.42.
De litteris Epiſcopi ad ordines requiſitis. V. *Dimiſſoriæ.*
De requiſitis ad Miſſam celebrandam. V. *Miſſa.*
LOCVS omnis præſumitur ab initio ſub aliquo Epiſcopo. I. c.5. n.66.
Nullius differt à loco exempto. ibid. c.4. n.81.
Figuram facit ſeparatæ Diœceſis. ibid. n.100.
Locus Acephalus abſolutè verificari non poteſt. I. c.5. n.8.
Locus omnis ſub juriſdictione Papæ comprehenditur. ibid. n.9.
Verificari poteſt locus, qui ab origine extiterit ſub Prælato Inferiori. ibid. n.17. & 20.
Locus circundatus Epiſcopatibus, ad vicinio-rem expectabit. ibid. n.27.
Loci deſertio non impedit jus vicinitatis. ibid. n.31.
Locus à Paganis occupatus, illis expulſis, ſuo Epiſcopo eſt reſtituendus. ibid. n.35. & ſeqq.
Locus deſertus qualis intelligatur. ibid. n.55. & ſeqq.
Locus exemptus quatenus comparetur loco extra Diœceſim. II. c.1. n.55. & ſeq. 82. & 101.
Locus religioſus quomodo fiat. ibid. c.3. n.42.
Locus medius, & ulterior cenſetur primus in proceſsionibus. ibid. c.21. n.26. V. *Proceſſiones.*

M

MAGISTRATVS nequeunt eſſe abſque imperio, & juriſdictione. II. c.12. n.20.
Propriam dignitatem debent conſervare. II. c.20. n.2.
Reliquos de populo debent prçcedere. ibi. n.9.

In conſpectu majoris minor faſces ſubmittit. ibid. n.12.
Epiſcopus in ſua Diœceſi Magiſtratus conceptum tenet. I. c.1. n.79.
MANDANS delictum committi an ſit puniendus à judice loci ubi mandavit, vel à judice loci ubi mandatum fuit executum. II. c.3. à n.149.
MANVTENTIO concedi debet Epiſcopo propter juris aſſiſtentiam, etſi non probet poſſeſſionem. I. c.2. n.87.
Niſi Prælatus Inferior probet territorium ſeparatum, vel expreſſo privilegio, vel immemorabili canonizata per tres ſententias conformes. ibid. n.89.
MATRICVLÆ confeſſionis, & communionis inventæ ſunt, ut Epiſcopus cognoſcat numerum, ac ſtatum ſuarum obium. II. c.22. n.32.
Earum uſum excogitavit Eminent. D. meus Cardinalis Ximenius. ibid. n.33.
Deferendæ ſunt à Parochis Prioribus utrique Vicario. ibid. n.34.
MATRIMONIALES cauſæ graviſsimæ ſunt. II. c.19. n.3.
Majoribus Judicibus reſervantur. ibid. n.1. 2. & ſeq.
De jure communi ſolus Epiſcopus de eis poteſt cognoſcere. ibid. n.4.
Prælati Inferiores cognoſcere, etiam poſſunt ex privilegio aut conſuetudine. ibid. n.5.
Concil. Trident. non ſubſtullit, quoad hoc conſuetudinem immemorabilem. ibi. n.7.
Prælati *nullius* cognoſcere poſſunt de his cauſis. ibid. n.12. & ſeqq.
Hæ cauſæ committi ſolent Prælatis Inferioribus. ibid. n.14.
Matrimoniales denuntiationes. V. *Denuntiatio.*
MEMBRA omnia in Eccleſiæ corpore ordinata, & Capiti connexa eſſe debent. I. c.1. à n.41.
Membra ſine Capite fingere abſurdum eſt. ibid. c.4. n.40.
Membra eodem jure, quo Caput debent judicari. II. c.7. n.6.
MEMORIA initij non ſemper deſtruit immemorialem. I. c.5. n.54.
Quid requiratur, ut aliquid extare dicatur in hominum memoria. ibid. à n.52.
METROPOLITANI ſuper ſuo jure diſceptare ſolent, aut cum aliis Metropolitis, aut cum ſuffraganeis. I. Proœm. n.35.
Diœceſanis Epiſcopis præeminent, & Provinciæ curam gerunt. ibid. c.1. n.49. V. *Gradus.*
Quando ad Metropolitanum ſit appellandũ. ibid. n.100.
Eis quandoque tribuitur juriſdictio in locis *nullius.* ibid. c.4. n.102.
METVS præſens debet attendi non futurus. II. Proœm. n.51.
Metus litis an ſuffiat ad tranſactionem, & qualis eſſe debeat. V. *Tranſactio.*
MILITES non dicuntur, qui urbanam vitam agentes, quandoque in hoſtes arma ſumũt. II. c.16. n.42.
MISSA celebrari non debet extra Eccleſiam & publica Oratoria. II. c.3. n.22. & 66.
An de licentia Epiſcopi celebrari poſsit in Oratoriis privatis? ibid. n.25. & ſeqq.
A Clericis M. Prioratus celebrari nequit in illius Eccleſiis abſque licentia Diœceſani. ibid. c.18. n.30.
Requiritur etiam Parochi licentia verbalis. ibid. n.31.
Licentia Vicarij Prioralis non eſt neceſſaria. ibid. n.33.
Quod procedit, etſi Clericus tranſeat de uno Oppido ad aliud ejuſdem diſtrictus. ibid. n.34. & ſeqq.
Clerici peregrini admittendi non ſunt ad Miſſam celebrandam ſine litteris ſui Epiſcopi. ibid. n.38. & ſeqq.
Diœceſanus præcipere poteſt exemptis ne in ſuis Eccleſiis permittant celebrare Clericis peregrinis abſque ejus licentia. ibid. n.45.
Limita, ſi illi Clerici noti ſint, aut Apoſtolicũ interveniat mandatum. ibid. n.46.
Regulares peregrini, & vagi admittendi non ſunt ad celebrandum abſque litteris ſuorũ ſuperiorum. ibid. n.47.
Licentia Ordinarij non requiritur, ut Religioſi peregrini celebrent in Eccleſiis ſuorũ ordinum. ibid. n.48.
Teſtator præcipiens Miſſam celebrari in aliqua Eccleſia, illius cultum reſpicere cenſetur. ibid. c.9. n.30.
Sed ſi Eccleſiam non deſignat, tantùm reſpicit onus Capellani non locum. ibid. n.37.
Miſſarum numerum, ſeu qualitatem præſcribere non poteſt Vicarius Prioralis. ibid. n.41.
Miſſarum reductio privativè competit Diœceſano. ibid. n.42.
Quoad earum implementum. V. *Viſitatio.*
Miſſarum eleemoſinas taxare poteſt Diœceſanus. II. c.10. n.31. & 2. ſeqq.

MONACHI.

Quinam primitivi fuerint, & de eorum origine. I. c. 3. à n. 5. ad 8.

Laici erant. ibid. n. 14.

Nec poterant ordinari. ibid. n. 15.

Parochis erant subjecti. ibid. n. 18.

Ab Episcopis regulas accipiebant. ibid. n. 22.

Episcopis plenissimè erant subjecti. ibi. in tot.

Antiqua Monachorum cum Episcopis concordia fuit strictissima. ibid. à n. 21.

Generalem Episcoporum potestatem in Monachos expressè statuit Chalcedonensis Synodus, quàm postea renovarunt alia Concilia. ibid. à n. 25. usque ad 29.

Aliqui putant exemptiones Monachorum ortas fuisse à Sæculo VI. ibid. n. 31.

Expenduntur pro hac sententia Concilia Italiæ, Africæ, Galliæ, & Hispaniæ. ibid. à n. 32. ad 36.

Proponitur vera sententia: Monachos nimirùm usque ad Sæculum XI. sub potestate Episcoporum fuisse, anteaque solum fuisse immunes ab aliquibus oneribus legis Diœcesanæ. ibid. n. 37.

Plures abusus Episcoporum in Monachos, & Monasteria recensentur. ibid. à n. 38. usq. ad 43.

Episcopos sua potestate temperatè uti oportebat. ibid. n. 44.

Antiqua privilegia Monachis hac de causa fuere tributa. ibid. n. 45.

Hæc privilegia Monachos non liberant ab Episcopi jurisdictione; sed tantùm à quibusdam oneribus legis Diœcesanæ. ibid. n. 46.

Quin nec propriè erant privilegia; sed potestatis Episcopalis moderationes. ibid. n. 47. & seq.

Romanorum Concilium sub S. Gregorio fictitium dici potest. ibid. n. 53. & seq.

Etsi genuinum dicatur tantùm liberat Monachos à quibusdam oneribus legis Diœcesanæ. ibid. n. 55.

Sicut alia ejusdem Gregorij privilegia. ibid. n. 56. & seq.

Exponuntur paritèr Concilia Africæ, Galliæ, & Hispaniæ. ibid. à n. 58. usque ad 71.

De Monachis Hispaniæ, & eorum exemptionibus. V. *Hispania.*

Monachi in pertinentibus ad regulam Abbati obedire tenentur. I. c. 4. n. 27.

A Sæculo XI. exempti sunt à potestati Episcopi. ibid. n. 43.

Justissimis de causis fuerunt exempti. ibid. à n. 47. usq. ad 56.

Monachis qualitèr concederetur Officia Ecclesiastica exercere, & quæstiones inter ipsos, & Clericos hac de causa subortas. II. c. 1. à n. 14. ad 16.

Qualitèr eis permitteretur Parochorum functiones obire. I. c. 3. n. 26. & II. c. 1. n. 16. & 3. seqq.

Qualitèr Ecclesiæ, & decimæ ad ipsos pervenerint. V. *Ecclesiæ, & Decimæ.*

MONASTERIA.

Plura fundata ab Episcopis. I. c. 3. n. 22.

Ab aliquibus tamen plurimùm opprimebantur. ibid. à n. 38.

Fundari nequeunt absque licentia Diœcesani. II. c. 3. n. 32.

Aliàs fundatio erit nulla. ibid. n. 33.

An etiam requiratur licentia Papæ? ibid. n. 34.

Licentia Diœcesani ad fundationem debet esse expressa. ibid. n. 39.

Monasteria transferri possunt tribus de causis. ibid. n. 44.

Non tamen absque licentia Episcopi. ibid. à n. 45.

Quid fieri debeat de bonis Monasterij deserti ibid. n. 83. V. *Conventus.*

De usu Pontificalium in Monasteriis. V. *Pontificalia.*

Monasteria generali Episcopi interdicto comprehenduntor. II. c. 5. n. 18.

MONIALES S. Bernardi de Consuegra subsunt M. Priori. II. c. 25. n. 4.

Et Archiepiscopo Toletano uti delegato in aliquibus casibus. ibid.

Moniales omnes de jure communi subsunt Episcopis. ibid. n. 5.

Post privilegia exemptiva tres Monialium species esse cæperunt. ibid. n. 6.

Sedi Apostolicæ subjectæ, subsunt Episcopis uti delegatis in concernentibus regimen spirituale. ibid. n. 7.

Subjectæ Prælatis Inferioribus ab eisdem sunt regendæ. ibid. n. 8.

Subsunt tamen Episcopis uti delegatis quoad explorationem voluntatis, custodiam clausuræ, & extraordinarios confessarios. ibid. n. 9.

Moniales aliis Monialibus subjectæ subsunt Episcopis, quoad earum gubernium. ibid. n. 10. & seq. V. *Abbatissæ.*

MONITIO non arguit superioritatem in morente. II. c. 7. n. 62.

MONITORIALES censuræ à Diœcesano tantùm expediri possunt. II. c. 23. n. 1.

Præ-

Prælati Inferiores, etſi *nullius* eas concedere nequeunt. ibid. n.2. & 4.
In locis *nullius* impetrari debent à Sede Apoſtolica. ibid. n.3.
Expediri poſſunt à Vicario Generali Epiſcopi ibid. n.6.
Secus à Foraneo niſi Epiſcopus ſpecialitèr delegaverit. ibid. n.7.

N

NOMINATIO quid ſit. V. *Inſtitutio.*
Exerceri poteſt à laico, & à fœmina pro beneficio obtinendo. II. c.6. n.5.
NOTARIJ. V. *Servientes.*
NOVALIA. V. *Decimæ.*
NOVITIJ ſunt exempti à poteſtate Epiſcopi II. c.16. n.46.
Licèt non propriè, largè tamen dicuntur Religioſi. ibid. n.49.
Per ſuſceptionem habitus deſinunt eſſe Parochiani Eccleſiæ, cujus antea fuerunt. ibid. n.50.
Lucrantur indulgentias ſuorum ordinum. ibid. n.51.
Gaudent privilegio Clericorum, & Religioſorum. ibid. n.52.
Dicuntur perſonæ annexæ, & efficacitèr obligatæ Religioni. ibid. n.54.
NOX invitat ad delinquendum. II. c.22. n.3. V. *Vigiliæ*, & *Excubiæ.*
NVNCIVS Apoſtolicus tenetur ſe conformare cum decretis Tridentini. II. c.18. n.29.

O

OBEDIENTIA præſcribi nequit à ſubdito. I. c.7. n.17.
Suſtinet politicum regimen. II. c.12. n.25.
Dividitur in tres ſpecies. ibid. c.16. n.16.
Qualis requiratur in ſervitiis ad affectum exemptionis. ibid. n.17.
OBLATIONES antiquitus præſtabantur à Monachis, ſicut à cæteris laicis. II. c.26. n.7.
Oblationes factæ alicui Imagini, ad quem ſpectent. V. *Eleemoſinæ.*
OECONOMVS Eccleſiis vacantibus eſt præficiendus. II. c.15. n.1.
Ejus nominatio pertinet ad Epiſcopũ. ibi.n.2.
Necnon ad Patronos Eccleſiaſticos, & Prælatos collatores. ibid. n.3.
Novitèr tamen Tridentinum jus hoc nominandi tribuit ſolùm Epiſcopis. ibid. n.4.
Quod extenditur ad Prælatos *nullius* tria requiſita habentes. ibid. n.5.
Quoad Prælatos Hieroſolymitanos nominatim diſpoſuit S. Pius V. ibid n.6.
Diœceſano poteſt œconomo congruam aſſignare. ibid. n.7.
OEconomus ad tempus examinatus, finito tempore, novum examen ſubire debet. ibid. n.8.
OFFICIALES confraternitatum removere poteſt Diœceſanus ex juſta cauſa. II. c.9. n.62.
OPPIDA M. Prioratus enumerantur. I.c.9. n.15.
OPERA pia. V. *Viſitatio.*
ORANVM ad Eminent. D. meo Cardinali Ximenio Toletanæ Diœceſi adjicitur. I. c.5. n.34.
Novitèr pulſis Mauris poſtliminio eidẽ Diœceſi reſtituitur. ibid. n.41.
ORATORIA aliquando ſignificant Eccleſiam, aliquando locum orationi tantùm deſtinatum. II. c.3. n.20.
Introducta ſunt ob penuriam Eccleſiarum, & varia eis indita nomina. ibid. n.21.
Publica erigi non poſſunt abſque licentia Diœceſani. ibid. n.22.
Aſſimilantur Eccleſiis. ibid. n.23.
Privata à quovis erigi poſſunt abſque licentia Epiſcopi. ibid. n.24.
Privata alia ſunt domeſtica, alia extra domos. ibid. n.25.
In iis, quæ ſunt extra domos poteſt Epiſcopus permittere Miſſæ celebrationem, in domeſticis requiritur licentia Papæ. ibid. n.26.
Oratoria extra domos ſubſunt Epiſcopi viſitationi. ibid. n.27.
Vt Epiſcopus permittat Miſſam celebrari in Oratoriis extra domos, reditus ſufficiens eſt præfigendus. ibid. n.28.
In indultis Oratoriorum appellatione Ordinarij ſolùm venit Epiſcopus, & Prælatus *nullius*. ibid. n.30 & ſeq.
ORDO concordiam producit. V. *Concordia.*
Epiſcopalis à Chriſto inſtitutus. I. c.1. n.3.
In eo reſidet Summus Principatus, & ampliſſima poteſtas. ibid. n.42.
Nullus major in Eccleſia. ibid. n.2.
Extollitur à D. Ignatio Martyre. ibid. n.6.
Perpetuus eſt ex Chriſti inſtitutione. ibid. n.10. & ſeqq.
Hic ordo æqualis eſt in omnibus Epiſcopis ad Eccleſiæ concordiam. ibid. n.20.43.&45.

A Christo immediatè provenit. ibid. n.19. & 20.
Confertur per consecrationem. ibid. n.54.
Semper permanet in Episcopo. ibid.
ORDINIS POTESTAS quas actiones comprehendat. ibid. n.55.
Proprio directoque jure solùm competit Episcopi. ibid. n.56. V. *Consecratio*, & *Pontificalia*.
Est impræscriptibilis. ibid. n.57.
Ex speciali Ecclesiæ concessione potest etiam comperere Prælatis Inferioribus. ibi. n.58.
ORDINES ab alieno Episcopo non sunt recipiendi. II. c.18. n.2. & seq.
Proprius Episcopus quoad ordines censetur, vel ratione originis, aut beneficij, vel domicilij. ibid. n.4.
Ab alieno Episcopo potest quis ordinari cum proprij Episcopi litteris. ibid. n.5. V. *Dimissoriæ*.
Regulares quoad ordines non habent proprium Episcopum ratione originis aut beneficij. ibid. n.9.
Ordinari debent à Diœcesano Monasterij, in quo degunt. ibid. n.10.
Monachi antiquitus non ordinabantur. I. c.3. n.14. & 15. II. c.1. n.10.
Qualitèr paulatim ad ordines fuerint recepti. II. c.1. n.12. & 13.
ORDINARIVS. V. *Episcopus*, & *Prælatus Inferior*.
Ordinarius loci quis intelligatur, quoad visitanda Oratoria. II. c.3. n.30. & seq.
Quoad erigendas confraternitates. ibid. c.8. n.34.
Duo Ordinarij æquales in eodem territorio implicant. ibid. c.24. n.2. V. *Exemptio*.
Episcopus absolutè dicitur Ordinarius. ibid. n.4.
Inferior *intra Diœcesim* dicitur Ordinarius secundum quid. ibid. à n.3.
Prælatus *nullius* absolutè dicitur Ordinarius. ibid. n.9.
Ad Ordinarium spectat declarare an sua sit jurisdictio. II. c.12. n.31.

P

PAPA cæteros Episcopos antecellit in jurisdictione, & dignitate, & primum gradum in Ecclesiæ Hierarchia tenet. I. c.1. n.32. & 47.
Ab eo accipiunt Episcopi jurisdictionem. ibi. à n.44. & c.5. n.14.
Ad eum spectat Episcopatus creare. V. *Diœcesis*.
Omnis locus sub ejus potestate consistit. I. c.5. n.9.
Ad ipsum spectat Diœceses dismembrare. I. c.6. n.2. & seq.
Ei præcipuè incumbit munus pacificandi. II. Procem. n.7.
An ejus licentia requiratur ad fundanda Monasteria. II. c.3. à n.34.
Non nisi magnis de causis recepto jure derogare velle creditur. ibid. n.86.
Orandum est pro eo. II. c.24. n.13.
Controversiæ cum Papa sunt periculosissimę. I. Procem. n.33.
PAR in parem caret imperio. II. c.3. n.130.
PAROCHI. V. *Monachi*.
Quid juris habeant in eleemosinis factis Imagini suæ Parochiæ. V. *Eleemosinæ*.
Quatenùs requiratur ejus consensus ad ædificationem novæ Ecclesiæ. II. c.3. n.15.
Qualitèr requiratur ad processiones. ibi. c.21. à n.19.
Ad ipsos spectat nominatio Ministrorum Ecclesiæ. ibid. c.4. n.2.
Ab Episcopo recipiunt curam animarum per institutionem. ibid. c.6. n.27. & c.12. n.15.
Examinandi sunt ab Episcopo. V. *Examen*.
Fidei professionem facere tenentur ad obtinenda Beneficia. II. c.6. à n.65.
Habentur ad Episcopum sicut membra respectu capitis. ibid. c.12. n.15.
Ipsis non incumbit principalitèr Pastorale munus, sed in quantum participant de cura Episcopi. ibid.
Ratione officij arctissimè Episcopo alligantur. ibid. n.17.
Tenentur venire ad Synodum. ibid. n.22.
Et bonum præbere exemplum. ibid. n.28.
Quatenùs eorum licentia sit necessaria ad Missam celebrandam. ibid. c.18. n.31. & seq.
Parochi exempti cumulativè subsunt Episcopo, & Prælato Inferiori. ibid. c.12. n.1. & seqq.
In conflictu decretorum Diœcesano obedire tenentur. ibid. à n.12.
Tenentur venire ad Synodum. ibid. n.22.
Cogi possunt ab Episcopo, ut assistant conferentiis moralibus. ibid. n.23.
Tenentur servare mandata in visitatione relicta. ibid. n.24.

Eorum delicta ab Epiſcopo, & Prælato Inferiori ſimultaneè puniri poſſunt. ibid. à n. 28.
Tenentur utrique deferre Matriculam. V. *Matricula*.
Parochi exempti quoad *reſidentiam*, *examen*, *profeſſionem fidei*, & *proceſſiones*. V. *in his verbis*.
PAROCHIA. V. *Eccleſiæ*.
Aliquando pro Diœceſi accipitur. I. c.2. n.4.
Ad eam Monachi antiquitus conveniebant. II. c.3. n.18.
Parochiarum limites juris publici ſunt. V. *Limites*.
Quando creanda ſit nova Parochia, & antiqua diſmembranda. II. c.3. n.14.
Paſtores Eccleſiæ ſunt Epiſcopi. I. Proœm. n.2. & 5. & c.1. n.3.
PAX. V. *Concordia*.
PERMVTATIO Beneficiorum abſque auctoritate Diœceſani fieri nequit. II. c. 6. à n. 75.
Ejus confirmatio competit etiam Prælatis *nullius*. ibid. n.79. & 81.
Non verò Inferioribus *intra Diœceſim*, niſi certo reſpectu. ibid. n.82.
PERTINENTIÆ quid ſignificent. I. c. 6. n. 22.
PIA opera. V. *Viſitatio*.
PONTIFICALIA.
Omnia poſſunt à Diœceſano exerceri in Parochiis, etſi exemptis abſque alterius conſenſu. II. c.1. n.46.
Pontificalia juriſdictionalia nequeunt à Diœceſano exerceri in Eccleſiis exemptis non curatis, ſecus honorifica. ibid. à n.49.
De delatione Crucis per loca exempta. ibid. n. 60.
Pontificalia inſignia Abbatibus concedi cæperunt à Sæculo XI. ægrè ferentibus Epiſcopi. ibid. à n.64.
Inſignia Pontificalia non concludunt uſum Pontificalium functionum. ibid. n.68.
Non competunt Abbatibus niſi ex privilegio ibid. n.69.
Privilegia Pontificalium ſtrictè ſunt interpretanda, nec veniunt in generali privilegiorum communicatione. ibid. n.71. & ſeq.
Hæc privilegia vel ſunt abſoluta, vel reſtricta ad proprias Eccleſias. ibid. n.73.
Prælatus Inferior Pontificalia exercere poteſt in Eccleſiis pleno jure ſibi ſubjectis. ibid. n.74.
Habentes indultum limitatum, nequeunt extra propriàs Eccleſias Pontificalia exercere, etiam cum Ordinarij licentia. ibid. n.75.
Contra, ſi generale ſit indultum. ibid. n.76.
Alienus Epiſcopus, vel Prælatus Inferior invitatus a Regularibus non poteſt in eorum Eccleſiis Pontificalia exercere abſque licētia Diœceſani. ibid. à n.77.
Tridentinum prohibens uſum Pontificalium in aliena Diœceſi, verificatur in Eccleſia exempta, & comprehendit omnes actus ſivè juriſdictionales, ſivè honorificos. ibid. à n.80.
Qualis fuerit ſtatus quæſtionis Pontificalium ante Tridentinum. ibid. à n.92.
Quidnam ſtatuerit Tridentinum. ibid. n.98.
Vniverſa quæſtio circa uſum Pontificalium reſolvitur facta eorum triplici diviſione. ibid. n.99.
Indulta Pontificalium difficultèr concedunt. II. c.3. à n.84.
S. Bernardus reprehendit Abbates Pontificalium avidos. ibid. n.87.
PORTIO Canonica Epiſcopi. V. *Decimæ*.
POSSESSIO requiritur ad præſcriptionem. I. c.7. n.33.
Jurium univerſalium non admittitur. ibid. n.34. V. *Præſcriptio*.
POSTLIMINIVM non tantum rebus, ſed & juribus datum eſt. I. c.5. n.38.
Illud admiſſerunt Sacri Canones ibid. n.35.
POTESTAS Epiſcopi dividitur in ordinem, adminiſtrationem, & juriſdictionem. I. c.1. n.53.
Alia diviſio in ea quæ pertinent ad dignitatem, vel ad ſimplicem juriſdictionem. ibi. n. 67.
Alia diviſio in legem Diœceſanam, & legem juriſdictionis, quæ latiſsimè explicatur. ibid. à n.70. V. *Ordo*, *Juriſdictio*, & *Dignitas*, *Lex*.
PRÆCEDENTIÆ.
Altercationes ſuper eis aliqui abſolutè improbarunt. II. c.20. n.1.
Sed erunt laudabiles ſi debito modo exerceantur. ibid. n.2. & ſeqq.
Optimum tamen eſt eas tranſigere. ibid. n.5.
Tranſactiones ſuper præcedentiis ſucceſſores ligant abſque Papę confirmatione. ibi. n.6.
Sedes præeminens debetur Magiſtratibus. ibid. n.9.
Qualis Sedes, & locus debeatur Diœceſano, & Prælato Inferiori in Eccleſiis exemptis. ibid. à n. 13.

Con-

Controverſiæ ſuper præcedentiis facilè ſedantur per alternativam. ibid. n.16.
PRÆDICATIO Evangelij fuit velociſsimè confecta. I. c.2. n.56.
An per Apoſtolos in univerſo Orbe. V. *Apoſtoli.*
PRÆLATVS. V. *Epiſcopus.*
Prælati nomen non congruit ſubditos non habenti. I. c.3. n.2.
Prælatus quid ſignificet, & an differat à Præpoſito. I. c.4. n.2.
Prælatus impropriè eſt quicumque aliis præeſt ratione curæ animarum, aut alterius prærogativæ. ibid. n.3.
Propriè eſt qui juriſdictionem coercitivam & contentioſam habet. ibid. n.4.
Nativus & originalis eſt Epiſcopus, alij verò ſuperinducti, & accidentales. ibid. n.70.
Omnes Prelati Regulares ſunt obedientiarij & manuales. II. Procem. n.17.
Prælati particulares neceſſariò citandi in cauſis particularibus Monaſteriorum, ſecus in pertinentibus ad univerſam Religionem. ibid. à n.14.
Duo Prælati æquales in eodem territorio repugnant. I. c.4. n.91. II. c.24. n.2.
PRÆLATI INFERIORES.
Conſtitui poſſunt ab Eccleſia, ut exerceant aliquam juriſdictionem ſpiritualem. I. c.1. n.52. & c.4. n.46.
Poſſunt etiam habere ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis ex conceſsione Eccleſiæ. d. c.1. n.58.
Alij ſunt exempti alij Epiſcopo ſubjecti. I. c.4. n.7.
Prælati Inferiores exẽpti incogniti fuerunt in Eccleſia uſque ad Sæculum XI. eorum autem uſus magnus ab hoc tẽpore. ibi. n.10.
Introductio exemptionum fuit cauſa eos introducendi. ibid. n.39. & 68.
Dividuntur in tres claſſes juxta totidem exemptionum gradus. ibid. n.63.
Explicantur hæ claſſes Prælatorum. ibid. à n.82. ad 101.
PRÆLATI *Inferiores intra Diœceſim* juriſdictionem habent in Eccleſias, & perſonas in privilegio exemptivo comprehenſas. I. c.4. n.68.
Non habent territorium, ſed ſunt in territorio Epiſcopi. ibid. n.78. & ſeqq.
Eorum juriſdictio eſt accidentalis nec excludit juriſdictionem Epiſcopi. ibid. n.73.
Eorum juriſdictio eſt limitata, & reſtricta intra ambitum Monaſterij, ſeu Eccleſiarum. ibid. n.82.
Non poſſunt in ſua Eccleſia exercere actus, qui referantur ad populum Epiſcopo ſubjectum. II. c.5. & c.13. n.15.
Non poſſunt dici abſolutè ordinarij, ſed tantùm ſecundumquid, & in materia adaptabili. II. c.3. n.30. & c.24. n.5. & ſeqq.
Quoſnã actus particulares juriſdictionis exercere poſsint. V. *Juriſdictio Epiſcopi, Abbas,* & in verbis particularibus.
PRÆLATI *nullius* in ſuis territoriis ſunt veri Ordinarij. II. c.24. n.9. & ſeq.
Veniunt appellatione Diœceſani, etiam in materia nova, ac præjudiciali. ibid. n.10.
Eorum juriſdictio eſt omnimoda, & dicitur quaſi Epiſcopalis. ibid. & I. c.4. n.100. & ſeq.
Comprehendit omnes cauſas, & actus Epiſcopis competentes excepta poteſtate ordinis. ibid. n.101.
Excipiuntur etiam caſus in quibus ſpeciali jure Metropolitano, aut Epiſcopo viciniori tribuitur aliqua facultas in locis *nullius.* ibi. n.102. & II. c.10. n.35.
Vt ſunt cauſæ immunitatis. II. c.3. n.95.
Concedere dimiſſorias ſubditis Sæcularibus. II. c.18. n.24.
Expedire cenſuras monitoriales. II. c.23. n.2.
Non gaudent prærogativis debitis Epiſcopis ratione ordinis. II. c.24. n.16.
Nec nominari poſſunt in Canone, ſeu Collecta Miſſæ. II. n.17.
PRÆSCRIPTIO non admittitur dum inter eſt neceſsitas hoſtilitatis. I. c.5. n.58.
Introducta eſt ad imponendum finem litibus I. c.7. n.14.
Immitatur privilegium. ibid. n.19. & ſeq.
Abſque poſſeſsione non procedit. ibid. n.33.
Non extenditur ultra poſſeſsionem, & eſt odioſa. ibid. n.58. & II. c.26. n.32.
An juriſdictio Epiſcopalis præſcribi poſsit? I. c.7. in tot.
PRÆSENTATIO quid ſit. V. *Inſtitutio.*
Poteſt fieri à laico, & à fœmina. II. c.6. n.5.
PRÆVENTIO in cauſis ad curam animarum pertinentibus locum non habet, ſecus in aliis. II. c.3. à n.137. & c.12. à n.5.
Cumulativa juriſdictio ex ſua natura explicanda eſt præventivè. ibid.
Præventio fit per citationem vel realem, vel verbalem. d. c.3. n.143.
Ad præventionem, & excluſionem alterius judicis ſufficit citatio verbalis. ibid. n.144.
An impediat efficaciam privilegij ſupervenientis? V. *Servientes.*

PRIMATVS.

Romani Pontificis divina inſtitutione nititur. I. c.1. n.45. 46. & 47.

Primatus D. Petri eſt velut radix, & origo Patriarcharum, Primatuum, & Metropolitanorum. I. c.2. n.31.

Primatus Eccleſiæ Epheſinæ unde exoriatur. ibid. n.32.

Vnde Primatus Arelatenſis, Cantuarienſis, & Maſilienſis. ibid. n.40.

Primatus Eccleſiæ Toletanæ fundatur. ibid. n.37. & 41.

Primatus Toletanus cum Patriarchatu Conſtantinopolitano comparandus non eſt. ibid. à n.49.

Primatus Toletanus tributus à Conciliis Hiſpaniæ, à Pontificibus confirmatur. ibid. n.52.

Toleto à Mauris erepta, antiquum Primatum confirmavit Vrbanus II. ibid. n.53.

Quod ſanè factum juſtiſsimo poſtliminij jure I. c.5. n.39.

PRIOR.

M. Prior Caſtellæ, & Legionis Ordinis S. Joannis eſt verus ordinarius juxta formam ſuorum privilegiorum. I. c.4. n.83. & c.6. n.32. & c.9. n.18. 54. & 68.

Magna Dignitate in Hiſpania gaudet. II. Proœm. n.10.

De ejus controverſiis, & concordia ſuper jure Diœceſano cum Archiepiſcopis Toletanis I. Proœm. à n. 37. & c.9. in tot. & II. Proœm. & in tot. opere. V. *Epiſcopus*, & *Prælatus*.

M. Prioratus Caſtellæ, & Legionis cur ita vocetur, & quæ Oppida complectatur. I. c.9. n.15.

OEconomia juriſdictionis in eo obſervanda. ibid. n.17.

Priores Hieroſolymitani. V. *Parochi*, & *Prælati*.

Sunt meri adminiſtratores. II. Proœm. n.16.

Priorum Jacobæorum magna eſt Dignitas. II. c.3. n.92.

PRIVILEGIVM. V. *Exemptio*.

Stricti juris eſt. I. c. 6. n.9. & 23. II. c.1. n.71.

Non præſumitur. II. c.16. n.58.

Ejus tenor debet attendi. I. c.6. n.14. II. c.1. n.70.

Illud meretur amittere, qui illo abutitur. I. c.8. n.35.

Perſonale cum perſona extinguitur. II. c.11. n.18.

Et conceſſum ratione alicujus qualitatis deficiente qualitate. ibid. n.19. & ſeq.

Superveniens quomodo profit. V. *Servientes*.

Non opperatur niſi in ſubjecto libero. II. c. 16. n.29. & 32.

Privilegiorum derogatio pacis ſtudio quandoque adhibetur. I. c.8. n.9.

Vel propter exceſſus privilegiatorum. ibid. n.10. 19. & 35.

Vel ob deficientem cauſam conceſsionis. ibid. n.14. 16. & ſeqq.

Vel ob temporum diverſitatem. ibid. n.13. 17. & 18.

In Concilio Tridentino acriter ſuper hoc fuit diſceptatum. ibid. n.21. & ſeq.

In eo expediens fuit judicatum quædam privilegia revocare, alia moderare. ibid. n.23.

Omnia privilegia ſubjacent revocationi. ibid. n.25.

Per revocationem potiùs jus concedentis, quàm privilegiati dimittitur. ibid. n.28.

Vnde queri non debent privilegiati. ibi. n.31.

Revocationes Tridentini extenduntur ad privilegia inſerta in corpore juris, & ad ea, de quibus ſpecialis mentio facta non eſt. ibid. n.37.

Etſi in privilegiis adſit clauſula quod non intelligantur revocata per quamcumq; conſtitutionem poſteriorem. ibid. n.38.

An revocari poſsint privilegia remuneratoria? ibid. à n.40.

Privilegia tributa ob ſervitia præſtita ratione officij, & ſtatus, non ſunt propriè remuneratoria, & revocari poſſunt. ibid. n.49.

Non veniunt tamen in generali revocatione. ibid. n.56.

Privilegia ſtrictè remuneratoria revocari, etiam poſſunt, juſta adſtante cauſa, ſi ſubdito ſint conceſſa. ibid. n.57.

Juſta cauſa præſumitur in revocatione, præcipuè ſi fiat per legem generalem. ibid. n. 58.

Revocabilitas privilegiorum arguitur ex repetitis revocationibus in Conciliis factis. ibid. n.59.

Privilegij exhibitio fieri debet coram ordinario II. c.16. n.55. & ſeqq.

Privilegia inſerta in corpore juris exhibitione non indigent. ibid. n.60.

Paritèr notoria notorietate juris, vel facti. ibid. n.61.

Habēs tamen privilegium notorium tenetur competere, & illud allegare. ibid. n.62.

Re-

Requisita privilegij coram Ordinario sunt probanda. ibid. n.64.
De privilegij *Interpretatione*, & *Confirmatione*. V. *in his verbis*.

PROCESSIONES.

Indicere Diœcesano privativè competit. II. c.21. n.1. & seqq.
Et formam earum præscribere. ibid. n.4.
Item antiquas tollere, aut immutare. ibid. n.5.
Item componere præcedentiæ controversias in eis inter quoscumque exortas. ibid. n.6.
Item compellere regulares, ut ad eas accedant. ibid. n.7.
Quod procedit in servientibus Ecclesiis Hierosolymitanorum. ibid. n.8.
Quænam sint processiones publicæ quænam privatæ. ibid. ibid. n.10. & seq.
Regulares intra ambitum sui Monasterij possunt facere processiones particulares absque licentia Episcopi; secus extra ambitum Diœcesano competit licentiam dare ad deducendam processionem à Parochia exempta. ibid. n.15. & 17.
Processio nequit fieri invito Prælato territori; ibid. n.16.
Sola licentia Diœcesani possunt Regulares ducere processionem perdistrictum Parochiæ exemptæ alterius ordines. ibid. n.21.
Faciliùs est ut processiones fiat inconsulto Parocho, quam Episcopo. ibid. n.22. & seq.
Diœcesanus potest præcipere, ut processiones terminentur in Ecclesiis Regularibus. ibid. n.24.
Episcopo in processionibus primus locus debetur. ibid. n.25.
De loco Vicarij Prioralis, & Diœcesani. ibi. à n.25.
PROCVRATIONES visitationis moderatæ esse debent. II. c.11. n.49.
Non debentur Episcopo visitandi Eccleas Hierosolymitanorum. ibid. n.50.
Nisi in concessione Ecclesię Episcopus eas sibi reservaverit. ibid. n.51.
PROCVRATOR Generalis in causis particularium Conventuum reputatur legitimus defensor, sed non necessarius. II. Procem. n.16.
PROFESSIO FIDEI ad obtinenda beneficia Curata facienda est in manibus Diœcesani. II. c.6. n.65.
Etsi beneficia curata sint Regularia. ibi n.66.
Emittenda est intra duos menses ab adepta possessione. ibid. n.67. & seq.
Eam omittens lethaliter peccat, & fructus non acquirit. ibid. n.69.
PROPHANATIO Ecclesiæ. V. *Destructio*.
PROTECTIO Sedis Apostolicæ exemptionem non tribuit. I. c.3. à n.72.

Q

QVADRAGENARIA maximam vim habet. I. c.7. n.29.
Cum titulo colorato æquivalet centenariæ, & immemorabili. ibid. n.30. V. *Titulus*.
Non tamen tribuit facultatem alegandi meliorem titulum de mundo, ut immemorabilis. ibid. n.32. & 44.
An possit per eam acquiri territorium separatum? I. c.7. in tot.
An proficiat Prælato Inferiori ad institutionem benefitiorum? II. c.6. à n.45.
QVÆSTORIBVS eleemosinarum licentiã concedere competit Diœcesano. II. c.13. n.28.
Qualitas accidentalis non destruit causam naturalem. I. c.4. à n.73.
Qualitas accidentalis facile removetur. ibid. n.75.
Opperari non debet ultra finem propter quẽ adjicitur. ibid. n.77.
QVARTA funeralis debetur Rectoribus Parochialium. II. c.4. n.3.
Quarta decimarum. V. *Decimæ*.

R

RATIONES exigere ab administratoribus Ecclesiarum, & aliorum locorum Regularium M. Prioratus competit M. Priori. II. c.2. n.3. & seqq.
Diœcesanus nequit revidere computa fabricarum Regularium. ibid. n.9.
Diœcesano competit exigere rationes Ecclesiarum Sæcularium. ibid. n.10.
Et quorumcumque piorum opperum Sæcularium. ibid. n.11. & latè II. c.9. à n.9. V. *Visitatio*.
Ad quem spectet exigere rationes eleemosinarum, quæ fiunt Imaginibus sitis in Ecclesiis Regularibus. II. c.2. à n.12. ad 21.
RECONCILIATIO Ecclesię. V. *Consecratio*.
REFECTIO, & reædificatio Ecclesiæ per partes fieri potest absque licentia Diœcesani. II. c.3. n.50.
Secus si antiqui situs varientur. ibid. n.53.
Aut si ædificium amplietur. ibid. n.54.

Cum

Cum iidem ſitus, & forma obſervatur non eſt neceſſaria licentia Epiſcopi. ibid. n.55. & ſeqq.
Licentia Diœceſani requiritur, ut in Eccleſia reædificata functiones Sacrę fiant. ibi.n.61
Vt Eccleſia reædifficetur in eodem loco, neceſſaria eſt Epiſcopi licentia, ſi veteres ſitus prophanati fuerint. ibid. n.62.
Reædifficatio pluribus modis contingere poteſt. II. c.3. n.49.
Qui reficit per partes, novum opus non facit. ibid. n.50.
Prohibitus ædifficare, non prohibetur reficere ibid. n.51.
Si ædifficium dirutum reædifficetur, novum opus erit. ibid. n.56.
REGVLARES primitivi, & eorum privilegia. V. *Monachi.*
Dicti ſunt à regula. I. c.3. n.12.
Regulares omnes ob ſua merita ornati ſunt privilegiis. I. c.4. n.52. V. *Exempti.*
REGVLARITAS Eccleſiæ non præſumitur, & probanda eſt à Prælato Inferiori. II. c.1. n.8. V. *Eccleſiæ Regulares.*
Non influit in ſtatum beneficij in ea exiſtentis. II. c.7. n.11.
Non extenditur de re ad rem. ibid. n.17. V. *Beneficia.*
RELIGIONES omnes laudantur. I. c.4. à n.52. V. *Hieroſolimitana Religio.*
REMVNERATIO non procedit à ſimplici liberalitate, nec eſt propriè donatio. I.c.8. n.42. & ſeq. V. *Privilegium.*
REPARATIO Eccleſiarum eſt opus pium, & Religioſum. II. c.2. n.22. & ſeq.
Cauſa reparationis Eccleſiæ eſt popularis. ibid. n.24.
Judex in hac cauſa eſt Epiſcopus. ibid. n.26.
Qui procedere poteſt in ea contra exemptos per fructum ſequæſtrationem. ibid. n.27.
Cur reparatio Eccleſiæ ſpectet ad juriſdictionem delegatam. ibid. n.28. & ſeqq.
Præcipi poteſt à Diœceſano tàm in viſitationi, quàm extra eam. ibid. n.31. & 40.
REQVISITA ſervientium quomodo ſint probanda, & coram quo. II. c.16. à n.11. V. *Servientes.*
RESIDENTIA Parochorum eſt juris divini II. c.12. n.36.
Concedere licentiam abſentiæ Parochis exemptis ſpectat cumulativè ad Epiſcopũ, & Prælatum Inferiorem. ibid. n.38.
RES quælibet de facili revertitur ad ſuam naturam. I. c.4. n.74.
Res judicata pro veritate habetur. II. c.16. n.82.
Res ſacræ dicuntur largè Sacramenta. II. c.2. n.33.
ROMA Sedes Imperij, & Caput Mundi. I. c.2. n.24.
Ejus Eccleſia à D. Petro fundata Patriarchalis ab initio extitit. ibid. n.26.
Quare Petrus Romam elegerit, ut in ea Sedem poneret. ibid. n.47.

S

SACERDOS primus in ſua Diœceſi eſt Epiſcopus. I. c.1. n.4.
Ad eum ſpectat Sacrorum omnium adminiſtratio. II. c.3. n.2.
Sacerdotes. V. *Clerici.*
SCHOLARIS privilegium ſuperveniens nõ liberat à priori judice. II. c.16. n.30.
Niſi Vniverſitas habeat ſpeciale privilegium, ut Salmantina, & Complutenſis. ibid.
Scholaris non tenetur ſum privilegium exhibere ordinario judici. ibid. n.60.
Tenetur tamen probare qualitatem Scholaris. ibid. n.61.

SEDES EPISCOPALES.

Prærogativa Sedium unde ſit deſumenda. I. c.2. n.22.
Quinam putant ex civili Orbis partitione, & magnitudine temporali Vrbium. ibi.n.23. & ſeq.
Impugnatur hæc ſententia. ibid. n.25. & 27.
Civilis Orbis diviſio nec perpetua, nec univerſalis regula eſſe poteſt. ibid. n.27.
Prima regula: Sedium prærogativa deſumenda eſt à gloria, & honore fundatoris. ibid. n.33.
Secunda regula: Sedium prærogativa deſumenda eſt ab ordine recepti Evangelij. ibid. n.40.
Tertia regula: Vbi Sedium origines ſeu propagines ſunt confuſſæ Vrbium temporalis ſplendor attendi poteſt. ibid. n.42.
Quare Apoſtoli, & eorum diſcipuli majores ad Vrbes commigrarint. ibid. n.43.
Civitatum ſplendor magis cæpit attendi, ex quo Imperatores Vrbes aliquo Eccleſiaſtico honore illuſtrari conarunt. ibid. n.44.
Sedes Epiſcopales incertæ, & liberæ in exordio Religionis erant. ibid. n.65. & ſeqq.
Quænam Sedes debeatur Epiſcopo, & Prælato Inferiori in Eccleſiis exemptis. II.c.20 & 21. V. *Præcedentia*, & *Proceſſiones.*

SEPVLTVRA. V. *Funus.*

SERVIENTES.

Religioni Hieroſolymitanæ cum tribus requiſitis exempti ſunt abſolutè ab Archiepiſcopo, & ſubjecti M. Priori. II. c.16.n.9. & 18.

De his requiſitis. ibid. à n.10. V. *Servitium, Habitatio, & Obedientia.*

Servientes non habentes copulativè tria requiſita, in cauſis criminalibus ſubſunt cumulativè utrique juriſdictioni: in cauſis verò civilibus privativè Priorali. ibid. n.19.

Cumulativa in cauſis criminalibus ſervientium intelligenda eſt præventivè. ibid. n.20.

Exemptio ſervientium ceſſat in cauſis reſervatis Diœceſano. ibid. n.21.

An puniri poſsit à Diœceſano qui poſt crimen commiſſum fit ſerviens? ibid. n.22.

Reſp. I. negativè, ſi cauſa non fuerit inchoata à Diœceſano. ibid. n.23.

Opponitur, quod privilegium impetratum poſt delictum, creditur fraudulentum. ibid. n.24.

Reſp. & fundatur ſolam criminis conſcientiam fraudes non inducere. ibid. n.25.

Reus nondum conventus impetrando privilegium ſuo jure utitur. ibid. n.26.

Reſp. II. affirmativè ſi cauſa fuerit inchoata coram Diœceſano. ibid. n.28. & 6. ſeqq.

Diſtinguntur duæ claſſes ſervientium. ibid. n.35.

Deſignatur certus numerus ſervientium ſecundæ claſsis. ibid. n.36.

Servientes Hoſpitalibus S. Religionis ſunt privilegiati. ibid. n.38.

Item Eremitæ à Vicario Priorali nominati. ibid. n.40.

Coloni ſtipendiarij ſunt privilegiati, ſi aſsiduò, & principaliter in ſuo miniſterio occupantur. ibid. n.41.

Item Miniſtri Tribunalis Prioralis. ibid. n.43.

De teſtamentis Servientium. V. *Teſtamenta.*

Servientium privilegia morte ſpirant. II. c.11 à n.17. & c.16. n.11.

SERVITIVM ad effectum privilegij debet eſſe actuale. II. c.16. n.11.

Item verum non affectatum. ibid. n.12.

Item præſens, nec ſufficit deſtinatio. ibid. n.13.

Servitutis ſpecies eſt, ut quis à certo loco nō recedat. II. c.17. n.8.

SERVITIA facta abſque ulla antecedenti obligatione propriè ſunt merita. I. c.8. n.46.

Servitia exhibita ratione officij nullam in accipiente obligationem producunt. ibi. n.52.

Etſi producant obligationem antidoralem, nō cauſatur debitum legale, ſed tantùm morale. ibid. n.53. & ſeq.

SITVATIO in Diœceſi præbet Epiſcopo juris aſsiſtentiam ad exercitium ſuæ juriſdictionis. I. c.2. à n.84. & c.3. n.29.

Situatio in Diœceſi non tollitur per exemptionem ſimplicem. I. c.4. à n.78.

Situatio Capellaniæ in Eccleſia Regulari non efficit illam Regularem. II. c.7. à n.10.

SPONSVS Eccleſiæ eſt Epiſcopus. II. c.13. n.24.

SYNODI indictio ad legem Diœceſanam ſpectat. I. c.1. n.87. & ſeqq.

An cogi poſsint Parochi exempti, ut Synodo aſsiſtant? V. *Parochi exempti.*

T

TERMINI. V. *Limites.*

TERRITORIVM judicibus aſsignare ad concordiam ſpectat. I. c.2. n.1. V. *Diœceſis.*

Territorium quodammodo ſolvi poteſt, integra manente Diœceſi. I. c.4. n.89. & ſeq.

Territorium ſeparatum. V. *Exemptio nullius.*

TESTAMENTA.

Teſtamentorum executio eſt res piiſsima. II. c.11. n.2.

Omni jure competit Epiſcopis. ibid. n.3.

Epiſcopi cogere poſſunt exequutores, ut teſtamentum adimpleant. ibid. n.4.

Si exequutores neglexerint teſtamentum adimplere, exequutio devolvitur ad Epiſcopum. ibid. n.5.

Idem dicendum de Prælatis *nullius*. ibid. n.6.

Teſtamenta perſonarum Cleri, aut Populi Sæcularis viſitare competit Diœceſano, etſi exequutores ſint exempti. ibid. n.7.

Viſitatio & executio teſtamenti ſpectat ad Ordinarium defuncti. ibid. n.8.

Vicarius Prioralis nequit viſitare laicorum teſtamenta prætextu quartæ funeralis. ibid. n.9.

Neque cogere hæredes aut exequutores, ut teſtamenta exhibeant. ibid. n.10. & ſeq.

Teſtamenta ſervientium, tria requiſita non habentium, viſitanda ſunt à Diœceſano. ibid. à n.12.

Diſſe-

Differentia inter teſtamenta ſervientium, & Religioſorum. ibid. 21.
Teſtamentum ſervientis, in quo Religio Hieroſolymitana hæres inſtituitur, viſitandum eſt à Vicario Priorali. ibid. n.22.
Teſtamentum ſervientis, inſtituētis animam ſuam heredem, & nominantis exequutores exemptos, ab eodem eſt viſitandum. ibid. n.23. & ſeq.
Cùm ſerviens relinquit exequutores non exemptos, etſi animam inſtituat hæredem, ſpectat viſitatio ad Diœceſanum. ibid. n.25.
Pariter ſi non exemptus ſit hæres, quamvis exequutores ſint exempti. ibid. n.26.
Pariter ſi ſerviens inſtituat hęredem animam ſuam, nullo relicto exequutore. ibid. n.28.
Teſtamenta Hieroſolymitanorum viſitare competit privativè Vicario Priorali. ibid. n. 38.
Pariter teſtamenta ſervientium, tria habentium requiſita. ibid. n.41.

TITVLVS.

Nullus ordinari debet abſque titulo. II. c.18. n.2. & ſeq. V. *Adſcripti.*
Titulorum uſurpatio controverſiis occaſionem præſtat. II. c.24. n.1.
De forma tituli, quo uti debent Vicarius Diœceſanus, & Prioralis. ibid.
Titulus requiritur in quadragenaria, quoties jus præſcriptionem reſiſtit. I. c.7. n.52.
Talis requiritur, ut præſtet poſſidenti cauſam præſcribendi. ibid. n.53.
Debet eſſe clarus, & expreſſus. ibid. n.54.
Qua ratione dicatur putativus, & coloratus. ibid. n.55.
Afferuntur hujuſmodi tituli aliqua exempla. ibid. n.56.

TOLETVM.

Vrbs Regia & Roma vocatur. I. c.2. n.49.
Leuvigildus thronum Regium in eam tranſtulit. ibid.
Toletanus Præſul totius Provinciæ Carthaginenſis citra hominum memoriam extitit Metropolita. ibid. n.51.
Hiſpaniarum Primatum tenet. V. *Primatus.*
Toletanæ Eccleſiæ Dignitatem oſtentant frequentiora Concilia in ea celebrata. I. c.2. n.41.
In Eccleſia Toletana viget adhuc antiquarũ vigiliarum uſus. II. c.22. n.8.
Quomodo in ea excubiæ peragantur. ibi. n.9.

TRANSACTIO.

Suadetur etſi minus utilis videatur. II. Proœ. n.21.
Poteſt aliquando à Judice præcipi. ibid. n.22.
Eſt favorabilis, & ita interpretanda, quo magis ſubſiſtat. ibid. n.23.
Non reſciſſa per ſentētiam habet implicitum ſtatum validitatis. ibid. n.24.
Qui nititur tranſactione, fundatam habet intentionem. ibid. n.25.
Vera alienatio exiſtimatur in Jure. ibid. n.27.
Super rebus Eccleſiæ non ſubſiſtit abſque beneplacito Apoſtolico. ibid. n.28.
Pariter ſuper juribus Eccleſiæ. ibid. n.29. ad 34.
Beneplacitum Apoſtolicum tranſactionem efficit perpetuam, & realem. ibid. n.34.
Inita inter Prælatos ſub nomine Dignitatum perpetua eſt. ibid n.40.
Super decimis, & juriſdictione tranſigi poteſt ibid. n.43.
Tranſactio non comprehendit niſi in litem deducta. ibid. n.44.
Non valet niſi lis præcedat. ibi. n.45. & 2. ſeqq.
An de lite futura tranſigi poſsit? ibid. n.48.
Qualis debeat eſſe timor litis ad tranſactionem Judex æſtimavit. ibid. n.55.
Lis ad tranſactionem requiſita debet eſſe dubia, non calumnioſa. ibid. n.56.
Ad valorem tranſactionis ſufficit quælibet dubietas. ibid. n.58.
De eo, quod judicatum eſt non valet tranſactio. ibid. n.60.
Secus ſi fiat ad declarationem rei judicatæ. ibid. n.62.
TRANSLATIO Eccleſiarum, & Monaſteriorum fieri nequit abſque licentia Epiſcopi. II. c.3. n.45.
TRIBVNAL habere competit Epiſcopo. I. c.1. n.66.
Competit etiam M. Priori in M. Prioratu. II. c.16. n.4.
Competit habentibus juriſdictionem ordinariam in foro contentioſo. ibid. n.5.

V

VICARIVS. V. *Epiſcopus*, & *Prælatus Inferior*, & in verbis particularibus.
VIGILIÆ in Eccleſiis antiquiſsimæ ſunt. II. c.22. n.4.
Tractu temporis multa mala earum occaſione irrepſerunt. ibid. n.5.
SS. Eccleſiæ Patres eas primum moderarunt & tandem ſuſtullerunt. ibid. n 6.
In Eccleſia Toletana viget adhuc antiquarũ vigiliarum uſus. ibid. n.8.

VISITATIO.
Diœceſis pertinet ad legem Diœceſanam. I. c.1.n.84.
In ea maximè explicatur Epiſcopalis juriſdictio. II. c.10. n.1.
Monachi, Monaſteria, & eorum Eccleſiæ omnino ſubjiciebantur viſitationi Epiſcopi de jure communi. ibid. n.3.
Stantibus exemptionibus viſitari non poſſunt in pertinentibus ad regulam, & Clauſtrale regimen ſecus verò in pertinentibus ad curam animarum, & fuctiones Hierarchichas. ibid. n.4.
His reſpectibus concurrere poſſunt viſitatio Epiſcopi, & Prælati Inferioris. ibid. n.5.
Vna eademque res diverſis reſpectibus poteſt duplici viſitationi ſubeſſe. II. c.9. n.16. & c.10. n.6. & ſeqq.
An viſitatio Epiſcopi ex Tridentino in c. 11. ſeſſ. 25. de regular. facienda ſit jure ordinario, vel delegato? II. c.10. à n.9.
Viſitatio Epiſcopi locum non habet in locis *nullius*. ibid. n.20.
Viſitatio Parochialium Hieroſolymitanorum facienda eſt ab Epiſcopo jure delegato. ibid. n.23.
Viſitatio Archiepiſcopi Toletani in Eccleſiis M. Prioratus non excludit viſitationem M. Prioris. ibid. n.26.
Archiepiſcopus poteſt Diœceſanum Viſitatorem Eccleſiarum M. Prioratus deputare ibid. n.34.
Viſitatio Diœceſani comprehendit omnia opera pia Sæcularia ſuæ Diœceſis, etſi ſint ſita in Eccleſiis exemptis. II. c.9. n.2.
Capellanias, & Memorias ſitas in Eccleſiis Regularibus. ibid. n.5.
Oratoria, ſivè publica, ſivè privata. ibid. n.19. & ſeq.
Hoſpitalia Sæcularia, etſi aliàs exempta. ibi. n.25. & 2. ſeqq.
Titulos Capellanorum. ibid. n.40.
Confraternitates in Eccleſiis Regularibus fundatas. ibid. à n.48.
Capellas Regularium, in quibus inſtitutæ ſunt Confraternitates, quoad ipſarum Confraternitatum regimen. ibi. latè n.51.
Eccleſias Parochiales Regulares. II. c.10.
Et in his Eccleſiis omnia, quæ reſpiciunt directè, vel indirectè curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum. latè ibid. à n.27.
Domum Parochi. ibid. n.30.
Teſtamenta perſonarum Cleri, & Populi Sæcularis, & aliquorum ſervientium. II. c.11. à n.7. V. *Teſtamenta*.
Viſitatio Prioralis comprehendit Oratoria publica Regularia. II. c.9. n.21.
Hoſpitalia Regularia. ibid. n.25.
Capellanias Regulares. ibid. n.43.
Memorias, quarum bona relinquuntur fabricis. ibid. n.45.
Capellanias, & Confraternitates in ſuis Eccleſiis fundatas. ibid. à n.29.
Eccleſias Parochiales, Parochos, & Servientes. II. c.10. 12. & 16.
Teſtamenta Hieroſolymitanorum, & Servientium. II. c.11. n.38. & 41.
Viſitatio cumulativa locum habet in piis operibus ſitis in Eccleſiis Regularibus in ordine ad implementum Miſſarum. II. c.9. n.29.
Quod procedit in Capellaniis, etſi fundatæ non ſint in Eccleſiis Regularibus, & abſque loci deſignatione ad Miſſam celebrandam. ibid. à n.29. ad 38.
Hæc cumulativa procedit etiam in Confraternitatibus quoad implementum Miſſarum, & feſtivitatum. ibid. n.56. & 66.
Procedit etiam in Eccleſiis Parochialibus, & Parochis quoad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum. II. c.10. & 12.
Viſitator Diœceſanus in viſitatione Eccleſiarum M. Prioratus uti debet expreſsione juriſdictionis delegatæ. II. c.10. n.36.
Si omittatur hæc expreſsio non ex inde nullitas actus infertur. ibid. n.37.
Viſitator Diœceſanus, & Prioralis concurrere non debent in eodem loco. ibid. n.38.
Tractari, & honorari debent ſicut in cæteris Eccleſiis Archiepiſcopatus. ibid. n. 39. & 40.
Quam regulam tenere debeant quoad exactionem procurationum. ibid. n.41. &c.11. n.50. & ſeq.

VRBS.
Vrbium temporalis prærogativa non eſt regula ad prærogativam ſpiritualem Sedis. I. c.2. n.26.
Aliquando tamen attenditur. ibid. n. 42.

LAUS DEO.

3.176